

SACROSANCTA CONCILIA OECUMENICA

COMMENTARIIS ILLUSTRATA

AD SANCTISSIMUM PATREM

BENEDICTUM XIV.

PONTIFICEM MAXIMUM

TOMUS II.

Quatuor alias Oecumenicas Synodos comprehendens, Constantinopolitanam secundam, tertiam, Nicænam secundam, & Constantinopolitanam quartam

AUCTORE JOSEPHO CATALANO PRESBYTERO.





ROMÆ. MDCCXXXXIII.

Ex Typographia Antonii de Rubeis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO

SALUTEM IN DOMINO, ET FELICITATEM PLURIMAM
JOSEPHUS CATALANUS D.



Ponte ſua, imo ſuo jure, BEATISSIME PATER, *alter Tomus Commentariorum in alia quatuor Concilia Oecumenica* SANCTITATI TUÆ *ſe offert. Quum enim primus Cle-*

menti XII. Pontifici Maximo, ac Principi munificentiſſimo dedicatus fuerit, nefas profecto eſſet, ſi alter alii, quam Tibi, qui immediate in illius locum peculiari Spiritus Sancti influxu ſuffectus es, nuncuparetur. Potiori jure hunc Tomum alterum, alioſque etiam, quos in alias Oecumenicas Synodos ſum editurus in lucem, SANCTITATI TUÆ *dedicandos cogunt ſane tot inſignes Academiæ, quas ſtatim poſt ſuſceptum Supremi Pontificatus regimen in Urbe inſtituiſti, cooptatis in eaſdem Viris lectiſſimis, & ob omnigenam eruditionem, qua pollent, toti Orbi notiſſimis, qui & profanas, & Eccleſiaſticas antiquitates enarrent, Concilia explicent, de ſacra hiſtoria diſſerant, ac Ritus Catholicæ Eccleſiæ exponant. Quantum ex literariis hiſce Lycæis a* SANCTITATE TUA *inſtitutis, ego præ cœteris, qui bona ſtudia amant, gaudii perceperim,* TUA *ipſa* SANCTITAS *animadvertere poterit ex tot meis Libris, in quibus, ſi non pro majeſtate, & ea, qua par erat, doctrina, quæ nulla in me eſt, fuſe tamen, ac pro virium mearum tenuitate, diſſerui de veteri, ac nova Eccleſiæ diſciplina, de ſacris Eccleſiæ Catholicæ Ritibus, de Canonibus non modo Generalium, ſed & particularium Conciliorum, & non nihil etiam de re profana, prout ſe mihi occaſio obtulit, ad ſacras res magis magiſque illuſtrandas. Sed hæc ſtudia mea nugæ ſunt, nec inficior. Quid enim magni momenti unus ego homunculus aggredi poteram ſolidæ eruditionis expers, iiſque auxiliis deſtitutus,*

quæ

quæ ad ipsa peragenda studia necessaria omnino sunt? Feci tamen quod potui, fortasseque siluissem, atque aliorum ora, & calamos altiori premi silentio curassem, si quo tempore nos in nostra S. Hieronymi Charitatis Academia loquebamur, & scribebamus, tot egregia Lycæa, quæ Tu initio Pontificatus instituisti, excitata pridem jam essent. Anceps itaque diu fui, neque satis exploratum habui, quid mihi super editione hujus Tomi, aliorumque insequentium agendum esset, cum multa occurrerent, quæ me partim ab incepto deterrerent, partim vero ad Opus jam cœptum hortarentur. Videbam enim, si mea Opera non ederentur, illam Euangelicæ reprehensionis notam merito me incursurum:* Hic homo cœpit ædificare,& non potuit consummare. *Si ederentur timebam, ne Viros doctos, lectosque a* SANCTITATE TUA *offenderem, quorum est Concilia interpretari, arcanos eorum sensus exponere, dissertationes ea in re concinnare, ac publici juris facere. Fateor me in tot tantisque angustiis, quo me verterem, diu ignorasse; sed in eam tandem abii sententiam, ut Opus inceptum typis committam, tum quod confidam, fore, ut alii si non mea eruditione edocti, quæ nulla in me prorsus est, bona certe voluntate provocati, quod ego parum feliciter conatus sum, id ipsi Deo adjuvante, ac Te bona studia fovente, summa cum laude perficiant; tum vero potissimum, quod Tu,* BEATISSIME PATER,

* Meminit inter alios ejus Academiæ Vir Clarissimus Octavianus Gentilius in celebri Opere, *De Patriciis* Lib. II. Cap. VI. Num. XII.

TER, *ubi una cum aliis meis Operibus primum meum Conciliorum Tomum ad tuos Sanctissimos pedes detuli, animos mihi dedisti, ac pene jussisti, ut Opus perficerem. Tua ergo benignitate, & auctoritate fretus susceptos labores prosequor, in eisque edendis illud summopere me consolatur, quod voluntati* SANCTITATIS TUÆ *pareo, cujus vox, Christi vox est, & nutus imperium, cui quidem vel minimum refragari, immane piaculum duxerim. Quis autem non æquo animo labores susceperit, quos Tibi placere novit, qui omnes, qui de re literaria bene mereri student, benevolentia, ac comitate semper amplecteris, munificentia devincis, & quacumque potes ratione juvas semper, & evebis. Jam non Scriptores modo, sed & literæ ipsæ in tuum tanquam in optimi Parentis, ac Patroni beneficentissimi sinum confugere gestiunt, non tam quidem, ut Te, tuique egregias animi dotes, ac tua insignia facinora illustrent (nec enim aquis Oceanus eget) quam ut ex tuo gloriosissimo Nomine splendorem ipsæ trahant. Tibi itaque* BEATISSIME PATER, *meas hasce elucubrationes dedicare, & offerre constitui, ut sub tanti Nominis velamento ab omni livore, & malevolorum obtrectatione tutæ sint. Quod fieri certum est, si has, ut spero, solito hilari, serenoque vultu receperis. Scio equidem, serius quam spoponderam, edidisse hunc Tomum; sed tarditatis causa plane fuit non modo rei familiaris angustia, qua premor ob tot*

edita

edita meis ſumtibus Opera ; verum & indeſinens labor , ac ſtudium in concinnandis Commentariis , quibus conatus ſum Cæremoniale Epiſcoporum , Opus a nullo adhuc tentatum , illuſtrare , ut omittam Canonici Juris inſtitutiones , aliaque Opuſcula , quæ Deo adjuvante proxima ſunt , & ipſa , ut luce donentur . Quamobrem veniam mereri videor , ſi alterum Conciliorum Tomum pridem alias a me abſolutum , TUÆQUE SANCTITATI *promiſſum duobus poſt annis in lucem edam . Accipe nunc ergo grato ac libenti animo hoc quicquid eſt muneris ; & ſi importuna quadam interpellatione publicis univerſæ Eccleſiæ negotiis , quibus aſſidue , & magna cum laude occupatus es , moram attuli , ignoſcas oro , atque obteſtor . Interim vero , quod in primis vehementer exopto , Te* DOMINUS JESUS , *cujus vices geris in terris , diu ſervet incolumem ; quo enim diuturnior tua Vita fuerit , eo utiliorem Eccleſiæ futuram Fideles omnes ſperant .*

SANCTITATIS TUÆ

Humillimus , & obſequentiſſimus famulus
Joſephus Catalanus .

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Ferdinandus M. de Rubeis Episc. Tarsen. Vicesgerens.



APPROBATIONES CENSORUM.

Alterum Conciliorum Tomum, inscriptum: *Sacrosancta Concilia Oecumenica &c.*, Cùm Reverendissimi Patris Aloysii Nicolai Ridolfi Sac. Pal. Apost. Magistri mandato, qua licuit diligentia expendissem, ita mihi profectò visus est cœtera ejusdem Doctissimi Auctoris præclara Opera æquare. Nihil siquidem in eo aut à Catholica Fide, aut à sania Moribus alienum offendi; quin & Historiæ Veritatem, Doctrinæ puritatem, Eruditionis ubertatem nullibi desiderare contigit. Concilia Conciliis, Canones Canonibus, atque Orthodoxorum Patrum Sententiis scitè, & copiosè illustrantur: expenditurque accuratè, quid instituta Majorum moneant, quid probati Auctores adijciant, quid rationes suadeant. In primis verò, quæ Sancta Romana Ecclesia probat, probantur; quæ reijcit, reijciuntur: Hæreticorum passim refelluntur errores; atque Christianæ instauratio Disciplinæ, ubi hæc collapsa sit, continenti Zelo urgetur. Propterea hoc Opus, quò luce sua rem literariam amplificet, typis edendum censeo.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Andreæ de Valle, VII. Idus Martii MDCCXLIII.

Josephus Maria de Petio Clericus Regularis, SS. Congregationum Indicis, & Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum Consultor, in Urbe Cleri Examinator Apostolicus, atque Serenissimi Augusti III. Regis Poloniæ, Electoris Saxoniæ &c. Theologus.



Quo suavior est accurata Sacrorum Canonum notitia, eo gratius accidit mihi, quod jussu Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici, perlustraverim Librum, cui titulus: *Sacrosancta Concilia Oecumenica Commentariis illustrata auctore Josepho Catalano Presbytero*. Indefesso, & assiduo studio vulgatis jam pridem variis eruditis Operibus, Urbi, & Orbi cum primis notus ubique celebris, Auctor clarissimus his certe Commentariis maximam sibi laudem conciliat; cum quicquid de rebus, quas tractandas suscipit, discere velimus, in iisdem reperire sit. Scilicet in ipsis, ut pulchritudinem materiæ, ita diligentiam si penitius expendamus, amplius quod desiderandum sit, nihil erit. Ut enim privati juris, & publici, non Canonici solum, sed etiam Civilis, peritus est; quæ perhibent Historiæ sciens: in rebus Theologicis versatus, & Ecclesiasticæ Disciplinæ Cultor assiduus; quibus illæ Scientiæ, & id genus ceteræ possint Sacros Canones illustrare, breviter quidem, sed diligenter ita persequitur Auctor eruditus, ut ubique Catholicam Doctrinam summa fide, pari constantia tueatur, defendat, dum priscæ vetustatis veneranda nobis exhibet monumenta. Quapropter Opus istud egregium, in quo nihil prorsus offendi, vel a Fide recta, vel a sinceris moribus alienum, dignum censeo, quod publica luce donetur; probe ratus, quod Auctori suo magnam, quam certe meretur, segetem laudis allaturum sit. Datum Romæ in Cœnobio S. Mariæ supra Minervam VII. Idus Septembres MDCCXLIII.

Fr. Antoninus Bremond, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magister.



IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sacri Palatii Apost. Mag.

HI-



HISTORIA

CONCILII QUINTI OECUMENICI II. CONSTANTINOPOLITANI.

I. Uum adversus Catholicam Fidem, quam variis laborantem procellis ab hæreticorum turba excitatis, Chalcedonensis Synodus IV. Oecumenica providentissimis decretis tranquilla pace donaverat, rursum exorta esset tempestas; inde nata est occasio, ut generalis quinta Synodus, secunda vero Constantinopolitana cogeretur, tum ut tria damnaret Capitula, quibus Nestoriani venenum suum diffundebant, & Acephali Eutychis defensores memoratam Synodum Chalcedonensem impugnabant, tum etiam, ut quosdam Origenis errores confoderet, quos Monachi quidam, Nonnus scilicet, ac Leontius e novæ Lauræ in Palæstina sito Monasterio erumpentes per Orientem disseminabant, favente illis Theodoro Cæsareæ Episcopo, secta Acephalo, dilectoque, ac familiari Principum, ut notat Liberatus Carthaginensis Diaconus in suo Breviario. In hac vero hæresum colluvie perfidia præsertim Eutychiana, quæ regnante Religiosissimo Principe Marciano, in multorum animis metu potius, quam voluntate repressa latebat, post illius obitum in tantam prorupit audaciam, ut per omnem Asiam, & vicinas Europæ regiones omni furore, ac strage grassata sit, tresque Orientis Patriarchatus, Alexandrinum, Antiochenum, & Constantinopolitanum fœde concusserit.

II. Ergo, ut rem altius repetamus, Alexandriæ audito statim obitu Marciani Imperatoris, qui dum viveret, Chalcedonensem Fidem, & legibus, & armis, strenue, atque egregie tutatus fuerat, ea soluti formidine, quicumque Dioscoro favebant, caput sacrilegum extulerunt, scelestissimum suum ducem, qui erat unus ex ipsis, Timotheum cognomento Ælurum olim e Monacho creatum Presbyterum Alexandrinum, in Pontificium Thronum Alexandrinum intruserunt, ac post paucos dies sanctissimum Proterium, qui Chalcedonensis Concilii Decreto in locum deturbati ea sede Dioscori suffectus fuerat, intra ipsam Ecclesiam, atque in ipso Baptisterio latitantem, ipsoque die Cœnæ Domini occiderunt, corpusque ejus per universam Civitatem crudeliter tractum membratim dividentes, ac more canum interiora ejus degustantes, reliquum corpus igni, & cineres vento tradiderunt. Ac post hæc idem Timotheus Urbem Alexandriam, totamque Ægyptum sævissimis Orthodoxorum, omnis generis, sexus, & conditionis persecutionibus, rerumque, ac personarum sacrarum profanationibus implens, in ipsum quoque Romanum Pontificem, necnon Constantinopolitanum, & Antiochenum, Episcopos, cunctosque Chalcedonensis Concilii defensores anathematis jacula intorsit. Quæ quidem omnia, aliaque ejusmodi fusius pertractata habentur in literis Orthodoxorum Ægyptiorum ad Leonem Imperatorem, qui Marciano in imperio successerat, meminitque eorumdem Liberatus Diaconus in suo Breviario, Cap. LV., & Theodorus Lector in Collectaneis, Lib. I. qui de eodem Timotheo & hoc amplius refert, eum, antequam occideretur Proterius, nigra veste indutum cellas Monachorum circuire solitum, unumque se ex administratoriis spiritibus asserera, ad hoc missum, ut cunctis ediceret, ne cum Proterio communicarent, sed Timotheum Ælurum Episcopum designarent.

III. Factus Alexandriæ Pseudoepiscopus Ælurus, explicari satis nequit, quam crudelissime in Catholicos sæviret, verum damnatus ab omnibus ubique Episcopis, pellitur tandem ab ipso Imperatore

ratore Leone in exilium circa annum CDLX. Sed Leone mortuo, a Zenone ejus in imperio successore, Sedi Alexandrinæ, quam invaserat, restitutus circa annum CDLXXIV. postquam Constantinopoli quoque turbas movisset, anno CDLXXVII. sibi ipsi hausto veneno mortem conscivit, ut tradit Liberatus scriptor illius temporis, Cap. XVI. Ex quo redargui potest Euagrius, qui Lib. III. Cap. 11. Zachariam Eutychianum historicum sequutus, ait eundem Timotheum ob ingravescentem ætatem permissum fuisse a Zenone pacifice sedere usque ad obitum, qui paulo post contigit. Porro refert idem Euagrius Alexandrinos propria auctoritate subrogasse tunc in locum Æluri, Petrum cognomento Moggum, sed cum hoc ad aures Zenonis pervenisset, ipsum morte mulctasse Petrum, ac Sedi Alexandrinæ restituisse Timotheum illum, alterum cognomento Solofaciolum, legitimum S. Proterii successorem, quem impius Ælurus post obtentam sui exilii liberationem e sede removerat. Verum quod Petrus Moggus morte mulctatus sit, etiam in hoc redarguitur Euagrius a Liberato Diacono, & aliis historicis, qui ajunt, usque ad annum CDXC. supervixisse, in ejusque locum suffectum fuisse ab hæreticis Athanasium hæreticum cognomento Herniosum, Palladio Antiocheno æque hæretico communicatione conjunctum. Quicquid sit, multis annis Alexandrina Sedes in duos Episcopos divisa fuit, Catholicum unum, alterum Eutychianum, nam Petrus Moggus non modo, sed & alii illi similes ea Sede potiti sunt, non sine Catholicæ Fidei detrimento, ac gravibus Catholicorum vexationibus, & ærumnis.

IV. Neque vero segnius Antiochiæ debacchati sunt ejusdem sectæ Eutychianæ hæretici, auctore præsertim Petro Cnapheo, seu Fullone, qui ad Eutychis errorem, adjunxit hæresim Theopaschitarum, vocesque illas sacro Trisagio addidit: *Qui passus est pro nobis*. De qua impia additione juxta illius mentem fuse, & in Commentariis ad Chalcedonensem Synodum egimus, & agemus etiam iterum in Commentario ad Canonem LXXXI. Trullanum. Is ergo concitata adversus Martyrium Episcopum Antiochenum turba, Sedem illam violentus invasit, eandemque postea decursis aliquot annis, alter Eutychianæ sectæ propagator insignis occupavit. Fuit is Severus quidam patria Sozopolitanus in Pisidia, qui postquam Beryti forensibus studiis aliquando operam dedit, mox ex Causidico Monachus, & ex Monacho factus Eutychianus, eamque ob causam Monasterio ejectus ab Abbate Nephalio Constantinopolim venit, ubi Anastasii Imperatoris, & Senatorum adeptus gratiam, collectitiis perditorum hominum copiis septus, Flavianum pium, & Catholicum Episcopum Antiocheno deturbat Episcopatu, ejusque Sedem invadit. Vix dum ea potitus sanctam Chalcedonensem Synodum contra juramentum, quod præstiterat, publice anathematizat, populatur Ecclesias, furit adversus Orthodoxos terroribus, exilio, verberibus: trecentos in primis Monachos, quorum nec potuit minis, nec blanditiis labefactare constantiam, nefario scelere trucidat, inhumatos canibus prædam relinqui jubet, ac tandem luctu, cruore, cadaveribus funestans omnia, innumerorum pene hominum cædis, ac multarum hæreseon colluviei auctor nequissimus fuit. Hæc & alia longe plura de Severo referunt, Theodorus Lector, Liberatus, Euagrius, Synodus Constantinopolitana sub Menna Actione 1. Nicephorus, & alii, apud Cæsarem Cardinalem Baronium ad annum DXIII. & DXXXV.

V. Quod Ecclesiam Constantinopolitanam spectat, passa fuit & ipsa Eutychianorum furias, ac primum quidem sub Acacio Episcopo, qui Petri Moggi in Alexandrino Episcopatu retinendo callidius fautor, & Chalcedonensis Fidei fraudulentus proditor, dolosis artibus diu Romanorum Pontificum vigilantiam eludere conatus est. Deinde sub Anthimo, qui abdicato Trapezuntis in Ponto Episcopatu, callidis occultisque consiliis Theodoræ Augustæ, uxoris Justiniani Imperatoris, Catholicam Fidem foris profitens, intus vero Eutychianam hæresim sectans, in Sedem Constantinopolitanam, obitu Epiphanii Catholici Episcopi vacantem, intrusus est. At vero cum id graviter ferret Agapetus Papa, qui tunc temporis, idest anno DXXXVI. Theodati Gothorum Regis causa Constantinopolim ad Justinianum Augustum concesserat, Anthimum ipsum in salutationem, & communionem recipere noluit, nisi prius libello oblato se Orthodoxum probaret, & ad pristinam sedem suam reverteretur. Perstitit autem in ea sententia Agapetus, quamvis communionem cum Anthimo ab ipso peterent Justinianus, cui nondum compertus fuerat Anthimus hæreticus, atque impia ejusdem fautrix Theodora Augusta, imo & recusanti exilium minarentur. Sed cum postea interrogatus a Pontifice coram ipso Imperatore Anthimus, renuisset confiteri duas in Christo naturas, tunc idem Justinianus fraude comperta, *humiliavit se*, ut ait Anastasius, *Sedi Apostolicæ, & adoravit Beatissimum Papam Agapetum*. Anthimum autem ab eodem depositum expulit, atque in ejus locum suffici curavit Mennam genere quidem Alexandrinum, sed Constantinopoli agentem, Præpositum primarii Xenodochii Samsonis dicti, virum pietate, Religione orthodoxa, aliisque virtutibus conspicuum, quem & sua ipse manu consecravit Agapetus in Sanctæ Mariæ Basilica, toto plaudente populo, ac Senatu.

VI. Hæc quidem omnia ita gesta referuntur apud Anastasium ipsum, Liberatum, & Theophanem. Narrat autem præterea Zonaras in Justiniano, nonnullos e primoribus Episcopis Orientis refragatos esse Agapeto in gratiam Imperatoris, sed eos omnes ab eo tandem fuisse superatos. Additque Nicephorus Lib. XVII. Cap. IX. Anthimum ab Archimandritis ejus Urbis, & aliis accusatum, nec quidem in conspectum ab Agapeto admissum fuisse, sed mox Sede depositum, aditu illi aperto relicto, ut si quando ab errore pœnitens ad Ecclesiam redire vellet, Episcopatus pristinus Trapezuntinus eidem integer servaretur. Quod autem ad Mennam spectat Anthimo subrogatum, is antequam Episcopus deligeretur, suæ Fidei professionem publice edere jussus, ei subscripsit, quin & simul ac ab ipso Agapeto ordinatus est, obtulit rursum more Majorum eidem Romano Pontifici libellum Fidei, quo omnes condemnavit hæreses, & Catholicam Fidem professus est. Tum ab eo Apostolicæ Sedis Vicarius constitutus, Constantinopoli Concilium ex vicinioribus Episcopis, & iis, qui in eadem Civitate reperti sunt, omnibus numero quinquaginta, vel supra, ut alii scribunt, celebravit; in quo Anthimus ipse vi in Constantinopolitanam Sedem intrusus, Severus Theopolitanus, Petrus Apamensis, & Zoaras pseudomonachus, atque alii Eutychiani erroris fautores, & Catholicæ Ecclesiæ infesti, exagitati sunt,

ut

ut haeretici. Concilium habitum fuit anno DXXXVI. in loco, qui dicebatur *Dyticum*, quod erat Constantinopoli Monasterium, quod *Dy* appellabatur.

VII. Quamquam vero eo Constantinopolitano Mennæ Concilio, Eutychianorum perfidia aliquantum conquieverit, dio tamen, ac vehementer Ecclesiæ Catholicæ concordiam exagitavit famosa illa de tribus Capitulis controversia, quorum etiam occasione Quinta Synodus Oecumenica, & II. Constantinopolitana, cujus Historiam teximus, celebrata est. Ejus controversiæ, ut paulo altius originem repetam ex Liberato, & Euagrio, aliisque Scriptoribus, cum Pelagius Romanæ Ecclesiæ Diaconus ab Agapeto Papa Constantinopoli relictus esset, ut Apocrisarii munere fungeretur, ad eum Palæstinæ quidam Monachi ex Cœnobio S. Theodosii, & S. Sabæ venerunt, rogantes, ut qua valebat apud Justinianum auctoritate, suaderet illi, ut libellos contra Origenem, & sectatores, quos ipsi attulerant, susciperet, & Origenem damnaret. Duo enim præsertim Monachi novæ Lauræ (id erat S. Sabæ in Palæstina Monasterium) Nonnus, & Leontius collectos ex Origenis voluminibus maximos quosque errores in omnes Orientis plagas disperserant: *Annuit*, inquit Liberatus, Cap. XXIII. *Imperator facillime, gaudens, se de talibus causis judicium ferre. Jubente eo dictata est in Origenem, & in illa capitula anathematis damnatio, quam subscribentes una cum Menna Archiepiscopo apud Constantinopolim reperti, deinde directa est Vigilio Romano, Zoilo Alexandrino, Æphremio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano. Quibus eam accipientibus, & subscribentibus, Origenes damnatus est mortuus, qui vivens fuerat ante damnatus.* Encyclicam itaque Epistolam scripsit Justinianus ad quinque Orbis Patriarchas, in qua Origenis errores de Mysterio Trinitatis, de animarum præexistentia, de anima Christi, aliisque de rebus refert, ac Sanctorum Patrum testimoniis eosdem impugnat, quorum elenchus continetur in novem Canonibus, quos Epistolæ subjicit, & Notis illustrat eruditissimus Lupus in suis ad Quintam Synodum Scholiis, Tom. II editionis Venetæ. Ubi ea Epistola publicata, atque teste Liberato, a Vigilio Papa, aliisque Patriarchis subscripta fuit, grave Origenis doctrinæ vulnus illatum est.

VIII. Hanc Origenis damnationem ægre tulit Theodorus Cæsariensis Metropolita, cognomento Arcidas, magnus Origenistarum Patronus, memorato Pelagio Apocrisario infensus, Sectaque Acephalus, quæ ramus, & propago quædam erat Hæresis Eutychianæ. Dicuntur autem Acephali, sive Acephalitæ factiosi nonnulli ex iis, qui Chalcedonensis Concilii decretis contradicebant, & duas in Christo naturas esse cum Eutyche, & Dioscoro negabant; cum enim essent numero multi, & omnes simul orti, nec constaret, quis factionis author, & caput esset, Acephali, idest, sine capite, vocati fuere; tametsi alii opinentur, Acephalos fuisse hæreticos illos, qui a suo Patriarcha Alexandrino Chalcedonensem Synodum tuente recesserant, quique iccirco suo sine Pastore, suo sine capite Synodum illam impugnantes, Acephali dicti fuere. Verum quicquid sit de Acephalis istis, quorum Ducem ait Nicephorus fuisse Severum Episcopum Antiochenum, memoratus Theodorus, ut quascumque poterat, Origeni, & Acephalis ferret suppetias, Justiniano Imperatori, cujus gratia pollebat, suadet, ne se tot curis, & laboribus conficeret in Acephalis insectandis, & Chalcedonensi tuenda Synodo, facili quippe negotio totum posse componi, si tria tantum, quibus hi plurimum offendebantur, corrigeret. Nempe si damnaretur Theodorus Episcopus Mopsuestiæ Nestorii Magister, cujus laudes habentur in Epistola Ibæ Episcopi Edesseni ad Marim Persam in Chalcedonensi Synodo recitata, qua & S. Cyrillum, ejusque contra Nestorium scripta reprehendebat. Deinde, si prohiberentur libri Theodoreti Episcopi Cyrensis contra XII. Capitula S. Cyrilli, in Ephesina Synodo approbata, quos libros Theodoreti Patres Chalcedonenses non condemnarant, contenti dicto contra Nestorium, Theodoreto præsente, anathemate. Tandem si rejiciatur memorati Ibæ Epistola ad Marim Persam, in qua laudat Theodorum, S. Cyrillum accusat, ac Ephesinam Synodum latæ citra examen præcipitis contra Nestorium sententiæ insimulat.

IX. Sugessit hæc quidem, sed ea tamen mente Justiniano Theodorus, ut Concilii Chalcedonensis correctio strueretur, quod usque ad minimum jota Pelagius Romanæ Sedis Apocrisarius sartum tectumque volebat. Theodora Augusta, quæ palam Acephalis ipsis favebat, idipsum quod suaserat Theodorus Antistes Cæsariensis Justiniano inculcat, sed eo consilio pessima mulier facinus moliebatur, ut ubi semel Chalcedonensis Concilii correctio in aliquibus fieret, jam universim ejusdem auctoritas collaberetur, ac nullius ponderis evaderet, quod alicubi errasse monstraretur: *Hæc audiens Imperator*, inquit in fine sui Breviarii Liberatus, *& dolum dolosorum minime prospiciens, suggestionem eorum libenter accepit, & facere promtissime spopondit*. Et postea: *Annuit his Princeps, & hoc se lætus implere promisit, & relinquens operis sui studium unum in damnationem trium Capitulorum condidit librum pro delictis nostris nobis omnibus notissimum*. Hoc est primum Edictum a Justiniano Imperatore contra Tria Capitula editum, quodque anno DXLVI. vulgatum tradit Baronius, qui tamen invicte refellitur ab Eruditissimo S. R. E. Cardinali Norisio in sua de V. Synodo dissertatione, & ab Auctore Criticæ Baronianæ ad eumdem annum, atque ab aliis multis doctis Viris. Sane fallitur idem Baronius, ubi putat ipsum Edictum contra Tria Capitula esse illud, cujus initium est, *Scientes, quod nihil aliud &c.* Etenim ex verbis in eo positis illud post annum DL. emissum esse, diserte ostendit laudatus Norisius, & alii docti Authores, qui etiam docent, primum illud Edictum a Justiniano editum anno DXLIV. ad nos minime pervenisse.

X. Edito ab Imperatore Edicto Stephanus Diaconus, qui Pelagio a Vigilio Romam evocato Apocrisarii munere apud ipsum Imperatorem fungebatur, palam restitit, ac Mennam Constantinopolitanum Episcopum ob datum consensum fractæ Fidei reum increpuit, cui & a pluribus Episcopis libelli dati sunt, qui Romam ad Vigilium Papam transmitterentur, in quibus protestabantur, *quod a Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent*. Facundus tamen Hermeniensis Lib. IV. Cap. IV. scribit Mennam Constantinopolitanum, Petrum Hierosolymitanum, & Æphremium Antiochenum, Episcopos, nolentes plane, atque invitos Edicto subscripsisse. Verum quod nihil absque auctoritate Romanæ, & Apostolicæ Sedis ageretur, Vigilium Papam Roma Constantinopolim literis suis accivit Justinianus. Roma egressus

est Vigilius circa finem anni DXLIV. & quidem die XXII. Novembris, ut ait Anastasius, qui scribit, eum fuisse *natalem ejus diem*; licet enim ibidem multa fabulosa de Vigilio scribat, inde tamen non sequitur, eum etiam in die, quo Roma ille discessit, falsum esse. Annus eruitur ex Victore Tunnunensi, qui ejus profectionem narrat *post Consulatum Basilii V. C. anno* IV. qui secundum ejus supputandi modum est annus DXLIV. Præterea Vigilius ipse in Epistola Encyclica anni DLII. Nonis Februarii data, tradit, hæc se ad Justinianum suo nomine per Nuncium deferenda dixisse: *Nos ad pietatem tuam festinantes ante septem annos de Civitate vestra egressi fumus, ut nulla haberemus privata negotia*. Quare cum septem annos numerat, ex quo Roma discesserat, confirmat quod scribit laudatus Victor Tunnunensis, eum Roma discessisse anno DXLIV. & quidam exeunte, ut ex Anastasio constat. Unde errant, Baronius, & Petavius, Lib. I. *De Incarnatione*, Cap. XVIII. qui Vigilii discessum ab Urbe anno DXLVI. consignant.

XI. Vocatus ab Imperatore Vigilius non recta quidem Constantinopolim perrexit, sed in Siciliam ivit, eo consilio, ut ibidem Synodus cogeretur. Diu in Sicilia eum mansisse testatur Procopius, Lib. III. *De bello Gotico*, Cap. VI. ubi loquens de Vigilii Constantinopolim adventu, ait: *Vigilius Romanus Pontifex Byzantium Imperatoris accitu venit ex Sicilia, ubi jam diu degerat profectionis illius causa*. Profectus est quidem Roma Vigilius invitus pene, & coactus, non tamen jussu Theodoræ Augustæ, ut perperam Anastasius refert, ab Anthemio Scribone captus, & navi per vim impositus, Constantinopolim deductus. Nec enim Justinianus, qui Vigilium in suam sententiam pertrahere volebat, eum indigne haberi, mandare debuerat. Certe memoratus Victor Tunnunensis ait tantum, a Justiniano Vigilium *subtiliter* fuisse compulsum, ut Constantinopolim pergeret. Clerici quoque Italiæ in Epistola, quam anno DLI. Legatis Francorum Constantinopolim proficiscentibus scripserunt, ita inquiunt: *Veniens ibi* (idest Constantinopolim) *ante sex annos istos Beatissimus Papa Vigilius, magis autem, ut quod verius est, dicatur, prope violenter deductus*. Ex quo non modo Anastasii lapsus refellitur, sed & illud præterea confirmatur, quod superius dictum est contra Baronium, ac Petavium, Vigilium anno DXLIV. Roma exiisse.

XII. Dum adhuc in Sicilia moraretur, Vigilius, uti ex ejus literis constat, quas in Libro contra Mocianum laudat Facundus, certior factus a Datio Mediolanensi Metropolita, qui Constantinopoli ad eum venerat, Mennam Patriarcham Constantinopolitanum latam a Justiniano contra Tria Capitula sententiam subscripsisse, indeque non modo Stephanum Vigilii ad Justinianum Apocrisarium, sed plerosque etiam Episcopos, ac laicos ab ejus communione se segregasse. Ubi summo honore exceptus ab Imperatore, ut scribit Theophanes in Chronicis, pervenit tandem Constantinopolim die XXV. Januarii anno DXLVII. uti habet Continuator Marcellini ad ipsum annum, Mennam illum a communione suspendit mensibus quatuor. Ob id autem commoto Imperatore Vigilius iram ejus veritus ad Altare S. Sergii Martyris confugit; *erat enim gravis, & procero corpore*, ait Theophanes, qui etiam addit, Mennam vicissim in Vigilium sententiam dixisse. Verum Theodora ambos invicem conciliavit die XXIX. Junii, ut idem Theophanes testatur ita inquiens; *Vigilius pariter a Theodora Augusta rogatus, Junii die vigesimo nono, qui sanctis Apostolis sacer, Patriarchæ Constantinopolitano Mennæ pacem restituit*. Interim Justinianus vim adhibebat omnem, ut a Vigilio damnationem Trium Capitulorum extorqueret, sed nihil promovit; urgente autem Synodum Imperatore, Vigilius Constantinopoli Concilium quorumdam Episcoporum numero LXX. anno DXLVIII. coegit: *Adfuere*, inquit Facundus in Libro contra Mocianum, *septuaginta circiter Episcopi cum Romano Antistite congregati*. Sed cum secus quam sperabat Pontifex, rem succedere animadverterat, eodem Facundo, & quibusdam aliis Afris Tria Capitula vehementer propugnantibus, Acta Synodi interrumpens, statuit per semetipsum proferre sententiam.

XIII. Itaque diuturnioris Constantinopoli moræ impatiens, ac Justiniani violentiis fractus Decretum fecit, quod Judicatum vocavit, directum ad Mennam Constantinopolitanum Patriarcham Sabbato Sancto, in quo propugnata hucusque Tria Capitula, mutata derepente sententia damnavit, adjecta tamen clausula: *Salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis*. Putavit eo temperamento satis se fecisse Vigilius non modo Imperatori, & Græcis, quod Tria Capitula condemnasset, verum etiam Latinis, quod *salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis*, id se fecisse contestaretur. At vero res aliter cessit, etenim eo Decreto Afros, Illyrios, & Dalmatas, aliosque Trium Capitulorum defensores alienavit, inprimisque Facundum Hermianensem Africanum Episcopum, qui luculento opere in Libros duodecim partito, illorum propugnationem suscepit; addito etiam singulari alio Libro contra Mocianum. Quin etiam Rusticus, & Sebastianus, doctissimi Romanæ Ecclesiæ Diaconi tametsi Judicatum ipsum summis laudibus primum celebrarint, verum paulo post, Felicis Monachi Africani, Gillitani Monasterii Hegumeni persuasionibus victi, a Vigilio deficientes, Trium Capitulorum patrocinio sumpto, Judicatum illud oppugnant, eumque tamquam prævaricatorem, & Chalcedonensis Synodi violatorem passim traducunt: quos ideo Pontifex anno DL. cum aliis quibusdam depositionis sententia mulctavit, quæ extat in septima Collatione hujus Synodi. Hic ille videtur esse Rusticus, cujus Liber contra Acephalos editus est Tomo IV. Bibliothecæ Patrum. Erat Rusticus Vigilii nepos, & Baluzius Tomo I. novæ collectionis in Præfatione ad Acta Synodi Chalcedonensis Num. XXV. & pag. 1228. ostendit, hunc Rusticum unum eundemque cum illo fuisse, qui priorem versionem Latinam Concilii Chalcedonensis cum Codicibus antiquis contulit.

XIV. Sed his obiter dictis, Justinianus quoque ipso Vigilii contra Tria Capitula Decreto minime contentus, quod clausulam hanc adhibuisset, *salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis*, apud eum institit, ut absolute, ac sine ulla mentione Concilii ipsa proscriberet. Quo renuente, postulanteque, ut ex omnibus Provinciis Episcoporum Concilium cogeret, assensus est Imperator, & Episcopos undique literis suis evocavit. Vigilius interim Judicatum suum, quod Italiæ Clerici *Constitutum* vocant, recepit, tum etiam Græcorum Episcoporum Chirographa, quibus

bus eadem Tria Capitula damnaverant, ut de integro causæ totius disceptatio fieret. Adjecit & excommunicationis sententiam in eos, qui *ante universalis Concilii tractatum de istis Capitulis aliquid fecissent, aut facientibus adquievissent*. Interim Africani Episcopi ab Imperatore varie tentati, & quod illi obsequi nollent, crudeliter habiti, vexatique sunt, nonnulli etiam in exilium missi. Rursus cum accepisset Imperator, nomen Theodori ab annis fere centum ante defuncti e sacris diptychis Ecclesiæ Mopsoestenæ, cujus olim Episcopus fuerat, erasum esse, ad Joannem Metropolitam Justinopolitanum in Cilicia minori, & ad Cosmum Episcopum Mopsuestiæ literas dedit die XVII. Junii anni DL. ut collecta Provinciæ Synodo, investigaretur quandonam id factum esset. Adfuere Synodo cum Joanne Metropolita octo alii Episcopi, seniores Clerici, & Nobiles Civitatis, ex quorum omnium testificatione compertum fuit, Theodori nomen numquam esse recitatum, sed pro eo Cyrilli nomen positum. Quod sic intelligi par est, ait Petavius, ut erasum fuerit ex albo Catholicorum Antistitum, postquam hæreses illius innotuerunt. Mox Acta ejus Synodi habitæ ipso anno DL. ad Imperatorem missa sunt, eaque post in quinta hujus nostræ Synodi Collatione lecta.

XV. Instigante rursum Theodoro Cæsariensi, qui inhærens rursus Justiniano omnium ei malorum author accessit, contra datam Vigilio fidem servandi silentii de Tribus Capitulis usque ad universale Concilium, Imperator adversus eadem Tria Capitula Edictum publice proposuit, anno DLI. cui omnes æque Episcopi Orientales assensi sunt, Zoilumque Alexandrinum Episcopum, quod inhærens olim Vigilio Capitula illa damnare renuisset, Sede privavit, & in ejus locum Apollinarem substituit. Reclamavit Edicto Vigilius, iramque Imperatoris in se se concitavit, sibique metuens ad S. Petri Basilicam confugit mense Augusto. Tum Nonis Septembris in Theodorum Cæsariensem Trium Capitulorum contra interdictum suum damnatorem, & Imperatorii auctorem Edicti excommunicationis, & depositionis sententiam tulit, ex Synodo Italorum Episcoporum tredecim, quos illic coegit; Mennam vero, & ceteros Episcopos a communione suspendit, donec resipiscerent. Verum hanc sententiam non statim promulgavit, sed pio cuidam viro tradidit, sperans fore, ut adversarii resipiscerent, sicut idemmet in Encyclica sua Epistola declaravit. Porro Justinianus ira percitus, ut testatur Epistola Clericorum Italiæ ad Legatos Galliæ, Prætorem cum militari manu ad Vigilium mittit. Qui columnas Altaris complexus, a militibus, capillis, & barba, pedibusque correptus, ac violenter abstractus est, Diaconis, & Clericis, simili immanitate comprehensis, & ejectis. Quo impetu columnæ aliquot Altaris effractæ sunt, & Altare ipsum cecidit. Hoc miserando spectaculo commotus populus concursu facto infestis vocibus, ac stridoribus Prætorem absterruit, & cum militibus suis in fugam conjecit.

XVI. Cum autem Constantinopoli in S. Petri Basilica adhuc interim moraretur Vigilius, Belisarius, & Cethegus, & Petrus, Exconsules, ipseque Justinus Imperatoris nepos cum Marcellino Quæstore ad ipsum venere, ut accepto juramento in Placidianas Ædes pergeret, alias *sub omni violentia* e Templo retrahendum. Itaque e Basilica egressus una cum aliis ipsas Placidianas ædes venit. Veritus autem Imperator, ne Vigilius iterum in Templum confugeret, misso clam milite ædes sedulo custodiendas jussit. Quod ubi Vigilio significatum fuit, biduo ante Natalem Domini fugam meditatus, trans mare quæsivit effugium, & in Basilica S. Euphemiæ Martyris habitare disposuit. Vigilium Datius Mediolanensis sequutus est, aliique etiam Latini Episcopi, inter quos fuit Verecundus Nicensis in Byzacena Provincia Episcopus, quem paulo post ibidem defunctum memoratus Victor Tununensis scribit.

XVII. Anno sequente, qui fuit Christi DLII. Quinto Kal. Februarii Justinianus ad Vigilium in Basilica ipsa S. Euphemiæ commorentem honorificam legationem decernit Virorum Principum, in quibus erat Belisarius, qui illum hortarentur, ut fide interposita Constantinopolim rediret. Quibus Pontifex, ut habet ejusdem Epistola Encyclica, ita respondit: *Si causa Ecclesiæ ordinatur, ut pacem ejus, quam Avunculi sui*, idest Justini Imperatoris, *piissimus Princeps fecit temporibus, & modo restituat, ego sacramentis opus non habeo, sed statim egredior. Si autem causa Ecclesiæ finita non fuerit, item sacramentis opus non habeo, quia numquam de S. Euphemiæ Basilica exire dispono, nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatum*. Hæc ubi Justinianus a Legatis accepit, Epistolam, seu, ut Vigilius loquitur, chartam ad eumdem misit, mendaciis, ac injuriis refertam. Eam Petrus Referendarius pridie Kalendas Februarii tulit, cum vero non esset Imperatoris manu subscripta, neque Petrus eidem nomen dare vellet, vel signare diem, quo allata fuerat, nullam illi Vigilius fidem præstandam duxit. Verum ne ream conscientiam silentio apud imperitos prodere videretur, objecta quæcumque crimina validissime se confutasse in ipsa Epistola Encyclica contestatur, quam ipso anno DLII. die quinta Februarii ad universam Ecclesiam scripsit, qua cuncta quæ gesta essent, innotescerent; & ubi exponit causas secessus sui Chalcedonem in S. Euphemiæ Templum, quid ibi egerit cum Justiniani Legatis, simulque Fidei suæ confessionem interserit. Quo etiam tempore sententiam superiore anno latam in Theodorum, Mennam, aliosque protulit.

XVIII. Tanta Romani Pontificis constantia superatus Imperator, cum enim peragendæ Synodi cupidus esset, videretque, reluctante Romano Pontifice, nihil solidi statui posse, sua tandem Edicta sustulit. Mennas, Theodorus, aliique, Libello fidei, & pœnitentiæ oblato, a Vigilio in gratiam recepti sunt. Inter alia in ipso Libello hæc leguntur: *De injuriis autem quæcumque Beatitudini, vel Sedi vestræ facta sunt, eas quidem non feci, sed quia pro pace Ecclesiæ, modis est omnibus festinandum, velut si eas fecissem, veniam postulo. Quia vero tempore discordiæ, excommunicatus, vel non receptus a Beatitudine vestra, in communionem suscepi, pariter veniam postulo*. Subscripsere Libellum Mennas Constantinopolitanus, Theodorus Cæsareæ Cappadociæ, Andreas Ephesinus, aliique. Interim Vigilius Constantinopolim revertitur, Mennas subinde moritur mense Decembri, in ejusque locum sufficitur in exordio anni DLIII. Eutychius Monachus doctrina, & sanctitate conspicuus, missus ab Amaseæ in Ponto Episcopo Constantinopolim, ut suo nomine interesset futuræ Oecumenicæ Synodo. Ergo multis visionibus a Deo designatus, omniumque consensu ordinatus Episcopus, ubi statim

tim Fidei professionem more Majorum Vigilio Romano Pontifici obtulit, ab eo in communionem receptus est. Ejus Vitam legere est apud Surium die VI. Aprilis.

XIX. Quod ergo Oecumenicam quintam Synodum spectat, cœpit haberi ipsa Constantinopoli die quinta Maji, anni laudati DLIII. Adfuere tres Patriarchæ, Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Dominus, seu Domninus Antiochenus, Hierosolymitanus autem per Vicarios, Patres universim centum sexaginta quinque. Lecta est Sacra Divalis Justiniani per Theodorum Silentiarium ad Synodum perlata, qua Imperator significabat, nihil antiquius sibi fuisse, quam hæresibus eliminatis quietem Ecclesiæ dare post excitatos ab Acephalis tumultus. Patres ad Trium Capitulorum examen, & ad Judicium de illis servandum hortabatur, quæ Romani Pontificis Judicato jam confixa essent. Lectæ sunt deinde Eutychii recens Episcopi Constantinopolitani ordinati literæ ad Vigilium datæ, Fidei professionem ipsius, & preces humillimas continentes, ut præsidente ejus Beatitudine controversia de Tribus Capitulis finiretur. Lectæ itidem sunt Vigilii ad Eutichium ipsum, & ad alios Episcopos sub eo constitutos literæ. Post hæc cum scirent Episcopi Græci Synodum, Romano Pontifice non præsente, vel ejus Legatis, pro Oecumenica haberi non posse, nobilissima ad Vigilium ipsum destinata Legatione viginti Episcoporum, inter quos tres erant Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus, ac reliqui omnes Metropolitæ, eum rogarunt, ut Synodo interesset, & secum de Tribus Capitulis disputaret, quemadmodum datis ad Eutychium literis pollicitus fuerat. Respondit eis Vigilius, se propter corporis infirmitatem non posse ad hanc petitionem respondere: *In postero autem die pollicitus est, manifestare, quod ei de tali conventu placuerit*. Notandum autem, Legatos illos non citatorium quidem mandatum, sed preces detulisse Vigilio: ajunt enim in ipsa I. Collatione Legati: *Pervenientes ad sanctissimum Papam antiquioris Romæ Vigilium, petivimus ejus Beatitudinem convenire, & disceptare una nobiscum de Tribus Capitulis &c.* Sicque prima Collatio finem accepit.

XX. Postridie, nempe die sexta Maji altera Collatio habita est, iidemque Patriarchæ, & Episcopi Vigilium iterum convenere, enixe postulantes, ut ad Synodum accederet, quibus ille respondit se non posse una cum ipsis convenire, causatus Occidentalium Episcoporum paucitatem, & longe majorem numerum Orientalium Episcoporum: sed & cum Imperator ipse una cum ipsis Legatis ad eumdem denuo accersendum misisset Belisarium cum sex aliis Exconsulibus, & Patriciis, ut Synodo adesset, iterum se excusavit, se circa Trium Capitulorum quæstionem seorsim in scriptis sententiam suam dicturum, eamque missurum ad Imperatorem, a quo inducias viginti dierum postulaverat. At Justinianus eas concedere recusavit, cæteris Episcopis longioris apud Regiam Urbem moræ incommoda causantibus. Quare gloriosissimi Judices Imperatoris nomine mandarunt Episcopis, ut etiam Vigilio absente Synodum haberent. Hac vero peracta relatione Synodus jussit, mitti tres Episcopos, qui Primasium Episcopum Adrumentinum in Africa, & Constantinopoli tunc agentem vocarent ad Synodum, simulque Episcopos quosdam Illyricos. Qui tamen Legati redeuntes dixerunt, Primasium recusasse accedere, eo quod Papa non esset præsens in Synodo; Illyricos autem, eo quod non adesset eorum Archiepiscopus Benenatus, cui respondere deberent.

XXI. Die nona Maji facta est Collatio tertia, in qua Episcopi publicam Fidei professionem edidere, ajentes amplecti se, confiteri, tenere, & prædicare quatuor generalium Synodorum Fidem, & cunctas legitimas definitiones, itemque sequi *per omnia, & Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum*. Tum etiam addunt: *Suscipimus autem & alios Sanctos, & orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam Fidem irreprehensibiliter usque ad finem suæ vitæ prædicaverunt*. Et iterum: *Hac igitur recta confessione in sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia servanda, & prædicanda siquis semetipsum ab ejus communione separat, contraria ei sapiens, talis semetipsum alienans rectæ fidei, & hæreticis connumerans, juste a sancta Dei Ecclesia condemnatur, & anathematizatur*.

XXII. Quarta Collatione habita die duodecima mensis Maji jussæ sunt recitari horrendæ blasphemiæ excerptæ, ut dicebatur, ex variis Codicibus Theodori Mopsuesteni, itemque Symbolum Judaicum, quod Theodoro olim a Charisio Philadelphiensis in Lydia Ecclesiæ Presbytero adscriptum fuerat, & Marius Mercator fusius circa annum CDXXXI. impugnaverat tamquam ab eodem Theodoro compositum. Dictum in eas blasphemias, ac symbolum, & in ipsum Theodorum a Patribus anathema: *Hoc symbolum satanas composuit. Anathema, ei qui hoc symbolum composuit. Hoc symbolum Ephesina prima Synodus una cum Authore ejus anathematizavit. Anathema Theodoro Mopsuesteno. Iste Evangelia reprobavit: iste dispensationem injuriavit. Anathema illis, qui non anathematizant eum. Defensores ejus Judæi sunt. Sequentes ejus pagani sunt*. Et post acclamationes Sancta Synodus dixit: *Multitudo lectarum blasphemiarum, quas contra magnum Deum, & Salvatorem nostrum Jesum Christum, imo magis contra suam animam Theodorus Mopsuestenus evomuit, justam ejus condemnationem facit.*

XXIII. Collatio quinta habita est die decima septima Maji, ut ostendit Baluzius in sua Collectione Conciliorum, in eaque recitata sunt, quæ a Sanctis Patribus contra Theodorum Mopsuestenum scripta fuerant, & quæ contra eumdem Legibus Imperatorum erant sancita. Recensita sunt testimonia S. Cyrilli, quibus Theodori errores perstringuntur. Lectus est Libellus S. Proclo Episcopo Constantinopolitano ab Episcopis, Clericis, Monachis majoris Armeniæ, & Persidis contra eumdem Theodorum oblatus: item fragmentum Tomi a S. Proclo scripti ad Armenos: variæ sancti Cyrilli Alexandrini Epistolæ, quibus probatum est, Nestorium hæresim suam, & blasphemias ex Theodori fonte hausisse: Epistola Rabulæ Edesseni Episcopi contra Theodorum: fragmentum ex historia Ecclesiastica Hesychii Presbyteri Hierosolymitani, ex quo ejusdem Theodori probata est impietas: Leges quoque Theodosii, & Valentiniani Imperatorum contra Theodori, & Nestorii nomen, & doctrinam: fragmentum Epistolarum Theophili Alexandrini ad Porphyrium An-

Antiochenum, & S. Gregorii Nysseni ad Theophilum: Testimonia Theodoreti, qui Theodorum adversus S. Cyrillum, vindicans, fidem facit, errores, quos Theodoro tribuit Cyrillus, vere ipsius esse. Tandem recitari jussa est Mopsuestena Synodus, ex ejusque Actis probatum est, Theodori nomen ex Ecclesiæ Diptychis jam olim expunctum fuisse, & in locum illius substitutum nomen Cyrilli. Post hæc disceptatum est, utrum liceret defunctos anathemate damnare, quod licitum esse, & quandoque necessarium, gravibus momentis probatum est. Sed de hac re, sicut & de aliis quibusdam, quæ ad hanc v. Synodum pertinent, peculiaribus Capitibus differemus.

XXIV. Rursus in eadem quinta Collatione expensum est illud Capitulum, Scriptorum scilicet Theodoreti adversus S.Cyrillum, quibus illius Anathematismos confutarat. Recensitæ sunt ejusdem Theodoreti Epistolæ ad Andream Episcopum Samosatenum, & ad Nestorium post initam pacem inter Orientales, & ipsum Cyrillum; ac denique ejusdem Epistola ad Joannem Episcopum Antiochiæ, qua suam de Cyrilli obitu significabat lætitiam, multisque illum onerabat conviciis. Baronius, & post eum multi alii Viri docti existimantes illam Epistolam Theodoreto suppositam, quintæ hujus Synodi Patres errore facti deceptos esse ajunt. Verum Garnerius in Auctario ad librum Epistolarum Theodoreti Pag. 99. ostendit, eam Epistolam non ad Joannem, sed ad Domnum Antiochenum Joannis successorem datam, verum esse Theodoreti fœtum. Ejus argumenta apud eum, & apud Auctorem Criticæ Baronianæ ad annum CDXLIV. Num. VII. & seqq. legenda, ex qua anno DLIII. expungenda illa verba, quæ in Numerum XIII. memoriæ lapsu irrepserunt: *Verum Patres Synodi*, & reliqua usque ad finem numeri, & eorum loco hæc substituenda: *Verum Patres Synodi errore facti decepti non sunt, ut vult Baronius, cum Epistola illa ad Joannem Antiochenum, seu potius ad Domnum Joannis successorem a Theodoreto scripta, supposititia non sit, ut suo loco ostendimus*. Notat hæc Franciscus Pagius in Breviario Gestorum Pontificum, ubi agit de Vigilio Papa, Num. LV. Ceterum, quod nostram hanc Synodum spectat, discussis Theodoreti Scriptis, ita demum pronunciavit: *Ex his quæ Theodoretus impie conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonensis Concilii. Sciens enim ejus blasphemias, prius quidem multis sæpius usa est contra eum exclamationibus: postea vero non aliter eum suscepisset, nisi prius anathematizasset Nestorium, & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit, defendens eas.*

XXV. Expenso in quinta Collatione Theodoreti Capitulo, in Collatione sexta habita die decima nona Maji, discussum est tertium Capitulum, scilicet Epistola Ibæ ad Marim Persam. Tum recitata est Epistola Procli Episcopi Constantinopolitani ad Joannem Episcopum Antiochenum, in qua scripsit, apud se accusatum esse Ibam, quod Nestorii dogmata diligeret, ac nonnulla ex impii Theodori Mopsuesteni capitulis in Syrorum linguam transtulisset, & quacumque transmisisset: propterea sæpius accusatum, & in Synodo Berytensi æque purgatum. Relecta sunt pleraque Acta Ephesinæ Synodi; Epistolæ S. Cyrilli ad Nestorium, & Nestorii ad Cyrillum; Cælestini Papæ ad Nestorium Epistolæ; duodecim S. Cyrilli anathematismi; S. Leonis Epistola ad Flavianum; & Patrum Chalcedonensium ipsam approbantium suffragia; Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum; ac denique Synodi Chalcedonensis Fidei definitio. Cum quibus omnibus collata Epistola Ibæ, convicta est erroris, & omnes Episcopi exclamarunt: *Epistola hæretica est. Epistolam, quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus: Epistola aliena Synodo est: Epistola contraria definitioni est: tota Epistola hæretica est. Qui hanc non anathematizat, hæreticus est. Qui istam suscipit hæreticus est. Epistolam definitio sancti Chalcedonensis Concilii condemnavit. Qui eam suscipit, non confitetur Deum Verbum hominem factum esse. Qui eam suscipit, Cyrillum non suscipit. Definitio Chalcedonensis Concilii Epistolam, quæ Ibæ dicitur, ejecit. Unus Nestorius, unus Theodorus. Anathema Theodoro, & Nestorio, & Epistolæ, quæ dicitur Ibæ &c.*

XXVI. Post hæc convenientes Episcopi die vigesima sexta Maji septimam Collationem celebraverunt. Constantinus sacri Palatii Quæstor cum instrumentis probantibus Vigilium Romanum Pontificem Tria Capitula semper execratum esse, ac damnasse, ad Synodum missus est ab Imperatore. Recitatum itaque anathema latum a Vigilio contra Romanos Diaconos, Rusticum, & Sebastianum, Judicati impugnatores, & dictorum Trium Capitulorum defensores. Lectæ item Epistolæ a Vigilio de hac controversia scriptæ ad Valentinianum Episcopum Tomitanum in Provincia Scythiæ, & ad Aurelianum Episcopum Arelatensem. Ex quibus omnibus liquebat, Vigilium non semel Tria Capitula condemnasse. Lecta tandem sunt acta publica apud Antiochenæ Civitatis Defensorem confecta, in quibus accusabantur Andronicus Ecclesiæ Cyrensis Presbyter, ac Georgius ejusdem Diaconus, quod Theodoreti sui olim Episcopi imaginem imposuissent rhedæ, ac solemni per Civitatem processione deduxissent, psallentes, & ostendentes, se esse ejusdem fidei. Accusabatur præterea Sergius ejusdem Civitatis Episcopus, quod ad Episcopatum evectus, mox Diodori, Theodori, Theodoreti, ac Nestorii quasi Martyris Festum instituisset celebratum insigni Synaxi. Factum id fuerat sub Justino Imperatore, qui indignatus Sergium Episcopatu ejecit, & numquam voluit restitutum. Porro iis omnibus in consensu Patrum perlectis, ultimum de Tribus Capitulis judicium in diem Junii sequentem, Junii mensis secundam dilatum est.

XXVII. In Collatione itaque octava, & ultima, quæ habita fuit dicta die secunda mensis Junii, omnibus, quæ necessaria erant, compendio recensitis, processerunt tandem Patres ad definitivam Trium Capitulorum condemnationem, promulgaruntque Decretum elegans, eruditum, habensque varia capita. Primo protestantur sibi non deesse Romanum Episcopum, adeoque se se a vera, & legitima Synodo emanasse. Secundo profitentur quatuor priorum Synodorum Fidem, ceterasque legitimas definitiones. Tertio damnant Tria Capitula, personam præsertim Theodori, a quo plusquam a dæmonibus Christus Dominus fuit blasphematus, uti videre est in duodecimo anathematismo, quos una cum aliis multis sententiæ subjiciunt. Sententia autem contra ipsa Tria Capitula, hæc est: *Repetitis igitur omnibus, quæ apud nos acta sunt, iterum confitemur, quod suscipimus sanctas quatuor Synodos, idest Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ pro una, eademque fide definierunt, prædicavimus, & prædicamus. Est autem,*

autem, qui hæc non suscipiunt, alienos Catholicæ Ecclesiæ judicamus. Condemnamus autem, & anathematizamus una cum omnibus aliis hæreticis, qui condemnati, & anathematizati sunt, a prædictis sanctis quatuor Conciliis, & a sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, & Theodorum, qui Mopsuestiæ Episcopus fuit, & impia ejus conscripta, & quæ impie Theodoretus conscripsit contra rectam fidem, & contra duodecim Capitula S. Cyrilli, & contra Ephesinam primam Synodum, & quæ ad defensionem Theodori, & Nestorii ab eo scripta sunt. Super hæc anathematizamus & impiam Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quæ denegat Deum Verbum de sancta Dei Genitrice, & semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse; & sanctæ memoriæ Cyrillum, qui recte docuit, tamquam hæreticum, & similiter Apollinario scribentem, criminatur; & inculpat quidem Ephesinam primam Synodum, tamquam sine examinatione, & quæstione Nestorio ab ea deposito, & duodecim S. Cyrilli capitula impia, & contraria rectæ fidei vocat; defendit autem Theodorum, & Nestorium, & impia eorum dogmata, & conscripta. Prædicta igitur Tria Capitula anathematizamus, idest Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, & quæ impie Theodoretus conscripsit, & impiam Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & defensores eorum, & qui scripserunt, vel scribunt ad defensionem eorum, vel recta ea dicere præsumunt, vel omnino impietatem eorum, nomine Sanctorum Patrum, aut sancti Chalcedonensis Concilii defenderunt, aut defendere conantur.

XXVIII. Sententiæ huic subjiciunt Patres anathematismos quatuordecim, quorum tres postremi feriunt Tria Capitula: duodecimus non solum Theodori scripta, sed ejus etiam nomen, & personam, defensoresque configit. Decimus tertius, & decimus quartus percellunt quidem Theodoreti scripta, & Ibæ Epistolam, eorumque defensores, Theodoretum autem ipsum, & Ibam orthodoxos Antistes, & in pace Ecclesiæ defunctos minime perstringunt. Ceterum tametsi anathema latum in quinta Synodo præcipue feriat Nestorianos, qui Trium Capitulorum doctrinam propugnabant, quod illam suæ consonam hæresi, ut re vera erat, agnoscerent, nihilominus Catholicos etiam Trium Capitulorum defensores petere videtur, qui Capitula illa erroris pura, post hujus Oecumenicæ Synodi judicium assererent, & ideo inique damnata. Ostendit id fuse, ac luculenter eruditissimus Natalis Alexander, in Historiam Ecclesiasticam Seculi VI. Dissertatione V. Quæstione unica, ubi etiam recte infert temeritatis quidem illos notam incurrere, & periculum subire anathematis, qui pro Tribus Capitulis, aut aliquo ex illis apologias scriberent.

XXIX. Neque vero solum Tria Capitula, verum etiam Origenem, ejusque errores, ac sequaces proscripsit Synodus. Perperam id negat Halloixius, quem tamen egregie confutat laudatus Alexander Dissertatione XVI. in Historiam Ecclesiasticam Seculi III. in eo §. cui titulus est: *Origenis doctrinam erroris puram asserere vetat Ecclesiæ Judicium*. Certe Cedrenus ad annum XXVI. Justiniani, refert illius literas ad Quintam Synodum scriptas, quibus Patres hortatur ad Origenem damnandum: *Vos hortamur*, ait, *o Sanctissimi Patres, ut in unum collecti subjectam expositionem, & singula ejus capita examinetis, damnetisque cum Origene omnes, qui idem sentiunt.* Præterea in secunda professione Fidei, quæ habetur in Libro diurno Romanorum Pontificum, postquam actum est de primis quatuor Synodis Oecumenicis, ita subnectitur: *Hæc igitur sancta, atque universalia quatuor Concilia, etiam sanctum quintum Concilium venerandum assequutum est, & sub piæ memoriæ Justiniano Principe apud Constantinopolitanam Urbem est congregatum, cujus salutari consultu unus esse de sancta Trinitate Dominus noster Jesus Christus veraciter prædicatus est, & confundentes, ac dividentes sacræ ejus Incarnationis arcanum, istius votis spirituali mucrone prostrati sunt. In hoc Origenes cum impiis discipulis, & sequacibus, Didymo, & Euagrio, & qui Creatorem omnium Deum, & omnem rationalem ejus creaturam gentilibus fabulis prosequuti sunt, æternæ sunt condemnationi submissi.* Ex quo sequitur, Origenem, & sectatores ejus Justiniano imperante non modo in Synodo Constantinopolitana habita sub Menna Patriarcha, quæ etiam a veteribus quintæ Synodi nomine appellata est, ut ait Garnerius in Dissertatione de V. Synodo, sed etiam in hoc Oecumenico Constantinopolitano Concilio, quod vere quintum est universale Concilium, & celebratum est anno DLIII. damnatos fuisse.

XXX. Utrum in hoc Concilio prior fuerit cognitio de Origene cognitione Trium Capitulorum, controversia est inter eruditos. Petrus de Marca in sua Dissertatione, *De Vigilii Decreto pro confirmatione V. Synodi*, quam legere est apud Labbæum post ipsam V. Synodum, Numero XXIII. asserit cognitionem de Origene successisse cognitioni de Tribus Capitulis: præcessisse autem contendit doctissimus S. R. E. Cardinalis Norisius, in sua de Synodo V. Dissertatione. Puto equidem hanc alteram veram esse sententiam. Damnatum enim in principio Synodi Origenem Theophanes quidem, & Auctor Chronici Alexandini aperte indicant, dum ajunt, Synodum celebratam esse primo, & præcipue adversus errores Origenis, & Euagrii, ac Didymi; secundo autem loco adversus Tria Capitula. Præterea, ut inquit laudatus Cardinalis Norisius, Cap. VI. Synodus Canone, seu anathematismo XI. ait. *Siquis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Origenem cum impiis eorum scriptis, & omnes alios hæreticos, qui condemnati, & anathematizati sunt a sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia.... anathema sit.* Quatuordecim Canones, seu anathematismi editi sunt sub Collatione VIII. quæ cum postrema fuerit in causa Trium Capitulorum, evidens est, antea Origenis causam cognitam fuisse, alioquin is indicta causa damnatus esset. Denique Theodorus Cappadox Origenis patronus, probaturus posse Theodorum Mopsuestenum licet olim mortuum jure damnari, ita Synodum alloquutus est Collatione V. *Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos, necnon etiam Origenem, etsi ad tempora Theophili sanctæ memoriæ, vel superius aliquis recurrerit, post mortem invenerit anathematizatum. Quod nunc in ipso fecit & vestra Sanctitas, & Vigilius Papa religiosissimus antiquioris Romæ.* Fatente ergo Origenistarum Principe, a Synodo V. & a Vigilio Papa Origenes damnatus fuit, & quidem antequam terminata esset Trium Capitulorum cognitio. Errat ergo Garnerius, ubi ait Originem damnatum duntaxat fuisse in Concilio Constanti-

stantinopolitano sub Menna; errat itidem Halloixius negans in v. Synodo generali damnatum fuisse Origenem.

XXXI. Inquirendum nunc superest, quis hanc Synodum convocaverit, quis illi præfuerit, & quanta sit ejus auctoritas. Jus convocandarum Synodorum pertinere ad Romanum Pontificem fuse ostendimus Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. VII. Quod autem hanc quintam Synodum nonnisi consentiente Papa Vigilio Imperator Justinianus convocaverit, tradit post Baronium Binius, aliique etiam eruditi recentiores. Certe quod ipsius Concilii convocationi non modo non repugnavit Vigilius, verum etiam expresse consenserit, liquet ex Epistola ejusdem Vigilii ad Eutychium, & Episcopos sub ipso constitutos data octavo Idus Januarias, Imperii Justiniani anno XXVII. quatuor ante hanc Synodum mensibus, quæ celebrata est eodem anno, quarto Nonas Majas, ubi inter alia ita scribit: *Vestrum desiderium cognoscentes, annuimus, ut de Tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conventu, servata æquitate, mediis Sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conveniens his, quæ a sanctis quatuor sunt definita Conciliis.* Constat itidem ex VIII. hujus Synodi Collatione, ubi de Vigilio ajunt Patres: *Postea tamen & consensit in scriptis in Concilio convenire, & disceptare una nobiscum de his Tribus Capitulis, ut definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ conveniens.* His accedit locus Synodi sextæ Oecumenicæ, ubi Patres in sermone Acclamatorio ad Imperatorem ita quidem inquiunt: *Sicut & Vigilius post hæc Justiniano piissimo consonuit, & v. Concilium constitutum est, ut eorum opuscula, quæ latenter excerpta sunt plena abominatione, anathematizentur.*

XXXII. Præsedit Concilio non Mennas, ut falso tradit Calvinus, & ante illum Photius in suo *De septem Synodis* Libro, sed Eutychius Mennæ successor, qui tamen scripta ad Vigilium Epistola professus est, præsidentiam non sibi, sed Vigilio Romano Pontifici jure deberi, si Concilio interesse vellet: *Petimus*, inquit, *præsidente nobis vestra Beatitudine de Tribus Capitulis quæri, & conferri.* Unde Zonaras in Vita Justiniani scribit: *Sub hoc quintum Concilium est coactum centum sexaginta quinque Episcoporum, quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus.* Idem docet Nilus Rhodiensis Episcopus in Libro *De Synodis*, ubi de Synodo v. ita scribit: *Præerant Synodo Vigilius Papa Romæ, Eutychius Constantinopolis &c.* Sed ut verum fatear, quintæ Synodo non affuit, ideoque nec præfuit Vigilius, sed ut adesse, ita, & præesse invitatus est, & quidem non semel, ut constat ex Collatione secunda ejusdem Synodi, & ex recitata Eutychii Epistola ad Vigilium. Si adfuisset autem, fore, ut præsideret, vel ex eo rursus liquet, quod ad eum invitandum delegati sint tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus cum septendecim Metropolitis. Vide Thomassinum Dissertatione x. in Synodum Ephesinam I. & Natalem Alexandrum Dissertatione III. in Historiam Ecclesiasticam Seculi III. Articulo II. ubi ex præclarissimo Gelasii Papæ testimonio in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ, præcipuas illas conditiones bene gestæ Synodi, ut nimirum illam convocet Romanus Pontifex, illique per se, vel per suos Legatos præsideat, suppleri quidem statim ait, ac illi accedat Apostolicæ Sedis approbatio, universæque Ecclesiæ consensus.

XXXIII. Approbatam fuisse Synodum ipsam a Vigilio Romano Pontifice, ejusque successoribus, ac totius etiam Ecclesiæ consensu receptam docent post Evagrium Lib. IV. Cap. XXXVII. & Baronium Binius in Notis ad ipsam Synodum, Alexander loco citato, Articulo III. Lupus in Dissertatione de quinta Synodo generali, Cap. VI. Pagius, omnesque passim Auctores Catholici, inter quos Petrus de Marca Epistolam affert ipsius Vigilii pro quintæ Synodi confirmatione *ad Euthychium, & præjacentem Synodum*, data die VIII. Decembris, anno Imperii Justiniani XXVII. Christi DLIII. Quicquid de ea Epistola sit, quam nonnulli in dubium revocant, supposititiamque existimant, certe Pelagius II. in Epistola ad Eliam Aquileensem, & Istriæ Episcopos ab Ecclesia Romana ob Trium Capitulorum defensionem divulsos, non modo quintam ipse Synodum laudavit, approbavitque, verum etiam diserte scribit, Decessores suos, qui Tria Capitula primum propugnaverant, Vigilium scilicet, ac Pelagium I. eorum tandem consensisse damnationi, & quintam Synodum approbasse: *Quid enim*, inquit, *divini consilii fuisse credimus, Fratres, quod diu Saulum omnipotens Deus repugnatorem suæ fidei esse permisit, & sic eum suæ fidei prædicatorem fecit: nisi ut cunctis, quibus per illum fuerat prædicaturus, ostenderet, quia valde verum est Dei Evangelium, quod & tanta duritia inclinata prædicaret.* Et paulo post subdit: *Debet ergo perpendere vestra dilectio, quia Prædecessorum nostrorum consensus in hac causa post inanis non fuit, quanto prius duris contradictionum laboribus insudavit.* Ante Pelagium II. jam ipsam quintam Synodum confirmaverat S. Gregorius Magnus Lib. I. Epistola XXIV. ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, in qua postquam fatetur suscipere se, ac venerari *sicut Evangelii quatuor libros*, quatuor Concilia, Nicænum scilicet I. Constantinopolitanum I. Ephesinum etiam I. & Chalcedonense, ita deinde subdit: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur. Et Theodorus personam Mediatoris Dei, & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ B. Cyrilli Fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit, aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliter sapit, anathema sit.*

XXXIV. Quamquam summa sit hujus Synodi auctoritas, non tamen tanta esse dicenda est, quanta aliarum quatuor præcedentium auctoritas. Hinc idem S. Gregorius Lib. III. Epistola XXXVII. ad Constantium Episcopum Mediolanensem, qui conabatur Theodelimdam Longobardorum Reginam piissimam a defensoribus Trium Capitulorum seductam, ad communionem Ecclesiæ reducere, prudenter respondit: *Quod scripsistis, quia Epistolam meam Reginæ Theodelimdæ minime transmittere voluistis, pro eo quod quinta Synodus in ea nominabatur; si eam exinde scandalizare posse credidistis, recte factum est, ut minime transmitteretur.*

retur. Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor Synodus solummodo laudaremus, & quintæ Synodi nullam mentionem faceremus. Judicavit itaque Constantius per pravum, & erroneum de quinta Synodo judicium non deperdi Fidem, ideoque posse illud dispensatorie ad tempus tolerari, quod Gregorius comprobavit; cum tamen circa Fidei Decreta dispensatorie dissimulare non possit. Ceterum rationem cur quinta Synodus non habeat parem cum ceteris Synodis auctoritatem, edicit laudatus Pontifex in ipsa Epistola ita inquiens: *De illa Synodo, quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ a multis quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit, vel senserit, quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de Fide aliquid gestum est; & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos Canones facta contentio, & extrema actio de personis ventilata est.* Utique post Canones editos Actione VI. ut scite observat Lupus doctissimus in laudata, *De quinta Synodo generali*, Dissertatione, Cap. VI. ubi etiam post recitatum ipsum S. Gregorii locum, ita subjicit: *Quis autem nesciat, inter Ecclesiastica de Fide, ac de personis judicia esse firmatum grande chaos plurimamque dignitatis, atque auctoritatis diversitatem?*

De Vigilio Papa, & quid de variatione ejus in Causa Trium Capitulorum.

C A P. I.

I. CUm audita morte Agapeti Silverius Hormisdæ quondam Romani Pontificis filius in Apostolicam Sedem evectus esset, ope Theodori Gothorum Regis, aut etiam vi, ut testis est Anastasius Bibliothecarius, qui etiam perperam ipsi Simoniacam labem inurit, Vigilius, qui Constantinopoli adhuc degebat Agapeti recens defuncti Diaconus, & Apocrisarius, ignorans novi electionem Papæ, cum Theodora Augusta, in cujus gratiam irrepserat, ambitione ductus summi Pontificatus, secreto egit, ut illum obtineret, eique promisit, quod illa efflagitaverat, ut nimirum si Papa fieret, abrogaret Synodum Chalcedonensem, atque Anthimum, Severum, aliosque ipsis confœderatos Acephalos communione donaret. Ergo Theodora, ut Vigilium in Apostolicam Sedem intruderet, Belisario Patricio in mandatis dedit, ut illi faveret. Romam ipse profectus Silverium ordinatum invenit, sequensque effrenatæ suæ ambitionis consilium, Belisarium Ravennæ sedentem adit, literisque Augustæ ipsi traditis, adjectaque duorum auri centenariorum promissione, si redacto in ordinem Silverio, crearetur ipse Pontifex Maximus, suis illum studiis addixit.

. . . . . *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames!

Romam reversus Belisarius, ut Imperatrici pareret, faveretque Vigilio, promissione pecuniæ allectus calumniam Silverio struit fictis literis quasi ab eo scriptis ad Regem Gothorum, quibus cum ipso de tradenda Urbe ageret; sed hanc donec ederent calumniam, Silverii fidem solicitabant Belisarius, & Antonina ejus uxor, ipsique persuadere nitebantur, ut Imperatrici morem gereret, Chalcedonensem scilicet tolleret Synodum, & Acephalis communicaret.

II. Narrant hæc ex Anastasio in Silverio, & ex Liberato in Breviario, Cap. XXII. Baronius ad annum DXXXVII. & seq. Natalis Alexander, Pagius, aliique Scriptores passim vitarum Romanorum Pontificum, in vita Silverii Papæ; ubi etiam tradunt, Silverium ipsum vim Belisarii timentem in Basilica S. Sabinæ se recepisse, ex eaque dolo, ac fraude eductum, atque accepto a Photo filio Antoninæ Patriciæ juramento, ingressum Palatium, ejusdem Belisarii jussu, Monastica veste a Subdiacono, quem perverterant, indutum fuisse, in cujusque locum intrusum fuisse Vigilium. His non contentus Belisarius misit etiam Silverium in exilium Pataram Civitatem Lyciæ, quo cum deportatus fuisset, Patarensis Episcopus, ut addit Liberatus, Justinianum Imperatorem adiit, *& judicium Dei contestatus est, de tantæ Sedis Episcopi expulsione, multos esse dicens in hoc mundo Reges, & non esse unum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius, a sua sede expulsus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverium jussit, & de literis illis* (quas ad Regem Gothorum scripsisse dicebatur) *judicium fieri, ut si probaretur ab ipso fuisse scriptas, in quacunque Civitate Episcopus degeret: si autem falsæ fuissent probatæ, restitueretur Sedi suæ.* Imperatoris itaque jussione Romam rediit Silverius frustra obnitente Pelagio Diacono, qui jam Constantinopoli res Vigilii agebat, & Apocrisarii munere fungebatur. Sed Belisarius sanctum Pontificem antipapæ Vigilio ad nefaria promissa implenda paratissimo tradidit, a quo in Palmariam Insulam antiquorum Martyrum palmis fecundam deduci curavit, ut scribit Liberatus, sive, ut ait Anastasius, & Martyrologium Romanum ad diem 20. Junii, in Insulam Pontiam Insulæ Palmariæ vicinam, ubi inedia confectus, die ipso XX. Junii anno DXL. Martyrii palmam consequutus est.

III. Reportato in Insulam Silverio, promissionem suam implevit Vigilius, quam Theodoræ Augustæ fecerat de duobus auri centenariis, de communicando cum Acephalis, & de Synodo Chalcedonensi tollenda. Scripsit Epistolam quam apud Liberatum legere est, quamque ad annum DXXXVIII. Baronius frustra negat esse Vigilii: recitatur enim non modo ipsa Epistola a Liberato, sed a Victore etiam Tunonensi, scriptore coævo; testaturque Facundus Hermianensis in libro contra Mocianum, Vigilium in universam Ecclesiam anathema dixisse, unde confirmatur quod post ipsam Epistolam laudatus Liberatus scribit: *Sub hac Epistola Vigilius fidem suam scripsit, in qua duas in Christo damnavit naturas, & resolvens Tomum Papæ Leonis sic dixit: Non duas Christi naturas confitemur, sed ex duabus naturis compositum unum filium, unum Christum, unum Dominum.* Porro recte ad hunc locum notat Pagius in Vita S. Silverii Papæ, ex ipsa Vigilii Epistola nullum penitus Apostolicæ Sedi præjudicium fuisse allatum, cum ejus tunc Vigilius invasor, Silverius autem legitimus Pontifex esset; ea enim Epistola data est sub finem anni DXXXVII. aut sequentis initium, certe ante Silverii mortem, qui anno DXL. uti dictum est, die XX. Junii Martyrii coronam percepturus in Cælum migravit.

IV. Ubi obiit Silverius, tum quidem Vigilius nova electione legitimus Pontifex renunciatus est.

Ipsum

Ipsum sponte se abdicasse, & electum postea fuisse, gratia asserit Cardinalis Baronius, cum nullum certum de ea abdicatione habeamus monumentum, ut scite observat Natalis Alexander in historiam Ecclesiasticam seculi VI. Cap. II. Articulo IX. ubi de Vigilio agit: *Consensit quidem Clerus*, inquit, *Pontificatui Vigilii, & quem antea ceu Antipapam execrabatur, suffragiis suis legitimum totius Ecclesiæ Pastorem creavit, tum Belisarii potentia coactus, tum Ecclesiasticæ pacis, & unitatis studio. Quod vero se Vigilius addicaverit, ex nullo monumento habetur*. Porro ubi nova electione, mortuo Silverio, legitimus Pontifex renunciatus est Vigilius, subito in alterum Virum mutatus, Sancto Spiritu, qui Ecclesiam regit, operante, quæ alias in Synodi Chalcedonensis Fidem sacrilege scripserat, nova solemni Fidei professione delevit, ut videre est in ejus Epistola IV. ad Justinianum Imperatorem scripta, qua Synodos quatuor Oecumenicas, & S. Leonis Epistolas, aliorumque decessorum Romanorum Pontificum se recipere, & secundum eas credere professus est, confirmavitque Agapeti Papæ in Anthimum e Sede Constantinopolitana depositum, aliosque Acephalos Constitutum. De eadem re scripsit Vigilius ad Mennam Constantinopolitanum Episcopum in Epistola sua V. qua gratulatur, cum hæreticis damnatis, sanctas quatuor ipsas universales Synodos amplecti, & ab hæresi resipiscentes recipi debere statuit, dummodo anathema dicant eis, qui prædictas quatuor Synodos in causa fidei non sequuntur, vel sancti Leonis Papæ venerabilia Constituta in omnibus non confitentur.

V. Quod spectat Trium Capitulorum negocium, sibi in eo minime constitisse Vigilium, cuique gesta, ac literas ipsas Vigilii legenti perspicue patet. Fatetur id quidem inter alios ingenue doctissimus S. R. E. Cardinalis Henricus Norisius in celebri illa Dissertatione historica, *De Synodo Quinta*, cap. VIII. ubi hæc habet: *Fuit Vigilius Pontificiæ auctoritatis usque ad Principis contemptum tenacissimus assertor, ut ex rebus ab eo gestis inclaruit. Animi inconstantia, mutandæque sententiæ facilitas viris eidem vertitur; nam in causa Trium Capitulorum varius, atque a se ipso diversus non semel apparuit. Initio quidem cum adhuc in Sicilia esset, Tria capitula defendebat, at illa se damnaturum dudum Theodoræ Augustæ promiserat, si Victori fides est. Cum Byzantium advenisset, ob damnata Tria Capitula Mennam Sacris interdixit; at paulo post Mennæ conciliatus eadem & ipse in Iudicato damnavit. Deinde post triennium a sententia Iudicati discedens, emisso novo Constituto, eadem damnari posse negavit; sed paucis mensibus in hac sententia stetit; nam data ad Eutychium Epistola vim constituti infregit, atque ad Synodum accedens, Tria Capitula proscripsit. Vir doctissimus Petrus de Marca Libro III. de concordia Sacerdotii & Imperii, Cap.* XIII. *hanc Vigilii inconstantiam a doctis prudentiam appellari testatur, quam ipse dispensationem vocat, qua nunc Iuris, & Canonum rigore agebat, nunc illorum remissionem, fidei ac publicæ quietis studio.* Hactenus ille.

VI. Laudat & judicium Petri de Marca circa varietatem Vigilii in negocio Trium Capitulorum eruditissimus Ludovicus Thomassinus Dissertatione XIX. in Synodum V. Oecumenicam, Constantinopolitanam II. fuseque, ac diserte probat in defensione Trium Capitulorum nunc arripienda, nunc objicienda, ostendi quidem Vigilii Papæ non inconstantiam, sed dispensationem, & pacis amorem, vero nunquam injuriosum. Porro suæ adsertor dispensationis in Trium Capitulorum negotio est ipse Vigilius, qui in Encyclica adversus Theodorum Cæsariensem Epistola ita scribit: *Nos longanimitatem nostram divina largitate concessam tam circa te, quam circa ceteros seductos abs te, pene hoc quinquennio elapso ostendimus. Primum quidem in eo, quod pro scandalo refrænando condescendentes quorumdam animis, quos aliqua dispensatione credidimus temperandos; quia tu jam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas; quædam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda; tali scilicet conditione, ut omni imposterum perturbatione sopita, nihil ultra, nec verbo, nec literis, quisquam facere ex eadem causa præsumeret*. Ubi nota ea Pontificis verba, longanimitatem, condescensionem, dispensationem, temperamentum, medicinalem ordinationem, necessariam utique, ut mox ait, *scandalizatæ fraternitati*. Notandum & illud, quod mox idem Pontifex subjicit: *Hæc omnia bona desideria nostra, quæ pro parte Ecclesiæ procul dubio militabant &c.*

VII. Sicut ergo Tria Capitula Vigilius damnavit primum secundum dispensationem, ne schisma in Orientali Ecclesia oriretur; deinde priorem sententiam retractavit in Constituto, ut præsentius schismatis periculum ab Ecclesia Occidentali averteret; ac tandem summo Jure agens, Tria ipsa Capitula iterum peremptorio judicio damnavit, & Quintam Synodum confirmavit: ita tum ipse, tum ejus successores, cæterique ad eorum exemplum Episcopi dispensatione usi sunt in executione sententiæ latæ a Quinta Synodo in Trium Capitulorum defensores. Eos enim, qui illa damnare recusabant, modo non vituperarent Ecclesiam, quæ illa damnaverat, nec eam errasse dicerent, aut turbas excitarent, Communione frui sinebant, sperantes eos ad Ecclesiæ sententiam cito accessuros, cum illis ostensum fuisset, Synodo Chalcedonensi nullum vulnus allatum fuisse. Sed dispensationis elapso tempore, cum pauci superessent dictorum Capitulorum defensores, summo jure cum ipsis egere, nec prius ipsos receperunt ad communionem, quam professi fuissent, se Quintam Synodum cum aliis quatuor Oecumenicis suscipere.

De Theodoro Mopsuestiæ Episcopo, & an quis præsertim Episcopus, qualis fuisse dicitur Theodorus, in Ecclesiæ pace, & communione defunctus, possit damnari, & anathematizari post mortem.

C A P. II.

I. THeodorus Mopsuestiæ Episcopus, patria Antiochenus Polichronii Apameensis Episcopi frater, una cum S. Joanne Chrysostomo, Libanii Sophistæ, & Andragathii Philosophi auditor, ac deinde causarum patronus, relicto foro secessum, & sacrorum virorum conversationem adamavit. S. Joannis Chrysostomi suasione, nuptiarum, in quas propendebat, propositum

situm simul, & facultates abdicavit, & vitam Monasticam amplexus est. Carterio, & Diodoro Magistris sacrarum literarum scientiam singularem comparavit, ut testantur Socrates Lib. VI. *Historiæ*, Cap. III. & Sozomenus Lib. VIII. Cap. II. Extat in Collatione V. hujus Concilii egregium testimonium ex Hesichii Presbyteri Hierosolymitani Historia desumptum, quo Theodori vita describitur, accusaturque de multis criminibus. Primo quod semper Photini fuisset imitator, lingua malitiosus, & voluntate semper versatilis, utpote qui ab Antiochenæ Ecclesiæ Clericatu, in quo bene conversari pollicitus fuerat, ad carnis libidines, quibus delectabatur, reversus sit, sed per collegæ sui S. Joannis Chrysostomi Epistolam, cujus epigraphe est, ad Theodorum lapsum, ad sanam mentem, & Clerum revocatus. Secundo, quod Antiochiæ Tharsum primæ Ciliciæ Metropolim, ac inde Mopsuestiam secundæ Ciliciæ Oppidum migrans ordinatus sit in Episcopum. Tertio, quod Judaicam impietatem æmulatus statim in Episcopatus exordio ediderit in Psalmos commentaria, garriens, nullas in illis esse de Christo Domino Prophetias; & quod ob fidelis populi gravissimas querelas Episcopatum amittere timens, igni tradere simularit impium Codicem, quem tamen latenter conservabat. Quarto, quod verbis orthodoxis, at æquivocis usus, adeoque apud simplicem populum recta docere visus, secreto errores delectis discipulis privatim instillarit, atque in multis plurimos corruperit. Quinto, quod senex varios de Dominica Incarnatione libros ediderit, in quibus cunctis blasphemavit, Dominum Jesum Christum fuisse purum hominem, propriisque creati arbitrii viribus, & meritis per vitæ sanctitatem, & libidinum victoriam pervenisse tandem in conjunctionem cum Deo Verbo, & nomen filii Dei.

II. Ex Schola hujus Theodori prodierunt postea Nestorius, & Joannes Antiochenus Episcopus, quorum pernicioso fastu omnis clades Orientalis Ecclesiæ oborta est. Nefandissimum hæreticum Theodorum laudaverunt adeo Theodoretus, & Sozomenus, ut hac de causa uterque magnam nominis sui jacturam passus fuerit. Theodoretus hujus rei gratia etiam postquam in Chalcedonensi Concilio ad pœnitentiam, & communionem Ecclesiæ receptus fuisset, ab Eutychianis, & Hæsitantibus de hæresi Nestoriana accusatus fuit; ejusque Theodori adeo studiosus extitit, ut a multis creditum fuerit, illum ab ipso Theodoro sibi nomen Theodoreti imposuisse. Notat hæc post Baronium Binius. Quod autem Sozomenum spectat, audiendus est S. Gregorius Lib. VI. Epistola XCV. ita scribens: *Sozomenum, ejusque historiam Sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestenum nimium laudat, atque ad diem obitus sui magnum Doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet*. Fuit haud dubie Theodorus vir eximii ingenii, hæreseon etiam impugnator aliquarum, Arianæ scilicet, Eunomianæ, Apollinariæ, quas doctis voluminibus teste Theodoreto, confutavit; verum aliorum quoque defensor, ac magister fuit, Pelagianæ scilicet, ac Nestorianæ, ut testatur in Commonitorio suo Marius Mercator. Fuse de illo scribit in Dissertatione *De V. Synodo*, Lupus, Norisius, aliique Viri doctissimi, post Baronium, & eruditissimum Dionysium Petavium in Libris *De Incarnatione*.

III. An tandem Theodorus ipse in communione, & pace Ecclesiæ obierit; fuerunt quidem, qui affirmarunt, ideoque non potuisse illum post mortem damnari. Acerrime de ea re disputatum est in quinta hujus Synodi Collatione. Et tametsi defensores animosissimi non defuerint Theodoro, illos tamen mendacii quidem, & calumniæ reos Benignus Episcopus egit, qui illum in pace Ecclesiæ defunctum esse conclamabant; *Ille enim*, inquit; *in communicatione, & pace Ecclesiarum defunctus est, qui usque ad mortem recta Ecclesiæ dogmata & servavit, & prædicavit. Quod vero Theodorus non servavit, & prædicavit, certum est ex ejus blasphemiis*. Sane vero certa illa regula est, quam tradunt passim Theologi, qui in Patrum, & Conciliorum doctrina versati sunt, eos qui in pace Ecclesiæ defuncti sunt, & ab Ecclesia non meruerint segregari dum viverent, non posse quidem damnari; posse autem mortuos anathematizari, si hanc pœnam, & ignominiam vivi meruerint, validissimis in ipsa quinta Collatione hujus Synodi argumentis probatum est. Primo ex Canone LXXXVI. antiqui Codicis Ecclesiæ Africanæ, quo sancitum est, ut Episcopi, qui hæreticis facultates suas relinquunt, aut extraneis, etiam post mortem anathematizentur: *Siquis Episcopus hæredes extraneos a consanguinitate sua, vel hæreticos, aut Paganos, Ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem ei anathema dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur*.

IV. Idem præterea probatum est ex disertissimis, ac variis S. Augustini testimoniis, recitatis a Fotino Diacono, ex quibus satis est hoc unum referre desumptum ex Carthaginensi Collatione Catholicorum cum Donatistis, ubi agens de Cæciliano Carthaginensi Episcopo, ita inquit: *Non in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt; neque si mali sunt, judicanda est Dei Ecclesia periisse. Sed tamen etiam ipsorum causam tamquam fratrum nostrorum suscipimus, &, si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie illos anathematizamus: non tamen propter illos Ecclesiam a Deo promissam, & exhibitam deserimus, aut derelinquimus*. Mirum est, Reparatum Carthaginensem Episcopum, & Liberatum ejus Diaconum, Facundum Hermianensem, Victorem Tunonensem, Felicem Gillitani Monasterii Præfectum, aliosque Afros doctissimos, acerrime negantes, posse illos, qui in pace Ecclesiæ obierint, post mortem damnari, ad ejusmodi Augustini loca oculos clausisse. Ea tamen attendit omnino hæc nostra Synodus tametsi ex Græcis Episcopis maxima ex parte constaret: Decreto enim suo, quod in VIII. Collatione edidit, ea verba inseruit: *Etenim Augustini religiosæ memoriæ, qui inter Africanos Episcopos splenduit, diversæ Epistolæ recitatæ sunt, significantes, quod oportet hæreticos & post mortem anathematizari. Talem autem Ecclesiasticam traditionem & alii Africani Reverendissimi Episcopi servaverant. Sed & Romana Sancta Ecclesia quosdam Episcopos & post mortem anathematizavit, licet pro Fide in vita sua non essent accusati. Et utramque apud nos habita gesta significant*.

V. Afferri possent de ea re varia exempla, quæ in Ecclesiastica extant Historia. Ut autem aliqua describamus, ait in ipsa V. Collatione hujus Synodi Benignus Heracleensis Episcopus, *Valentinum, Marcionem, & Basilidem a nulla Synodo anathematizatos, tamen eo quod alienum pietatis erat dogma, quod illi defendebant, etiam post mortem anathematizari ab Ecclesia Dei*. Eodem

dem teste Benigno Episcopo, *illi, qui cum Eusebio erant Nicomediæ Episcopo, prius ea, quæ sunt Arii sapientes, tunc vera consentientes Fidei prædicatæ a Sanctis Patribus Nicæa congregatis, & subscribentes in ea, quoniam ad suum vomitum Arianicæ impietatis reversi sunt, alii quidem viventes, alii vero etiam post mortem anathematizati sunt, & ex Ecclesia Dei expulsi, sicut est a S. Athanasii de hoc scriptis in historica narratione invenire.* Addit mox & alia exempla, quibus adjungi potest exemplum Origenis, qui etiam post mortem damnatus fuit a Vigilio Papa, itemque exemplum Dioscori, qui ante paucos annos post mortem a Bonifacio II. Romano Pontifice anathematizatus fuit, quod contra Bonifacium ipsum pseudopontifex ordinari præsumserat. Ex quibus omnibus manifestum est, posse mortuos anathematizari, si hanc pœnam, & ignominiam vivi meruerint, hæresim maxime profitendo. Ad exemplum scilicet perduellionis reorum, quorum memoria post mortem damnatur, & bona addicuntur Fisco, ut ex Papiniano observat doctissimus Petrus de Marca in Dissertatione, *De Vigilii Decreto pro v. Synodi confirmatione*, & ante illum Conradus Brunus Lib. v. *De hæreticis*, Cap. XVII. quod ita inscriptum est: *De hæreticis etiam post mortem excommunicandis, & eorum memoria damnanda.* Varia quæ in contrarium afferri possunt argumenta, scite inter alios dissolvit Natalis Alexander in historiam Ecclesiasticam Seculi VI. Dissertatione VI. & alii docti Viri.

VI. Illud tandem minime prætereundum, etsi Patres aliqui Theodorum ipsum Mopsuestenum aliquando laudaverint, haudquaquam sequi, scripta illius pura hæreseos esse, eumque immerito fuisse damnatum post mortem. Egregia enim sunt, quæ in hanc rem docet memoratus Heracleensis Episcopus in eadem v. Collatione, ubi ita inquit: *Nihil prodest impie agentibus, si contigerit, quosdam vel ignorantia, vel præsumtione, vel etiam dispensatione quadam, scripsisse aliquid pro eis. Nam Basilius Sanctus* (in Epistola utique LXXXII. ad Patrophilium) *quædam scripsit de Apollinario, sed non propter hoc eum condemnatione liberavit. Et Athanasius diversas Epistolas ad Apollinarium scribit, tamquam eadem in fide sapientem: & tamen etiam libros integros etiam post mortem Apollinarii scripsit adversus eum, cognitis illius in scriptis blasphemiis. Et nihil Apollinario profuerunt, quæ ante ad illum tamquam eadem in Fide sapientem scripta sunt. Sed etiam Leo sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ, & suscepit Eutychem, & rescripsit, comprobans eum; & tamen postea condemnavit, & anathematizavit eum tamquam hæreticum. Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos. Necnon etiam Origenem, si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ, vel superius aliquis recurrerit. Quod etiam nunc in ipso fecit, & vestra sanctitas, & Vigilius Religiosissimus Papa antiquioris Romæ.* Quæ sane nonnihil facere possunt ad sugillandos nostri ævi Authores nonnullos, qui ubi futilia scripsere, gloriantur deinde, quod a multis prædicentur, præsertim vero a Notitiarum Literariarum scriptoribus, quorum laudes, datis Libris, Epistolisque supplicibus, emendicare solent. Nota sunt hæc doctis Viris, qui merito hujusmodi homines irrident, quod eo artificio, miserabili nomini suo inanem gloriam ac laudem captare non erubescunt.

De Origene ejusque erroribus in hac Synodo v. damnatis.

CAP. III.

I. ORigenes patria Alexandrinus S. Leonidis Martyris filius, Clementis Alexandrini discipulus, sublimis ingenii, eruditionis magnæ, & ita patiens laboris, ut *Adamantius* fuerit cognominatus non modo a Patribus, sed ab hac v. Synodo, uti videre est Capitulo IX. contra ipsum Origenem exarato. Teste Photio in Bibliotheca Lib. CCXXXI. *Origenem Adamantium cognominatum, ex ea tradunt, quod rationes, quas colligeret, adamantinis quibusdam quasi vinculis non absimiles viderentur.* Alii ita eum appellatum ajunt ob infatigabilem ejus in scribendo, ac docendo laborem. Scribit de eo Eusebius Lib. VI. *Historiæ*, Cap. III. quod eum post martyrium Patris, annum agens decimum septimum ob proscriptionem bonorum paternorum summa egestate premeretur, mulieris cujusdam locupletissimæ opibus primo sustentatus fuerit, ac postea Scholam aperuerit præceptorum Grammaticorum, demumque his relictis, venditisque humaniorum literarum quos haberet libris, ea conditione, ut ab emptore in dies singulos quatuor obolos ad victum acciperet, sic magna continentia, & frugalitate vitam transegerit.

II. Addit præterea Eusebius, quod accepta a Demetrio Episcopo Alexandriæ potestate, ibidem anno ætatis XVIII. profiteri cœperit divinarum literarum interpretationem, atque adeo feliciter, ut complures discipulos suos, tum ex iis, qui jam Christiani essent, tum ex Gentilibus, quos ad Fidem converteret, tam viros, quam feminas ad martyrium promoverit, & omnibus pietatis officiis publice inter ipsa supplicia affecerit; ipse vero divina providentia mortem effugiens domicilium subinde mutare coactus fuerit, ne a persequutoribus ei magna sollicitudine insidiantibus comprehenderetur. Castum adeo fuisse, ut cum ætate adhuc adolescens esset, & non solum cum viris, sed etiam cum mulieribus frequenter sermones de rebus divinis conferret, ad fœdæ suspicionis calumniam a se removendam omnem, illa Christi Domini sententia de castratione propter Regnum Cælorum simplicius intellecta seipsum castrarit, imo ut Fidei castitatem præferret, dum in persecutione Deciana varia jam pro Christi fide passus, maluerit Fidem negare, & thus idolis offerre, quam læsa castitate impuro misceri Æthiopi, & nefando contaminari crimine, laudatus Eusebius Libro VI. *Historiæ Ecclesiasticæ* Cap. VII. & Epiphanius hæresi LXIV. testantur.

III. Porro tantus, ac talis Origenes, philosophia tandem deceptus Platonica, tot lapsus in errores est, tot impia loquutus est dogmata, ut illum non Origenem, sed hæresum fere omnium originem nonnulli appellitent, & expresse illum sanas non habuisse de Spiritu Sancto opiniones dicat Sanctus Basilius, illum inter hæreticos recenseat S. Epiphanius, & illi, sicut & Ario, Eunomio, Macedonio, Nestorio, & Eutychi anathema dicat nostra Oecumenica Quinta Synodus: & sane si non omnium hæresum, multarum saltem origo dicendus vir ille est, alioquin ingenio, & eruditione magnus, qui Tyri obiisse creditur anno CCLIV. ætatis suæ LXIX. qui juxta Cassiodorum no-

nostrum, *ubi bene*, *nemo melius*, *ubi male*, *nemo pejus*; de quo merito ambigi potest, an scriptis suis plus nocuerit, quam profuerit Ecclesiæ. Tot siquidem scripsit, ut *nemo mortalium plura*, *ut mihi non solum perlegi*, *sed nec invenire posse videantur*, inquit in Commonitorio suo Vincentius Lirinensis. Scripsit enim Epiphanio teste sena millia librorum, pauca tamen, nec omnia indubitata reperiuntur hodie, eaque in duos Tomos distributa habentur, de quibus vide Bellarminum in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*.

IV. Tum a Romanis Pontificibus, tum ab Episcopis, tum a Conciliis, iterum atque iterum damnatum Origenem, ejusque errores, ac hæreses narrat in suis Annalibus Cardinalis Baronius. Præcipue errores hi sunt. I. quod in divinis Filium Patre minorem, & Filio inferiorem Spiritum Sanctum asseruit. II. Quod Adam peccando, Dei imaginem amisisse dixerit. III. Quod animas in pœnam peccati, suam ante unionem cum corpore, patrati, in corpora velut in carceres reclusas fuisse tenuerit. IV. Quod Christi animam præextitisse, unitamque fuisse Dei Verbo ante Incarnationem, & Nativitatem ex B. Virgine, docuerit. V. Quod hominum corpora in resurrectione generali, rotundæ, & orbicularis figuræ suscitanda esse dixerit. VI. Quod Cælum, Solem, Lunam, Stellas, & Aquas, quæ supra Cælos sunt, animatas quasdam, & materiales virtutes esse crediderit. VII. Quod Christum Dominum in futuro seculo pro dæmonibus, quemadmodum pro hominibus, crucifixum iri somniaverit. VIII. Quod temporanea esse dæmonum, atque impiorum hominum tormenta, eorumque salutem tandem aliquando futuram esse, prædixerit. Agit inter alios de iis erroribus eruditissimus Petavius in suis Libris de Incarnatione, & doctissimus Lupus in Scholiis suis ad nostræ hujus Quintæ Synodi Capitula contra Origenam ipsum, ejusque errores edits, suntque hujusmodi.

CAPITULUM I. Siquis dicit, aut sentit præexistere hominum animas, utpote quæ antes mentes fuerint, & sanctæ virtutes, satietatemque cepisse divinæ contemplationis, & in deterius conversas esse, atque iccirco refrixisse a Dei charitate, & inde ψυχὰς Græce, idest animas esse nuncupatas, demissasque esse in corpora supplicii causa, anathema sit.

CAPITULUM II. Siquis dicit, aut sentit, Domini animam prius extitisse, atque unitam fuisse Dei Verbo ante Incarnationem, & generationem ex Virgine, anathema sit.

CAPITULUM III. Siquis dicit, aut sentit, primum conformatum esse corpus Domini nostri Jesu Christi in utero Beatæ Mariæ Virginis, ac postea unitum ei esse Deum Verbum, & animam, utpote quæ ante fuisset, anathema sit.

CAPITULUM IV. Siquis dicit, aut sentit, omnibus cælestibus Ordinibus assimilatum esse Deum Verbum, Cherubimque factum esse ipsis Cherubim, & Seraphim ipsis Seraphim, se omnibus plane supernis virtutibus similem esse factum, anathema sit.

CAPITULUM V. Siquis dicit, aut sentit, in resurrectione corpora hominum orbiculata suscitari, nec confitetur nos suscitari rectos, anathema sit.

CAPITULUM VI. Siquis dicit, Cælum, & Solem, & Lunam, & Stellas, & Aquas, quæ super Cælos sunt, animatas, & materiales esse quasdam virtutes, anathema sit.

CAPITULUM VII. Siquis dicit, aut sentit, Dominum Christum in futuro seculo crucifixum iri pro dæmonibus, sicut & pro hominibus, anathema sit.

CAPITULUM VIII. Siquis dicit, aut sentit, vel finitam esse Dei potestatem, vel eum tanta fecisse quanta comprehendere potuit, anathema sit.

CAPITULUM IX. Siquis dicit, aut sentit, ad tempus esse dæmonum, & impiorum hominum supplicium, ejusque finem aliquando futurum, sive restitutionem, & redintegrationem fore dæmonum, aut impiorum hominum, anathema sit. Anathema & Origini, qui & Adamantius, qui hæc exposuit, una cum nefaria, atque execrabili, scelestaque ejus doctrina, & cuivis, qui ea sentiat, aut defendat, aut ullo modo prorsus quocumque tempore tueri præsumat.

Sequuntur alia quatuordecim Capitula nostræ Quintæ Synodi contra Nestorianos, & Eutychianos.

CAPITULUM I. Siquis non confitetur Patris & Filii & Spiritus Sancti unam naturam, sive substantiam, & unam virtutem & potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem in tribus subsistentiis sive Personis adorandam, talis anathema sit. Unus enim Deus, & Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & unus Spiritus Sanctus, in quo omnia.

CAPITULUM II. Siquis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante secula ex Patre sine tempore incorporaliter, alteram vero in ultimis diebus ejusdem ipsius, qui de Cælis descendit, & incarnatus, de sancta gloriosa Dei Genitrice, & semper Virgine Maria, natus ex ipsa, talis anathema sit.

CAPITULUM III. Siquis dicit, alium esse Deum Verbum, qui miracula fecit, & alium Christum, qui passus est, vel Deum Verbum cum Christo esse nascente de muliere, vel in ipso esse, ut alterum in altero, & non unum, eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Verbum incarnatum, & hominem factum, & ejusdem ipsius miracula, & passiones, quas voluntarie carne sustinuit, talis anathema sit.

CAPITULUM IV. Siquis dicit secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum æqualitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, vel secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit Dei Verbo homo, eo quod bene visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit, vel secundum homonymiam, per quam Nestoriani Deum Verbum Filium & Christum vocantes, & hominem separatim Christum & Filium nominantes, & duas Personas evidenter dicentes, per solam nominationem & honorem, & dignitatem, & adorationem, unam Personam, & unum Filium, & unum Christum confingunt dicere; sed non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili, & intellectuali secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse, sicut Sancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster

ster Jesus Christus, unus de Sancta Trinitate, talis anathema sit. Cum enim multis modis unitas intelligitur, qui impietatem Apollinarii, & Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum, quæ convenerunt, colentes, unitionem secundum confusionem dicunt: Theodori autem, & Nestorii sequaces, divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Vnitio enim per compositionem in mysterio Christi non solum inconfusa ea, quæ convenerunt, conservat, sed nec divisionem suscipit.

CAPITULUM V. Siquis unam subsistentiam Domini nostri Jesu Christi sic intelligit, tamquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, & per hoc introducere conatur in Mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, & duarum personarum, quas introducit, unam personam dicit secundum dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus, & Nestorius insanientes conscripserunt, & calumniatur sanctam Chalcedunensem Synodum tamquam, secundum istum impium intellectum, unius subsistentiæ utentem vocabulo, sed non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum esse, & propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam, & sic & sanctum Chalcedonense Concilium unam subsistentiam Domini nostri Jesu Christi confessum esse, talis anathema sit. Nec enim adjectionem personæ, vel subsistentiæ suscepit sancta Trinitas ex incarnato uno de sancta Trinitate Deo Verbo.

CAPITULUM VI. Siquis abusive, & non vere Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato, & nato ex ipsa, referenda autem, sicut illi dicunt, hominis nativitate ad Deum Verbum, eo quod cum homine erat nascente, & calumniatur sanctam Chalcedonensem Synodum tamquam secundum istum impium intellectum, quem Theodorus execrandus adinvenit, Dei Genitricem Virginem dicentem, vel qui hominis genitricem vocat, aut Christotocon, idest Christi Genitricem, tamquam si Christus Deus non esset, & non proprie & vere Dei Genitricem ipsam confitetur, eo quod ipse, qui ante sæcula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsa incarnatus, & natus est, & sic pie & sanctam Chalcedonensem Synodum Dei Genitricem eam esse confessam, talis anathema sit.

CAPITULUM VII. Siquis in duabus naturis dicens, non ut in Deitate & humanitate, unum Dominum nostrum Jesum Christum cognosci confitetur, ut per hoc significet differentiam naturarum, in quibus inconfuse ineffabilis unitio facta est, neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam transducta (manet enim utrumque hoc quod est natura, etiam facta unitate secundum subsistentiam) sed pro divisione per partem, talem excipit vocem in mysterio Christi, vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino nostro Jesu Christo, Deo Verbo incarnato, non intellectu tantummodo differentiam excipit earum, ex quibus, & compositus est, non interemptam propter unitatem (unus enim ex utraque, & per unum utraque), sed in hoc numero utitur, ut separatim unaquaque natura suam habente subsistentiam, talis anathema sit.

CAPITULUM VIII. Siquis ex duabus naturis Deitatis, & humanitatis confitens unitatem factam esse, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut Patres docuerunt, quod ex divina natura, & humana, unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus effectus est, sed ex talibus vocibus unam naturam, sive substantiam Deitatis, & carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit. Secundum subsistentiam enim dicentes unigenitum Deum Verbum carni unitum esse, non confusionem aliquam naturarum in se invicem factam esse dicimus, sed magis permanente utraque hoc quod est, unitum esse carni Deum Verbum intelligimus. Propter quod & unus est Christus, Deus & homo, idem ipse consubstantialis Patri secundum Deitatem, & consubstantialis nobis idem ipse secundum humanitatem, æqualiter enim & eos, qui per partem dividunt, vel incidunt, & eos, qui confundunt divinæ dispensationis Mysterium Christi, rejicit, & anathematizat Dei Ecclesia.

CAPITULUM IX. Siquis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt separatim Deo Verbo, & separatim homini; vel siquis ad interemptionem, vel ad confusionem Deitatis, & humanitatis, unam naturam, sive substantiam eorum, quæ convenerunt, introducens, sic Christum adorat, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit.

CAPITULUM X. Siquis non confitetur Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, & Dominum gloriæ, & unum de sancta Trinitate, talis anathema sit.

CAPITULUM XI. Siquis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychen, Origenem cum impiis eorum conscriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati, & anathematizati sunt a sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, & a prædictis sanctis quatuor Conciliis, & eos, qui similia prædictis hæreticis sapuerunt, vel sapiunt, & usque ad mortem in sua impietate permanserunt, vel permanent, talis anathema sit.

CAPITULUM XII. Siquis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum Verbum, & alium Christum a passionibus animæ & desideriis carnis molestias patientem, & a deterioribus paulatim recedentem, & sic ex profectu operum melioratum, & a conversatione immaculatum factum, & tamquam purum hominem baptizatum esse in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & per Baptisma Sancti Spiritus gratiam accepisse, & filiationem meruisse, & ad similitudinem imperialis imaginis in persona Dei Verbi adorari, & post resurrectionem immutabilem cogitationibus, & impeccabilem omnino factum fuisse. Et iterum dixit idem impius Theodorus, talem factam esse unitionem Dei verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro & muliere: *Erunt duo in carne una*. Et super alias innumerabiles blasphemias ausus est dicere, quod post resurrectionem cum insufflasset Dominus Discipulis, & dixisset, *Accipite Spiritum*, non dedit eis Spiritum Sanctum, sed figuratim tantummodo insufflavit. Ipse enim & confessionem, quam fecit

Tho-

Thomas, eum palpasset manus, & latus Domini post resurrectionem dicens, *Dominus meus, & Deus meus*, inquit non esse dictam a Thoma de Christo. Nec enim dicit Theodorus, Deum esse Christum, sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam glorificasse Deum, qui Christum resuscitavit. Et quod pejus est, etiam in interpretatione, quam in Actus Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni, & Manichæo, & Epicuro, & Marcioni, dicens, quod sicut illorum unusquisque ex dogmate, quod invenit, suos Discipulos fecit vocari Platonicos, & Manichæos, & Epicureos, & Marcionistas; simili modo & eum Christus dogma invenisset, & ex ipso Christianos vocari. Siquis igitur defendit prædictum impium Theodorum, & impia ejus conscripta, in quibus tam prædictas, quam alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum, & Salvatorem Jesum Christum, & non anathematizat eum, & impia ejus conscripta, & omnes, qui suscipiunt, vel defendunt eum, & dicunt orthodoxe eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo, & eadem illi sapuerunt, vel scribunt pro eo, vel impiis ejus conscriptis, & eos qui similia illi sapiunt, vel aliquando sapuerunt, & usque ad mortem permanserunt, vel permanent in tali impietate, talis anathema sit.

CAPITULUM XIII. Siquis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam Fidem & contra primam Ephesinam S. Synodum, & S. Cyrillum, & XII. ejus Capitula exposuit, & omnia quæ conscripsit pro Theodoro, & Nestorio impiis, & pro aliis, qui eadem prædictis Theodoro, & Nestorio sapuerunt, defendens eos, & eorum impietatem & propter hoc impios vocans Doctores Ecclesiæ, qui unitatem secundum subsistentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & non anathematisat ea, & eos qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, insuper autem & omnes, qui scripserunt contra rectam fidem, & Sanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula, & usque ad mortem in tali impietate permanserunt, talis anathema sit.

CAPITULUM XIV. Si quis defendit Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de sancta Dei Genitrice semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse, dicit autem purum hominem ex ipsa natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, & alius homo, & sanctum Cyrillum, qui rectam Fidem Christianorum prædicavit, tanquam hæreticum, & similiter Apollinario impio scripsisse criminatur, & inculpat primam Ephesinam sanctam Synodum tamquam sine examinatione & quæstione Nestorium condemnantem, & duodecim Capitula sancti Cyrilli impia & contraria rectæ Fidei vocat eadem impia Epistola, & defendit Theodorum, & Nestorium, & impia eorum dogmata, & conscripta. Siquis igitur memoratam impiam Epistolam defendit, & non anathematisat eam, & defensores ejus, & eos, qui dicunt, eam rectam esse, vel partem ejus, & eos qui scripserunt, vel scribunt pro ea, vel pro impietate, quæ in ea continetur, & præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem nomine Sanctorum Patrum, vel sancti Chalcedonensis Concilii, & in his usque ad mortem permanent, talis anathema sit.

Cum igitur hæc ita rite confessi sumus, quæ tradita nobis sunt tam a divinis Scripturis, quam a sanctorum Patrum doctrina, & ab his quæ definita sunt, una, eademque fide a prædictis sanctis quatuor Conciliis: facta autem a nobis & condemnatione contra hæreticos, & eorum impietatem, necnon etiam contra eos, qui defenderunt, vel defendunt prædicta impia Tria Capitula, & permanserunt in suo errore, vel qui permanent: siquis conatus fuerit contra hæc, quæ pie disposuimus, vel tradere, vel docere, vel scribere, siquidem Episcopus, vel Clericus sit, iste tanquam aliena a Sacerdotibus, & statu Ecclesiastico faciens, denudabitur Episcopatu, vel Clericatu; si autem Monachus, vel Laicus sit, anathematizabitur.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM

QUI OECUMENICO QUINTO CONCILIO INTERFUERUNT.

Ex Tomo VI. Conciliorum apud Labbeum pag. 218. & seqq.

Eutychius misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ, decrevi quæ proposita sunt, & confitens sic habere, sicut omnia supra capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor Synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de una eademque fide definita sunt, & in his omnibus permanens, sicut supra scriptum est, condemno & anathematizo super alios hæreticos & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ episcopus, una cum impiis ejus conscriptis, & omnia quæ impie Theodoritus conscripsit, sicut prædictum est, & impiam epistolam quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerunt & sapiunt, & subscripsi.

Apollinarius misericordia Dei episcopus Alexandriæ, decrevi quæ proposita sunt, & confitens sic habere, sicut omnia supra capitula & dogmata continent, *&c.*

Domninus (*a*) misericordia Dei Episcopus Theopolitanæ civitatis, similiter.

Stephanus misericordiâ Dei episcopus Rapheotanæ (*b*) civitatis, vicem agens Eustochii sanctissimi patriarchæ Hierosolymitanæ civitatis, una cum Georgio, & Damiano religiosissimis episcopis, similiter.

Georgius misericordia Dei episcopus Tiberiadis, agens vicem Eustochii sanctissimi patriarchæ Hierosolymitanæ civitatis, una cum Stephano, & Damiano religiosissimis episcopis, similiter.

Damianus misericordia Dei episcopus Soaytanæ (*c*) civitatis, agens vicem Eustochi sanctissimi patriarchæ Hierosolymitanæ civitatis, una cum Stephano & Georgio religiosissimis episcopis, similiter.

Be-

In aliis Codicibus ita legitur, (*a*) Domnus Antiochiæ. (*b*) Raphiæ. (*c*) Sozusæ.

Benignus misericordia Dei episcopus (*a*) Heracleotanæ civitatis, quæ est primæ Macedoniæ, agens vicem Eliæ sanctissimi archiepiscopi Thessalonicensium civitatis, tam pro illo, quam etiam pro me, similiter.

Theodorus misericordia Dei episcopus Cæsareæ primæ Cappadociæ, similiter.

Andreas gratia Christi episcopus Ephesi, similiter.

Sextilianus misericordia Dei episcopus ecclesiæ catholicæ Toniensis, agens vicem Primosi archiepiscopi Charthaginis, totiusque concilii provinciæ proconsularis, tam pro illo vel illis, quam pro meipso, similiter.

Megethius gratia Dei episcopus sanctæ Dei catholicæ ecclesiæ civitatis Heracleæ Thraciæ, similiter.

Anastasius misericordia Dei episcopus Tabianensium (*b*) civitatis, agens vicem Dorothei religiosissimi episcopi Ancyranorum metropoleos, similiter.

Joannes misericordia Dei episcopus Iliorum (*c*) civitatis, agens vicem Euprepii episcopi Cyzicenorum metropoleos, similiter.

Eusebius misericordia Dei episcopus Tyriorum metropoleos, similiter.

Joannes humilis episcopus Nicomediensium metropoleos, similiter.

Stephanus misericordia Dei episcopos Nicænorum (*d*) metropoleos, similiter.

Constantios misericordia Dei episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Chalcedonensium metropolitanæ civitatis, similiter.

Petrus misericordia Dei episcopus Tarsi metropolitanæ civitatis, similiter.

Joannes misericordia Dei spiscopus Coeusenorum (*e*) civitatis, agens vicem Palladii religiosissimi episcopi metropoleos, similiter.

Joannes misericordia Dei episcopua Cæsareæ Palæstinæ, similiter.

Pompejanus misericordia Dei episcopus (*f*) sanctæ ecclesiæ catholicæ civitatis Victorianæ, provinciæ Byzacenæ, similiter.

Amazonius gratia Christi episcopus Edessenorum metropolitanæ civitatis, similiter.

Alexander misericordia Dei episcopus (*g*) Gangrenorum metropoleos, similiter.

Thomas misericordia Dei episcopus Apamenorum (*h*) metropolitanæ civitatis, similiter.

Euphrantas misericordia Dei episcopus Tyanensium metropoleos, similiter.

Theodorus misericordia Dei episcopus Hierapolitanorum (*i*) apud Euphratem metropoleos, similiter.

Bosphorius patientia Dei episcopus Neocæsariensiom metropoleos, similiter.

Joannes misericordia Dei episcopus Bostrenorum metropoleos, similiter.

Philippus misericordia Dei episcopus Myrensium metropoleos Lydiæ provinciæ, similiter.

Theodotus misericordia Dei episcopus Seleuciensium apud Isauros metropoleos, similiter.

Julianus misericordia Dei episcopus (*k*) Sardianorum metropoleos Lydiæ provinciæ, similiter.

Theodorus misericordia Dei episcopus Gortynæ, quæ est metropoleos Cretensium provinciæ, similiter.

Eustathius misericordia Dei Episcopus Damasci metropolitanæ civitatis, similiter.

Theodosius misericordia Dei episcopus Rhodiorum metropoleos, similiter.

Theodorus misericordia Dei episcopus Antiochensium metropoleos Pisidiæ provinciæ, similiter.

Eulogius misericordia Dei episcopus Pergenorum metropolitanæ civitatis Pamphyliæ provinciæ, similiter.

Cyriacus misericordia Dei episcopus Amydenorum (*l*) metropoleos, similiter.

Severianus misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ civitatis Aphrodisiadis (*m*) Carensium provinciæ similiter.

Severus misericordia Dei episcopos Synnadensium metropoleos Phrygiæ Salutaris provinciæ, similiter.

Petrus misericordia Dei episcopus (*n*) Sidetanorum metropoleos Pamphyliæ provinciæ, similiter.

Abrahamus misericordia Dei episcopus Sergiopoleos metropolitanæ civitatis, similiter.

Asignius misericordia Dei episcopus Trajanopolitanorum civitatis, agens vicem Joannis religiosissimi episcopi Laodicensium metropoleos Phrygiæ Pacatianæ provinciæ, similiter.

Joannes gratia Christi episcopus Adrianopolitanorum metropoleos (*o*) eminentiorum provinciæ, similiter.

Joannes misericordia Dei episcopus Maronitanorum metropoleos (*p*) Rhodiæ provinciæ, similiter,

Theodosius misericordia Dei episcopus Justinianopolitanorum metropoleos secundæ Cappadocum provinciæ, similiter.

Stephanus misericordia Dei episcopus Laodiceæ metropoleos (*q*) Theodorianorum provinciæ, similiter.

Auxanon (*r*) misericordia Dei episcopus Hierapolitanorum (*s*) metropoleos, similiter.

Eustathius misericordia Dei episcopos Maximianopolitanorum metropoleos, similiter.

Paulus misericordia Dei episcopus (*t*) Æmorum metropoleos (*u*) Rhodopiæ provinciæ, similiter.

Dometius misericordia Dei episcopus Chalcidensium civitatis, similiter.

Ætherius misericordia Dei episcopos Anazarbensium, sive Justinianopolitanorum metropoleos, similiter.

Valerianos misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ catholicæ civitatis Obbæ provinciæ (*x*) proconsularis, similiter.

Dionysius misericordia Dei episcopus Seleuciæ (*y*) civitatis, similiter.

Theodorus misericordia Dei episcopus Dryziparenorum metropoleos, similiter.

Severus misericordia Dei episcopus Pompejopolitanorum civitatis Paphlagoniæ provinciæ, similiter.

Georgius misericordia Dei episcopus novæ Justinianæ (*z*) Cypselitanorum civitatis, similiter.

Crescus (*a*) misericordia Dei episcopos sanctæ

(*a*) Heracliæ Pelagoniæ. (*b*) Tabiæ. (*c*) Iliensis. (*d*) Nicææ. (*e*) Cucosarum. (*f*) Byzacii. (*g*) Gangrorum. (*h*) Syriæ. (*i*) Syriæ. (*k*) Sardicensis. (*l*) Amidæ. (*m*) Cariæ. (*n*) Sidæ. (*o*) *Hæmimonti Thraciæ*. (*p*) Rhodopiæ. (*q*) sive Theodoriadis. (*r*) Auxianus. (*s*) Phrigiæ. (*t*) Forte pro Æni. Hard. (*u*) Rhodopes. (*x*) Africanæ. (*y*) primæ. (*z*) Cypselon. (*a*) Cresconius.

ctæ eccleſiæ catholicæ Culeulitanæ provinciæ Numidiæ, ſimiliter.

Romanus miſericordia Dei epiſcopus Gabalorum, ſimiliter.

Gregorius miſericordia Dei epiſcopus Juſtinianopolitanorum civitatis magnæ Armeniæ provinciæ, ſimiliter.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Nyſſenorum civitatis, ſimiliter.

Baſilius miſericordia Dei epiſcopus novæ Juſtinianæ (*a*) Camulianenſium, ſimiliter.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus (*b*) Juſtinianopolitanorum, ſive Barcuſenæ civitatis, ſimiliter.

Sergius miſericordia Dei epiſcopus novæ Juſtinianæ (*c*) ſecundæ Ægyptiorum, ſimiliter.

Chryſtophorus miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Arcadiopoleos Aſianorum provinciæ, ſimiliter.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Clyſmatis, ſimiliter.

Theodoſius miſericordia Dei epiſcopus Bybliorum civitatis, ſimiliter.

Leontius miſericordia Dei epiſcopus Arcæ Armeniæ, ſimiliter.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Myrines provinciæ Aſiæ, ſimiliter.

Alexander epiſcopus Amphipoleos primæ Armeniæ, ſimiliter.

Thomas gratia Chriſti epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Beriſſorum civitatis, ſimiliter.

Theodorus miſericordis Dei epiſcopus (*d*) Leontopoleos, ſimiliter.

Æmilianus miſericordia Dei epiſcopus Aotipyrgi civitatis, ſimiliter.

Ariſtodemus miſericordia Dei epiſcopus (*e*) Philomeleoſium civitatis, ſimiliter.

Thalelæus miſericordia Dei epiſcopus Hadrianopolitanorum Piſidiæ provinciæ, ſimiliter.

Theoctiſtus miſericordia Dei epiſcopus Erythrarum (*f*) civitatis provinciæ Aſiæ, ſimiliter.

Diogenianus miſericordis Dei epiſcopus Sozopolitanorum civitatis Piſidiæ provinciæ, ſimiliter.

Baſſus miſericordia Dei epiſcopus Thamiatenſis, ſimiliter.

Anatolius miſericordia Dei epiſcopus (*g*) Cymæorum civitatis provinciæ Aſianæ, ſimiliter.

Conon humilis Epiſcopus Magoedenſium civitatis Pamphyliæ provinciæ, ſimiliter.

Diogenes miſericordia Dei epiſcopus Cratianorum civitatis, ſimiliter.

Theoctiſtus humillimus epiſcopus Pruſæ civitatis, ſimiliter.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus Ptolemaidis, ſimiliter.

Elias miſericordia Dei epiſcopus Diocletianopoleos, ſimiliter.

Theonas miſericordia Dei epiſcopus (*h*) Cuſſitanorum civitatis, ſimiliter.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Lymirenſium civitatis Lyciæ provinciæ, ſimiliter.

Zoſimus miſericordia Dei epiſcopus Aotandrenſium civitatis, ſimiliter.

Aſyncretius miſericordia Dei epiſcopus Aradiorum civitatis, ſimiliter.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Botrieoorum, ſimiliter.

Philippus humilis epiſcopus Phellitanorum civitatis, ſimiliter.

Menas miſericordia Dei epiſcopus (*i*) Miriangeli, ſimiliter.

Cyprianus miſericordia Dei epiſcopus Corycæotanorum (*k*) civitatis, ſimiliter.

Reſtitutus miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ catholicæ civitatis Mileon provinciæ Numidiæ, (*l*) ſimiliter.

Thomas miſericordia Dei epiſcopus Conſtantinæ civitatis Oſroenorum provinciæ, ſimiliter.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Heleoopoleos, ſimiliter.

Severus miſericordia Dei epiſcopus Taborum, ſimiliter.

Theoctiſtus miſericordia Dei epiſcopus Halicarnaſſenſium civitatis Cariæ provinciæ, ſimiliter.

Thomas miſericordia Dei epiſcopus Circenſii, ſimiliter.

Soterus (*m*) miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Aulonenſium, ſimiliter.

Gennadius miſericordia Dei epiſcopus Zenopolitanorum civitatis Pamphiliæ provinciæ, ſimiliter.

Coſmas humilis epiſcopus (*n*) Malleotanorum civitatis, ſimiliter.

Dionyſius miſericordia Dei epiſcopus Megarenſium civitatis, ſimiliter.

Callinicus miſericordia domini Chriſti epiſcopus Opuntiorum civitatis, ſimiliter.

Paſchaſius miſericordia Chriſti epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Ægii civitatis, ſimiliter.

Eraſmus miſericordia Dei epiſcopus Cibyritanorum civitatis, ſimiliter.

Sergius miſericordia Dei epiſcopus Himereos, ſimiliter.

Joannes miſericordis Dei epiſcopus Neocæſareæ Euphrateſiæ, ſimiliter.

Thalelæus miſericordia Dei epiſcopus Iſindorum Pamphyliæ provinciæ, ſimiliter.

Creſconius miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ catholicæ *municipii Zatarenſis provinciæ* Numidiæ, ſimiliter.

Anatolius humilis epiſcopus Sebaſtenorum civitatis, ſimiliter.

Nonnus miſericordia Dei epiſcopus (*o*) Duſaron, ſimiliter.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Balaneotanorum, ſimiliter.

Victor miſericordia Dei epiſcopus catholicæ eccleſiæ municipii Sinna provinciæ proconſularia, ſimiliter.

Conſtantinus miſericordia Dei epiſcopus Midaii, ſimiliter.

Macarius miſericordia Dei epiſcopus Prymneſiorum civitatis Phrygiæ ſalotaris provinciæ, ſimiliter.

Megalus miſericordia Dei epiſcopus Myrenorum civitatis Phrygiæ Salutaris provinciæ, ſimiliter.

Genethlius miſericordia Dei epiſcopus Dorylæi, ſimiliter.

Creſciturus miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ catholicæ civitatis Boſſæ provinciæ pro-

(*a*) Juſtinianopolis quondam Camulianorum. (*b*) Juſtinopolis. (*c*) Cynon. (*d*) Ægypti. (*e*) Philomelii. (*f*) Erythron. (*g*) Cimæ, ſive Cynæ. (*h*) Cyſſon. (*i*) de Myriangelis. (*k*) Coryci. (*l*) Africanæ. (*m*) Soter (*n*) Malli. (*o*) Duſanorum.

proconſularis, ſimiliter.

Nicetas miſericordia Dei epiſcopus Epiphanienſium civitatis ſecundæ Ciliciæ provinciæ, ſimiliter.

Alexander miſericordia Dei Epiſcopus Dionifi civitatis, ſimiliter.

Pelagius miſericordia Dei epiſcopus Azanorum civitatis Provinciæ Phrygiæ Pacatianæ, ſimiliter.

Hieron miſericordia Dei epiſcopus Anaſtaſiopolitanorum civitatis Phrygiæ Pacatianæ provinciæ, ſimiliter.

Glaucus miſericordia Dei epiſcopus Aliouorum civitatis Phrygiæ Pacatianæ provinciæ, ſimiliter.

Procopius miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ (a) Antenon Thebanæ civitatis, ſimiliter.

Petrus miſericordia Dei epiſcopus (b) Domitiopolitanorum civitatis Iſauriæ provinciæ, ſimiliter.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus (c) Colonenſium, ſive Theodoriadis civitatis, ſimiliter.

Phronymus miſericordia Dei epiſcopus (d) Sinaitanorum Phrygiæ Pacatianæ provinciæ, ſimiliter.

Uranius miſericordia Dei epiſcopus (e) Trallenorum civitatis Lydiæ provinciæ, ſimiliter.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus (f) Cæſarenorum civitatis Lydiæ provinciæ, ſimiliter.

Macedonius miſericordia Dei epiſcopus novæ Juſtinianæ Bithyniæ provinciæ, ſimiliter.

Ecdicius miſericordia Dei epiſcopus Teni inſulæ, ſimiliter.

Eulogius miſericordia Dei epiſcopus (g) Dabon civitatis, ſimiliter.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus (h) Coradenſium civitatis, ſimiliter.

Elpidiphorus miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Anaſtaſiopoleos Cariæ, provinciæ, ſimiliter.

Cyrion miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Dadimorum, ſimiliter.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Laodicenſium civitatis, ſimiliter.

Silas miſericordia Dei epiſcopus Tiberiopoleos Pacatianæ provinciæ, ſimiliter.

Megas (i) miſericordia Dei epiſcopus Myrenorum (k) civitatis, agens vicem Diogenis religioſiſſimi epiſcopi Auguſtopolitanæ civitatis, ſimiliter.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus (l) Inglion civitatis, ſimiliter.

Julianus miſericordia Dei epiſcopus civitatis Zeugmatis, ſimiliter.

Dorymenes miſericordia Dei epiſcopus civitatis Adraon Arabiæ provinciæ, ſimiliter.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus (m) Leri civitatis, ſimiliter.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Comanenſium, civitatis ſecundæ Armeniæ provinciæ, ſimiliter.

Rufinus miſericordia Dei epiſcopus (n) Sebaſtenorum metropoleos, ſimiliter.

Conon miſericordia Dei epiſcopus (o) Semneſtanorum civitatis, ſimiliter.

Cyriacus epiſcopus ſanctæ eccleſiæ (p) Caſatenorum civitatis, ſimiliter.

Siſinnius miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Præneti civitatis, ſimiliter.

Julianus miſericordia Dei epiſcopus (q) Betnon civitatis, ſimiliter.

Anaſtaſius miſericordia Dei epiſcopus Rachlenorum civitatis, provinciæ Tyriorum, ſimiliter.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Porthmi Græciæ provinciæ, ſimiliter.

Paulus miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Stectorii civitatis Pentapoliticæ regionis, Phrygiæ Salutaris provinciæ, ſimiliter.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Amaſenorum claræ metropoleos, ſimiliter.

Paulus miſericordia Dei epiſcopus (r) Adraſenorum civitatis, ſimiliter.

Euander humilis epiſcopus ſanctæ Dei eccleſiæ Gnidi civitatis, ſimiliter.

Mennas peccator & humilis epiſcopus (ſ) Carpathiorum inſularum, ſimiliter.

Eleuſinius miſericordia Dei epiſcopus Trajanopolitanorum metropoleos Rhodopiæ provinciæ, ſimiliter.

Sabbatius miſericordia Dei epiſcopus Arcadiopoleos, ſimiliter.

Sephanus miſericordia Dei epiſcopus metropoleos Juſtinianæ novæ, ſive Daraſi, ſimiliter.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Cherſonis, ſimiliter.

Cyprianus miſericordia Dei epiſcopus Adrianutheron civitatis, ſimiliter.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Apamenorum civitatis Piſidiæ provinciæ, ſimiliter.

Leontius miſericordia Dei epiſcopus Amadeſſenorum civitatis, ſimiliter.

Theodorus gratia Chriſti epiſcopus (t) Byzanorum metropoleos, ſimiliter.

Paulus miſericordia Dei epiſcopus Anchiali civitatis, ſimiliter.

Conon miſericordia Dei epiſcopus Adrianitanæ civitatis, ſimiliter.

Adnotandum ſupereſt quod in Notis ad haſce Epiſcoporum ſubſcriptiones apud Labbeum Tomo VI. ultimæ editionis Venetæ Pag. 218. tradit eruditiſſimus Stephanus Baluzius, nempe in fine Canonum, quos adverſus Origenem & contra Neſtorianos, atque Eutychianos noſtra hæc Quinta Generalis Synodus edidit, & ante ipſas Epiſcoporum ſubſcriptiones, Codicem Pariſienſem ita habere: *Explirit Conrilius quintus. Incipiunt ſubſcriptiones Epiſcoporum*. In eo autem Libro, uti notat memoratus Baluzius, extant tantum ſubſcriptiones Eutychii, Apollinarii, Domini, Stephani, Georgii, Damiani, Benigni, & Andreæ, & ſtatim additur: *Explicit Synsdur quinta*. At in Bellovacenſi Codice extant integre quales habentur in antiquis editionibus, & in Romana. Curatores editionis Regiæ multa ſuſtulerunt, quia ſimilia ſunt ſuperioribus. Poſt ſubſcriptiones vetus quoque Codex habet: *Explirit*. Tum vero: *In hac Synodo ſederunt Epiſcopi* CLXVI. Apud Surium CLXV. Neſcio autem, ut verbis utar laudati Baluzii, cur hanc adnotationem ſuſtulerint Romani Editores, qui nullum vetus exemplar iſtius Concilii habuerunt.

(a) Autinoi Thebaidis. (b) Dometiopolis. (c) Coloniæ. (d) Sinnaii. (e) Trallienſis. (f) Ceraſuntis. (g) ſup. Danaberum. (h) Gargaron vel Cordeon. (i) Megalus. (k) Phrygiæ Salutaris. (l) Ingelon. (m) Læri. (n) Sebaſtiæ Armeniæ. (o) Semneon. (p) Caſatorum ſeu Curatorum. (q) Bethon. (r) Adraſſi. (ſ) Carpati. (t) Byzienorum.

HISTORIA
SEXTI GENERALIS CONCILII III. CONSTANTINOPOLITANI.

I. Damnata jam, ac prostrata Eutychiana, & Acephalorum hæresis, qui Chalcedonensem Synodum oppugnabant, in nova mox, ac varia, quasi Lernæa hydra capita pullulavit. Exorti sunt inde inter alios Monothelitæ, qui hæresim Eutychianam in sinu foventes, cum palam duas in Christo naturas negare non auderent, duas in eo voluntates, & operationes negabant, ut quod aperte non poterant, occulte certe, ac nova arte animos hominum ad priores Eutychis errores traducerent. Ejus hæresis varia a Scriptoribus assignantur initia. Auctor Criticæ Baronii eam circa annum DCXVI. pullulare cœpisse ex eo probat, quod sanctus Maximus in sua disputatione cum Pyrrho, Sergii in Sede Constantinopolitana proximo successore, Sophronii Hierosolymorum Patriarchæ de hujus mali origine a dicto Pyrrho accusati innocentiam tueri volens respondet; *Ubi erat Sophronius, quando ad Georgium cognomento Arsam Paulianistam scripsit Sergius, rogans, ut mitteret sibi auctoritates de una operatione; inseruitque Epistolæ, facere etiam se his auctoritatibus unionem Ecclesiæ cum eis? Hanc autem Epistolam B. Joannes Papa Alexandrinus manu ab Arsa abstulit. Unde cum vellet eam ob ipsam deponere, impeditus tunc fuit ab incursu a Persis in Ægyptum facto*. Quare cum anno DCXV. & sequenti Persæ Ægyptum afflixerint, & S. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus mense Novembri anni DCXVI. obierit, Monothelitarum exordium, qui unam dumtaxat in Christo Jesu voluntatem, & operationem admittunt, ultra illum annum differri nequit.

II. Communiter tamen, ut tradit Pagius Auctor Breviarii Gestorum Pontificum Romanorum in Vita Honorii Papæ I. Monothelismi initium Scriptores cum anno DCXXII. conjungunt, quo ipsi obstetricatus est Heraclius Imperator imprudens in eo congressu, quem habuit in Armenia cum Paulo Monoculo Severi Hæretici sectatore, cujus meminit Sergius in Epistola ad ipsum Honorium Papam, quæ extat Actione XIII. hujus Synodi. Alii, & quidem non pauci hæresia illius initium ducunt ab anno DCXXIX. quo juxta Theophanem in Chronico, Heraclius alium congressum habuit apud Hieropolim non multum ab Edessa distantem cum Athanasio Jacobitarum Patriarcha, genere Syro, homine subdolo, ac vafro. Sermone enim cum ipso de fide habito Imperator inter cetera se eum Patriarcham facturum Antiochenum ostendit, si Chalcedonense Concilium approbaret. Hac spe illectus Athanasius morem illi gessit, ac duas in Christo naturas profiteri cœpit. Tum astute quæstionem illi vicissim posuit, de voluntate, & actione Christi, duplicem ne credere oporteret, an unicam. Ad quam percontationem hæsitans Imperator, uti videre est in ipsa Actione XIII. hujus Synodi, Sergium Patriarcham Constantinopolitanum per literas consulit. Qui & ipse Syrus, ac Jacobitis ortus parentibus, atque ejusdem clanculum defensor hæresis, quæ unam in Christo naturam, adeoque voluntatem, & actionem agnoscebat unam, consentaneum errori suo responsum dedit.

III. Sed quicquid sit de hoc secundo congressu, certum est Heraclium anno DCXXII. a Paulo hæretico Severiano deceptum, consuluisse tum Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, tum Cyrum Episcopum Phasidis, postea ad Archiepiscopatum Alexandrinum translatum, utrum scilicet in Christo duplex esset voluntas, an vero unica: a quibus illud accepit responsum, unam prorsus in Christo dicendam esse voluntatem, atque operationem. Porro cum Sergio tanta Imperatori Heraclio intercesserat consuetudo, ut etiam adversus Persas profecturus, filios suos ejus curæ, ac fidei commisisset. Neque vero admodum Sergio Monothelitarum sectæ patrono laborandum fuit, ut ad pessima sua consilia pertraheret Heraclium specioso unionis titulo, Oriente tunc varias in sectas miserandum in modum diviso. Ipsum præterea in partes novæ hæreseos traxit æmulatio, & odium Cosrhois Regis Persarum, qui Nestorianis adversus Catholicos impense favebat, ut testatur Theophanes in Chronico. Unde in Eutychianorum factionem Nestorianis infensissimam propensior fuit, non quidem, ut unam in Christo naturam assereret, quo ab errore in Concilio Chalcedonensi damnato abhorrebat quammaxime; sed ut unius assertione voluntatis, atque operationis, cujus par non advertebat periculum, ipsos demereretur, eorumque unionem cum Catholicis, ut ipsi videbatur, procuraret.

IV. Monothelitarum itaque parens fuit Sergius Syrus genere parentibus Jacobitis natus, ut testatur Theophanes, ad Sedem Constantinopolitanam post obitum S. Thomæ, ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ evectus anno DX. Fautor vero ipsorum hæreticorum fuit Heraclius, qui post habitum cum Paulo Severiano congressum, Jussionem adversus ipsum promulgavit, qua inter alia duplicem in Christo dici operationem prohibebat. Hanc ad illustriores Episcopos misit, ad Sergium ipsum, & Cyrum Patriarcham Alexandrinum, ad Arcadium Archiepiscopum Cypri. Hæsitavit quidem Cyrus primum, sed Sergii suggestione in errore confirmatus scrupulum omnem excussit, Jussionemque illam Heraclii, quam alias Arcadius, & Segerius ipsius in Cypri Archiepiscopatu successor improbarunt, rejeceruntque, amplexus est ipse, approbavitque; habitoque Alexandriæ Conciliabulo, specie unionis Acephalorum cum Ecclesia anno DCXXXIII. novem edidit cum anathematismis Capitula, in quorum septimo asseruit, *eundem unum Christum, & Filium operari Deo decibilia, & humana, una Dei virili operatione, secundum S. Dionysium*. Sed interpolavit Cyrus S. Dionysii locum, & pro *nova Dei virili operatione*, substituit, *unam*; eamque fraudem alii Monothelitæ sequuti sunt. Celebrata illa pseudo-

syn-

synodo; scripsit ad Sergium, Epistolæque suæ novem illa capitula adjunxit. Rescripsit mox gratulatoriam ad Cyrum ipsum Epistolam Sergius insertam Synodo Lateranensi sub S. Martino I. Papa, Secretario III. qua ejus Capitula palam approbavit, immensisque laudibus prosequutus est, asseruitque, *eundem unum Christum operari Deo decibilia, & humana, una operatione: quia omnis divina, & humana operatio ex uno eodemque Incarnato Deo Verbo procedebat.*

V. Erat tunc Alexandriæ Sophronius Monachus vir peræque doctus, ac sanctus. Hic apud Cyrum vehementer institit, ne unam in Christo operationem in illa sua pseudosynodo, ad quam ipse venerat, decerneret; sic enim de eo inquit S. Maximus in Epistola ad Petrum illustrem: *Divinus ergo magnusque Sophronius tunc Alexandriam veniens, mox ex prima lectione (dederat enim etiam ipsi Cyrus ad retractandum illa novem impietatis capitula) lugubre quiddam, & ingens vociferatus, fontes emittebat lacrymarum, illum fervide obsecrans, supplicans, expostulans, in pavimento ipsius vestigiis provolutus, quo nihil horum super ambonem contra Catholicam Dei Ecclesiam prædicaret: quippe cum hæc liquido impii essent Apollinarii dogmata.* Cum Cyrum inter & Sophronium conveniri non posset, Constantinopolim hic ad Sergium accurrit, ut ejus adversus Cyrum imploraret auctoritatem. Tandem vero eo deducta res est, ut inter ipsos id conveniret, utriusque supprimendam esse mentionem, ac nec unam, nec duas actiones, aut voluntates esse nominandas. Ita Sergius in Epistola ad Honorium Papam, quæ in Actis hujus VI. Synodi inserta est.

VI. Constantinopoli in Palæstinam redux Sophronius, sub finem anni DCXXXIII. vel initio sequentis subrogatus est in locum Modesti Hierosolymorum Patriarchæ demortui, statimque Concilium habuit Episcoporum Palæstinæ, in quo Epistolam bene longam composuit, misitque ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, quæ lecta & approbata est in Actione XI. hujus Synodi Sextæ, in qua disertissimis sanctorum Patrum auctoritatibus abunde ac distincte duplicem dari in Christo voluntatem, & operationem adstruit. Quin etiam Romam ad Honorium Papam literas misit per Stephanum Dorensem Episcopum, quibus de nova Monothelitarum hæresi certiorem illum reddidit, paulóque post obiit, anno Heraclii XXVI. Christi DCXXXVI. Porro eodem, quo Sophronius, anno scripsit etiam Sergius ad Honorium, & ea quæ a Cyro, & Sophronio gesta scripta fuerant, exposuit, non sine maligna interpretatione mentis eorum, & sententiæ, qui duas operationes asserebant, tamquam inde consequens esset, duas esse voluntates contrarias, & confligentes invicem: quare consultius videri sibi, ut nec una, nec duæ operationes in Christo nominarentur, ob emergens ex illarum vocum usu scandalum; sed ut unus idemque filius unigenitus, verus Deus Dominus noster Jesus Christus diceretur operatus tam divinam, quam humanam, & omnem Deo decibilem, & homine dignam operationem. Ad hæc Honorius respondens, Sergii consilium probavit, retinendæ concordiæ gratia, binasque ad ipsum scripsit Epistolas, quæ in Actis hujus Synodi insertæ sunt, uberemque insigni controversiæ materiam præbuerunt, de illibata Fide, vel Monothelismo Honorii. Qua de re suo loco dicemus.

VII. Moritur post hæc Honorius anno Christi DCXXXVIII. cui Severinus successit. Sed ejus ordinatio dilata est, quod nondum ab Imperatore, ut mos erat, rata esset habita illius electio. Itaque vacasse dicitur Apostolica Sedes ab Anastasio unum annum, menses septem, dies septendecim: qua ratione consecratus est anno DCXL. & eodem obiit, cum post coronationem sedisset menses duos, dies quatuor, sepultusque dicitur IV. Nonas Augusti. Tandiu dilatæ ordinationis causam rejicit Baronius in negatam confirmationem ab Exarcho Ravennate, & ab ipso Imperatore Heraclio, donec electus Ectesim, quam idem Heraclius auctore Sergio promulgarat anno DCXXXVIII. non vero XXXIX. approbasset, uti docet Pagius in Vita Severini Papæ. Ectesim ipsam, idest expositionem, quam Sergius ipse composuit, Heraclii quidem nomine inscripsit, ac vulgavit, ut majorem ipsi conciliaret apud Palatinos Clericos, & apud populos auctoritatem, probavit idemmet Sergius, confirmavitque in sua pseudosynodo Constantinopolitana, & sub anathemate suscipiendam sanxit anno ipso DCXXXVIII. quo & mortuus est, in ejusque locum subrogatur Pyrrhus Chrysopolitanus Monachus, ejusdem cum Sergio particeps hæresis, & Heraclianæ Ectesis propugnator. Severini interim Papæ Apocrisarii, qui Constantinopoli tunc erant, ut ab Imperatore electi Severini Pontificis confirmationem impetrarent, variis modis tentati, ut illi assentirentur, adduci minime potuerunt. Missam eandem Ectesim ab Imperatore ad Isaacium Italiæ Exarchum, & per hunc ad Romanum Pontificem Severinum, ut eam probaret; Severinum autem una cum universo Romano Clero illam detestatum esse, & anathemate damnasse, docet ad annum DCXXXIX. Cardinalis Baronius. Eam damnationem actam fuisse in Synodo a Severino Romæ coacta, tradit Pagius loco laudato.

VIII. Interim Severinus moritur anno DCXL. die 1. Augusti, singulari pietate, & religione, benignitate, & munificentia in pauperes commendatissimus, eodemque exeunte anno, idest die XXIV. Decembris succedit Joannes IV. qui statim ac Pontifex ordinatus fuit, Concilium Romæ coegit, idest initio anni DCXLI. in hæresim Monothelitarum, & Ectesim Heraclii proscripsit. Tum de ea re scripsit ad Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum, apud eumque institit, ut Ectesis illa, sive charta publicis in locis suspensa detraheretur, ac damnaretur. Heraclius ubi comperit, Ectesim suam ab Occidentali Ecclesia, & a Romano Pontifice rejectam, ac proscriptam, scripta ad Joannem Papam Epistola professus est, non se auctorem illius fuisse, sed Sergium; ex quo Ectesis Sergii appellari cœpit: *Ectesis*, inquit in ea Epistola Heraclius, *non est mea: neque enim Ego vel dictavi, vel jussi, ut fieret. Sed cum hanc Sergius Patriarcha composuisset, ante quinque annos priusquam ab Oriente repedassem, deprecatus est me, cum ad hanc felicem pervenissem Urbem, ut nomine meo proponeretur cum subscriptione; & suscepi deprecationem illius. Nunc vero cognoscens, quod quidam super ea altercarentur, cunctis facio manifestum, quia non est mea.* Affert hanc Epistolam S. Maximus in Collatione cum Principibus, statimque hæc subjicit: *Hanc fecit jussionem ad Beatum Joannem Papam condemnantem Ectesim in his, quæ scripserat tunc ad Pyrrhum.* Ex quo constat, Joannem Papam ipso

sui

sui Pontificatus initio ad Pyrrhum scripsisse de damnata a se in Synodo Ectesi.

IX. Heraclius tandem ubi imperasset annos XXXI. infelici exitu vitam claudit anno DCXLI. die XI. Martii, confectus ærumnis animi, corporisque molestiis, ea passus, quæ pudet referre. Ei in imperio succedit Constantinus ejus filius, Princeps Catholicus, coronatus eadem, quam secum ad sepulchrum Pater corona gestavit, persoluto pretio Templo septuaginta librarum. Ad hunc Joannes Papa Epistolam, seu potius Apologiam pro Honorio Papa scribit, quæ in Collectaneis Anastasii legitur; ubi postquam Honorii doctrinam orthodoxam fuisse ostendit, invehitur in Ectasim, & Imperatorem rogat, ut eam e locis publicis, in quibus erat suspensa, deponi, ac scindi jubeat. Constantino post menses quatuor mortuo, non sine veneni suspicione, quod ipsi Martina Augusta noverca propinaverat, adjuvante Pyrro Constantinopolitano Episcopo, imperavit Heraclius alter, qui & Heracleonas dictus, Heraclii filius cum Martina matre. Sed in ordinem subinde redacti sunt, & exilio damnati, naribus Heracleonæ, Martinæ lingua Senatus decreto resectis. Horum in locum suffectus est Constantini filius, quem alii Constantem, Constantium alii, alii Constantinum nominant. Nos sequuti Theophanem, Constantem appellabimus. Qui avum potius, quam patrem æmulatus, Monothelitarum hæresim acerrime propugnavit, ac non minoribus Ecclesiam, quam Rempublicam calamitatibus affecit. Porro eodem quo Heraclius senior, & ejus filius Constantinus excesserunt anno DCXLI. Pyrrhus Constantinopolitanus Episcopus seditione populari ob Constantini necem exagitatus Constantinopoli profugit, & successorem habuit Paulum hæreticum ex Oeconomo majoris Ecclesiæ Octobri mense, ut ait Nicephori Breviarium.

X. Anno DCXLII. Joannes Papa ubi sedisset annum unum, menses novem, & dies decem & octo ex hac vita migravit die undecima Octobris, & sepultus est in Basilica S. Petri duodecima die ejusdem mensis. Tum anno eodem Theodorus natione Græcus, Theodori Episcopi filius, patria Hierosolymitanus consecratus est Papa die vigesima quarta mensis Novembris. Hic de Ectesi abolenda plurimum quidem adlaboravit, datis, teste Anastasio in Collectaneis, ad Paulum Patriarcham Constantinopolitanum Synodicis literis, quibus & Pyrrhi causam, in cujus sedem Paulus ipse subrogatus fuerat, examinari jussit. Idem scripsit ad Constantem Imperatorem de Pyrrho Romam mittendo ad causam dicendam. Pyrrhus interim, qui Constantinopoli profugus in Africam concesserat, famosam illam anno DCXLV. de Fide catholica disputationem habuit cum Maximo Constantinopolitano Abbate Orthodoxo, in Africa tunc existente. Cum enim Pyrrhus hæresim suam ubique disseminaret, adversantem sibi maxime habuit prædictum Maximum: unde exigentibus Episcopis Africæ, ipsoque Provinciæ Præfecto Gregorio Patricio, conventum est, ut iisdem præsentibus publica fieret inter eos disputatio, seu collatio; quam Græce, & Latine refert Baronius in Appendice ad Tomum VIII. eamque ex Theophane, & Anastasio fuse prosequitur ad ipsum annum DCXLV. Finis autem disputationis fuit, ut Pyrrhus erroris sui convictus, pœnitens recantarit palinodiam; Romamque accedens, oblato Fidei libello Theodoro Papæ, quo abjurabat errorem, & Fidem Catholicam profitebatur, receptus sit una cum titulo Patriarchatus in Ecclesiam Catholicam, eidemque, ut hodie fieri assolet cum cæteris Episcopis Græcis schismaticis Romam venientibus, & palinodiam recantantibus, omnia necessaria Ecclesiæ Romanæ sumptibus subministrata, ut non ex Theophane tantum, & Anastasio, sed & ex Actis ipsius disputationis constat.

XI. Verum postea cum nulla sit fides Græcis, Constantis Imperatoris jussu Olympius Exarchus Ravennam excitum Pyrrhum, ad resumendam professionem hæresis adduxit, eamque ob causam Theodorus Pyrrhum ritu quodam peculiari deposuit, & anathemate notavit: *Pyrrhus*, inquit Theophanes, *cum Roma discessisset, & Ravennam pervenisset, ut canis ad vomitum suum reversus est. Quo Papa Theodorus comperto, convocata Ecclesiæ cœtu, ad sepulcrum Principis Apostolorum accessit, & divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum instillavit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi, ac ei communicantium fecit.* Iisdem fere verbis utuntur tam Paulus Diaconus Aquilejensis in Historia, Capite XVIII. quam Auctor Libelli Synodici & sanguinis Christi ex calice in atramentum stillati meminere. Quicquid de eo ritu sit subscribendi calamo sanguini Christi intincto damnationem hæreticorum, de quo diximus nostro I. Tomo Conciliorum in Prolegomenis Cap. XXX. certum est Pyrrhum ipsum in Synodo Romana anno DCXLVIII. a Theodoro Papa congregata, anathematis, & depositionis sententia percussum fuisse, Theophane, Paulo Diacono, & Auctore Synodici libelli, ac Cardinale Baronio testibus.

XII. Sunt qui autumant Baronius, Petavius, aliique, Theodorum ipsum eandem depositionis sententiam tulisse in Paulum Patriarcham Constantinopolitanum, quod illius suasione Constans Imperator Edictum promulgaverit, quem *Typum* vocant; in quo ad sanciendam concordiam, prohibuit, nequis tam unam, quam duas in Christo voluntates, & actiones usurparet. Verum Typum nec in hac Synodo, nec post eam a Theodoro Papa damnatum, colligitur ex Anastasio, Theophane, & Auctore libelli Synodici, qui soli ex antiquis de hac Synodo Romana loquentes, ne verbum quidem habent vel de Typo, vel de Paulo in ea damnatis, sed tantum de Pyrrho. Sed & cum nullibi legatur, Theodorum post laudatam Synodum, Typum damnasse, concludendum merito est cum doctissimo Combefisio in Historia hæresis Monothelitarum, disputatione I. primam Typi damnationem Martino I. Papæ deberi, qui post Theodori obitum, qui contigit die XIII. Martii anni DCXLIX. postquam sedisset annos sex, menses quinque, dies decem & octo, in ejus locum die quinta Julii, ejusdem anni subrogatus est. Ceterum quod Paulum spectat Patriarcham Constantinopolitanum, deposuit illum quidem, excommunicavitque Theodorus Pontifex, sed extra Synodum, paulo ante quam obiisset, uti ostendit Pagius in Vita Theodori Num. XX.

XIII. Ergo Martinus I. patria Tudertinus, ubi Apostolicum Thronum conscendit, Synodum indixit mense Octobri ejusdem anni DCXLIX. celebrandam. Causa ejus cogendæ non tam fuit, ut Sergius, Pyrrhus, & Paulus Constantinopolitani Episcopi damnarentur, qui jam fuerant proscripti, quam ut recens illa ab Imperatore Constante pro-

proposita credendi formula, *Typus* dicta omnino condemnaretur, & anathemati subjiceretur. Quum enim mox ut ex usurpata illa tyrannice auctoritate Imperator Martini electioni consensisset, & quasi pro quodam gratitudinis præmio, ab eo exigere conatus esset, sui subscriptionem Typi, literis ea de re ad ipsum scriptis, ut patet ex sinceris Actis S. Audoeni Episcopi Rotomagensis, ejusmodi facinus execratus Pontifex, tantum abfuit, ut Imperatori consentire voluerit, ut potius in ipsum insurgens, Synodum indixerit, qua promulgatam ejus perfidiam condemnaret. A tam sancto proposito non solum deterreri non potuit Martinus literis Imperatoris, sed nec ipsius Olympii Exarchi præsentia, qui in Italiam ad promulgandum Typum missus, Romam veniens eo ipso tempore, quo Synodus habebatur, primo seditionem per exercitum movare tentavit, & cum frustra id fieri videret, Spatarium suum impulit, ut dum ipso Exarchus in Missarum solemniis ab eodem Pontifice communionem acciperet, eum necaret: sed excæcato divinitus Spathario, ab isto quoque imminenti periculo liberatus est Pontifex, Ipseque ei Olympius postea reconciliatur, ut tradit in ejus Vita Anastasius.

XIV. His igitur nullo modo perterritus sanctus Martinus die quinta Octobris memorati anni DCXLIX. in Ecclasia Lateranensi Synodum celebravit. Præfuit ei idemmet Pontifex, interfuerunt vero centum & quinque Episcopi, ut in ejusdem Synodi Actis habetur, constatque ex Anastasio, qui totidem Episcopos numerat, tametsi a Theophane ponantur centum & decem: qui etiam ait S. Maximum Abbatem ad Synodum illam cogendam induxisse Martinum, Id quod in rebus gestis ejusdem Maximi conscriptum habetur. In ea Synodo auditæ primo sunt variæ legationes, ac lectæ literæ tam Orientalium, quam Occidentalium Episcoporum adversus hæresim Monothelitarum, ejusque Sectatores: deinde producta quæcumque ab hujusmodi hæreticis adversus Catholicam Fidem scripta esse reperirentur, una cum Ecthesi Heraclii, & Typo Constantis, Imperatorum nomine promulgatis. Lecta sunt præcipua scripta Theodori Episcopi Pharanitani, erroris Monothelitarum principis habiti, quod ex ejus scriptis omnes, qui hæresim illam promulgarant, acceperint. His a sancta Synodo exacte discussis ad veram de Verbi incarnatione doctrinam declarandam, & ad confutandas cunctas hæreses, viginti ex doctrina sanctorum Patrum sanciti sunt Canones cum totidem anathematismis adversus eos, qui secus sentirent: damnatique tum omnes antiqui hæresiarchæ, tum Monothelitarum impietatis auctores, fautoresque præcipui, Theodorus ipse Pharanita, Cyrus Alexandrinus; & Sergius, *Pyrrhus*, ac Paulus Constantinopolitani Episcopi, una cum impiis ipsorum scriptis, necnon Ecthesi Heraclii, & Typo Constantis, ac denique omnia firmata sunt cunctorum Episcoporum subscriptionibus.

XV. Tradit hæc fere ad verbum post Baronium ad annum DCXLIX. Pagius in Vita S. Martini Papæ I. ubi etiam scite observat, prudenti œconomia erga Heraclium, & Constantem Imperatores, se gessisse Synodum, dum Ecthesim ipsam, & Typum sub eorum nomine damnare noluit, nec anathemate ferire Principes, ne schisma faceret Constans, ne hæresim promoveret, ne persecutionem inferret Ecclesiæ, ne denique spes omnis alienationis ipsius ab hæreticis eo succederetur anathemate, quo fuisset ab Ecclesia præcisus. Porro scripta est tandem a Martino Pontifice, & universo Concilio Synodalis Epistola circularis ad omnes ubique fideles de iis, quæ ibi gesta essent, ex sacris Scripturis magna industria concinnata. Non ad Episcopos modo, ac Viros illustres, sed & ad ipsum etiam Constantem Imperatorem una cum Synodo idemmet Pontifex Epistolam scripsit, sed ea moderatione, ut nequaquam ei crimini daret Typi editionem, sed Paulo Episcopo Constantinopolitano, qui suaserat; veruntamen eum monuit, una cum Orthodoxa Fide bene custodita crescere Reipublicæ statum; minui vero, cum Imperatores, & Reges pro adversariis Fidei pugnant. Epistolæ inscriptio ita se habet: *Domino piissimo, & serenissimo, Victori, Triumphatori, filio diligenti Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, Constanti Augusto: Martinus Episcopus, servus servorum Dei, & universa Synodus in hac Urbe Roma congregata.*

XVI. Constat Synodus ipsa, quam laudatus Martinus in Lateranensi Basilica cœpit celebrare die v. Octobris anni DCXLIX. quinque Secretariis, seu Consultationibus, vel Sessionibus, quarum postrema pridie Kal. Novembris absoluta est. Secretarium erat ædicula, seu camera vice Exedræ Templo, seu Ædi sacræ adjuncta, in qua Ecclesiæ ministeria recondebantur, & Sacerdotes, ac Clerici priusquam ad Sacra procederent, vestes Ecclesiasticas induebant. In iis Secretariis Synodos sæpe habitas fuisse, ex earum Actis addiscimus. Tanta autem Synodi hujus Lateranensis auctoritas est, & majestas, ut ea a S. Martino Papa, qui ipsam celebravit, in Epistola ad Amandum postea data, *Concilium generale* nominetur, & post quinque Synodos generales in professionibus Fidei a Romanis Pontificibus olim fieri solitis memoretur. Hinc in libro diurno Romanorum Pontificum, Cap. II. Tit. IX. ubi tres formulæ earundem professionem recensentur, in tertia, quæ post ordinationem a Pontifice Romano fiebat, non solum Pontifex ipse confitetur, se quinque Synodos generales, ac præterea *Sextam nuper*, ut ibi dicitur, congregatam custodire, sed etiam cuncta Decreta Pontificum Apostolicæ Sedis, *præsertim, quæ a sanctæ memoriæ Martino, universali Papa, ad confirmationem prædictarum quinque Synodorum definita sunt, atque decreta*. Quare usus adjiciendi confessionem Synodi Lateranensis sub Martino, post assertionem quinque universalium Synodorum, etiam post Sextam Synodum Oecumenicam, de qua in præsenti agimus, promulgatam, duravit quamdiutissime.

XVII. Sed ut ordinem historiæ prosequamur, ubi Constans Imperator novit, Monothelitas, & Typum suum in Synodo Romana a Martino Papa damnatos, eum Urbe pellere statuit, atque in exilium relegare; ne autem, ut post Baronium ad annum DCL. narrat Pagius in Vita Martini Papæ, Num. XI. apud Christianos tyranni, & persequutoris, sive hæretici nomen consequeretur, causas effinxit, quibus ejus exilio & neci speciosum colorem inderet. Plura igitur conductis testibus ipsi objecit crimina. I. quod mutasset traditam a majoribus fidem. II. quod adversus Romanum Imperium aliquid molitus esset cum Sarracenis, III. quod contra Genitricis Dei Mariæ cultum nescio quid esset loquutus. IV. denique, quod irregulariter contra Canones in Pontificiam Sedem intrusus fuisset. Hisce adversus eum confictis cri-

criminibus, Calliopas Italiæ Exarchus, qui defuncto nuper Olympio successerat, anno DCLIII. ut voluntatem Imperatoris exequeretur, Romam cum Theodoro Cubiculario venit, & cum militari manu Lateranensem Basilicam, ac Palatium ingressus est, nihilque veritus loci sanctitatem, sed nec Cleri Romani magnitudinem animi, pro sui defensione Pontificis diro anathemate præsentes ferientis adversarios, Martinum haud renuentem, imo & rem armis a suis agi omnino prohibentem ab eadem Ecclesia exturbavit, & corpore licet ægrum, podagræque doloribus afflictatum, *nocte, quæ illucescit in feria quarta, quæ erat decimotertio Kalendas Julias, circa horam quasi sextam noctis*, ut ipsemet Martinus in Epistola ordine xv. ad Theodorum scribit, de palatio eductum ad portum Romanum duxit.

XVIII. Anno itaque DCLIII. die xix. mensis Junii, qui in feriam quartam inciderat, S. Pontifex navi impositus est. Qui in Naxo insula annum integrum detentus, demum anno DCLIV. die xvii. Septembris Constantinopolim est perductus. Quo etiam anno, Paulo hæretico Patriarcha mortuo, cujus ope Martinus Constantinopoli morti ereptus fuerat, Pyrrhus ei subrogatus, menses quatuor sedem illam obtinuit, atque in hæresi mortuus est, in ejusque locum substituitur Petrus eadem hæresi infectus. Martinus interim indigne, ac crudeliter habitus, anno DCLV. Constantinopoli Chersonam relegatur ipso die Cœnæ Domini, idest die xxvi. Martii: pervenit autem in eam insulam Idibus Majis, ubi eodem anno, die S. Euphemiæ, idest xvi. Septembris, ærumnis, & inedia confectus, Martyrii coronam percepturus, migravit in Cælum. Testatur hæc quidem Auctor historiæ exilii S. Martini in Collectaneis Anastasii. Porro per idem tempus Maximus Monachus ingens Orientalis Ecclesiæ columen, gloriosis contra Monothelitarum hæresim perfunctus laboribus ab hæretico Imperatore Constante dirissime vexatus est. Nam diuturno exilio, & squalore maceratus, tandem verberibus concisus est, & lingua, dextraque manu abscissa, in Lazicam deportatus, ibidem beatam animam Deo per Martyrium reddidit, anno ipso DCLV. die Sabbati xiii. Augusti, ut ipse prædixerat, uti in eisdem Anastasii Collectaneis videre est.

XIX. Interim Martino succedit in Apostolicam Sedem Eugenius, qui postquam sedisset annos duos menses octo, dies viginti quatuor, ut legitur apud Anastasium, die secunda mensis Junii anni DCLVII. obiit. Ex quo patet, Anastasium Pontificatus ejus initium desumpsisse non a morte S. Martini, sed a die viii. mensis Septembris, anni DCIV. qua vivente Martino, & consentiente ordinatus est Pontifex Maximus. Eugenio succedit Vitalianus, qui postquam frustra conatus est ad Catholicorum partes trahere Imperatorem, cujus etiam munera S. Petro oblata, Evangeliorum scilicet Codicem aureis literis scriptum, & gemmis pretiosissimis ornatum respuit, ipsumque etiam postea Imperatorem, quem anno DCLXIII. Romam venisse Anastasius refert, ubi postquam duodecim dies mansit, nullumque agens Fidei negotium, sed pretiosa quæque tum in Urbe, tum in locis aliis in Italia expilans, Siciliam perrexit, ibique usque ad annum DCLXVIII. commoratus, die tandem xvi. Septembris ejusdem anni per insidias occisus est; ejusque filius Constantinus cognomento Pogonatus, idest Barbatus in augustam dignitatem succedit, pius, & Catholicus Princeps.

XX. Pertinet ad narrationem hujus historiæ tempus mortis tum aliorum Romanorum Pontificum, tum Constantinopolitanorum Antistitum hoc loco describere. Itaque Petro Constantinopolitano Patriarcha hæretico, quem superius Pyrrho successisse diximus, anno DCLXVI. mortuo, Thomas ei subrogatus est, & huic anno DCLXVIII. aut insequenti Joannes; quo anno DCLXXIV. vita functo, Constantinus Patriarcha renunciatus est. Fuisse tres istos Patriarchas Orthodoxos, scilicet Thomam, Joannem, & Constantinum, constat quidem ex Actione xiv. hujus sextæ Synodi, in qua dicuntur *in omnibus immaculati, & irreprehensibiles circa rectam Christianorum Fidem*. Licet enim fuissent ab hæreticis ordinati, non propterea reprobati sunt, ut ait S. Tharasius Actione II. ejusdem Synodi. Quæ omnia ab Auctore Criticæ Baronianæ suis annis probata sunt. Sedente Joanne Patriarcha, Vitalianus Romanus Pontifex ad Deum migravit, anno scilicet DCLXXII. die xxvii. Januarii. Tum ei succedit Adeodatus, & huic anno DCLXXVI. die xxvi. Junii defuncto, Donus, qui obiit die x. Aprilis anno DCLXXVIII. Quod autem Sedem Constantinopolitanam spectat, Constantino Patriarchæ anno DCLXXVI. defuncto Theodorus Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ Syncellus, & Vasorum custos succedit, fuitque nequissimus Monothelita: qui junctus Macario Antiocheno pariter hæretico, apud Constantinum Imperatorem omnem operam adhibuit, ut Vitaliani nomen e Diptychis eraderetur. Id quod constat ex Epistola Constantini ad Donum Papam, quam legere est apud Pagium in Vita Vitaliani Num. xiii. qui etiam addit Num. xiv. acquievisse tandem ei petitioni Imperatorem, ne iterum scissuras Ecclesia pateretur, dum futuræ pacis, atque unionis spes non modica irradiabat.

XXI. At vero tametsi id aliquando Constantinus pro bono pacis egerit, negari tamen non potest, fuisse ipsum Orthodoxæ Religionis amantissimum; ut enim domesticam, ac veluti hæreditariam maculam deleret, egit quidem cum Dono Romano Pontifice, uti constat ex ejusdem Imperatoria literis ad Donum missis, deinde cum Agathone ejus successore, uti liquet ex memorati Pontificis Epistola ad Constantinum Augustum, & fratres ejus Imperatores, Heraclium, & Tiberium, de Oecumenica Synodo cogenda Constantinopoli, præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis. Annuit Agatho Pontifex Imperatori, suamque adhibuit auctoritatem, habitaque anno DCLXXIX. Romæ Synodo cxxv. Episcoporum adversus Monothelitas, Legatos, qui ejus nomine præessent, quatuor misit, Theodorum, & Georgium, Presbyteros, Joannem Diaconum, & Constantium Subdiaconum: datis ad Imperatorem, & ad Synodum egregiis, atque eruditissimis literis, quibus orthodoxam fidem, clarissimis sacrarum Scripturarum, Patrumque sententiis, ac traditionibus explicabat. Convenerunt in eam Synodum non modo prædicti Legati Agathonis Pontificis, sed & alii quoque memoratæ Romanæ Synodi nomine, Joannes Episcopus Portuensis, Abondantius Paternensis, & Joannes Rhegitanus, sive Rhegiensis, & cum eis etiam Theodorus Presbyter loco Theodori Ravennatis Episcopi.

XXII. Siquis autem hic roget, cur præter Agathonis Legatos, alii quoque nomine Romanæ Synodi in nostram hanc Synodum directi fuerint, & qui-

& quidem juxta Constantini Imperatoris petitionem, uti constat ex ejus Epistola ad Georgium Constantinopolitanum Patriarcham, eam hujus disciplinæ rationem fuisse putat Lib. v. *De concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. vi. Petrus de Marca, quod cum Romana Sedes invidia laboraret apud Orientales ob damnatos in Synodo Martini Papæ propter novam hæresim Patriarchas Orientis, ut major fides Legatis Apostolicæ Sedis adhiberetur, Constantinus prudenter exegit, ut Legati quoque Concilii Occidentalis, veritatem fidei assererent; præsertim cum Synodus Apostolicæ Sedis non ex solis Italiæ Provinciis constaret, sed etiam ex variis Conciliis Provinciarum, quæ sitæ erant in Regnis ab Imperio alienis, Francorum scilicet, Britannorum, Gothorum, & Longobardorum. Notat præterea idem de Marca horum Legatorum distinctionem observatam esse in subscriptionibus Concilii, in quibus primus honor delatus est Legatis, qui Agathonis vices gerebant: subscripserunt secundo loco Patriarchæ Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, vel eorum Vicarii: deinde tres Metropolitæ, Thessalonicæ, Cypri, & Ravennæ: post hos subscribit Joannes Portuensis Episcopus *Legatus totius Synodi sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ Urbis Romæ*. Postea Stephanus Episcopus Corinthius, & Basilius Episcopus Gortynæ Cretensium insulæ, quorum primus titulo Legati Apostolicæ Sedis se ornat, alter titulo Legati Concilii Romani, quem quidem deinde Abundantius, & Joannes Legati ipsius Concilii sequuntur.

XXIII. Jam non solum Romæ Concilium celebravit Agatho centum vigintiquinque Episcoporum, uti dictum est, sed etiam jussit, ut in variis regionibus Synodi congregarentur, quibus Monothelitarum hæresis damnata est in Italia, Galliis, & Anglia, ut ex laudatis ejusdem Agathonis ad Imperatorem literis constat. Ut autem alias omittam Synodos, celebrata est quidem Mediolani Synodus in causa Monothelitarum anno DCLXXIX. eique præfuit S. Mansuetus Mediolanensis Antistes. Cum enim monuisset Agatho Papa, in ipsa Monothelitarum causa universale futurum esse Concilium, ideoque necessarium videri, ut omnes Italiæ Episcopi particularibus habitis Synodis eandem causam inquirant, & decidant, suamque decisionem ipsi postea, vel per literas cæteris Oecumenici Concilii Patribus exponant; paruerunt quidem Insubres Episcopi, & habito isto Mediolani Concilio, Monothelitarum hæresim condemnarunt, Fideique orthodoxæ professionem ediderunt; cum plerique eorum ætate, morbo, vel obicibus aliis impediti ad Oecumenicum Concilium Constantinopolim venire non possent, Synodalem Epistolam ad Costantinum Augustum mittendam esse censuerunt, ut saltem scripto suffragio suo perniciosam condemnarent hæresim, quam præsentes anathematizare nequirent. Extat ea Epistola Tomo vi. Conciliorum, quam non a Mansueto Mediolanensi Episcopo, sed a Damiano Episcopo Ticinensi scriptam esse testatur Paulus Diaconus Lib. vi. *De gestis Longobardorum*, Cap. iv. his verbis: *Eo tempore Damianus Ticinensis Episcopus sub nomine Mansueti Mediolanensis Archiepiscopi hac de causa satis utilem, rectaque Fidei Epistolam composuit, quæ in præfata Synodo* (Oecumenica vi.) *non mediocre suffragium tulit.*

XXIV. Quod vero nostram hanc Synodum Oecumenicam sextam spectat; præter Legatos Apostolicæ Sedis, & Concilii Romani, ac Patriarchas Orientis, vel ejus Vicarios, Episcopi quamplurimi interfuerunt, de quorum numero non satis convenit apud Scriptores. Photius in libello de Synodis centum & septuaginta; Paulus Diaconus loco citato, & Anastasius in Agathone, centum quinquaginta; Theodorus Balsamon, centum septuaginta unum; Theophanes, & Cedrenus ducentos octoginta novem numerant, sed postremæ Synodali Actioni centum tantum sexaginta sex subscripti reperiuntur. Interfuit etiam Constantinus Pogonatus Imperator, & aliqui Magistratus ab ipso delecti. Unde dicitur Concilium celebratum *Præsidente piissimo, & Christo amabili magno Imperatore Constantino*. Licet enim ei præfuerint Apostolicæ Sedis Legati, qui vices gerebant Agathonis Romani Pontificis Maximi, quodam tamen sensu dici potest præfuisse Religiosissimum Principem, & defensorem Fidei, & ordinis judiciorum custodem, non vero, ut Judicem controversiarum Fidei. Magistratus vero, qui passim in Synodo nominantur Judices gloriosissimi, adfuerunt, ut conservatores essent Synodi, ac libertatis partium. Sed de hac re, vide quæ diximus nostro i. Tomo hujus Operis in Prolegomenis, Cap. xi. & xv.

XXV. Hisce omnibus prænotatis cœpta est tandem haberi hæc nostra Synodus Sexta Oecumenica Constantinopoli die vii. mensis Novembris, anno DCLXXX. in Trullo, seu in Palatii, vel Basilicæ Secretario, quod cognominatum est Trullus. Quam vocem in eo quod ad ædificium aliquod pertinet, dictam reperimus tam in fœminino genere, quam masculino pro sublimi fornice desuper in altum porrecto, & in rotundum concamerato, quem nos Itali *Cuppulam* appellamus. Quod in hujusmodi itaque ædificio habita Synodus fuerit, idcirco vocata est passim Trullana. Illud autem ædificium, ubi Patres convenerunt, Anastasius in Agathone *Basilicam*, & in Leone II. *Palatium* nuncupat. Quicquid autem de ea voce sit, quam scite explicat Carolus Dufresne eruditissimus in sua Constantinopoli Christiana Lib. iii. ubi describit Ædem S. Sophiæ, Sessio, sive Actio i. Concilii, quæ cœpta est die vii. Novembris, ita quidem disposita fuit, sicut in Concilio Chalcedonensi, nempe ut loco medio Synodi ex antiqua consuetudine Sacrosanctis Dei Euangeliis super sedem ornatam positis, Christum ipsum repræsentantibus dato, digniori loco a sinistris sederent Apostolicæ Sedis Legati, a dextris vero Georgius Constantinopolitanus Episcopus, Macarius Antiochenus, ac Petrus Presbyter, & Monachus, Legatus Sedis Alexandrinæ; Georgius vero Presbyter item ac Monachus, pro Sede Hierosolymitana Legatus a parte læva post Legatos Apostolicæ Sedis, & alios, qui nomine Romanæ, vel Occidentalis Synodi directi fuerant. Sed de hujusmodi Sessionis ordine dictum est satis nostro i. Tomo Conciliorum, ubi ostendimus locum sinistrum apud Græcos, dextro esse digniorem. Nam & quod iidem Apostolicæ Sedis Legati in hac Sexta Synodo primi sententiam dixisse reperiuntur, primi item subscripsisse, aliaque id genus egisse, vel ex iis abunde intelligitur, primarium illis delatum esse honorem, more Majorum.

XXVI. Sessione ita disposita, Apostolicæ Sedis Legati aggressi loqui, sui adventus causam edocuerunt, questique sunt de eo, quod quatuor Constanti-

stantinopolitanæ Sedis Episcopi, nempe Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, itemque Cyrus Alexandrinus, atque Theodorus Episcopus Pharanitanus novam induxissent hæresim in Ecclesiam de una in Christo Domino voluntate, & operatione, petieruntque narrari causam erroris, & originem. Itaque jubente Imperatore, causam ab adversa parte reddit Apostolicæ Sedis Legatis coriphæus ejus Sectæ Macarius Antiochenus Episcopus, & cum eo alii pro Sede Constantinopolitana causam agentes responderunt, nullam a se novitatem introductam, sed ea potius prolata esse, quæ a sacris Synodis, & sanctis Patribus essent accepta. Quibus auditis, Imperator cum dixisset, non passurum se in Synodo residere, nisi quæ proposuissent, omnia probarent, id Macarius pollicitus est præstare, atque ita in hac prima Actione habita die septima mensis Novembris, quam in duabus sequentibus Actionibus die decima, & decimatertia mensis celebratis, de quibus nonnulla infra dicemus, Cap. III. nihil aliud actum est, nisi quod lecta sunt trium Oecumenicarum Synodorum Acta, videlicet Ephesinæ, Chalcedonensis, & Quintæ, quæ fuit secunda Constantinopolitana generalis Synodus, ad cujus initium eam commentitia quædam Mennæ Constantinopolitani Episcopi ad Vigilium Epistola legeretur, in qua dicebatur, unam in Christo voluntatem esse, hanc supposititiam esse, & Monothelitarum fraude Actis insertam, ex eo probarunt Legati, quod sex annis ante Quintam Synodum sub Vigilio habitam Mennas ille ex hac vita migrasset.

XXVII. In Actione IV. quam Acta Synodalia factam ajunt die XV. Novembris, duæ dogmaticæ Epistolæ, quarum altera Agathonis Papæ, altera Concilii Romani erat, a capite usque ad calcem lectæ fuerunt, in quibus solide ostenditur, duarum in Christo Domino voluntatum, atque operationum esse omnino Euangelicum, atque Apostolicum, unius autem voluntatis, atque operationis commentum esse novitium a solis hæreticis excogitatum. Utraque omnino legenda est doctissima æque, ac sanctissima Epistola, quarum posterior hanc habet Epigraphen: *Fuit velut instructio Legatorum, qui missi sunt ad Sextam Synodum celebrandam*. Confirmat enim cuncta Romanæ sub S. Martino Papa Synodi Acta, Theodorum Pharanitanum, Sergium, Cyrum, Pyrrhum, & Paulum denuo damnat, additque & Petrum Patriarcham, alium neminem volens a Synodo præsenti damnari. Prolixa est utraque Epistola, ideoque earum lectio quartam hanc Actionem complevit, ubi post Episcoporum subscriptiones, Constantinus piissimus Imperator dixit: *Sufficiunt quæ hodierno die relecta sunt: Macarius vero venerabilis Archiepiscopus Antiochiæ, & qui cum eo sunt, in altero secretario, testimonia Patrum, quæ jam polliciti sunt, proferunt*.

XXVIII. Ergo in V. & VI. Actione, quarum altera die septima mensis Decembris, altera vero non duodecima die Decembris, anni DCLXXX. ut non bene inter alios notat Binius, sed die duodecima Februarii anni sequentis, idest DCLXXXI. celebrata est, Macarius Episcopus Antiochenus duos edidit Codices, quibus, ut asserebat, de unica in Christo volontate, & operatione testimonia continebantur; quibus perlectis, decretum fuit, ut reliqua testimonia si quæ haberet, sequenti Actione produceret. Dum igitur ipsa die XII. Februarii sexta Sessio haberetur, Macarius reliqua testimonia ad suum errorem confirmandum tertio Codicillo collecta edidit; cumque una cum suis assoclis rogaretur, num plura vellent Patrum testimonia iis, qui in Codicillo allegabantur proferre, & respondissent, nolle; ita interloquutus est Princeps: *Tres Codices qui prolati sunt a parte venerabilis Macarii, sigillentur tam a gloriosissimis Judicibus, quam a parte Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ, necnon a parte sanctæ Sedis hujus sanctissimæ magnæ Ecclesiæ*. Addunt Acta, sigillatos fuisse Codices, ne videlicet ulla fraus fieri posset, aut factæ fraudis calumnias Macarius obtendere; sed intercessisse Legatos Romanos, omnesque eorum comites Clericos, ac Monachos, ajentes, adversariorum testimonia detruncata esse, simulque petentes decerni, ut ad imposturam hæreticorum, ac fraudem detegendam authentici Codices ex Patriarchio Constantinopolitanæ Ecclesiæ afferantur. Ad quæ respondit Imperator: *In subsequenti eorum prolatio fiat*.

XXIX. Actione VII. die decima tertia Februarii habita, Legati Sedis Apostolicæ obtulerunt Codicem testimoniorum ex sanctis Patribus desumptorum, quibus duæ voluntates, & operationes in Christo asserebantur. Quem Codicem accipiens Stephanus Religiosus Presbyter, & Monachus Monasterii, quod cognominatur Domus Arsicia, unus existens partis Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ, ut ajunt Acta, relegit ab initio usque ad finem, tum sanctorum, ac probabilium Patrum testimonia, quam prophanorum hæreticorum. His auditis, petitione Georgii Constantinopolitani, & Macarii Antiocheni jussum est, ut loca citata cum Codicibus Patriarchii conferantur, & an Latina Exemplaria cum Græcis consona sint, in præsentia plurium exploretur; & ne fraus committi posset, oblatus testimoniorum Codex signatus est: *Piissimus Imperator Constantinus dixit: Citra dilationem, quod postulatum est, fiat. Prolatus autem Codicillus a præsentantibus locum sanctissimi Papæ Romæ sub signaculis tam gloriosissimorum Judicum, quamque utrarumque partium, fiat ad instar Codicillorum, qui a Macario Deo amabili Archiepiscopo Antiochiæ oblati sunt. Et signatus est*. Deo amabilis, itemque Sanctissimus, tituli erant Episcoporum, eisque, aliisque id genus in hac Actione, & in aliis quoque ornatus fuit Macarius Antiochenus Episcopus, hæreticus quidem, sed nondum damnatus.

XXX. Die septima mensis Martii habita est Actio octava, in qua Georgius Constantinopolitanus, aliique Episcopi complures, qui testimoniorum collationi cum authenticis Exemplaribus factæ interfuerant, retulerunt se loca Patrum in Codice Legatorum Sedis Apostolicæ pro duabus voluntatibus, & operationibus Christi allegata fideliter cognovisse, eaque authenticis Patrum voluminibus plane consona reperisse. Addunt mox, se hac motos occasione cum sanctis Patribus de gemina Christi volontate, & operatione sentire, ac credere, desertaque Monothelitarum perfidia, Fidem orthodoxam profiteri, quasque direxerat Agatho Papa suggestiones, tamquam ex Spiritu Sancto dictatas, per os sancti, ac beatissimi Apostolorum Principis Petri, & digito ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas, suscipere, & amplecti. Post hæc Theodorus Melitenus Episcopus obtulit acceptum, ut ille dicebat, a Stephano Abbate Macarii discipulo Libellum, quo continebatur, nihil in Fide decernendum, præter ea, quæ in

san-

fanctissimis Conciliis decreta essent, & quod sufficeret in duabus naturis unam operationem confiteri, ideoque de duabus voluntatibus in Christo tacendum esse videri. Cum post factam suffragiorum collationem ille ab Imperatore interrogatus, unde Libelium accepisset, iterumque Stephanum Abbatem discipulum Macarii nominasset, atque adeo ipsum, reliquosque Macarii discipulos de Monothelitarum hæresi sugillasset, exurgentes ipsi discipuli contestati sunt, Theodorum Melitenum Episcopum esse mentitum, seque paratos esse Fidem Catholicam profiteri. Quod ut facerent sequenti IX. Actione per Decretum Synodi illis mandatum fuit.

XXXI. Exinde Macarius duas in Christo Domino naturales voluntates, & operationes, atque dogmaticas Romanæ Ecclesiæ literas profiteri rogatus, & monitus, pertinaciter renuit. Recitata sunt loca Patrum a Macario collecta, in quibus false affirmabat, unicam in Christo positam esse voluntatem. Sed cum inter legendum animadvertissent Patres, veternosum hæreticum sanctorum Patrum sententias Divinæ voluntati competentes, Christi personæ attribuisse, recitatisque intercisis Patrum testimoniis, eorundem sensum depravasse, dixit offensa Synodus: *Non congruit Orthodoxis ita circumtruncatas Sanctorum Patrum voces deflorare: hæreticorum potius proprium hoc est.* Sed audi effrontis Macarii responsum: *Quærens stabilire intentionem meam, hoc modo defloravi.* Ad quæ verba exclamavit Synodus: *Hæreticum seipsum manifeste demonstravit. Novo Dioscoro anathema. Hujusmodi deponatur. Novum Dioscorum foras mitte. Novo Apollinario malos annos. Merito ab Episcopatu alienetur. Nudetur circumposita ei pallio.* Fuitque denudatus, ut Synodi Acta testantur, quibus adde Anastasii Bibliothecarii testimonium, qui ita eam rem exponit: *Commonitus Macarius quid sentiret, vel crederet, respondit se in ea perfidia, quam ante proposuerat, perdurare, & nullatenus Orthodoxæ Fidei acquiescere. Ea hora sancta Synodus una cum Principe, ejus Orarium auferri jusserunt a collo ejus, & exiliens Basilius Episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus Orarium abstulit, & anathematizantes projecerunt eum foris Synodum, simulque & Thronum ejus.* Erat ia antiquus ritus degradandi Episcopos, de quo vide Commentarios nostros ad tertiam Partem Romani Pontificalis.

XXXII. Tandem Actione nona die sequenti habita, idest octava Martii die, sententia depositionis tam in Macarium, quam in Stephanum Abbatem ejus discipulum prolata est, & exequuta: *Tu Stephane*, inquit Synodus, *& tuus Magister Macarius non ostendistis unicam voluntatem in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri per Codicillum a vobis oblatum; sed & duas voluntates in testimoniis in eodem Codicillo positis invenimus aperte, clamante Athanasio laudabili, quamvis detruncata, & obcelata sint, juxta quod soliti estis, eadem testimonia, quæ perverse interpretantes protulistis. Definivimus igitur, postquam aperte approbati estis ad subversionem divinorum dogmatum festinare, & sanctorum, ac probabilium Patrum doctrinas corrumpere, & hæreticorum magis assumere, & quæ ab eis dogmatizata sunt, sectari ad contagium orthodoxæ plebis, ab omni vos Sacerdotali dignitate, & ministerio alienos existere.* Episcopis & Clericis, qui errorem abjuraverant, servata est dignitas ea lege, ut Fidei libellos cum jurejurando Synodo offerrent: *Eos autem*, inquit, *qui jam pœnitentiam egerunt, & superius nominatos tam Episcopos, quam Clericos, qui & nunc in medio assistunt, & recte una nobiscum confitentur, prævidimus quidem in propriis locis residere. Libellos autem, quos promiserant, propriæ eorum fidei, cum jurejurando in subsequenti nobis offerent.* Responderunt illi: *Parati sumus in subsequenti rectæ nostræ fidei cum jurejurando Libellos offerre.* Est antiquus Ecclesiarum mos, ut hæretici, hæreseosve suspecti in scriptis jurejurando firmatis errores coram sacro Euangelii Codice, ac sancta Cruce abjurare. Quocirca memorati Episcopi, qui hæresis suspicionem incurrerant, & pœnitentiam egerunt, usque ad juratam in scripto professionem a Synodali consessu, & suffragio fuerunt suspensi.

XXXIII. Actione decima, die decima octava Martii celebrata, Constantino Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono postulante, legi, examinari, & cum authenticis Codicibus conferri reliqua sanctorum Patrum testimonia a Macario, ac ejus discipulo deflorata; itemque audiri, & recipi pœnitentiæ, ac fidei libellos a Petro Nicomediensi, reliquisque Episcopis, & Clericis jam superius reconciliatis: respondit Synodus, & Imperator, conferri primum Romanum Codicem cum Libris Patriarchii Constantinopolitani: fuitque in omnium consessu cognitum, probatum, & declaratum, Patrum testimonia in eo Romano Codice contenta, cum Græcis Codicibus in omnibus convenire, prorsusque iisdem consentire. Lecta sunt autem non modo Patrum testimonia, duas in Christo Jesu Domino nostro voluntates, & operationes asserentium; verum etiam testimonia hæreticorum, qui unam in Christo voluntatem, atque operationem temere asserebant. Lecta est postea Petri Nicomediæ Episcopi palinodiam cantantis confessio, omniumque judicio approbata. Deinceps vero petitum fuit a Theodoro Hierosolymitanæ Ecclesiæ Legato, ut legerentur Synodica Sophronii Hierosolymitani ad Sergium Constantinopolitanum, & ut definiretur, *utrum orthodoxa sint, an non.* Responderunt Synodus, & Imperator: *In sequentibus horum prolatio, atque lectio proveniat.*

XXXIV. Habita est die vigesima Martii Actio undecima, in eaque juxta petitionem Theodori Hierosolymitani, lecta est Synodica illa Epistola Sophronii ad Sergium, quæ cum omnium judicio approbata fuisset, ad hæresim Macarii, ejusque discipuli magis publicandam, & confundendam, utriusque scripta blasphemiis plena recitari mandatum fuit. Sed dum vix ad medium ventum esset, lectio eorum interrupta est, & prohibita, eo quod metueretur, ne horrendæ blasphemiæ, & portentosi, quos continebat, errores, auditoribus noxii forent. Judicatum quoque & illud fuit, non abs re futurum, si in detestationem hæresis Monothelitarum, ex scriptis Macarii, blasphemiæ illius exciperentur, collectæque in unum cum aliis blasphemiis hæreticorum, qui recensiti sunt in Epistola Agathonis, conjungerentur. Inter alias blasphemias exceptus est ille locus, quo illa veterem Monothelitarum calumniam resuscitans, Honorium in suas partes attrahere conatus fuit. Sane conclusit Actionem Imperator hac interlocutione: *Quia in Christo amabilis nostræ Reipublicæ causis*, utique bello adversus Bulgaros, ut notat Lupus, *occupamur, jubemus, Constantinum, &* Ana-

Anastasium gloriosissimos Patricios, Polyeuctum quoque, & Petrum, gloriosos exconsules, ex persona nostra pietatis, cum Sanctis, & universali Concilio vestro in reliquis conventibus inveniri, postquam præsentis causæ plurima, & præcipua coram nostra pietate jam peracta sunt. Atque hæc fuit ultima Synodi Actio, quam Constantinus Imperator præsentia sua honoravit; reliquis enim Actionibus minime interfuit, excepta postrema Synodi Actione decima octava, de qua infra suo loco dicetur.

XXXV. In Actione duodecima, facta die vigesima secunda Martii, missæ sunt ab Imperatore chartæ quædam ad Synodum, quas a Macario acceperat, quasque Synodus partim jam legi audierat, partim sprevit, ut lectu superfluas, ideoque per Antiochum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lectorem, ac Notarium legi sibi jussit literas Sergii Patriarchæ Constantinopolitani ad Cyrum Phasidis Episcopum, atque dum ipse Antiochus legere voluit sermonem acclamatorium Mennæ Patriarchæ ad Vigilium Pontificem, & hujus literas ad Justinianum Imperatorem, ac Theodoram Augustam, Synodus, & gloriosissimi Judices intercessere, ajentes, ea cuncta esse convicta spuriæ suppositionis, ideoque lectu indigna. Lectæ itaque sunt Sergii Patriarchæ ad Honorium Papam, & Honorii ad Sergium, & cum ipsis originalibus, quæ in Patriarchio Constantinopolitano asservabantur, collatæ fuerunt. Quibus simul consentientibus, rursus a sancta Synodo est declamatum in Macarium, velut indignum, qui amplius ad confessum Synodi admittatur. Porro ille degradatus, & cum suo Throno e confessu ejectus, uti superius dictum est, custodiebatur in quadam Patriarchii cella. Rogantibus autem Gloriosissimis Judicibus, an pœnitens ille *in propria sede restituendus sit*; respondit Synodus: *Juste & regulariter a Pontificali habitu denudatum nullatenus divina Regula suscipit in Doctoris sede residere, ne ex hoc propriæ suæ hæreseos multo amplius recrudescere faciat intelligentiam, & fiant novissima illius pejora prioribus*. Petentibus tandem Episcopis, & Clericis Antiochenæ Sedi subjectis alium loco Macarii Episcopum ordinari, responderunt Judices gloriosissimi, eam rem in proxima Actione esse tractandam.

XXXVI. Convenientibus Patribus ad Actionem decimam tertiam, quæ celebrata est die vigesima octava Martii, lata est ab iis sententia in hæreticos Monothelitas, nominatimque adversus Sergium, Pyrrhum, Petrum, & Paulum, Episcopos olim Constantinopolitanos, necnon contra Cyrum Alexandrinum, & Theodorum Episcopum Pharanitanum. Cum his damnatus est & Honorius Papa, non quidem, ut hæreticus, sed ut hæreticorum fautor; de qua re peculiari Capite disseremus post historiam hujus Synodi. In hac eadem Actione lectæ sunt, secunda Honorii Papæ ad Sergium Epistola, & Epistola Pyrrhi Constantinopolitani ad Joannem IV. Pontificem Maximum, quæ ambæ visæ sunt in impietatem Monothelitarum concurrere, ideoque coram Synodo igni traditæ. Perlectæ pariter sunt Epistolæ Synodales Thomæ, Joannis, & Constantini, olim Patriarcharum Constantinopolitanorum, qui Petro Monothelitæ successerant, in quibus cum nihil Orthodoxæ Fidei contrarium inventum sit, Synodus dixit: *Nos sanctæ memoriæ tres viros, idest, Thomam, Joannem, & Constantinum prævidimus in identitate manere, atque in sacris diptychis sanctarum Ecclesiarum recitari, utpote qui in omnibus immaculati, & irreprehensibiles inventi sunt circa rectam nostram Christianorum Fidem*.

XXXVII. Actione decima quarta, die secunda Aprilis habita, lecti sunt Libelli Mennæ Patriarchæ quondam Constantinopolitani ad Vigilium Papam, & Vigilii ad Justinianum Imperatorem, & Theodoram Augustam Epistolæ: quas Apostolicæ Sedis Legati exclamaverunt, non esse Vigilii, & falsatum esse Librum gestorum Quintæ Synodi. Quare cum examinarentur Codices ejusdem Synodi Quintæ, in quibus Epistolæ illæ Vigilii extabant, constitit, illas olim desideratas fuisse in antiquis, additosque non ita multo ante fuisse tres quaterniones novos in initio Synodi: in septima vero illius Synodi Actione, in qua continentur duæ illæ Vigilii Epistolæ, mutatum fuisse quintum decimum quaternionem, adjectumque quadrifolium non superscriptum ante decimum sextum quaternionem; in quo feruntur duo Libelli, seu Epistolæ Vigilii. Quamobrem Patres decrevere, chartaceum volumen, quod falsatum erat, cassari in locis, in quibus adjectiones erant factæ, & anathema dixerunt Libellis, qui dicebantur scripti fuisse a Vigilio ad Justinianum, & Theodoram. Verum, ut inquit Baluzius in nova Collectione Conciliorum Tomo I. in Præfatione ad Acta Quintæ Synodi, & post eum Pagius in Vita Agathonis Papæ, Num. XIX. ubi hanc Actionem nostræ hujus Sextæ Synodi enarrat, hæc Epistolis illis Vigilii auctoritatem minime abjudicant; non enim falsæ illæ dicuntur, sed falsatæ, & corruptæ ab iis, qui testimoniis illarum abuti volebant, ad confirmandam opinionem suam de una in Christo voluntate, & operatione. Et hæc est ratio, cur fuerint falsitatis accusatæ, quod scilicet ea pars, in qua de una Christi operatione agebatur, a Monothelitis addita erat. Plura de hac re videri possunt apud laudatum Baluzium.

XXXVIII. Quod Actionem spectat decimam quintam, celebratam die vigesima sexta ejusdem mensis Aprilis, Polichronius Presbyter, & Monachus, Macarii Antiocheni, & Stephani Abbatis discipulus, in confessum vocatus, & interrogatus de Fide, non solum se Monothelitam, sed & præstigiatorem, & publicum impostorem prodidit. Is enim chartulam, in qua scripta erat hæc propositio, *Qui non confitetur unam voluntatem, & unam Dei virilem operationem, non est Christianus*, super mortuum poni postulavit, spondens illum se suscitaturum, ut fidei suæ veritatem comprobaret, quam cælestibus visionibus jam confirmatam mentiebatur. Cum autem ejusmodi miraculi pollicitatione magnam populi multitudinem post se traxisset Polychronius, coacta est Synodus ne fidei sacramentum, & dogma levissimi hominis petulantia in discrimen adduceretur, eam conditionem licet indignam subire. Præsentibus itaque Patribus, gloriosissimis Judicibus, plurimoque populo, *idem Polychronius*, ajunt Acta, *posuit supra ipsum mortuum hujusmodi fidei suæ chartulam, perque plures horas perseverans, & insusurrans ei, nihil horum, quæ ab eo stolide, ac blasphemæ promissa fuerant, valens peragere, idem Polychronius dixit, nullatenus se posse mortuum suscitare*. Quare exclamavit populus: *Novo Samsoni anathema, Polychronio seductori populi anathema*. Post hæc in locum Synodi redactus, cum nollet hæresim abjurare, veluti seductor populi & ma-

manifestus hæreticus; omni sacerdotali ordine, & officio denudatus est, & anathematis vinculo suppositus: *Prævidimus*, ajunt Patres, *hunc tanquam seductorem populi, & deceptorem, & manifestum hæreticum, omni sacerdotali ordine, & officio denudari*. Statimque eo deposito, exclamarunt Patres: *Polychronio hæretico, & consentaneis ejus anathema. Macario, & Stephano, & Polychronio anathema. Trinitas istos tres deposuit*. Porro de orthodoxa veritate, adversus quam etiam Angelo mortuos suscitanti debet inlidi anathema, nequaquam fluctuavit Synodus, ubi eam conditionem permisit Polychronio, sed amentem hæreticum coram omni populo voluit confusum, & fidem orthodoxam etiam ita roboratam. Pagius ait, fuisse tum etiam præsentem Imperatorem, sed hoc Acta non dicunt.

XXXIX. In Actione decima sexta, quæ propter amotos ab Imperio fratres, & Collegas Imperii, Heraclium, & Tiberium dilata est usque ad diem nonam Augusti, quidam Presbyter Monothelita, nomine Constantinus, summa audacia, effrontique temeritate professus est, se ad Synodum docendam venisse, atque ad concordiam inter Monothelitas, & Catholicos ineundam, invenisse hunc modum, ac rationem, ut dicerentur in Christo duæ operationes, voluntas vero una; ita videlicet ut Christus assereretur humanam voluntatem deseruisse cum carne, & sanguine Crucis tempore; sed explosa a Synodo, atque damnata ejusmodi assertione, tamquam Manichæorum, Constantinus ipse parem cum ea damnationis sententiam accepit, exclamavitque Synodus: *Hæc secta Manichæorum est. Hæc est fides Apollinarii. Anathema illi cum suis dogmatibus. Novo Apollinario anathema. Foras mittatur Manichæus. Omnibus hæreticis anathema*. Atque ita anathematizatus e Synodo expulsus fuit. In eadem Actione petens Georgius Constantinopolitanus Episcopus, ut, si fieri posset, nominatim minime anathematizarentur Sergii, Pyrrhi, Pauli, & Petri decessorum suorum personæ, rejectus a Synodo est, sed Synodo mox consensit, dicens: *Quoniam multitudinis, sive multarum ubique Concilium obtinet, necessarium est, nominatim memoratas personas anathematizari*. Tum sequutæ sunt acclamationes tum Constantino Imperatori, tum Agathoni Pontifici; & paulo post adjuncta sunt anathemata in singulos nominatim hæreticos, eorumque fautores, in Theodorum Pharanitanum, Sergium, Cyrum, Honorium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Macarium, Stephanum, Polychronium, Aspergium, Pergensem Pamphiliorum Metropolitam, atque hæreticos omnes, & qui hæreticis suffragantur.

XL. Actio decima septima, quæ Græce non extat, celebrata est die undecima mensis Septembris, statuitque Synodo finem imponere, ideoque conceptam Fidei definitionem Episcopis legit, discutiendam a singulis ad dies aliquot, ac in sequenti Actione solemniter pronunciandam, & promulgandam, quam nos post hanc historiam describemus. Ad actionem itaque decimam octavam, & ultimam, habitam die decima sexta ejusdem mensis Septembris, rediit Constantinus Imperator, conventuique interfuit, cui pro tantis erga Fidem Orthodoxam, & Ecclesiarum pacem curis gratias Synodus egit. Tum Nicænum cum reliquis quatuor Oecumenicis Conciliis suo Decreto corroboravit, eorumque Symbola recitari jussit, quibus absolutis, hæresim Monothelitarum, ejusque auctores, ac sectarios, & defensores juxta regulam, ac normam ab Agathone Papa, & Romano Concilio, ut profitetur, sibi præscriptam, magno omnium Catholicorum plausu condemnavit. Constantino Imperatori interroganti, *si cum consensu omnium Episcoporum promulgata est definitio*, respondit Synodus, exclamavitque: *Omnes ita credimus; una Fides; omnes idipsum sentimus; omnes consentientes, & complectentes subscripsimus; orthodoxe omnes credimus; hæc est fides Apostolorum; hæc est fides Patrum; hæc est fides Orthodoxorum*. Addidit faustissimas, & iteratas acclamationes in optimum Principem, & iteratum anathema in Theodorum Pharanitanum, Sergium, & Honorium, Pyrrhum, & Paulum, Cyrum, & Petrum, Macarium, & Stephanum, & Polychronium, & in omnes hæreticos, *qui prædicaverunt, & prædicant, & docent, ac docturi sunt unam voluntatem, & unam operationem in dispensatione Domini nostri Jesu Christi Dei nostri*.

XLI. Posthæc cum gratias egisset Imperator Synodo ob extinctam hæresim, sermo acclamatorius majestati ipsius compositus palam recitatus est, quo ipsum etiam rogabant Patres, ut Edicto Concilium confirmaret, quatenus his, quæ gesta erant, nullus contradiceret, vel novam quæstionem moliretur. Unanimi etiam consensu scripserunt Patres Synodicam Relationem ad Agathonem Pontificem Maximum, quam cum Actis Synodi transmiserunt per Legatos, ab eo postulantes, ut Synodum, ejusque Canonicas sanctiones Apostolica sua auctoritate approbaret, & confirmaret: *Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus: quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus Paternam sanctitatem*. Porro antequam sive Imperatoris, & Synodi Epistolæ, sive ipsa Synodus ad Urbem perferrentur, obiit Agatho Papa, nempe die decima mensis Januarii, anni DCLXXXII. successitque in ejus locum Leo II. ordinatus Pontifex Maximus, qui acceptis Synodalibus gestis, & Imperatoris Epistola, ad ipsum literas direxit, quibus hanc Sextam Synodum confirmavit, sic inter alia inquiens: *Sicut suscepimus, atque firmiter prædicamus sancta quinque universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & Constantinopolitanum, quæ & omnis Christi Ecclesia approbat, & sequitur: ita & quod nuper in Regia Urbe pio vestræ serenitatis nnisu celebratum est sanctum Sextum Concilium, ut eorum pedissequum, & ea interpretans, pari veneratione, atque censura suscipimus, & hoc cum eis digne connumerari, tanquam una, & æquali Dei gratia congregatum decernimus; & qui in ea fideliter convenerunt, Christi Ecclesiæ Sacerdotes, inter sanctos Ecclesiæ Patres, atque Doctores adscribendos esse censemus*. Legenda integra Epistola, quam etsi Baronius quidem supposititiam censet, multis tamen argumentis eam esse genuinam Pagius in Vita Leonis II. aliique affirmant. Ceterum eandem Synodum venerata est Toletana quartadecima Synodus, celebrata anno Christi DCLXXXIV. & aliæ complures, confirmaruntque Oecumenicæ Synodi VII. & VIII. itemque Leo IX. Pontifex Maximus in Epistola ad Petrum Antiochenum, & alii Romani Præsules, quos non opus est hic recensere.

Con-

Concilii Decretum de Fide.

C A P. I.

I. SUfficiebat quidem ad perfectam Orthodoxæ Fidei cognitionem, atque confirmationem, pium atque Orthodoxum Nicænum divinæ gratiæ Symbolum. Sed quoniam non destitit ab exordio adinventor malitiæ, cooperatorem sibi serpentem inveniens, & per eum venenosam humanæ naturæ deferens mortem, & ita organa ad propriam sui voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus, qui fuerat Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, qui fuerunt hujus Regiæ Urbis Antistites, insuper & Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ, & Cyrum, qui Alexandriæ tenuit Episcopatum, Macarium quoque, qui nuper fuerat Antiochiæ Præsul, & Stephanum ejus discipulum, non vacavit per eos plenitudini Ecclesiæ erroris scandala suscitare, unius voluntatis, & unius operationis in duabus naturis unius de sancta Trinitate, Christi veri Dei nostri, orthodoxæ plebi novisone disseminando hæresim consentaneam insanæ, ac malitiosæ sectæ impiorum Apollinarii, Severi, atque Themistii: quæ & perfectionem humanitatis unius, ejusdemque Domini Jesu Christi Dei nostri, molita est per quandam dolosam adinventionem perimere, per hoc involuntariam, & inoperatricem carnem ejus, quæ intellectualiter animata est, infamiter introducens. Excitavit igitur Christus Deus noster fidelissimum Imperatorem novum David, virum secundum cor suum inveniens, qui non dedit, juxta quod scriptum est, (*a*) somnum oculis suis, & palpebris suis dormitationem, donec per hunc nostrum a Deo congregatum, sacrumque conventum, ipsam rectæ fidei reperit perfectam prædicationem. Secundum enim a Domino editam vocem: (*b*) *Ubi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Quæ præsens sancta & universalis Synodus fideliter suscipiens, & expansis manibus amplectens, tam suggestionem, quæ a sanctissimo, ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ad Constantinum piissimum, atque fidelissimum nostrum Imperatorem, quæ nominatim abjecit eos, qui docuerunt, vel prædicaverunt, sicut superius dictum est, unam voluntatem, & unam operationem in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri, adæque amplexa est & alteram synodalem suggestionem, quæ missa est a sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo Papa centum viginti quinque Deo amabilium Episcoporum, ad ejus a Deo instructam tranquillitatem, utpote consonantes sancto Chalcedonensi Concilio, & Tomo sacerrimi, ac beatissimi Papæ ejusdem antiquæ Romæ Leonis, qui directus est ad sanctum Flavianum, quem & (*c*) *titulum rectæ Fidei* hujusmodi Synodus appellavit: ad hæc & Synodicis Epistolis, quæ scriptæ sunt a beato Cyrillo adversus impium Nestorium, & ad Orientales Episcopos. Assequuti quoque sancta quinque & universalia Concilia, & sanctos, atque probabiles Patres, consonanterque confiteri definientes Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum unum de sancta, & substantiali, & vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in Deitate, & perfectum eundem in humanitate, Deum vere & hominem vere, eundem ex anima rationali, & corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato, ante secula quidem ex Patre genitum secundum Deitatem, in ultimis diebus autem eundem propter nos & propter nostram salutem de Spiritu Sancto, & Maria Virgine proprie & veraciter Dei Genitrice secundum humanitatem, unum eundemque Christum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise cognoscendum, nusquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem, salvataque magis proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, & in unam subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum, vel divisum, sed unum eundemque Unigenitum Filium Deum Verbum Dominum Jesum Christum, juxta quod olim Prophetæ de eo, & ipse nos Dominus Jesus Christus erudivit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum, & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum Patrum doctrinam adæque prædicamus; & duas naturales voluntates non contrarias (absit), juxta quod impii asseruerunt hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius & subjectam divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subjici vero voluntati divinæ, juxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim ejus caro, caro Dei Verbi dicitur, & est, ita & naturalis carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur, & est, sicut ipse ait: (*d*) *Quia descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris*; suam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus. Nam & caro propria ejus facta est. Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata ejus caro deificata non est perempta, sed in proprio sui statu, & ratione permansit, ita & humana ejus voluntas Deificata non est perempta, salvata est autem magis secundum Deiloquum Gregorium dicentem: *Nam illius velle, quod in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum est totum*. Duas vero naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est, divinam operationem, & humanam operationem, secundum divinum Prædicatorem Leonem apertissime asserentem: *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exsequente quod carnis est*. Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei, & creaturæ, ut neque quod creatum est, in divinam educamus essentiam, neque quod eximium est divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus. Unius enim ejusdemque tam miracula, quamque passiones cognoscimus, secundum aliud, & aliud earum, ex quibus est, naturarum, & in quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique igitur inconfusum, atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta proferimus, unum sanctæ Trinitatis, & post Incarnationem Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum esse credentes, asserimus duas ejus esse naturas

(*a*) Psalmo cxxxi. (*b*) Matthæi xviii. (*c*) Alibi columnam. (*d*) Joannis vi.

turas in una ejus radiantes subsistentia, in qua tam miracula, quamque passiones per omnem sui dispensativam conversationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstravit, ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia cognoscendam, dum cum alterius communione utraque natura indivise & inconfuse propria vellet, atque operaretur: juxta quam rationem, & duas naturales voluntates, & operationes confitemur, ad salutem humani generis convenienter in eo concurrentes. His igitur cum omni undique cautela, atque diligentia a nobis formatis, definimus, aliam Fidem nulli licere proferre, aut conscribere, componere, aut sapere, vel etiam aliter docere. Qui vero præsumpserit Fidem alteram componere, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud Symbolum volentibus converti ad agnitionem veritatis ex Gentilitate, vel Judaismo, aut ex qualibet hæresi, aut qui novitatem vocis, vel sermonis adinventionem, ad subversionem eorum, quæ nunc a nobis determinata sunt, introducere: hos, siquidem Episcopi fuerint, aut Clerici, alienos esse, Episcopos quidem ab Episcopatu, Clericos vero a Clero; sin autem Monachi fuerint, vel laici, etiam anathematizari eos.

De duplici in Christo Domino voluntate, & operatione contra Monothelitas.

C A P. II.

I. **D**Ocent passim eruditi Theologi, varios jam olim circa voluntatem Christi extitisse errores, in eo licet conspirantium, quod unicam ei voluntatem tribuerent, sed diversis principiis, & fundamentis nitentes. Apollinaris eo ipso, quod mentem, seu rationalem animam in Christo negabat, etiam ei voluntatem humanam adimebat, solam ei divinam tribuens. Eutyches unam compositam naturam Christo affigens, consequenter unicam voluntatem ei tribuere debuit. Postea vero quidam Græci etsi duas distinctas in Christo naturas juxta Chalcedonensis Concilii definitionem agnoscerent, unicam tamen voluntatem, & unicam operationem ei propterea tribuebant, quod dicerent, humanam naturam in Christo nunquam moveri proprio moto, sed tantum prout moveretur a divinitate. Hi ab unitate voluntatis, quam propugnabant, Monothelitæ dicti sunt; quos damnavit inter alias hæc Sexta Synodus Oecumenica sub Agathone, cujus in ejusdem Synodi Actis lecta est, & approbata Epistola contra dictum errorem accurate conscripta.

II. Eam fuisse Monothelitarum hæresim, quod dicerent unicam in Christo operationem, adeoque unicam voluntatem, patet ex Epistola Cyri Alexandrini ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, & Monothelitarum principem, qua eam ab ipso Sergio se accepisse sententiam profitetur, ampliotemque ejus explicationem ab eo postulat: *Ad vestram*, inquit, *a Deo eruditam doctrinam confugere didici, venerabiles ejus syllabas postulans promereri, liquidius declarantes, qualiter duas operationes post unitionem dicere recusantes, in una, idest, singulari operatione, in omnibus divinis eloquiis possumus concludere, tam quod passibile, quam quod impassibile est ipsius ineffabilis dispensationis Salvatoris nostri Jesu Christi*. Idem constat ex Macario Antiocheno Patriarcha, & Monothelita insigni, qui in Actione VIII. hujus Synodi interrogatus, an confiteretur duas naturales voluntates, & duas operationes, naturales in Incarnationis dispensatione Christi Dei nostri, audacter, & obstinate respondit: *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, nec si membratim incidar, & mittor in mare*. Legimus rursus in ipsa Actione VIII. Macarium ejusque discipulum in ea perstitisse sententia, ut dicerent: *Nos voluntatem humanam in Christo non dicimus, divinam vero etiam: absque carnalibus voluntatibus, & cogitationibus humanis &c.*

III. Docent passim Acta Synodi ipsius, & Patres, fatenturque hæretici Monothelitæ, eum esse suum ipsorum hæreticorum errorem, admittendæ unius solius voluntatis, & operationis in Christo. Quanta autem fuerit eorundem Monothelitarum, in exponendo, vel propugnando errore suo inconstans levitas, docet S. Maximus in celebri sua illa Disputatione cum Pyrrho, quem ita alloquitur: *Rem ipsam loquor: nihil me ita a tuo Antecessore*, (Sergio scilicet) *alienavit, ut mutabilitas ejus, & inconstantia, idest, in alios alio tempore transire sententias, & in nullo sensu permanere. Aliquando enim eos, qui hanc unam voluntatem divinam appellabant, approbans, eum, qui erat incarnatus, docebat tantum Deum. Aliquando his assentiens, qui dicebant esse consultatricem voluntatem, hominem solum eum adstruebat more nostro consultantem, nihil a Pyrrho Maxime differentem. Quandoque vero vocant hanc voluntatem hypostaticam cum differentia Personarum, simul inducebat differentiam voluntatum in personis ejusdem substantiæ*. Ut ut fuerit ea varietas, & inconstantia, semper in eo errarunt Monothelitæ, ut duas in Christo voluntates negarent; tametsi audax Vasques Parte III. Disputatione LXXXII. Cap. 2. asserat, & defendere conetur, Monothelitas non negasse duplicem in Christo voluntatem. Sed hanc opinionem Vasquezii a Synodi nostræ, & Patrum testimoniis longe alienam, & vel ipsi Monothelitarum nomini repugnantem, ita enim vocati sunt hæretici illi, qui unam in Christo voluntatem asserebant, merito post alios impugnat noster Josephus Maria Perrimezzi Episcopus Oppidensis, tum Archiepiscopus Bostrensis Parte III. suæ Theologiæ, Dissertatione CLXXXI.

IV. Convincitur autem error Monothelitarum certissimo argumento ex duabus naturis Christi desumpto. Cum enim præter divinam sit in Christo humana natura perfecta, uti probatum fuit nostro I. Tomo Conciliorum, in Commentariis ad Synodum Chalcedonensem; ad humanæ autem naturæ perfectionem pertineat, tam voluntas, quam intellectus, quæ sunt duæ facultates propriæ animæ rationalis, consequens est, in Christo sicut intellectum, ita voluntatem creatam, atque humanam cum suis operationibus agnoscendam esse. Est igitur in Christo duplex voluntas, divina, & humana, sicut & intellectus duplex, & secundum utrumque duplices operationes. Qua de re memoratus Agatho Pontifex Maximus in sua Epistola disputans, ita inter alia inquit: *Cum de Filio Dei, & de mysterio admirandæ ejus secundum carnem dispensationis confitemur, omnia du-*

duplicis unius ejusdemque Domini Salvatoris nostri Jesu Christi secundum Euangelicam traditionem asserimus: idest duas ejus naturas prædicamus, divinam, & humanam; & utramque ejus naturam proprietatem naturalem habere confitemur; & divinam quidem habere omnia, quæ divina sunt; humanam vero omnia, quæ humana, sed absque peccato &c. Legenda integra Epistola, qua ad asserendas, probandasque duas in Christo voluntates, atque operationes, nihil luculentius, validiusque afferri potest.

V. Eam doctrinam Patres etiam hujus Synodi diligentissime exposuerunt, ubi ad ejus probationem, varia divinæ Scripturæ loca attulerunt. Quid enim clarius, quam illud Christi Domini testimonium, Matthæi Cap. XXVI. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*; itemque aliud: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Et Lucæ Capite XXII. *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Et ut alia omittam, Joannis Cap. V. idemmet Christus ajebat: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Et ibidem Cap. VI. *Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Utitur prætarea Synodus ad idem dogma duarum voluntatum in Christo probandum variis, atque egregiis Patrum tam Græcorum, quam Latinorum testimoniis, uti in Actione IV. videre est. Notari autem possunt hæc Patrum loca, Ambrosii, & Augustini, quorum ille Lib. II. *De Fide ad Gratianum*, Cap. III. *Sicut Christus*, inquit, *susceperat voluntatem meam, ita suscepit tristitiam meam*. Et Lib. X. in Lucam, ad illud, *Non sicut ego volo*, ait, Christum voluntatem suam ad hominem retulisse; Patris vero ad divinitatem. Augustinus vero in Psalmum XXXII. Concione I. inquit: *Hominem Christus gerens ostendit privatam quandam hominis voluntatem*. Deinde citans illud, *Transeat a me calix iste*, ait: *Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid, & tamquam privatum volens &c.* Et in Psalmum XCIII. eandem Scripturam allegans, dicit, Christum illis verbis ostendisse hominis voluntatem.

VI. Porro non omittendum quod & Theologi post S. Thomam docent, in Christo secundum humanam naturam, duplicem adhuc agnoscendam esse voluntatem; alteram rationalem, quæ est homini propria, respondetque Intellectui; alteram sensualem, quæ & sensualitas dicitur, & omni animali communis est, sensuique respondet. Hanc autem voluntatem, idest sensualitatem in Christo fuisse, perspicue ostendunt Theologi argumento sumpto ex perfectione humanæ in Christo naturæ. Cum enim humana natura includat naturam animalis, ut species genus, & ad animalis perfectionem pertineat sensus, & sensui respondens appetitus, fatendum est, sicut sensum, ita & appetitum sensitivum in Christo fuisse; nec minus absurdum esse sensualitatem a Christo removere, quam ipsam facultatem. Idem ex Scriptura Theologi ostendunt. Pleraque enim Scripturæ loca, quibus humana voluntas in Christo probatur, non tam de rationali, quam de sensuali voluntate videntur accipienda. Sed & illæ Scripturæ, quæ Christo dolorem, tristitiam, timorem, adscribunt, cum hæ passiones sint partis sensitivæ, satis convincunt, sensualem voluntatem in Christo fuisse. Quam doctrinam post Magistrum sententiarum, & Hugonem Victorinum in Libello, *De voluntatibus Christi*, constanter retinent, & tradunt omnes Scholastici. Ceterum tametsi triplex sit in Christo voluntas, ut jam ostendimus, divina, rationalis, & sensualis, fatendum est secundum Fidem Catholicam, inter has tres voluntates nullam in Christo contrarietatem, seu pugnam fuisse. Sed de his vide Theologos, & inter hos, Theologorum omnium Principem, & Ecclesiæ Doctorem Angelicum, S. Thomam Aquinatem Parte III. suæ aureæ Summæ, Quæstione XVIII. Articulo V. & VI.

Argumenta Monothelitarum nonnulla negantium duplicem fuisse in Christo Domino voluntatem recensentur, & confutantur, ubi & de Græcorum fraude in corrumpendis libris.

C A P. III.

I. INter alia argumenta, quibus Monothelitæ in hujus VI. Synodi Actis ad asserendam unam in Christo voluntatem usi sunt, opposuerunt non semel Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani, & Vigilii Romani Pontificis auctoritatem, quos ajebant unam Christi voluntatem asseruisse. Quod enim Vigilio, ac Mennæ ea auctoritas falso fuerit a Monothelitis ipsis supposita, liquido constat ex iisdem hujus Concilii Actis. Certe Actione III. ubi Antiochus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Lector, & Notarius Acta Quintæ Synodi legit, quorum erat hoc exordium: *Sermo sanctæ memoriæ Mennæ Archiepiscopi Constantinopoleos ad Vigilium Beatissimum Papam Romanum de eo, quod una sit Christi voluntas*: exurgentes Legati Apostolici, vitiatum esse Codicem a Monothelitis dixerunt, ita ad Principem loquentes: *Piissime Domine, falsatus est præsens Liber Quintæ Synodi. Nequaquam relegatur sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, quia fictus est. Jube diligenter advertere præsentem Librum: satisfieri enim habet piissimum vestrum Imperium, quia non est tunc temporis positus in exordio, cum fierent Acta in sancta Quinta Synodo. Iste qui dicitur sermo Mennæ ad Vigilium, nuper appositus est in principio præsentis Libri, eo quod vigesimo primo anno Justiniani divinæ memoriæ obiit Mennas, Quinta autem Synodus vigesimo septimo anno Imperii ejus congregata est, Episcopatum tenente Regiæ hujus Urbis Eutychio venerabilis memoriæ.* Diligenti inspectione detectum plene fuisse dolum, ac fraudem Monothelitarum, ex ipsa III. Actione constat, etenim *invenit tres quaterniones a principio libri additos, non habentes subnotationem numeri, qui secundum consuetudinem affigitur in quaternionibus, sed in quarta quaternione habere primum numerum, & in sequenti quaternione secundum, & tertium, & quartum subsequenter. Alias vero & dissimiles esse literas eorundem in exordiis submissorum quaternionum, in quibus continebatur sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, a literis, quæ prius scriptæ sunt in eodem Codice*. Quibus auditis, detectaque hæreticorum fraude, merito Princeps ita fuit interlocutus: *Hujusmodi non relegatur sermo*.

II. Eodem hæreticorum dolo vitiatas fuisse duas Vigilii Papæ Epistolas ad Justinianum Imperatorem, & ad Theodoram ejus Conjugem datas,

in

in quibus una in Christo volantas asserebatur, docet nos ipsa tertia Actio hujus Synodi. Ubi enim Vigilii Epistolæ unam Christi operationem asseverantis relectæ sunt, exclamarunt rursus Legati Apostolicæ Sedis: *Non faciat Deus; non dixit Vigilius unam operationem; non sunt libelli Vigilii; falsatus est liber, sicut exordia primi libri.* Ostenderunt tum ipsi Legati in Quintæ Synodi Actis authenticis, octodecim præsertim dogmaticis Capitulis nullam penitus de una operatione fieri mentionem, atque ita Monothelitarum fuisse fraudem. Quia vero hæ pessimæ artes corrumpendi, ac falsandi sacros Codices Græcis fuere semper familiares, in Auctores criminaliter inquiri iidem Legati expostularunt, eorumque votis satisfactum fuit Actione XIV. ubi in Auctores Codicum corruptores inquisitum est. Porro Macrobius Seleuciensis in Isauria Archiepiscopus Macarii Antiocheni asseclа, & subditus, nuper vero Ecclesiæ, & Synodo per pœnitentiam reconciliatus, ita ad Synodum ipsam, & gloriosissimos Judices dixit: *Suggero vestræ gloriæ, & huic sancto, atque universali Concilio, quod pervenit ad me Liber sancti Quinti Concilii, datus mihi a quodam Philippo Magistro Militum imperialis obsequii: quem relegens inveni esse falsatum in septima Actione. Et interrogans eandem Philippum*, Quia alicui dedisti hunc librum? Dixit mihi, quia Stephano discipulo Macarii eum dedi. *Literæ vero, quibus falsitas libri facta est, propriæ manus sunt Georgii monachi apud Macarium. Quia eum esset Patriarcha meus ipse Macarius, ingrediebar in domum ejus, & adspiciebam eundem Georgium monachum sæpius scribentem, & scio accurate, quia propriæ ejus manus sunt.*

III. Tum a Synodo citatus Georgius ille, qui nuper etiam per pœnitentiam fuerat Ecclesiæ reconciliatus, confessus est omnia, & non negavit; nempe Mennæ sermonem, & Vigilii epistolas a Macario Antiocheno, & Theodoro Patriarcha Constantinopolitano productos e bibliotheca Constantinopolitani Patriarchii, ostensos, & sparsos ubique Ecclesiarum, diversis Latinis, & Græcis Quinti Concilii Codicibus quasi incompletis, & mancis intrusos, eorum Codicum unum fuisse præsentem Philippi Magistri Militum, & Stephano Macarii Presbytero Syncello consanguinei, adductum ex Occidente, atque dictas falsationes inscriptas omnino sua propria manu. Quamvis autem ita quidem testatus sit Georgius ille, non videntur tamen Theodorus, & Macarius ejus imposturæ primi authores fuisse. Etenim, ut scite observat in Actionem ipsam XIV. Christianus Lupus, Paulus Patriarcha Latino quinti Concilii Codici, empto sex solidis ab uxore Innocentii quondam Patricii, jussit per Theodorum librarium intrudi jam dictas Epistolas a Sergio Antipisidio Diacono suo, & egregio scriptore descriptas, Latine autem redditas a Constantino Ecclesiæ suæ Presbytero, ac Grammatico Latino, uti ipsi Constantinus, & Sergius coram plena Synodo confessi sunt. Quocirca primus mali fons ignoratur, nec a Synodo reperiri potuit, quæ nihilominus ita exclamavit: *Anathema Libro, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & qui eum finxerunt, seu scripserunt. Anathema libellis, qui dicuntur facti fuisse a Vigilio ad Justinianum, ac Theodoram divæ memoriæ, qui & sunt falsi demonstrati. Anathema simul omnibus, qui falsarunt Acta sancti & universalis quinti Concilii.*

IV. Sane de istiusmodi Græcorum vitio in corrumpendis libris non semel Romani Pontifices, aliique Scriptores conquesti sunt. S. Leo Magnus in Epistola ad Palæstinos Episcopos refert, literas suas ad Flavianum scriptas a Græcis fuisse corruptas. S. Gregorius Magnus Lib. V. Epistola XIV. ad Narseten asserit, Constantinopolitanos corrupisse Chalcedonensem Synodum, idemque se suspicari ait de Synodo Ephesina, & addit: *Romani Codices multo veriores sunt, quam Græci, quia nostri sicut non acumina, ita nec imposturas habent.* Nicolaus I. in Epistola ad Michaelem Imperatorem inter alia de Epistola Adriani Papæ hæc habet: *Si tamen non falsata more Græcorum, sed sicut a Sede Apostolica missa est, penes Ecclesiam Constantinopolitanam asservatur.* His adde, ut alios omittam, Anastasium Bibliothecarium, qui in Præfatione ad hanc VI. Synodum sic ad rem inquit: *Sic igitur Græci accepta occasione celebratorum universalium Conciliorum frequenter egisse clarescunt, & nunc minuendo, nunc addendo, vel mutando, nunc in absentia Sociorum, nunc in abscondito angulorum, nunc extra Synodum, nunc post Synodum, astutia sua, imo fraude, communibus sanctionibus abutuntur, & ad suos libitus cuncta, quæ sibi visa fuerint, etiam violenter inflectunt.* Etiam ad nostra hæc usque tempora hunc fuisse Nestorianorum morem corrumpendi Scripturas, atque Officia divina in Breviarii, ac Missalibus libris contenta, non uno in loco testatur celeberrima Synodus Diamperitana MDXCIX. a Religiosissimo, ac doctissimo Viro Ordinis Eremitarum S. Augustini Alexio de Meneses Archiepiscopo Goensi celebrata; quam ex Lusitano idiomate, Christianæ, ac Literariæ Reipublicæ bono Latinitate donatam, ac notis egregiis illustratam ex doctissimorum Virorum consilio, atque impulsu quantocius est editurus in lucem Vir omnigenæ eruditionis, ejusdem Ordinis S. Augustini alumnus Frater Joannes Facundus Raulin Sacræ Theologiæ Magister, & Assistens, ut ajunt, Hispaniarum.

V. Quamquam vero in hujus Synodi Actis tum Macarius Antiochenus, tum ejus asseclæ multa alia loca ex Patribus conati sint producere in favorem hæresis Monothelitarum, quæ longum esset hic recensere; fuerunt tamen illa collata cum authenticis Codicibus, & inventa vel falsata, vel male intellecta. Certe in Actione I. lecto ex Ephesina Synodo S. Cyrilli sermone acclamatorio ad Theodosium Augustum, ubi dicitur de Christo Domino: *Est enim ejus omnipotens voluntas*; exclamavit quidem statim Macarius: *Ecce ostendi unam voluntatem in Christo*; verum intercesserunt illico Romani Legati, asserentes, non de utriusque simul naturæ, sed de solius divinitatis voluntate loquutum esse Cyrillum: *Nec numerabiliter dixisse*, ajunt, *voluntatem unam*. Locum Cyrilli, aliorumque Patrum testimonia, ubi asserere videntur, unam fuisse in Christo voluntatem, unam operationem, docent passim Theologi, ea esse intelligenda de unitate improprie dicta, de ea scilicet, quæ provenit ex conjunctione arctissima duorum intra se; non vero de unitate proprie dicta, quæ unitas est numerica. Primo modo ajunt dici a Cyrillo, aliisque interdum Patribus operationem Christi esse unam, non autem secundo modo.

VI. Duo præterea adversus dogma Catholicum de duplici Christi operatione, ac voluntate urgebant Monothelitæ. Primum quidem, ex eo quod

quod non possit determinari quot fuerint Christi operationes, tutius esse dicere fuisse unam. Alterum, omnes Christi operationes fuisse theandricas, adeoque omnes provenisse ab una Christi voluntate. Sed misere hallucinantur, scitissime enim docent Catholici, operationes Christi in triplici esse differentia. Aliquæ sunt divinæ, quæ scilicet fiunt a Christo, ut est Deus, & ad quas nullum habet natura humana respectum, uti est exempli gratia creatio. Aliæ sunt humanæ, quæ nimirum sunt propriæ humanæ naturæ, veluti edere, bibere, flere. Aliæ tandem sunt mixtæ, in quibus videlicet utraque natura agit, ut curatio ægrotorum per manuum contactum, vel per vocis imperium, in qua natura divina agebat per omnipotentiam, humana vero natura per contactum, sive per vocem. Hæ operationes a Græcis vocantur *Theandricæ*, hoc est, *Dei viriles*. Monothelitæ putarunt quidem unam tantum esse operationem theandricam: noluerunt quippe operationem illam esse mixtam ex divina, & humana, sed esse mere divinam, elicitam scilicet tantum a natura divina, ut causa efficiente. Catholici autem volunt, operationem theandricam non esse unam, sed duplicem, quia asserunt esse compositam ex divina, & humana operatione, quæ quidem operationes remanent distinctæ, quamvis non sint divisæ.

VII. Licet denique omnes operationes Christi humanitatis habuerint summam dignitatem a persona Verbi, non tamen omnes fuerunt theandricæ, sed tantum illæ, quæ fuerunt mixtæ ex operatione Verbi, tanquam causæ efficientis, & ex operatione naturæ humanæ, agentis etiam per modum causæ efficientis. Docet id quidem S. Maximus Martyr in Scholio ad Epistolam IV. S. Dionysii, vulgo Areopagitæ, ubi Dionysii locum, quem Petavius Lib. VI. *De Incarnatione*, Cap. IV. Christi Domini operationes primum theandricas nominasse ait, ita explicat: *Illam miscellaneam operationem solam Dei virilem appellavit; siquidem, ut Deus tantum operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat: in quantum vero homo tantum, etsi Deus erat, quando comedebat, & tristabatur: mixtim autem operabatur miracula, cæcis oculos illiniendo restituens, hæmorroissæ fluxum solo tactu sistens*. Porro ad omnem ambiguitatem amovendam, sex a Theologis proponuntur regulæ ad Christi operationes explicandas, quas novissime inseruit suæ Theologiæ civis meus doctissimus Josephus Maria Perrimezzi Archiepiscopus Bostrensis Dissertatione LXXXI. in fine.

VIII. Prima igitur est. Operationes Christi, quæ vel sunt divinæ, vel humanæ, sunt unius, ac ejusdem operantis, quia est una, & eadem persona, quæ operatur. II. Licet in Christo sit unus operans, sunt tamen duæ, & diversæ operationes: quia Verbum operatur, quod est proprium Verbi, & naturæ Divinæ; & caro operatur, quod est proprium carnis, & naturæ humanæ. III. Una natura nunquam operatur divisim ab altera, sed semper conjunctim cum illa: quia natura humana est semper hypostatice unita Verbo, & per consequens nunquam operatur divisim ab illo. IV. Omnes actiones humanæ in Christo etiam naturales, gubernatæ fuerunt ex divinitatis nutu; unde motus, qui in nobis sunt naturales, in Christo fuerunt liberi; quod docuit S. Augustinus Tractatu XLIX. in Joannem sic inquiens: *Turbaris tu nolens, turbatus est Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit. Dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit. Mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat sic affici, vel non affici*. V. Caro Christi fuit instrumentum divinæ naturæ, per quod operabatur & illa, quæ excedebant humanum modum, & illa quæ conveniebant naturæ humanæ, sed ad nostram salutem ordinabantur. VI. Verbum non egit omnia per naturam humanam, tamquam per instrumentum sibi hypostatice conjunctum, sed ea tantum quæ pertinebant ad officium Mediatoris, & ad nostram salutem. Unde clarum est, quod Verbum non creet animas rationales, non conservet mundum, non producat Spiritum Sanctum per humanitatem, cui est hypostatice unitum.

De Honorio Papa, an hæreticis faverit, & una cum illis anathematizatus fuerit. Ubi & Acta Synodi VI, an fuerint corrupta, expenditur.

CAP. IV.

I. Mortuo Bonifacio V. suffectus est in ejus locum Honorius I. natione Campanus, filius Petronii hominis Consularis, vir eruditione Theologiæ præstans, atque etiam poeticis excultus literis, ordinatusque est anno DCXXV. & quidem die XXVII. mensis Octobris, uti ex Luca Holstenio ostendit Pagius in ejus vita, adversus Cardinalem Baronium, qui Honorii electionem ad annum DCXXVI. retulit. Ut ut ea res sit, tametsi Honorius doctissimus æque fuerit, ac religiosissimus Pontifex, addubitari tamen nequit, quin reapse in hac Synodo Sexta damnatus sit, & quidem veluti fautor Monothelitarum. Testantur id quidem tum ipsius Synodi Acta, tum Romani ipsi Pontifices, tum veteres æque, ac recentiores Scriptores, inter quos pius & doctus Combefisius in Dissertatione Apologetica pro Actis Sextæ Synodi, Cap. III. §. III. ita inquit: *Non desunt viri Catholici damnantes re ipsa hæresis Honorium, eoque nomine contendentes, vere a Sexta Synodo damnatum. Ita omnino significant noster Canus Lib.* VI. De locis; *Karanza in compendio Conciliorum: Torrensis etiam apud nostrum Gravinam, pro sacro deposito, Cap.* XIV. *errorem in Honorio fatentur*. His adde Garnerium Societatis Jesu Theologum in Dissertatione II. ad diurnum librum Romanorum Pontificum, Natalem Alexandrum in historiam Ecclesiasticam Seculi VII. Dissertatione II. Pagium in vita Honorii, & ut alios plurimos omittam, eruditissimum Thomassinum Dissertatione XX. in Synodum VI. Oecumenicam, & doctissimum Josephum Augustinum Orsi Sacræ Congregationis Indicis a secretis, in Libro de infallibilitate, & auctoritate Romani Pontificis Italice scripto, ubi perspicue innuit Tom. I. Pag. III. & seq. Honorium ipsum a Sexta Synodo, & a S. Leone II. atque ab aliis Pontificibus anathematizatum fuisse.

II. Certe si Acta Synodi Sextæ legantur, non uno in loco Honorius ipse una cum aliis anathematizatus reperitur. In Actione XIII. Pag. 978. editionis Venetæ, post execratam Honorii Epistolam ad Sergium scriptam, hæreticosque Monothelitas complures proscriptos, sic inter alia Patres dixerunt: *Cum his vero simul projici a sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari præ-*

prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem sequutus est, & impia dogmata confirmavit. In Actione XVI. Pag. 1043. ita nominatim inter alios hæreticos, eorumque fautores anathematizatur idem Honorius: *Theodoro hæretico Pharanitano anathema. Sergio hæretico anathema. Cyro hæretico anathema. Honorio hæretico anathema &c.* In Decreto Fidei quod extat in Actione XVIII. Pag. 1058. dicitur Dæmon plenitudini Ecclesiæ, erroris scandala suscitasse unius voluntatis, & unius operationis in duabus naturis unius Christi veri Dei nostri *per Theodorum, qui fuerat Episcopus Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, qui fuerunt Regiæ Urbis Antistites, insuper & per Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ &c.* Post Episcoporum subscriptiones, quas legere est in eadem Actione XVIII. ita iterum conclamatum legitur Pag. 1079. *Nestorio, & Eutychi, & Dioscoro anathema. Apollinari, & Sergio anathema. Consentaneis eorum anathema. Theodoro Pharanitæ anathema. Sergio, & Honorio anathema*. Rursus in Sermone Prosphonetico, seu acclamatorio ad Principem Pag. 1090. ajunt Patres: *Superfluas autem vocum novitates, & harum adinventores procul ab Ecclesiasticis septis abjicimus, & anathemati merito subjicimus: idest Theodorum Pharanitanum, Sergium, & Paulum, Pyrrhum simul, & Petrum, qui Constantinopoleos Præsulatum tenuerunt, insuper & Cyrum, qui Alexandrinorum Sacerdotium gessit, & cum eis Honorium, qui fuit Romæ Præsul, utpote qui ees in his sequutus est*. In Epistola tandem Synodica ad Agathonem Pontificem Pag. 1110. sic inter alia inquiunt Patres: *Anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras literas de iis prius lata, videlicet Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum &c.*

III. Illud sane discutere in animo mihi non est, an Honorius vere erraverit, vel juste in hac Synodo damnatus sit. Eam provinciam aliis Theologis lubens relinquo, præsertim vero omnium recentiori, Viro doctissimo, conterraneo meo, Patri D. Francisco Antonio de Cavalcantibus Patricio Consentino, ac Ordinis Clericorum Regularium Moderatori supremo in egregio Opere inscripto, *Vindiciæ Romanorum Pontificum*, quod quantocius est editurus in lucem, ubi ex professo tum Honorium, tum alios Pontifices a labe hæresis vindicat. Hoc itaque unum dico, quod emunctioris jam fere omnes naris homines fatentur, vere fuisse in hac Synodo proscriptum Honorium. Quod enim Baronius, & alii, qui vestigiis ejus insistunt, id negent, Actaque ipsa Synodi, qualia nunc habentur, interpolata esse, & corrupta a Theodoro Episcopo Constantinopolitano asserant, mereri fidem vix possunt. Ut enim ait Baronianæ Criticæ Auctor, Acta ipsa quæ hodieque extant, sincera esse nostra ætate non videtur in dubium revocari posse, uti late ostendunt memorati superius Scriptores, Combefisius, Natalis Alexander, Garnerius, Thomassinus, & inter alios doctissimus Pontificiæ auctoritatis assertor Lupus in Dissertatione, *De Sexta Synodo*, ad Actionem XVIII. Porro ait Baronius, nullam fuisse causam ex parte Honorii cur damnaretur, cum duæ ejus Epistolæ nihil contineant, quod Catholicum non sit. Sed esto purus quidem erroris fuerit, quod constanter teneo cum sapientissimis Theologis; qui Honorium ipsum defendunt, constantissime nihilominus ajunt, eum in Sexta Synodo damnatum fuisse, quod peccasset sua illa œconomia, qua in literis suis voluit de una, vel gemina Christi operatione taceri, cum tamen Religionis causa tunc exigeret, aperte geminam operationem defendere; quamquam Thomassinus in ipsa sua Dissertatione, ejus sit opinionis, Honorii Epistolas privatas, & familiares fuisse, nec pertinuisse ad Cathedram, ideoque damnari potuisse, quia & errare.

IV. Quicquid sit de variis Theologorum sententiis ad purgandum Honorium, & Apostolicam Sedem erroris, frustra causatur Baronius, Acta hujus Synodi VI. falsata fuisse a Theodoro Episcopo Constantinopolitano, ejusque loco, Honorii nomen subrogatum. Primo enim Thomassinus, & alii passim eruditi docent, si Theodorum cupido invaserat nomen suum ex albo damnatorum expungendi, id tutius poterat, & facilius, si a nomine Honorii substituendo, hoc est, si ab Occidente universo in suæ imposturæ evulgationem, & vindictam ciendo abstineret. II. Etsi perfacile esset Theodori, & Honorii nomina totidem fere syllabis, literisque compacta permutare; operosissimum tamen, adeoque impossibile pene fuisset, germanis Synodi Actis ipsam Honorii Epistolam, ejusque examen, & damnationem infarcire, & huc, illucque locis plusquam duodecim Honorii Papæ, & Episcopi Romani nomen meritumque interserere, uti nunc in Actis legitur. III. Non alia saltem Theodorus adulterare Acta potuisset, quam quæ in Patriarchio Constantinopolitano asservabantur. At in more positum id erat, ut Generalium Synodorum Acta quinquies describerentur, & singula singulis Patriarchiis destinarentur exemplaria. Qui tandem illa Theodori corruptela in cæterorum Patriarcharum, & maxime in Romanum exemplar irrepsisset? Expressissime autem in hac ipsa Synodo Actione XVIII. sanctum Concilium dixit: *Petimus a Domini potestate instructa a Deo, ad majorem orthodoxæ Fidei stabilitatem, & confirmationem, ut subscripta exempla definitionis relecta, præsente vestra serenissima potestate edantur quinque Patriarchalibus sedibus una cum pia vestra subsignatione*. Et mox: *Piissimus Imperator exempla definitionis cum subsignatione mansueta ejus serenitatis præbuit quinque Patriarchalibus sedibus*. Hæc gesta sunt superstite Georgio Patriarcha Constantinopolitano, nec dum Theodoro in ejus Urbis Sedem revocato.

V. His addi potest, quod sit testis oculatus, & integerrimæ fidei Agatho Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & scriniorum ejusdem thesaurarius, qui etiam in VI. Synodo Notarii munere fungebatur. Is enim in peroratione publicata a Combefisio in Historia Monothelitarum Pag. 199. rem ita narrat: *Omnes Tomos Actorum præfatæ Synodi, munde Codice, propria ipse manu, Ecclesiasticis literis consignavi; qui etsi sub signaculis, una cum fidei definitione, quam sancta Synodus palam edidisset, Patrum subscriptione munita, in Imperatoris palatio fuerint repositi, ut tuto servati; quin & quinque Patriarchalibus sedibus tradita definitionis ejusdem, eadem Patrum subscriptione munita exemplaria eodem conscripsi modo, ita jubente piæ recordationis Imperatore Constantino, ac sic fieri præcipiente, quo fidei orthodoxæ sinceritas, atque veritas nullis pateret insidiis*. Addit postea Agatho ipse Diaconus,

Honorium cum Sergio, & ceteris Monothelitis fuisse anathemate damnatum, & ex sacris Diptychis expunctum; sed & ejus, & aliorum proscripta nomina Bardanem tyrannum Synodi VI. hostem infensissimum restituisse, & imagines erexisse. Quid quod nulla usquam deinceps Romæ querela, nulla expostulatio perstrepit de actis Synodi interpolatis, corruptisque, deque supposititia Honorii damnatione? Non questi sunt quidem Legati Romani, qui Synodo adfuerant. Non ex eis Joannes saltem Ecclesiæ Romanæ tum Diaconus, postea Pontifex Maximus nomine Joannes Quintus. Non Anastasius Bibliothecarius tantæ eruditionis vir, & Actorum ipsorum Synodi VI. compos, & purgandæ Honorii memoriæ cupidissimus.

VI. Sed nullis arguitiis declinari possunt Leonis II. Papæ, qui Agathoni successit, literæ, quas ad Constantinum Imperatorem in confirmationem Synodi VI. scripsit, sic inter alia dicens: *Anathematizamus novi erroris inventores, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ insidiatores magis, quam Præsules: necnon & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed prophana traditione immaculatam maculari permisit.* Idem Pontifex in Epistola II. ad Episcopos per Hispaniam constitutos perspicue testatur, Honorium ipsum una cum aliis hæreticis in laudata Synodo VI. fuisse damnatum: *Æterna damnatione mulctati sunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Constantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Et in Epistola V. ad Hervigium Regem Hispaniæ eamdem rem ita confirmat: *Omnes hæreticæ assertionis Auctores venerando censente Concilio condemnati, de Catholicæ Ecclesiæ adunatione projecti sunt, idest, Theodorus Pharanitanus Episcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus, & Petrus, quondam Constantinopolitani Præsules, & una cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam a Prædecessoribus suis accepit, maculari consensit.*

VII. Quamquam hæc satis sint ad probandum, de Actorum Sextæ Synodi integritate, & sinceritate dubitandi locum non esse, & ex consequenti Honorium a Synodo ipsa Sexta anathemate percussum esse, non quidem propterea, quod unicam in Christo voluntatem docuisset, sed tantum quod unicam in Christo voluntatem docentibus faverit, docendique opportunitatem suppeditaverit, ut inter alios in vita Honorii notat Pagius; ut rem ipsam damnationis scilicet Honorii in memorata Sexta Synodo novis muniamus auctoritatibus, in septima quidem Synodo Oecumenica una cum aliis Monothelitis repetita est damnatio Honorii, ut constat ex Actione III. ubi recensetur Tharasii Patriarchæ Constantinopolitani Epistola ad alios Patriarchas Orientales: *Subjicio anathemati*, inquit, *Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paulum, & omnes eorum sectatores.* Idem constat ex Epistola Synodica Theodori Episcopi Hierosolymitani, quæ in eadem III. Actione extat. Ibi enim diserte, dicitur Sextam Synodum anathematizasse *Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Honorium*. In Actione quoque VI. Epiphanius nomine Synodi, Pseudosynodum Græcorum refellens, Honorium ceteris Monothelitarum signiferis a Sexta Synodo damnatis accenset. Et ut alia memoratæ VII. Synodi loca omittam, in Actione VII. ita legimus: *Deinde quoque & duas voluntates, & operationes secundum proprietatem naturarum prædicamus in Christo, quemadmodum & Constantinopoli Sexta Synodus exclamavit, abjiciens Sergium, Honorium, Pyrrhum, Macarium, & eos, qui sine voluntate sunt pietatis.*

VIII. Rursum constat eadem Honorii damnatio ex Synodo VIII. Oecumenica, in cujus septima Actione legitur Romani Concilii sub Hadriani II. Pontifice Maximo contra Photium habiti series, ac præ ceteris hæc allocutio Pontificis: *Si quidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus: propter quam solam licitum est minoribus, majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus libere respuendi. Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas.* Sed & in Actione X. Synodus ipsa VIII. in Fidei professione Honorium cum reliquis Monothelitis, omnibusque hæreticis uno anathematis fulmine adurit: *Anathematizamus autem*, inquit, *Theodorum, qui fuit Episcopus Pharan, & Sergium, & Pyrrhum, & Paulum, ac Petrum, impios Præsules Constantinopolitanorum Ecclesiæ, atque cum eis Honorium Romæ, una cum Cyro Alexandriæ, necnon & Macario Antiochiæ, ac discipulum ejus Stephanum, qui male opinionis Apollinarii, & Eutychetis, ac Severi, impiorum hæresiarcharum dogmata sectantes, sine operatione, ac sine voluntate animatam anima rationabili, & intellectuabili Dei carnem, sensibus læsis, & revera sine ratione prædicaverunt.*

IX. Otiosum esset plura damnationis Honorii congerere testimonia. Unum id universim constat, quod inter alios notat Thomassinus, omnes deinceps Fidei confessiones, omnes hæreticorum catalogos reliquis Monotheliticæ perfidiæ patronis Honorium permiscuisse. Sed ut ut ea res fuerit, innumeri pene sunt Theologi, qui Honorium ipsum a labe hæreseos vindicarunt; videri autem inter alios potest Vir Clarissimus Joannes Laurentius Berti inclyti Ordinis Eremitarum S. Augustini Tomo V. suæ Theologiæ Lib. XXVI. *De Theologicis Disciplinis*, Cap. XI. ubi fusiori calamo plura affert in laudati Honorii Papæ defensionem. Dici sane potest hæc memorati Auctoris Theologia, *sicut turris David, quæ*, uti habetur in Cantico Canticorum, Cap. IV. Versiculo IV. *ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: ad confodiendos scilicet non modo Catholicæ Ecclesiæ rebelles, verum etiam quoscumque novitatis studiosos, qui summa nonnisi audacia, ac temeritate sancti Patris, atque Ecclesiæ Doctoris Augustini sententiæ a summis Pontificibus, ac sacris Conciliis iterum atque iterum probatæ adversari non verentur. Videsis quæ nos iterum in Commentario ad Canonem primum Concilii Trullani in memorati Honorii I. Pontificis Maximi ex veterum Scriptorum testimonio defensionem dicemus.

SUB-

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM
QUI CONCILIO OECUMENICO VI. INTERFUERUNT

Ex Tomo VII. *Conciliorum Labbei pag.* 1063. *& seqq.*

Theodorus humilis episcopus sanctæ Romanæ ecclesiæ, locum gerens Agathonis ter beatissimi & universalis papæ urbis Romæ subscripsi.

Georgius humilis presbyter sanctæ Romanæ ecclesiæ, & locum gerens Agathonis ter beatissimi & universalis papæ urbis Romæ subscripsi.

Joannes humilis diaconus sanctæ Romanæ ecclesiæ, & locum gerens Agathonis ter beatissimi universalis papæ urbis Romæ subscripsi.

Georgius misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ definiens subscripsi.

Petrus presbyter, & locum servans apostolicæ sedis Alexandriæ civitatis definiens subscripsi.

Theophanes misericordia Dei episcopus Theopoleos, id est, Antiochiæ definiens subscripsi.

Georgius humilis presbyter, & locum gerens Theodori Deo amabilis presbyteri, & locum servantis apostolicæ sedis sanctæ Christi Dei nostri Hierosolymorum civitatis similiter subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus Thessalonicensis civitatis, & apostolicæ sedis Romæ vicarius & legatus definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus civitatis Trimithuntenæ insulæ Cypri, & locum gerens Epiphanii sanctissimi archiepiscopi definiens subscripsi.

Theodorus humilis presbyter sanctæ Ravennatis ecclesiæ, & locum gerens Theodori beatissimi archiepiscopi subscripsi.

Joannes indignus episcopus sanctæ Portuensis ecclesiæ legatus totius concilii sanctæ sedis apostolicæ urbis Romæ definiens subscripsi.

Stephanus misericordia Dei episcopus Corinthi, & legatus apostolicæ sedis antiquæ Romæ definiens subscripsi.

Basilius misericordia Dei episcopus & metropolita civitatis Gortynæ Insulæ Cretæ, & legatus totius concilii apostolicæ principalis sedis antiquæ Romæ definiens subscripsi.

Abundantius humilis episcopus sanctæ ecclesiæ civitatis Tempsanæ, legatus totius concilii sanctæ sedis apostolicæ urbis Romæ definiens subscripsi.

Joannes indignus episcopus sanctæ ecclesiæ Rhegitanæ, legatus totius concilii sanctæ sedis apostolicæ urbis Romæ definiens subscripsi.

Philalethes indignus episcopus Cæsareæ magnæ civitatis primæ Cappadociæ provinciæ, & exarchus Ponticæ diœceseos definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus Ephesiorum metropolis Asianæ provinciæ, & exarchus Asianæ diœceseos definiens subscripsi.

Sisinnius misericordia Dei episcopus Heracleæ metropolis provinciæ Europæorum definiens subscripsi.

Plato misericordia Dei episcopus Ancyræ metropolis primæ Galatiæ provinciæ definiens subscripsi.

Georgius misericordia Dei episcopus Cyzici metropoleos provinciæ Hellespunti definiens subscripsi.

Marinus indignus episcopus Sardium metropolis provinciæ Lydiæ definiens subscripsi.

Petrus indignus episcopus Nicomediæ metropolis Bithyniæ provinciæ definiens subscripsi.

Photius misericordia Dei episcopus Nicææ metropolis Bithyniæ provinciæ definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus Chalcedonensis metropoleos Bithyniæ provinciæ definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus Sidensis metropolis Pamphyliæ provinciæ definiens subscripsi.

Justinus misericordia Dei episcopus Tyanensis metropolis secundæ Cappadociæ provinciæ definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus Amasiæ metropolis Helenoponti provinciæ definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus Melitenensis metropoleos primæ Armeniæ provinciæ subscripsi.

Alypius misericordia Dei episcopus Gangræ metropolis Paphlagoniæ regionis definiens subscripsi.

Cyprianus misericordia Dei episcopus Claudiopolitanæ civitatis Honoriadis regionis definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus Pessinuntis metropolis secundæ Galatiæ regionis definiens subscripsi.

Polyeuctus misericordia Dei episcopus Myrorum metropolis Lyciæ regionis definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus Stauropoleos metropolis Cariæ regionis definiens subscripsi.

Tiberius misericordia Dei episcopus Laodiceæ metropolis Phrygiæ Pacatianæ regionis subscripsi.

Cosmas misericordia Dei episcopus Synoadorum metropoleos Phrygiæ Salutariæ regionis definiens subscripsi.

Constantinus misericordia Dei episcopus Baratæ civitatis Lycaoniæ regionis, & locum exhibens Pauli sanctissimi metropolitani mei Iconii metropolis definiens subscripsi.

Stephanus misericordia Dei episcopus Antiochiæ metropolis Pisidiæ regionis definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus Pergæ metropoleos Pamphyliæ regionis definiens subscripsi.

Theopemptus misericordia Dei episcopus Justinianopoleos, seu Mocisi metropolis Christo amabilis secundæ Cappadociæ regionis definiens subscripsi.

Isidorus misericordia Dei episcopus Rhodi metropolis Cycladum insularum definiens subscripsi.

Sisinnius misericordia Dei episcopus Hierapolis metropolis Phrygiæ Pacatianæ regionis definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus Tarsi metropolis primæ Ciliciæ regionis definiens subscripsi.

Stephanus misericordia Dei episcopus Anazarbi

zarbi metropolis ſecundæ Ciliciæ regionis definiens ſubſcripſi.

Macrobius miſericordia Dei epiſcopus Seleuciæ metropolis Iſauriæ regionis definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Athenarum, & legatus ſancti concilii apoſtolicæ ſedis priſcæ Romæ definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Stoborum civitatis definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei Epiſcopus Argi definiens ſubſcripſi.

Theodoſius miſericordia Dei epiſcopus civitatis Lacedæmoniorum definiens ſubſcripſi.

Gregorius miſericordia Dei epiſcopus Cantani Cretæ inſulæ definiens ſubſcripſi.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus Biayæ civitatis Thraciæ regionis definiens ſubſcripſi.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Pompejopoleos metropolis Paphlagoniæ regionis definiens ſubſcripſi.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus indignus Mileti civitatis Cariæ regionis definiens ſubſcripſi.

Zacharias miſericordia Dei epiſcopus Leontopoleos Iſauriæ regionis definiens ſubſcripſi.

Gregorius miſericordia Dei epiſcopus Mitylenæ civitatis Lesbi inſulæ definiens ſubſcripſi.

Sergius miſericordia Dei epiſcopus Selymbriæ civitatis Europæ regionis definiens ſubſcripſi.

Andreas miſericordia Dei epiſcopus civitatis Methymnæ Lesbi inſulæ definiens ſubſcripſi.

Theognius miſericordia Dei epiſcopus civitatis Cii (*a*) Bithyniæ regionis definiens ſubſcripſi per manus Georgii diaconi, & diſpenſatoris ſanctæ eccleſiæ meæ, pro infirmitate, qua detineor.

Alexander miſericordia Dei epiſcopus Cotyæorum (*b*) Iſauriæ regionis definiens ſubſcripſi.

Epiphanius miſericordia Dei epiſcopus Euchaitarum civitatis Helenoponti regionis definiens ſubſcripſi.

Petrus miſericordia Dei epiſcopus Sozopoleos Thraciæ definiens ſubſcripſi.

Petrus gratia Dei noſtri epiſcopus Meſembriæ civitatis definiens ſubſcripſi.

Stratonicus miſericordia Dei epiſcopus Solorum civitatis Cypri inſulæ definiens ſubſcripſi.

Tychon miſericordia Dei epiſcopus civitatis Citii Cypri inſulæ definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Nyſſæ civitatis primæ Cappadociæ regionis definiens ſubſcripſi.

Thaodorus miſericordia Dei epiſcopus civitatis Armeniæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Thermenſis civitatis primæ Cappadociæ regionis definiens ſubſcripſi.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus Camulianæ civitatis primæ Cappadociæ regionis definiens ſubſcripſi.

Theodorus humilis epiſcopus Juſtinianopoleos civitatis territorii de (*c*) Zinis definiens ſubſcripſi.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus territorii, (*d*) Daranyſenſis, ſeu Analibiæ magnæ Armeniorum regionis definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Lappæ Cretæ inſulæ definiens ſubſcripſi.

Zoetus miſericordia Dei epiſcopus Chriſtopoleos, ſive Dios hieri, quod eſt, Jovis ſacrum, Aſianæ regionis definiens ſubſcripſi.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Pergami civitatis Aſianæ regionis definiens ſubſcripſi.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Maſtaurorum civitatis Aſianæ regionis definiens ſubſcripſi.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Adramytorum civitatis Aſianæ regionis definiens ſubſcripſi.

Patricius miſericordia Dei epiſcopus Magneſiæ circa Mæandrum civitatis Aſianæ regionis definiens ſubſcripſi.

Antonius miſericordia Dei epiſcopus Hypæporum civitatis Aſianæ regionis definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Amatuntorum Aſianæ regionis definiens ſubſcripſi.

Siſinnius miſericordia Dei epiſcopus Nyſſorum civitatis Aſianæ regionis definiens ſubſcripſi.

Rhegious miſericordia Dei epiſcopus Panii Thraciæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Heracleopolitanæ civitatis ſecundæ Armeniæ regionis definiens ſubſcripſi.

Martyrius miſericordia Dei epiſcopus Juliopoleos civitatis primæ Galatiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Michael miſericordia Dei epiſcopus Aſponitanæ civitatis primæ Galatiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Plato humilis epiſcopus Cinnæ civitatis primæ Galatiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Andreas miſericordia Dei epiſcopus civitatis Minicæ primę Galatiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Geneſius humilis epiſcopus Anaſtaſiopolitanæ civitatis primæ Galatiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Uranopolitanæ civitatis primæ Galatiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Miletopolitanæ civitatis Helleſponti regionis definiens ſubſcripſi.

Mercurius miſericordia Dei epiſcopus Pœmanini Helleſponti regionis definiens ſubſcripſi.

Domitius miſericordia Dei Epiſcopus civitatis Pirymneſiæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus civitatis Ibororum Helleſponti definiens ſubſcripſi.

Cyricus miſericordia Dei epiſcopus civitatis Hadrianenſis Helleſponti definiens ſubſcripſi.

Andreas miſericordia Dei epiſcopus civitatis Sylandinæ Lydiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Joannes humilis epiſcopus civitatis Philadelphiæ Lydiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus civitatis Sitorum Lydiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Theodotus miſericordia Dei epiſcopus Daldæ Lydiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus civitatis Sepetnorum Lydiæ regionis definiens ſubſcripſi.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Daſcylii Helleſponti definiens ſubſcripſi.

Joannes humilis epiſcopus Hadrianopoleos Bithyniæ regionis definiens ſubſcripſi.

Siſinnius miſericordia Dei epiſcopus Baſilinopoleos Bithyniæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus civitatis Præneti Bithyniæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Geor-

(*a*) Cianorum. (*b*) Cotradorum. (*c*) Ecclenzina. (*d*) Daranalcenſis.

Georgius misericordia Dei episcopus civitatis Cadosianorum Bithyniæ provinciæ definiens subscripsi.

Stephanus misericordia Dei episcopus Cæsareæ civitatis Bithyniæ regionis definiens subscripsi.

Anastasius misericordia Dei humilis episcopus Theotocianorum civitatis sive Apolloniadis definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus civitatis novæ Justinianopoleos Bithyniæ Gordi definiens subscripsi.

Mennas misericordia Dei episcopus civitatis Caralliæ Pamphyliæ definiens subscripsi.

Cosmas misericordia Dei episcopus civitatis Cantanorum Pamphyliæ regionis definiens subscripsi.

Nicetas misericordia Dei episcopus civitatis Coracesii definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus civitatis Verissæ secundæ Armeniæ provinciæ definiens subscripsi.

Callinicus misericordia Dei episcopus Coloniæ civitatis magnæ Armeniæ provinciæ definiens subscripsi.

Tiberius gratia Dei episcopus civitatis Amisun Helenopooti provinciæ definiens subscripsi.

Sergius misericordia Dei episcopus civitatis Sinupes Helenoponti provinciæ definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus Iborensis Helenoponti provinciæ definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus civitatis Trapezontinæ definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus Andrapenæ civitatis Helenoponti provinciæ definiens subscripsi.

Gregorius misericordia Dei episcopus civitatis Arces primæ Armeniæ regionis definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus civitatis Faustinopoleos secundæ Cappadociæ definiens subscripsi.

Itenarchus misericordia Dei diaconus sanctæ Amastrinæ ecclesiæ, locum exhibens Comitæ sanctissimi episcopi mei definiens subscripsi.

Georgius misericordia Dei episcopus Junopoleos definiens subscripsi.

Phocas misericordia Dei episcopus civitatis Dadybrorum definiens subscripsi.

Platon misericordia Dei episcopus Hadrianopoleos Honoriadis definiens subscripsi.

Georgius misericordia Dei episcopus civitatis Cratiæ Honoriadis definiens subscripsi.

Domitius misericordia Dei episcopus Prusiadis civitatis definiens subscripsi.

Stephanus misericordia Dei episcopus Heracleæ Ponti definiens subscripsi.

Longinus misericordia Dei episcopus civitatis Tii definiens subscripsi.

Anastasius misericordia Dei episcopus Polemonii definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus civitatis Comanæ definiens subscripsi.

Theophylactus misericordia Dei episcopus civitatis Cerasuntis definiens subscripsi.

Salomon misericordia Dei episcopus civitatis Claoei (alias *Cleones*) definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus civitatis Amorii definiens subscripsi.

Zemarcus misericordia Dei episcopus civitatis Sidymorum Lyciæ provinciæ definiens subscripsi.

Georgius misericordia Dei episcopus civitatis Ceniandenorum Cariæ provinciæ definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus civitatis Erizorum Cariæ provinciæ definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus civitatis Myndi Phrygiæ Pacatianæ provinciæ definiens subscripsi.

Patricius misericordia Dei episcopus civitatis Iluzorum Cappadociæ provinciæ definiens subscripsi.

Petrus misericordia Dei episcopus civitatis Appiæ definiens subscripsi.

Cyricus misericordia Dei episcopus civitatis Ancyræ Phrygiæ definiens subscripsi.

Alexander misericordia Dei episcopus civitatis Nacoliæ Phrygiæ Salutariæ provinciæ definiens subscripsi.

Paulus misericordia Dei episcopus civitatis Sozopoleos Pisidiæ definiens subscripsi.

Marinus humilis episcopus civitatis Philomelii definiens subscripsi.

Constantinus humilis episcopus civitatis Tibriadorum Pisidiæ provinciæ definiens subscripsi.

Platon misericordia Dei episcopus civitatis Magidorum Pamphyliæ provinciæ definiens subscripsi.

Plusianus misericordia Dei episcopus civitatis Syllensis definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus civitatis Naaianzi definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus civitatis Doarorum definiens subscripsi.

Demetrius humilis episcopus civitatis insulæ Teni definiens subscripsi.

Stephanus humilis episcopus insulæ Parii definiens subscripsi.

Eutychius humilis episcopus insulæ Meli definiens subscripsi.

Georgius humilis episcopus insulæ Theræ definiens subscripsi.

Joannes humilis episcopus civitatis Coryci primæ provinciæ Ciliciæ definiens subscripsi.

Joannes misericordia Dei episcopus civitatis Adanorum definiens subscripsi.

Georgius misericordia Dei episcopus civitatis Flaviadis secundæ provinciæ Lyciæ definiens subscripsi.

Eulalius misericordia Dei episcopus Zenonopoleus Isauriæ definiens subscripsi.

Constantinus misericordia Dei episcopus civitatis Dalisandi Isauriæ provinciæ definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus civitatis Olbeorum definiens subscripsi.

Georgius misericordia Dei episcopus insulæ Coensium definiens subscripsi.

Theodorus (alias *Theodosius*) humilis episcopus Psibelorum Lycaoniæ regionis definiens subscripsi.

Georgius misericordia Dei episcopus Chii insulæ definiens subscripsi.

Georgius humilis episcopus insulæ Naxiæ definiens subscripsi.

Constantinus humilis episcopus Lampsaci definiens subscripsi.

Cosmas misericordia Dei episcopus civitatis Cottinorum definiens subscripsi.

Polychronius misericordia Dei episcopus Theo-

Theopolitanæ civitatis Bithyniæ regionis definiens subscripsi pee Theodosium religiosum presbyterum sanctissimæ magnæ ecclesiæ meæ propter senectutem meam.

Petrus gratia Christi Dei nostri episcopus civitatis Mesembriorum Hæmi montis regionis definiens subscripsi.

Petrus indignus Episcopus Sozopoleos Hæmi montis reginnis definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus civitatis Trapezuntiorum definiens subscripsi.

Leontius misericordia Dei episcopus Helenopolitanæ civitatis Teapezuntiorum definiens subscripsi.

Theodosius misericordia Dei episcopus Sebastiæ Metropolis secundæ Armeniæ regionis defioiens subscripsi.

Silvanus misecicordia Dei episcopus Lemni insulæ definiens subscripsi.

Isidorus misericordia Dei episcopus Abydi civitatis definiens subscripsi.

Andreas misecicordia Dei episcopus civitatis Neapolitanæ Caelæ regionis definiens pee Theodorum metropolitanum meum, propter infirmitatem (in margine legitur, *oculorum privationem*) qua detineor.

Joannes misecicordia Dei episcopus Carpathi insulæ definiens subscripsi.

David humilis diaconus sanctissimæ ecclesiæ, quæ est in Bosphoro, & locum exhibens Andreæ venerabilis episcopi mei subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Phasidis Lazici provinciæ definiens subscripsi.

Citonatus misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Calaritanæ insulæ Sardiniæ definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei episcopus Aureliopoleos Libyæ provinciæ definiens subscripsi.

Subscriptio piissimi, & Christo dilecti Constaatini Imperatoris.

Constantinus in Christo Deo Rex ac Imperator Romanorum, legimus, & consensimus.

Post Subscriptioaes inter alia in ipsa Actione XVIII. *hæc sequuntur.*

Constantinus piissimus imperatoe dixit: *Edicat sanctam, & universale Concilium, si cum consensu omnium episcoporum promulgata est definitio, quæ ad præsens relecta est.*

Sanctum concilium exclamavit: *Omnes ita credimus, una fides, omnes idipsum sentimus, omnes consentientes & amplectentes subscripsimus, orthodoxe omnes credimus. Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides orthodoxorum. Multos annos imperatori. Integritates duarum naturarum Christi Dei nostri tu declarasti. Luminarium pacis domine conserva. Marciano novo Constantino æterna memoria. Novo Justiniano Constantino æterna memoria. Omnes hæreticos tu effugasti. Dejectorem hæreticorum domine conserva. Dividentes & confundentes tu persecutus es. Absit invidia a vestro imperio. Deus custodiat fortitudinem vestram. Deus regnum vestrum, & imperium vestrum pacificet. Vestra vita, orthodoxorum vita est. Cælestis rex terrestrem conserva. Per te universalis ecclesia pacificata est. Nestorio, & Eutychi, & Dioscoro anathema. Apollinari, & Severo anathema. Consentaneis eorum anathema. Theodoro Pharanitæ anathema. Sergio, & Honorio anathema. Pyrrho, & Paulo anathema. Cyro, & Petro anathema. Macario, & Stephano, & Polychronio anathema. Omnibus hæreticis anathema: Qui prædicaverunt, & prædicant, & docent, ac docturi sunt unam voluntatem, & unam operationem in dispensatione domini nostri Jesu Christi Dei nostri, anathema.*

H I S T O R I A
CONCILII QUINI-SEXTI TRULLANI APPELLATI.

I. QUum in Synodis generalibus, Quinta, & Sexta nulli Canones editi essent, Justiniano II. Imperatore, qui a naribus præcisis cognominatus fuit *Rhinotmetus*, Constantinopoli celebeatus est alter Præsulum conventus in Trullo, idest Imperialis Palatii secretario supeene fornicato, ubi Canones duo supra centum conditi sunt. Hanc Synodi agendæ causam indicant sane, qui ad illam conveneee Episcopi in sua ad Imperatorem allocutione, sic inter alia ajentes: *Quoniam sanctæ, & universales duæ Synodi*, nempe Quinta, & Sexta, *in hac imperante, & Dei observatrice Civitate congregatæ, una quidem temporibus divæ recordationis Justiniani, altera vero sub piæ memoriæ Constantino tuæ mansuetudinis patre, ad paterne declarandum Fidei mysterium, sacros Canones nequaquam conscripserunt, sicut reliquæ sanctæ* IV. *universales Synodi, per quos populi a deteriore, & abjectiore vivendi ratione decedant, ad meliorem autem, & altiorem vitam se tradnent.... sanctam hanc, & divinitus electam universalem Synodum congregari decrevisti, ut multorum simul juncta voluntate, unanimique consensione, id quod magno studio contenditur, a te recte, & ordine efficiatur.* Hinc Quini-sexta hæc Synodus appellata est, quod, velut ad supplementum utriusque facta sit. Trullana est dicta, quia in Teullo magni Palatii, idest sub Regiæ fornice, vulgo *Capula*, habita est, quam & erraticam alii appellavere, atque schismaticam Synodum.

II. Synodi hujus Auctorem, & Præsidem, scribunt Baeonius, Binius, Lupus, & nuperus Auctor Anonymus Delectus Actorum Ecclesiæ universalis, fuisse Callinicum Patriarcham Constantinopolitanum, sed absque ratione, absque teste, imo contea manifestam subscriptionum fidem, contra Balsamonis testimonium, contra Nicephorum in Chronico, & Theophanem, qui Pauli moetem cum anno DCXCIII. & Callinici initium conjungunt. Subscripsit enim Canonibus ab ipsa Synodo editis Paulus Callinici decessoe, quod ex veteribus Codicibus confirmat Blastares in Nomucanonia Præfatione. Porro Joanne V. Pontifice Maximo, Theodoeus ille Patriarcha Constanti-

stantinopolitanus, qui ante Sextam Synodum sede deturbatus, in eam postea anno DCLXXXIII. mortuo Georgio, restitutus fuerat, supremum diem obiit, postquam, ut ait Theophanes, post suam restitutionem annos tres sedisset, & consequenter anno DCLXXXVI. mortuus. Successit autem Theodoro in Sedem Constantinopolitanam Paulus *ex laico a secretis*, inquit Theophanes. Paulo vero anno DCXCIII. defuncto successit Callinicus, qui Leontio adhæserat, quando Justinianum e solio dejecit, & Chersonam relegavit. Quare Justinianus recuperato anno DCCV. Imperio Callinicum oculis orbatum Romam in exilium misit, ubi carceri inclusus misere obiit. Colitur in Menæis die XXIII. mensis Augusti, unde decepti sunt Baronius, & Bollandus ad diem VIII. Januarii, in Vita Cyri Patriarchæ Constantinopolitani, ejus successoris, qui existimantes, eum præfuisse Synodo Quini-sextæ, de illo tamquam de novatore, & viro factioso loquuntur. Quibus etiam frustra Lupus adhæret in Dissertatione, *De Synodi Trullanæ causa & tempore*, ubi ait: *Ejus*, nempe Callinici, *ut viri infamis nomen existimem erasum a posterioribus Synodi Patronis, ac intrusum nomen Pauli*. At Callinicum nullus antiquorum alicujus criminis reum facit, & gratis dicitur nomen Pauli in locum nominis Callinici subrogatum fuisse, uti in Vita S. Sergii I. Papæ notat Pagius.

III. Apostolicam Legationem huic Synodo adfuisse, non recte quidem negat Baronius, cum testem de ea re locupletissimum habeamus Anastasium Bibliothecarium, qui in Vita memorati Sergii I. ita scribit: *Hujus Pontificis temporibus Justinianus Imperator Concilium in Regia Urbe fieri jussit, quo & Legati Sedis Apostolicæ convenerant, & decepti subscripserant*. Hanc Legationem varie explicant recentiores Historici, inter quos Petrus de Marca Lib. V. *De concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. XVIII. rem exactius exposuisse videtur. Observat enim, Romanos Pontifices solitos fuisse Legatos ad Imperatores mittere, pro negotiis Ecclesiæ procurandis. Hi Legati, qui Apocrisarii, & Responsales dicebantur, assidui erant in comitatu Principis, & proprias Ecclesiæ Romanæ causas apud eum prosequebantur, jurisdictionis tamen nullam attingebant partem, nisi ex speciali delegatione eis data. Quæ cautio tametsi minime esset inutilis ad vitandas Patriarcharum Constantinopolitanorum machinationes, qui suæ Sedis amplificationi semper intenti, terrore, & minis Principis assensum Legati ad res novas constituendas extorquere potuissent, ut saltem non incolorata videri posset immutatio, quæ Apostolicæ Sedis auctoritate aliqua muniretur: tamen prudentia sua obtinere Pontifices ipsi Romani vix potuere, quin in eos laqueos frequenter inciderent, a quibus tam studiose sibi cavebant. Etenim in hac Synodo Trullana, ut color aliquis novis Decretis, quæ in ea condita sunt, quæsitus videretur, illa Oecumenicæ titulum assumpsit ob Romanæ Sedis auctoritatem adhibitam. Legati enim, seu Apocrisarii, vel Responsales Apostolicæ Sedis, qui munere suggestionis apud memoratum Justinianum Augustum fungebantur, huic Synodo interfuere.

IV. Quamvis ergo Sergius Papa Legatos mandatis suis instructos ad hunc Trullanum conventum haud miserit, quem etiam, ut inferius dicetur, velut illicitum damnavit: Basilium nihilominus Episcopum Gortynæ, Cretensium Metropolitam, & Ravennatem Episcopum adfuisse huic Synodo nomine totius Synodi Romanæ Ecclesiæ, testatur quidem Theodorus Balsamon. De Basilio fidem luculentissimam facit ejus subscriptio, quæ ita legitur: *Basilius Gortynensis Archiepiscopus locum tenens totius Synodi sanctæ Romanæ Ecclesiæ*: at Ravennatis Episcopi absentia ex ipsis Synodi subscriptionibus liquet, nisi præsens fuerit initio Synodi, & abierit ante ejusdem exitum, vel subscribere noluerit, uti scite autumat Natalis Alexander Scriptor omnium eruditissimus, Dissertatione III. in Historiam Ecclesiasticam Seculi VII. probatque ex eo, quod in subscriptionibus legatur, *Locus Ravennatis Episcopi*. Quod Episcoporum numerum spectat, qui ei Synodo adfuerunt, ait quidem Blastares, subscripsisse etiam Patriarchas, cum tamen Anastasius in Synodi VII. ad Joannem Papam præfatione asserat, Patriarchas ne quidem per Legatos ei adfuisse. Auctor Libelli Synodici Episcopos CCXL. Balsamon, & Zonaras CCXVII. huic Synodo interfuisse scribunt; in hodiernis tamen exemplaribus subscripti tantum reperiuntur CCII. inter quos extitere quidem non pauci, quos probitas, doctrina, & sanctitas commendabiles reddebat.

V. Quod annum spectat celebratæ hujus Synodi, acriter etiam certant Scriptores, eorumque varias opiniones recenset quidem, ac refellit in vita Sergii memoratus Pagius, Num. VIII. & IX. & X. Celebratam volunt passim anno Christi DCXCI. vel sequenti. Sed quicquid de ea controversia sit, illud nobis hic est omnino adnotandum, centum & duos Canones, quos edidit Synodus, nec omnes probatos, nec omnes improbatos ab Ecclesia Romana fuisse. Non est probatus Canon II. quo LXXXV. Apostolorum Canones, & Constitutiones amplectendæ decernuntur tamquam ab Apostolis editæ. Non Canon XIII. quo lex Ecclesiastici cælibatus concutitur, & castissima Romanæ Ecclesiæ reprehenditur disciplina, qua sacris Ministris usu Conjugii interdicitur. Non Canon LV. quo Jejunium Sabbathi in Romana Ecclesia celeberrimum damnatur: non alii plures, de quibus in eorum Commentariis suo loco dicetur. Omnia in hac Synodo acta, *in Romanam Urbem ad confirmandum, vel in superiori loco subscribendum Sergio Pontifici, utpote Capiti Sacerdotum omnium*, Justinianum Imperatorem direxisse, testatur quidem Anastasius Bibliothecarius in vita Sergii, additque Pontificem Imperatori minime acquievisse, sed Canones ipsos, ut invalidos respuisse, ac rejecisse, eligentem *ante mori quam novitatum erroribus consentire*.

VI. Cum itaque Sergius Justiniani Imperatoris precibus haudquaquam fractus Quini-sextæ Synodi Canones rejecisset; Imperator Zachariam Protospatarium suum Romam misit, qui Pontificem Constantinopolim deportaret. Sed militia Ravennæ, vicinarumque partium jussa Principis nefanda contemnens, non permisit ea executioni mandari. Quare cum omni ex parte multitudo militiæ conveniret, Zacharias Protospatarius in timorem propriæ salutis adductus, ad Pontificem protinus se recepit, atque ad pedes prostratus veniam supplex oravit, & ne furori militum se dederet, obsecravit. Pontifex bonum ipsi animum habere jussit, inde ad placandum profectus exercitum, pro Basilica Theodori Pontificis, patefactis valvis assedit; ac militibus, & populo sedatis, quod pro salute sua tanta alacritate arma

sumpsissent, gratias egit. Nec tamen ante Milites Urbe excedere voluerunt, quam onustum contumeliis, & metu perterritum inde Zachariam exegissent. Docet hæc Pagius in Vita Sergii ex Anastasio in ejusdem Pontificis Vita, Beda Lib. *De sex ætatibus*, & Paulo Diacono Lib. VI. *De gestis Longobardorum*, Cap. XI.

VII. Trullanos eosdem Canones, quos a Sergio I. rejectos doluerat Justinianus, missa deinde ad ejus successorem Joannem VII. legatione, confirmari ipsius auctoritate postulavit: sed Pontifex Canones nec improbatos, ne Principem offenderet, nec approbatos, ne proderet officium, per eosdem Legatos remisit ad Principem, ut testis est memoratus Anastasius in Vita Joannis VII., sic dicens: *Illico ut Palatium ingressus est, propriumque adeptus est Imperium*, idest recuperavit, *Justinianus, Tomos, quos antea sub Domno Sergio Apostolicæ memoriæ Pontifice Romam direxerat, in quibus diversa Capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos Metropolitanos Episcopos demandavit, dirigens per eos & sacram, per quam denominatum Pontificem conjuravit, ac adhortatus est, ut Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæ ei visa essent, stabiliret, & quæ adversa, renuenda excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hos nequaquam Tomos emendans, per suprafatos Metropolitas direxit ad Principem*. Joannem itaque VII. arguit Anastasius, quod noluerit cribrare Trullanos Canones, & triticum a palea separare. Nec sine fundamento, inquit Lupus in Dissertatione, *De Synodo Trullana*, vere enim de hac Synodo ait libellus Synodicus, *emissos in Quinta, & Sexta Synodo Canones edidit, & ab omni Græca*, idest Gentili, *atque Judaica, quia & hæretica traditione Ecclesias purgavit*. Habet hæc Synodus bona malis mixta, inquit idem doctissimus Lupus, & utile ab inutili non vitiatur, poteratque separari. Utile sane est ejus Synodi de sacrarum Imaginum antiquitate Decretum in Canone LXXXII. tametsi enim is perperam reprobet Romanæ Ecclesiæ morem, quo Christus Dominus in figura Agni depingebatur: in ea autem parte merito Canon ipse laudandus est, quod sacrarum Imaginum usum probat. Hinc cum Leo Isaurus Imperator, eique adhærentes Iconoclastæ blaterarent, nullam a sex generalibus Synodis fieri sacrarum Imaginum mentionem, ideoque ipsas ab Ecclesia nunquam fuisse probatas, ipsum Trullanum Canonem LXXXII. præsertim partem ejus priorem Hadrianus Pontifex illis opposuit.

VIII. Constantinum tandem Pontificem Maximum Justiniani Imperatoris sacra jussione Constantinopolim evocatum anno DCCIX. & honorificentissime exceptum, testatur idem Anastasius in Vita Constantini. Quid in Urbe Regia Pontifex egerit, Scriptorum inopia, & silentio latet. Agitatam tamen ibi fuisse tunc controversiam de Canonibus Trullanæ Synodi, ex eo deducit Baronius, quod cum nulla his temporibus alia verteretur quæstio inter Orientales & Occidentales, idem tamen Anastasius in Vita Gregorii II., qui comes itineris Constantino fuerat, & deinde post illius obitum Pontifex Maximus fuit renunciatus, ita scribit: *Gregorius*, Romanæ tunc Ecclesiæ Diaconus, *cum Viro sancto Constantino Pontifice ad Regiam profectus est Urbem, atque a Justiniano Principe inquisitus de quibusdam Capitulis, optima responsione unamquamque solvit quæstionem*. Colligit ex hoc Anastasii testimonio Lupus, Constantinum primum fuisse e Pontificibus Romanis, qui Canones Synodi Trullanæ, Ecclesiæ Romanæ Decretis non adversantes probavit; & Justinianum, quod a Joanne VII. postularat, a Constantino obtinuisse, ideoque omnia Romanæ Ecclesiæ privilegia Justinianum novis edictis confirmasse.

IX. Tradit præterea Baronius, cui alii Viri docti adhærent, Constantinum Papam eos quidem laudatæ Synodi Canones approbasse, qui Juri Divino, priscarum Synodorum Regulis, Pontificum Summorum Decretis, & Romanæ Ecclesiæ moribus non repugnant, alios vero penitus improbasse. Ita etiam illos adprobatos fuisse ab Adriano I. Pontifice Maximo, ex ejusdem Epistola ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum liquido constat: *Invenimus*, inquit, *in prædicta Synodica Epistola Sanctitatis vestræ, post plenitudinem Fidei, & professionem sacri Symboli, & omnium sanctarum sex Synodorum, & de sacris venerabilibus characteribus miraculum laude, ac veneratione dignissimum contineri. Quare & easdem sanctas Synodos suscipio cum omnibus Regulis, quæ jure, ac divinitus ab ipsis promulgata sunt*. Ex quibus constat, Septimæ Synodi auctoritatem, quæ Canone I. Trullanos Canones sub nomine Sextæ Synodi recipit, non evincere, quod absque exceptione ab Ecclesia recepti sint, cum Synodi Septimæ laudatum Canonem Adrianus Pontifex Maximus minime confirmaverit, sed approbationem Trullanorum Canonum ad eos restrinxerit, *qui jure, ac divinitus promulgati sunt*.

X. De ipsis Canonibus, quos gravi Synodi sextæ auctoritate, veluti ab ea editos venditabant Græci, egregium est quod in Præfatione VIII. Synodi ad Adrianum II. Pontificem Maximum memoratus toties Bibliothecarius scribit: *Græci & alia ostendunt Regularum numerosa, & præsumptuosa satis Capitula, priscæ traditioni pene omnia valde contraria, quæ a Sexta Synodo perhibent promulgata, cum Sexta Synodus nullam protulerit præter Fidei Regulam, sed quas ejus asseverant Regulas, longe post Sextam Synodum apud ipsos constat penes se, privatimque depromtas*. Idipsum luculentius docet Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ Episcopus adversus Nicetam Pectoratum ita scribens: *Non mirum, si Agathoni Papæ, & sanctis Patribus Sextæ Synodi vestra imputetis deliramenta, & quæ aut corrupistis, aut finxistis Capitula, cum etiam ipsi Domino Jesu, & Apostolis ejus imputetis figmenta. Unde nos scientes Sextam Synodum ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas Institutiones congregatam, Capitula quæ nobis sub ejus auctoritate exponitis, omnino refutamus, quia Prima, & Apostolica Sedes nec aliquando ea accepit, nec observat; quia aut sunt nulla, aut ut vobis libuit, depravata sunt*. Et infra: *de Papa Agathone omnino scimus, quia nec Sextæ Synodo per se ipsum præsedit, nec aliquibus ejus Capitulis subscripsit, nisi quæ promulgata fuerunt adversum Monothelitarum hæresim. Vos videte, unde hæc, quæ proponitis, habeatis, quia Romana Ecclesia talia hactenus ignoravit*. Quicquid sit, lapsu temporis non modo Synodi, sed & Pontifices Maximi usi aliquando fuere Canonibus hisce Trullanis. Ut autem alios omittam, Sixtus V. Canonem ex ipsa Synodo nonagesimum primum laudat in Constitutione sua LXXXVII. adversus procurantes abortum.

COM-

COMMENTARII IN CANONES TRULLANOS.

TITULI CANONUM.

I. *De Fide ab Apostolis tradita, & de doctrina sex Synodorum universalium inviolabiliter servanda.*
II. *De Canonibus* LXXXV. *Apostolorum, & Constitutionibus S. Clementis.*
III. *De bigamis, ne admittantur ad Clerum.*
IV. *De iis, qui cum Virgine sacrata peccaverint.*
V. *De introductis mulieribus.*
VI. *De Hypodiacono, Diacono, & Presbytero, ne post susceptos Ordines Matrimonia contrahant.*
VII. *De Diaconorum arrogantia coercenda.*
VIII. *De loco Synodi Provincialis celebranda, & ut minimum semel quotannis cogatur.*
IX. *Ne Clerici cauponariam tabernam exerceant.*
X. *Ne Episcopus, Presbyter, vel Diaconus usuras accipiat.*
XI. *Ut nemo in ritibus, aut victu cum Judæis communicet.*
XII. *Ne Episcopi post ordinationem una cum uxoribus habitent.*
XIII. *De Diaconorum, & Presbyterorum continentia.*
XIV. *Ne Presbyter ante* XXX. *Diaconus ante* XXV. *& Diaconissa ante* XL. *annos ordinetur.*
XV. *Subdiaconus ne minus* XX. *annis ordinetur.*
XVI. *De numero Diaconorum in quacumque civitate, & de eorum munere juxta primævam eorum institutionem.*
XVII. *Ut nullus Clericorum sine scripta proprii Episcopi dimissoria in alienæ Ecclesiæ catalogum referatur.*
XVIII. *Ut Clerici, qui ex necessitate propriam Ecclesiam deseruerunt, ea cessante, ad illam revertantur.*
XIX. *Ut qui Ecclesiæ præsunt, diebus præsertim Dominicis ex Scripturis, & sanctis Patribus populum instruant.*
XX. *Ne Episcopus in aliena Ecclesia publice doceat.*
XXI. *Ut Clerici ob crimen depositi, si pœniteant, Clerici habitu tondeantur, sin minus, comam nutriant.*
XXII. *De Episcopis, & Clericis, qui pecunia ordinantur.*
XXIII. *Ne ob communionem quidquam exigatur.*
XXIV. *Ne Clerici, aut Monachi equestres ludos spectent, & ut Clericus ad nuptias vocatus, ubi ludicra nuptialia introierint, abscedat.*
XXV. *De jure Parœciarum non immutando.*
XXVI. *De Presbytero, qui per ignorantiam nuptias contraxerit.*
XXVII. *Ut Clerici convenientes sibi veste utantur.*
XXVIII. *Ne uva cum Eucharistia a Sacerdotibus distribuatur.*
XXIX. *Ut fideles etiam in Feria* V. *in Cœna Domini jejuni communicent.*
XXX. *Sacerdotes inter barbaros, qui contra Canonem Apostolicum ducta ante uxoris usu abstinent, cum illa ne cohabitent.*
XXXI. *Clerici sine Episcopi facultate in Oratoriis domesticis ne Sacra faciant, vel baptizent.*
XXXII. *Incruento sacrificio ex Apostolica traditione aqua vino miscenda.*
XXXIII. *Ut digni in Clerum referantur, & qui ex suggestu prædicant, Sacerdotali tonsura utantur, suscepta a suo Pastore benedictione.*
XXXIV. *Ut conjurantes Clerici, aut Monachi, aut adversus Episcopos, vel Conclericos aliquid machinantes, a proprio gradu excidant.*
XXXV. *De rebus Episcopi mortui sub Cleri custodia servandis, donec de altero Episcopo Ecclesiæ provisum fuerit.*

XXXVI. *De privilegiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ.*

XXXVII. *Episcopos a barbaris Sede pulsos, valide ac licite Pontificalia munia obire.*

XXXVIII. *Ut sicubi a Principe nova civitas erigatur, novus quoque ibidem Episcopus cum Clero ordinetur.*

XXXIX. *De Justinianopolitani Præsulis privilegiis.*

XL. *De Monachorum ætate, ac probatione.*

XLI. *De futuri Monachi exercitationibus.*

XLII. *Ut Eremitæ, qui Urbes obeunt, vel inter Cœnobitas referantur, vel ad solitudinem compellantur.*

XLIII. *Ut nemo a monastica vita excludatur.*

XLIV. *Ut Monachus fornicator, aut uxorem ducens, fornicatorum pœnis subjiciatur.*

XLV. *Ut Mulieres, quæ monasterium ingrediantur, sericis vestibus, ac mundo muliebri non exornentur.*

XLVI. *Ut Mulieres in monasteriis constitutæ nonnisi ex necessitate, & de facultate ejus, quæ præfecta est, egrediantur. Sed & viri quoque nonnisi necessitate urgente, & cum benedictione ejus, qui præest, procedant.*

XLVII. *Ut nec mulier in virorum monasterio, nec vir in mulierum dormiat.*

XLVIII. *De Episcopi creati uxore ut in monasterium secedat.*

XLIX. *Monasteria in secularia habitacula ne convertantur.*

L. *De ludo aleæ tum Clericis, tum Laicis vitando.*

LI. *De mimis, aliisque spectaculis evitandis.*

LII. *Ut in Quadragesima, excepto Sabbato, & Dominica, fiat oblatio Sacrificii ante perfecti.*

LIII. *Ut nemo cum matre baptizati, quem e fonte suscepit, contrahat matrimonium.*

LIV. *De nuptiis illicitis.*

LV. *Clerici ne Sabbato, vel Dominica, etiam Romæ jejunent.*

LVI. *De abstinentia Quadragesimæ.*

LVII. *Mel & lac ad altare ne offeratur.*

LVIII. *Laici ne sibi divina mysteria impertiant.*

LIX. *Ut Baptismus solum in Ecclesia conferatur.*

LX. *Ut qui se a dæmone correptos simulant, ut dæmoniaci puniantur.*

LXI. *Ut vates, sortilegi, incantatores &c. Canonicæ pœnæ subjiciantur.*

LXII. *Festa gentilium a Fidelibus ne celebrentur; nec vir veste muliebri, nec mulier veste virili induatur.*

LXIII. *Ut confictæ Martyrum historiæ igni tradantur.*

LXIV. *Laicus ne publice disputet, aut doceat.*

LXV. *In noviluniis ne ritu gentilium rogi accendantur.*

LXVI. *A die Resurrectionis per totam hebdomadam Fideles ferientur; nec equorum cursus, nec publicum fiat spectaculum.*

LXVII. *Ut Fideles a sanguine animalium abstineant.*

LXVIII. *Ut nemo sacros Libros corrumpat, vel conscindat.*

LXIX. *Ut nulli Laicorum, excepto Imperatore, Chorum liceat ingredi.*

LXX. *Ut mulieres in Ecclesia taceant.*

LXXI. *Ut legum civilium studiosi profanas superstitiones fugiant.*

LXXII. *De Matrimoniis cum hæreticis non jungendis.*

LXXIII. *Crucis figura ne fiat in pavimentis.*

LXXIV. *Ne agapæ, seu epulæ fiant in Ecclesiis.*

LXXV. *Psallentes in Ecclesiis, inordinata vociferatione ne utantur, sed cum attentione, & compunctione cordis psallant.*

LXXVI. *Intra Ecclesiarum ambitum ne cauponatoria, vel aromatoria officina habeatur.*

LXXVII. *Viri una cum mulieribus ne laventur.*

LXXVIII. *Ut qui baptizantur, Symbolum discant, illudque Episcopo, & Presbyteris recitent.*

LXXIX.

C A N O N I.

Ordo est optimus ei, qui omnem orationem, & rem incipit, & a Deo incipere, & in Deum desinere, ut dicit Theologus. Quocirca cum & pietas a nobis clare prædicetur, & Ecclesia, in qua Christus est fundamentum, assidue augeatur, ac promoveatur, ut ea supra cedros Libani extollatur; & nunc sacros Canones ordientes, statuimus, Fidem a Verbi ministris, quique ipsum suis oculis viderunt, & a Deo electi sunt, Apostolis traditam, citra ullam innovationem, immutabiliterque, ac inviolabiliter esse servandam. Præterea autem & trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, qui Nicææ convenerunt sub Constantino, qui fuit noster Imperator, adversus impium Arium, & gentilem ab eo dogmatizatam Deitatis diversitatem, vel Deorum potius, ut aptius dicam, multitudinem, qui nobis unanimi fidei agnitione consubstantialem in tribus divinæ naturæ consistentibus personis, & revelarunt, & declararunt, hanc sub ignorantiæ modio absconsam esse non sinentes, sed Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum una adoratione fideles adorare aperte docentes: & inæqualium divinitatis graduum opinionem detrahentes, ac divellentes; & ab hæreticis ex arena constructa adversus rectam opinionem puerilia ludibria dejicientes, & subvertentes. Similiter & eam, quæ sub Theodosio majore, qui fuit noster Imperator, a centum quinquaginta sanctis Patribus, qui in hac Urbe imperante convenerunt, prædicata est, Fidem confirmamus, de Spiritu Sancto voces, quæ eum Deum esse statuunt, amplectentes, & prophanum Macedonium una cum prioribus veritatis inimicis expellentes; ut qui eum qui dominatur, servum esse decernere ausus sit, & insectibilem unitatem

scare

secare prædonis more voluerit, ut non esset perfectum Fidei nostræ mysterium: una etiam cum isto odioso ac detestabili, quique adversus veritatem fuit rabie percitus, etiam Apollinarem iniquitatis mystam una condemnantes, qui Dominum corpus mente & anima non præditum sumpsisse, impie eructavit, hinc quoque & iste imperfectam nobis factam salutem ratiocinans. Jam vero & quæ in Ephesiorum civitate a ducentis divinis Patribus sub Theodosio Arcadii filio Imperatore nostro exposita sunt, doctrinas tamquam infractum pietatis robur obsignamus, unum Christum filium Dei, & incarnatum prædicantes, & quæ ipsum sine semine peperit, impollutam semper Virginem, proprie, & vere Deiparam decernentes, & ineptam Nestorii divisionem tamquam a divina sorte semotam persequentes, hominem separatim unum Christum decernentis, & impietatem Judaicam renovantis. Quin etiam quæ in Chalcedonensium Metropoli sub Marciano, qui fuit & ipse Imperator noster, a sexcentis triginta descripta est Patribus, Fidem orthodoxe confirmamus: quæ unum Christum filium Dei ex duabus naturis creditum, magna ac sublimi voce terrarum finibus tradidit: & stulte, ac inepte sentientem Eutychen, qui magnum œconomiæ mysterium apparentia perfectum esse dicebat, tanquam vertendum aliquod portentum, tetramque pestem ex sacris Ecclesiæ ambitibus exturbavit. Una autem cum eo etiam Nestorium, & Dioscorum, quorum ille quidem divisionis, hic vero confusionis defensor erat, & propugnator: qui quidem ex impietatis diametro ad unum perditionis, & abnegationis Dei barathrum deciderant. Sed & centum sexaginta quinque divinorum Patrum in hac civitate Imperiali congregatorum sub Justiniano piæ memoriæ, qui fuit Imperator noster, pias voces, ut a Spiritu editas cognoscimus, & posteros nostros docemus, qui Theodorum Mopsuestiæ Nestorii magistrum, & Origenem, & Didymum, & Evagrium, qui gentiles fabulas rursus fictas retulerunt, & corporum quorundam, & animarum circuitiones, & immutationes, seu transmigrationes de integro ruminaverunt, suis quibusdam mentis deliriis, ac somniis & in mortuorum resurrectionem impie, ac contumeliose insultarunt: & quæ a Theodoreto scripta sunt adversus rectam Fidem, & duodecim Beati Cyrilli capita; & eam, quæ dicitur Ibæ, Epistolam Synodice anathematizarunt, & execrati sunt. Porro Sextæ quoque sanctæ Synodi, quæ in hac Civitate Imperiali sub divæ memoriæ Imperatore nostro Constantino pridem congregata fuerat, Fidem, quæ majorem ex eo firmitatem accepit, quod pius Imperator eam scriptam suo signaculo muniit ad futuram in omnia sæcula securitatem non movendam, nec agitandam, nos servare rursus profitemur; quæ duas naturales voluntates, seu volitiones, duasque naturales operationes in incarnata Domini nostri Jesu Christi veri Dei œconomia nos pie opinari debere, aperte docuit; iis qui rectum veritatis decretum adulteraverunt, & unam voluntatem, ac operationem unam in uno Domino nostro Jesu Christo populos docuerant, pia sententia condemnatis. Theodoro, inquimus, Pharan, Cyro Alexandriæ, Honorio Romæ, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, qui in hac a Deo servata Civitate præsederunt; Macario, qui fuit Antiochensium Episcopus, Stephano ejus discipulo, & insipiente Polychronio: hac ratione intacto, & illibato communi corpore Domini nostri Jesu Christi ab eis servato. Atque, ut semel dicamus, omnium qui in Dei Ecclesia decora, ornamentaque fuerunt, & luminaria in mundo vitæ rationem obtinentia, firmam Fidem valere, & usque ad sæculi consummationem inconcussam, ac illabefactatam permanere sancimus, eorumque scripta ob decreta divinitus tradita: rejicientes omnes, & anathematizantes, quos

quos rejecerunt, & anathematizarunt, ut veritatis inimicos, & qui adversus Deum inaniter fremerunt, & iniquitatem in altum meditati sunt. Siquis autem ex omnibus prædicta pietatis decreta non tenet, & amplectitur, sicque opinatur, & prædicat, sed iis contra adversari conatur, sit anathema, secundum prius expositum declaratorum sanctorum, & beatorum Patrum decretum, a Christiano quoque catalogo ut alienus extrudatur, & excidat. Nos enim juxta prius definita neque aliquid adjicere, neque quicquam adimere omnino statuimus, vel ullo modo potuimus.

COMMENTARIUS.

I. DUcitur ab hoc loco initium Canonum, in quo celebris est illa sententia: *Ordo est optimus ei, qui omnem orationem, & rem incipit, & a Deo incipere, & in Deum desinere.* Mutuati sunt Patres Trullani hanc auream sententiam a Sancto Gregorio Nazianzeno initio Canonis laudato, qui quidem in Apologetico I. in quo rationem reddit, cur in Pontum fugerit, rursusque Nazianzum redierit, postquam Presbyter creatus est, ita inquit: *Quisquis vel orationem aliquam, vel negotium auspicatur, non alium meliorem, commodioremque ordinem tenere potest, quam ut a Deo incipiat, & in Deo conquiescat.* Ratio illa est, tum quia, ut ait S. Jacobus in Epistola sua Catholica, Cap. I. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est; descendens a Patre luminum:* tum etiam quia, ut scribit S. Leo in Epistula LXXXV. ad Episcopos Africæ, relata in Canone, *Principatus*, Causa I. Quæstione I. *Difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Meliori autem inchoari principio nihil potest, quam divini Nominis invocatu auxilio; cum bena tunc universa gerantur, & competenter, si ipsum cujusque rei principium fiat decens, & amabile Deo, ut ait Justinianus in suæ Novellæ constitutionis VI. Præfatione. Deus quippe, cujus in manu & potestate sunt omnia, progressus, & exitus optatos iis tribuit actibus, quos ab ipso auspicamur. Merito itaque S. Paulus in Epistola I. ad Corinthios, Capite X. v. XXXI. scribit: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Et in Epistola ad Colossenses, Cap. III. versu XVII. *Omne*, inquit, *quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* In Epistula quoque I. ad Corinthios, Cap. III. V. XI. ait: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ex quibus verbis S. Gregorius Papa Lib. VII. Epistola XLVII. ad Episcopum Antiochenum, relata in Can. *Cum Paulus.* Causa I. Quæstione I. scite concludit: *Consequenter probatur, quia ubi Christus non est fundamentum, nullius boni operis est superædificium.*

II. Jam videri mirum non debet, si Christiani homines, ac præsertim Ecclesiastici omnia a Deo Optimo Maximo auspicarentur; cum jam olim ante Christianam Religionem Ethnici ipsi nonnisi a Diis suis mendacibus exordia ducerent. Id quidem admonet Cicero Lib. II. *De legibus*; testisque est Livius Lib. VIII. suæ historiæ, Decade IV. Romanam Civitatem omnibus rebus incipiendis Deos adhibuisse. Sed audiamus Plinium, qui de ea re in Panegyrico fidem luculentissimam facit, his plane verbis: *Bene ac sapienter Majores nostri instituerunt, ut & rerum gerendarum, & dicendi initium a precationibus caperetur, quod nihil rite, nihilque prudenter, sine Deorum immortalium ope, consilio, & honore auspicarentur.* Hinc Virgilius in tertia Ecloga:

A Jove principium Musæ, Jovis omnia plena:

Et Ovidius Lib. X. Metam.

A Jove Musa parens (cedunt Jovis omnia regno)
Carmina nostra move.

Sed nec Poetæ solum, & Oratores orationum carminumque exordia a Diis ducebant, verum etiam Legum latores in exordiis suarum Legum, invocationem Dei facere consueverunt, uti constat ex Platone Lib. IV. *De legibus*, & de Solone testatur Plutarchus.

II. At vero his omissis, quæ alias ad illustrandum Canonis nostri initium commemorare libuit, ad rem devenio. Apostolicæ quidem in primis sanctiones servari Canone ipso jubentur: deinde Synodica in hoc tempus edita Decreta, ne violare, aut ulla ex parte infirmare liceat, constituitur. Commemorantur inde tum ipsæ Synodi, tum ii, contra quos quæque habita fuit, quidque, aut illi impie senserint, aut quid uniuscujusque Synodi vicissim auctoritate definitum sit, explicatur. Tum Patrum Fidem, ac dogmata mordicus omnino teneri, eorum nos scriptis, ac auctoritati acquiescere, veritatis hostes aversari, ac diris omnibus devovere jubet. Si qui vero aliter senserint, fecerintve, aut docuerint, eos anathemati subjectos esse definit: *Atque, ut semel dicamus, omnium, qui in Dei Ecclesia, decora ornamentaque fuerunt, & luminaria in mundo, vitæ rationem obtinentia, firmam fidem valere, & usque ad sæculi consummationem inconcussam, ac illabefactatam permanere sancimus, eorumque scripta, ac decreta divinitus tradita: rejicientes omnes, & anathematizantes, quos rejecerunt, & anathematizarunt, ut veritatis inimicos, & qui adversus Deum inaniter fremerunt, & iniquitatem in altum meditati sunt.* Verba sunt laudatorum Patrum Concilii Trullani, qui etiam statim addunt: *Siquis autem ex omnibus prædicta pietatis decreta non tenet, & amplectitur, sicque opinatur, & prædicat, sed iis contra adversari conatur, sit anathema secundum prius expositum declaratorum sanctorum, & beatorum Patrum Decretum, a Christiano quoque catalogo, ut alienus extrudatur, & excidat.* Sed non omittendum quod iidem tandem concludunt: *Non enim juxta prius definita, neque aliud adjicere, neque quicquam adimere omnino statuimus, vel ullo modo potuimus.*

III. Primus ergo Canon Trullanus Fidei dogmata a sex Conciliis Oecumenicis confirmata, & ab

ab Apostolis tradita inviolabiliter servanda esse docet, ac jubet, singulariter autem, uti notat Lupus, commendat factam nuper Synodum VI. utpote nec dum liberam ab occultis pessimorum hostium insidiis, quorum unus in Callistrati Monasterio male feriatus Monachus, ac Astrologica judicia venditans, uti narrant Theophanes, ac Cedrenus, dixit ad Bardanem Philippicum: *Imperium tibi est repositum: hoc autem dico, quia Sexta Synodus male facta est; si ergo imperaveritis, hanc projice; & Imperium tibi fiet forte, atque longævum.* Spopondit eum juramento Philippicus, se id facturum, adeptusque Imperium morte omnium, qui Justiniano favissent, statim perficere est aggressus quod promiserat de abolenda Sexta Synodo, quæ Monothelitarum hæresim condemnasset. Ut autem facilius abolitionem illam exequeretur, primum omnium Cyrum Constantinopolitanum Episcopum Orthodoxum e Sede dimovit, atque in locum ejus suffecit Joannem quendam pseudomonachum impietatis suæ socium. Qui enim in eam Sedem ob mercedem prædictionis provehendus fuerat, inclusus ille eodem supplicio, quo Elimas magus, uti in Actis Apostolicis legitur, Cap. XVII. a Deo percussus est cæcitate magus & ipse, ut eadem pœna teneret, quem eadem culpa damnaret.

IV. Postea vero, ut ad Philippicum redeam, is sane, ut tradunt ex Theophane, & Cedreno Annales Græcorum, numerosissimo Orientalium collecto Conventu, damnavit Sextam Oecumenicam Synodum, & in ea sancitam de duabus in Christo voluntatibus & operationibus sententiam: contra vero condemnatam in ea Monothelitarum hæresim, & impium errorem de unica voluntate, & operatione confirmavit, & ab omnibus profitendam edixit. Tum in impietate sua sibi complacens, dum ex more Professionem Catholicæ Fidei mittere deberet ad Romanum Pontificem, misit hæreticam, & execratione dignam. Verum non solum eam Constantinus Papa constanter respuit, sed quas impius Imperator sex Synodos Oecumenicas pictura expressas Constantinopoli abradi præcepisset, ipse Romæ in Ecclesia Principis Apostolorum eleganti forma depingi curavit; tantoque Fidei zelo una cum Clero Romano populus accensus est, ut statuerit, nequaquam Imperatoris hæretici nomen, aut diplomata, vel etiam Imaginem monetæ insculptam suscipere: unde nec ejus effigies ex more in Ecclesiam introducta fuit, nec ejus nomen ad Missarum solemnia prolatum. Cumque Petrus quidam Ducatum Romanæ Urbis ab eodem Imperatore accepisset, contra ipsum jungens se populus Christophoro veteri Duci, magnas Romæ turbas excitavit, quæ ad obitum usque Philippici perdurarunt. Refert hæc omnia Anastasius in Constantino Papa, ex eoque Baronius ad annum DCCXII. ubi etiam notat Romanam Rempublicam gubernari his temporibus consuevisse per Duces, qui ab Imperatore mitterentur. Atque hæc satis sint in commendationem Sextæ Synodi adversus Monothelitas habitæ, pro qua adversus grassantes rebelles tam solicita fuit Ecclesia, ut etiam Imperatoris furori invicte restiterit.

V. Quod autem damnationem Honorii Papæ spectat, quem aliis hæreticis frustra Canon adjungit, videri possunt quæ dicta superius sunt in historia Sextæ Synodi: fuisse enim rectissimæ fidei Pontificem, docet nos inter alia luculentissimum testimonium, quod in sua Dissertatione *De Origine ac Religione Maronitarum*, exhibuit Faustus Naironus; loquens enim de Joanne Monacho Monasterii S. Maronis, qui ob egregia adversus hæreticos facinora dictus est alter Maro, quemque Honorius Papa Patriarchali honore insignivit, *Profectus*, inquit, *cum Legato Papæ Romam, illumque excepit Pontifex, qui erat Honorius, & propter ejus fidem orthodoxam, illum Antiochiæ Patriarcham creavit, eumque misit in Syriam; quem gaudio magno populi montis Libani exceperunt, & Antiochiæ, & Tripolis Syriæ aliqui ex Jacobitis eum sequuti sunt, ac in Christo Domino nostro Jesu Christo duas naturas, ac duas voluntates professi sunt.* Cum autem Honorius non ante consecraverit Joannem Maronem Patriarcham, quam his professionem fidei emiserit, in qua non solum duas naturas, sed etiam duas voluntates in Christo fassus est, nihil clarius adduci potest ad probandam Honorii fidem de duplici in Christo voluntate. Plura in hac re idem Naironus, & ex eo Auctor Criticæ Baronianæ ad annum DCXXXV.

CANON II.

Hoc quoque huic sanctæ Synodo pulcherrime, & honestissime placuit, ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi stabilesque maneant, qui a sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti, ac confirmati sunt, atque adeo nobis etiam traditi sunt sanctorum, & gloriosorum Apostolorum nomine octoginta quinque Canones. Quoniam autem in his nobis Canonibus præceptum est, ut eorundem sanctorum Apostolorum per Clementem Constitutiones susciperemus, quibus jam olim ab iis, qui a fide alieni sentiunt, ad labem Ecclesiæ adspergendam adulterina quædam, & a pietate aliena introducta sunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem ac decoram speciem obscurarunt, has Constitutiones ad Christianissimi gregis ædificationem, ac securitatem conducibiliter rejecimus, hæreticæ falsitatis fœtus nequaquam admittentes, & germanæ, ac integræ Apostolorum doctrinæ inserentes. Obsignamus etiam reliquos omnes Canones, qui a sanctis, & beatis nostris Patribus expositi sunt, idest, a trecentis decem & octo sanctis, ac deiferis Patribus, qui Nicææ convenerunt,

runt, iisque qui Ancyræ, & iis etiam qui Neocæsareæ, similiter & qui Gangris; præterea & iis, qui in Antiochia Syriæ; atque iis etiam, qui in Laodicea Phrygiæ: præterea autem & centumquinquaginta Patribus, qui in hac a Deo conservanda & Imperiali Civitate convenerunt, & ducentis, qui in Ephesiorum Metropoli prius coacti sunt; & sexcentis triginta sanctis & beatis Patribus, qui Chalcedone: similiter & iis, qui Sardicæ, & qui Carthagine, & qui rursus in hac Dei cultrice, & Imperatoria Urbe convenerunt sub Nectario, qui imperanti huic Civitati præsidebat, & Theophilo, qui fuit Alexandriæ Archiepiscopus. Quin etiam Canones Dionysii, qui fuit Archiepiscopus magnæ Alexandrinorum Civitatis; & Petri, qui fuit Alexandriæ Archiepiscopus, & Martyr; Gregorii Neocæsareæ Episcopi Thaumaturgi; Athanasii Alexandrini Archiepiscopi; Basilii Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ; Gregorii Episcopi Nyssæ, Gregorii Theologi, Amphilochii Iconii, Timothei Archiepiscopi Alexandriæ; prioris Theophili Archiepiscopi ejusdem Alexandriæ; Cyrilli ejusdem Alexandriæ Archiepiscopi, & Gennadii, qui fuit Patriarcha hujus a Deo conservandæ, & imperantis Civitatis. Præterea vero & a Cypriano, qui Aphrorum regionis fuit Archiepiscopus, & Martyr, & Synodo, quæ sub ipso fuit, emissum Canonem, qui in prædictorum Præsulum locis solum secundum traditam eis consuetudinem servatus est. Et nulli licere prius declaratos Canones adulterare, vel non admittere, vel alios præter hic propositos recipere Canones a quibusdam falsa adjecta inscriptione compositos, qui veritatem cauponari conati sunt. Siquis autem quod prædictorum Canonum aliquem innovare, vel subvertere conetur, convictus fuerit, reus erit secundum eundem Canonem, ut ipse pronunciat Canon, pœnam luens, & per ipsum in eo, in quo offendit, medelam suscipiens.

COMMENTARIUS.

I. Quemadmodum Romana Synodus a Gelasio Pontifice Maximo anno CDXCV. vel verosimilius anno CDXCVI. habita, ut tradit Pagius in Vita Gelasii, ordinem Librorum, quem Romana Ecclesia susciperet, aut detestaretur, vel dubios tantum haberet, digessit, editoque Decreto de Scripturis divinis, & de Opusculis sanctorum Patrum, sincera a suppositiciis sejunxit (jam enim multia apocryphis Libris Ecclesia Dei referta erat): eandem ob rationem nostra hæc Synodus præsenti Canone Decretum de Synodis, ac Libris sanctorum Patrum recipiendis promulgat, sed parum tamen felici conatu, nam & falsa quædam legitimis miscet, atque inter alia errorem de hæreticorum baptismo probare videtur.

II. Primum ergo auctoritatem tribuit octoginta quinque Canonibus Apostolorum, de quibus alias celebris est hodieque controversia apud Scriptores, in tres sententias divisos. Alii quippe, ut Turrianus, cui adstipulantur saltem quoad quinquaginta primos, Bellarminus, Baronius, & alii complures, ab Apostolis ipsis conditos volunt. Alii, inter quos Dallæus, quinto exeunte seculo consarcinatos contendunt. Alii denique cum Albaspinæo, & Petro de Marca, scite admodum probant, circa medium Seculum III. ex variis præcedentibus Synodis fuisse collectos, eamque opinionem Guillelmus Beveregius heterodoxæ Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter in suo Canonum Ecclesiæ primitivæ Codice amplexus est, ubi adductis ad eorundem Canonum vetustatem, & fere medii tertii sæculi ætatem asserendam variis sanctorum, Athanasii, Basilii, & Conciliorum, Nicæni, Antiocheni, Gangrensis, Carthaginensis, Chalcedonensis, & aliorum auctoritatibus, Dallæi argumenta dissolvit.

III. Eam collectionem Petrus de Marca Libro III. Cap. II. Num. V. anteriorem quidem Synodo Nicæna, sed posteriorem anno CCLVIII. videri scribit. Est anterior, tum quia nonnulli ex eisdem Canonibus vulgo Apostolorum a Synodo ipsa Nicæna non obscure citantur, ut notavimus nostro I. Tomo Conciliorum; tum etiam quia Constantinus Imperator in Epistola II. ad Eusebium, & Antiochenos, citat ex illis Canonem decimum tertium. Esse autem ipsos Canones posteriores anno CCLVIII. ex eo deducit Marca, quod Firmilianus Cæsareæ Episcopus iis usus non est ad probandam consuetudinem, quæ vigebat in Oriente repudiandi hæreticorum Baptismi, cum tamen ipsi aperte faverent. Canon enim XLV. ita conceptus est: *Episcopum, vel Presbyterum, qui hæreticorum Baptismum, vel Sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quæ enim est conventio Christi cum Belial? vel quæ pars est infidelis cum fideli.* Et Canon XLVI. *Episcopus, vel Presbyter eum, qui vere habet Baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat mortem,*

& Crucem Domini , & non diſcernat Sacerdotes a falſis Sacerdotibus . Cum itaque Firmilianus in Epiſtola ad Cyprianum contra hæreticorum baptiſma militans , conſuetudinem a Stephano Papa laudatam , ſtilo acriori quam oportebat Catholicum Epiſcopum , excipiens , anno CCLVI. ſive CCLVII. quo eam ſcripſit, Canones prædictus non allegarit , ex eo ſilentio colligere eſt , incognitos ea ætate fuiſſe Cannnes,quos Auctores paſſim Apoſtolorum appellant .

IV. Canones ipſos poſt Concilii Nicæni tempora tam in Oriente , quam in Occidente magnæ fuiſſe auctoritatis , varia tamen de eorum numero fortuna , addiſcere licet ex antiquiſſima Canonum Collectione, quæ primum in Oriente a Græcis confecta , & ante tempora Dionyſii Exigui extitit . Licet autem a Gelaſio Papa in ſua Romana Synodo ſeptuaginta Epiſcoporum inter apocryphos Libros recenſeatur *Liber Canonum Apoſtolorum* , ea verba commodo ſenſu intelligenda ſunt ; nam ut omittam , verba illa non reperiri in Codice Juſtelli , dici poteſt , ideo Gelaſium inter apocryphos Librum Canonum Apoſtolorum amandaſſe , quia ſcilicet non ab Apoſtolis , ſed ab aliis fuerunt collecti , nonnulloſque errores continent , ſaltem trigintaquinque poſteriores ; unde recte , inquit laudatus Marca : *Variæ ſunt claſſes apocryphorum in notitia Gelaſii , ut obſervarunt viri eruditi ; cum non tantum figmenta hæreticorum veniant in hunc ſenſum , ſed etiam opuſcula Tractatorum , in quibus ſunt nævi quidam .* Sic Euſebii Hiſtoriæ Libros accenſet quidem apocryphis idem Gelaſius , cum tamen paulo antea ſtatuiſſet illos recipiendos , quod nimirum nævi quidam illis permixti eſſent : *Licet* , inquit , *propter rerum notitiam ſingularem , quæ ad inſtructionem pertinent , uſquequaque non dicimus renuendos .* Idipſum docet Schelſtratius Parte II. *Antiquit. illuſtr.* Diſſertatione II. Cap. 1. dicendum de Canonibus Apoſtolorum ſingulari quadam Eccleſiæ primitivæ doctrina refertis , licet alias ob certos nævos inter apocrypha a Gelaſio recenſitis .

V. Sunt qui autumant , duos Gelaſii tempore Canonum Apoſtolorum Codices extitiſſe , alium genuinum , ac legitimum , alium a Priſcillianiſtis ſub nomine Apoſtolorum editum ; Gelaſium autem ſua ſententia non primum , ſed alterum Codicem apocryphis libris accenſuiſſe . Nituntur hanc opinionem conſtabilire ex dicto S. Leonis , qui in Epiſtula XCIII. ad Turibium , de Priſcillianiſtis ſermonem faciens , ſic inquit : *Multos eorum corruptiſſimos Codices , qui Canonici titulantur, inveni : & apocryphas ſcripturas , quæ ſub nominibus Apoſtolorum , multarum habent ſeminariu falſitatum .* At vero quicquid ſit de recitato S. Leonis loco , quem veroſimilius eſt , fuiſſe loquutum de aliis Libris Apoſtolorum nomine confictis , ſi prædicti duo Canonum Apoſtolorum Codices Gelaſii tempore extitiſſent , alter legitimus , & alter a Priſcillianiſtis confictus , debuiſſet certe Gelaſius utrumque Codicem diſtinguere , ne ejus cenſura injuri uterque videretur . Cum ergo ſine ulla diſtinctione laudatus Pontifex Librum Canonum Apoſtolorum proſcripſerit , proſcriptio hæc proculdubio ſuper eos Canones cecidit , quibus , ut ſuperius dictum eſt , nævi quidam erant permixti .

VI. Labi quoque ii videntur , qui cum Baronio ſentiunt , Librum Canonum Apoſtolorum a Gelaſio dici apocryphum , non quidem quod excludendus ſit a numero Librorum Eccleſiaſticorum, ſed quod inter Libros ſacros novi Teſtamenti collocari minime debeat . Conſtat enim, Gelaſium damnaſſe hos Canones non ſolum ut non Canonicos , ſed etiam ut non Eccleſiaſticos , eoſque tanquam falſo ſuppoſitos ab aliquo impoſtore , ex albo Librorum Eccleſiaſticorum , atque Eccleſiæ utilium expunxiſſe ; præſertim vero quod eo loco definiat Apocryphos hujuſmodi canones , ubi reprobat Libros ab hæreticis , vel ſchiſmaticis conſcriptos . Dicendum itaque rectius arbitror , revera Pontificem illorum Canonum Librum inter apocryphos retuliſſe , quod ex iis nonnulli ſpurii eſſent , eadem certe ratione , qua , cum in Euſebii Eccleſiaſtica hiſtoria nonnulla occurrant , quæ vulgo Eccleſia non probat , hunc Librum idem Gelaſius ex parte reprobavit . Sed ut probe intelligatur memoratum Gelaſii Papæ Decretum , recte docet clariſſimus Pullicchius , provincialis meus , Sacræ Theologiæ Magiſter, ac Dominicanæ Familiæ alumnus in Diſſertatione hiſtorico-critica , *De Epiſtolis, quæ Abgari ad Jeſum , & J ſu ad Abgarum inſcribuntur* , quam u a cum alia ejuſdem Auctoris, *De tortoribus Chriſti Domini* , adverſus Hiacynthum Serry Calabræ Nationis infenſiſſimum hoſtem Patavii exarata , Genialis Poſterarius Pulificchii ex ſorore nepos Neapoli edidit , Cap. ttt. trifariam Librum aliquem dici poſſe , ac cenſeri apocryphum . Primo & proprie ob falſam , ac ſuppoſititiam Auctoris inſcriptionem ; dicitur namque apocryphum ἀπὸ τῦ ἀποκρύπτεσθαι , hoc eſt , *celo , occulto* ; eo quod ſcriptura a ſuo Auctore , ſuppreſſo proprio , ſub aſcititio nomine in vulgus emittatur . Secundo dicitur apocryphus Liber aliquis extenſo vocabulo, quatenus apocryphus agiographo condiſtinguitur , eique opponitur ; itaut apocryphum hoc pacto idem valeat , ac non agiographum , hoc eſt deſtitutum ſuprema auctoritate Scripturæ ſanctæ . Tertio denique adhuc magis translatitia ſignificatione,apocryphum dicitur ſcriptum aliquod ob errores in eo contentos .

VII. Quamquam vero in Conciliorum Collectionibus octogintaquinque nomine Apoſtolorum Canones recenſeantur , totidemque Orientalis Eccleſia admittat , certum eſt nihilominus , a Latinis priores dumtaxat quinquaginta ubique olim fuiſſe receptos , tot enim recenſet paulo poſt Gelaſii Decretum Collectio a Dionyſio exiguo edita , & alia quam poſt Dionyſium adornavit Creſconius , qui uſque ad quinquaginta Canones Apoſtolorum numerat . Meminit & ejus numeri Bibliothecarius in Vita Stephani IV. ſeu potius III. qui in Synodo Lateranenſi habita anno DCCXLIX. Actione IV. ſtatuit : *Non amplius ſuſcipiantur Apoſtolorum Canonum prolata per S. Clementem quinquaginta capita , quæ ſuſcepit ſancta Dei Catholica Romana Eccleſia .* Publicavit hoc Concilium eruditiſſimus Lucas Holſtenius , ejuſque deciſionem confirmat Humbertus S. Leonis IX. Legatus in Reſponſione ad Libellum Nicetæ Presbyteri , & Monachi contra Latinos editum , ſic inquiens : *Clementis Librum , ideſt Petri Apoſtoli Itinerarium , & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter apocrypha , exceptis quinquaginta Capitulis , quæ decreverunt orthodoxæ Fidei adjungenda .* Hunc Humberti locum fruſtra nomine ſancti Leonis Papæ IX. citat in ſuo Decreto Gratianus , ad Canonem , *Clementis* , Diſtinctione XVI.

VIII. Eccleſia Orientalis omnes quidem octoginta quinque recipit Canones Apoſtolorum , ab eiſque editus ait , ac probat , uti ex noſtro hoc præ-

præsenti Canone liquet, & ex Synodo Generali VII. Nicæna II. quæ Actione I. consensit, ex Bibliotheca Patriarchii Constantinopoleos tam Canonum sanctorum Apostolorum, quam sanctarum Synodorum Libros in medium afferri: *Et Notarius venerabilis Patriarchii legit. Canon sanctorum Apostolorum quinquagesimus tertius* (nunc quinquagesimus secundus): *Siquis Presbyter eum, qui convertitur a peccato, non susceperit, sed abjecerit, deponatur &c.* Usque ad septuaginta septem recenset Alexius Aristinus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus in Synopsi Canonum, quæ nunc primum publicata est in Tomo II. Bibliothecæ Juris Canonici, ubi post Aristinum subnectitur Epitome Canonum Simeonis Magistri & Logothetæ, in qua exhibentur Canones Apostolorum octogintaduo, Subnectitur & synopsis Canonum Arsenii Monachi, qui ad Caput IV. subdit: *Sanctorum Apostolorum Canones* LXXXV. Totidem jamdiu admiserat Photius in suo Nomocanone, ad quem edita Præfatione scribit: *Canones qui sanctorum Apostolorum dicuntur, Clementis opera collecti* LXXXV.

IX. Omnium primus ipsos octogintaquinque Canones suæ quinquaginta Titulorum Collectioni inseruit Joannes Scholasticus, ut notat Justellus in Præfatione ad Tomum II. Bibliothecæ Juris Canonici, & idem Joannes Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter ex ordine Scholasticorum, qui in Præfatione ait: *Sancti Domini discipuli, & Apostoli octogintaquinque Canones Clementis opera ediderunt.* Fuse de iis agunt Schelstratius loco laudato, Natalis Alexander Dissertatione XVI. Seculi I. Cotelerius, Turrianus, Pagius in Vita S. Clementis Gardebosc, & alii complures; ex quibus tamen licet nonnulli Canones ipsos saltem quinquaginta genuinum esse Apostolorum fœtum, propugnent, alii vero solum cognitos exeunte quinto seculo illos fuisse contendant, illi puto adhærendum sententiæ, qui docent, Canones, qui Apostolorum dicuntur, nec ab ipsis Apostolis, nec ab una aliqua particulari Synodo fuisse conditos, sed solum esse collectionem Canonum, qui per tria priora secula in variis Orientalibus Ecclesiis editi fuerunt, tametsi noster Canon omnes octogintaquinque veluti Apostolorum fœtum recipiat, & approbet.

X. Agit deinde idem Canon de Constitutionibus Apostolicis, quas quidem S. Clementi tribuit, sed eas se non recipere, nec probare ait, quod ab insequentium temporum hæreticis depravatæ sint. Verum Constitutionum ipsarum Auctorem non esse S. Clementem, ex eo aperte deducitur, quod tum Eusebius Lib. III. *Historiæ*, Cap. XV. tum S. Hieronymus in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, eum de Scriptis S. Clementis agunt, unam dumtaxat illius ad Corinthios Epistolam recensent. Præter silentium memoratorum Scriptorum, Humbertus Cardinalis Episcopus Sylvæ Candidæ S. Leonis IX. apud Constantinopolim Legatus Nicetæ Pectorato Constitutionum Apostolicarum loca quædam contra Sabati jejunium objicienti, respondit, id illum asserere conari *ex apocryphis libris, & canonibus pari sententia sanctorum Patrum repudiatis.* Et paulo post subjicit: *Unde nos quoque omne apocryphum abjicientes dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt ut lex Domini.* Sunt plane antiquæ, easque octo Libris comprehensas Latine e Græco redditas, scholiisque illustratas, veluti sancti Clementis fœtum, Antuerpiæ anno MDLXV. non vero anno MDXXXVII. ut ait Pagius in Vita S. Clementis, Carolus Bovius Episcopus Ostunensis in lucem edidit. Easdem paulo post Latinitate etiam donavit Franciscus Turrianus, & Commentariis illustravit. Plura de iis videri possunt apud Natalem Alexandrum, & Ambrosium Gardebosc in historiam Ecclesiasticam Seculi I. Labbæum in sua ad ipsas præfatione, Schelstratium, Eliam Du Pin, & alios de Ecclesiastica historia, & hujusmodi controversiis optime meritos.

XI. Nostri hujus Canonis, quod Apostolicas ipsas constitutiones spectat, meminit quidem Theodorus Balsamon, dicens: *Secundus Sextæ Synodi Canon earum lectionem prohibuit, quod in eis adulteratio facta sit.* Revera scatent erroribus, eamque ob causam merito inter apocryphas scripturas a Gelasio Papa in celebri illa septuaginta Episcoporum Synodo amandatas. Non sunt omnino inutiles, saltem quoad multos veteris Ecclesiæ ritus, quos repræsentat, unde non mirum si eruditi Auctores recentiores non semel easdem laudent, ut quæ fuerit olim Ecclesiæ disciplina præsertim circa liturgiam, ostendant: ut enim alios mittam, Gabriel Albaspinæus non dubitat asserere, fuisse olim in Ecclesia ad modum Ritualis, & Pontificalis, quo Episcopi in sacris functionibus peragendis uterentur. Mirum certe illud videri debet, quod ipsas Apostolico spiritu plenas, ac in sacrarum literarum Canonem referri aptas vir ceteroqui doctus Thomas Stapletonus ausus sit scribere, cum alias, uti vel Græci Auctores fatentur, & Synodus nostra testatur, erroribus scateant, tametsi nullis adversus Fidem, ut tradit Gardebosc in historia Ecclesiastica Seculi I. Parte V. Lib. III. Dissertatione II. Quæstione IV. Resolutione II.

XII. Ait præterea Canon, recipere se reliquos Canones omnes jam in superioribus Synodis conditos, in Nicæna scilicet I. Ancyrana, Neocesariensi, Gangrensi, Antiochena, Laodicena, Constantinopolitana, Sardicensi, Carthaginensi, Chalcedonensi, itemque Canones quos sub Nectario Patriarcha Constantinopolitano, & Theophilo Patriarcha Alexandrino Constantinopolitana Synodus edidit, quosque hodie penitus ignoramus. Existimat Lupus in suo ad hunc Canonem Scholio, fuisse Synodum illam sub Merobaudis, & Saturnini Consolatu celebratam, cujus meminerunt Socrates Lib. V. Cap. X. Sozomenus Lib. VII. Cap. XI. & apud Christophorum Justellum, ignoti Auctoris Synodicus Libellus Cap. LXXVII. At recte subdit Lupus, illo anno Theophilum necdum fuisse Patriarcham Alexandrinum.

XIII. Tandem recipit Canon variorum Patrum Ecclesiæ Orientalis non quidem opera omnia, quæ ipsi scripserunt, sed solas eorum Epistolas canonicas; &, quod minime ferendum est, damnatum S. Cypriani errorem admittit, ejusque deviam Synodum de baptismo hæreticorum. Partem hujus nostri Canonis refert in suo Decreto Gratianus Distinctione XVI. Can. *Quoniam*, ubi quidem ea Synodus S. Cypriani de iterando hæreticorum baptismo probatur. Quod advertens eruditissimus Antonius Augustinus Lib. I. *De emendatione Gratiani*, Dialogo VIII. ita inquit: *Non est ferendus Gratianus, cum ex Synodo* (Trullana) *partem refert, in qua Cypriani Synodum probare videtur de baptismo hæreticorum: cum contra Cypriani Synodum omnes veteres Patres steterint.* Porro licet ille inter Latinos memoratam Canonis partem suo asseruerit Decreto, fa-

niores tamen Græci eam minime receperunt, uti liquet ex literis S. Theodori Studitæ, quibus ad Naucrationis quæstiones de baptismo hæreticorum respondet, extantque in tertio Tomo Bibliothecæ Patrum. Ostendit enim, solos illos hæreticos rebaptizandos, qui in sacrosancto trium divinarum Personarum nomine minime baptizati fuerint, atque ita Canonem etsi vulgo Apostolorum intelligendum, qui omnes rebaptizandos videtur generaliter adserere. Servandum ait septimum Canonem Concilii 1. Constantinopolitani, de quo vide Commentarium nostrum Tomo I.

CANON III.

Quoniam pius Christique amator Imperator noster hanc sanctam, & universalem Synodum alloquutus est, ut qui in Clerum relati sunt, & aliis divina transmittunt, puros, & a culpa, ac reprehensione alienos ministros efficiant, & quod intelligentia percipitur, magni Dei, qui est & Sacrificium & Pontifex, Sacrificio dignos, & quæ ex nefariis nuptiis iis inusta sunt probra, ac dedecora, repurgent: & præterea alii quidem sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ exactissimum Canonem servandum proponant: alii vero sub hoc Dei observatricis, & imperantis Urbis Throno, quod fuit humanitatis, & misericordiæ, utrisque paterne simul, & religiose mixtis, ut neque quod est mite, ac consuetum, dissolutum; neque quod est austerum, insolens relinquamus, & maxime cum ex ignorantia lapsus in non exiguam hominum multitudinem pervadat, omnes simul decernimus, qui duobus quidem matrimoniis implicati fuere, & usque ad decimum quintum præteriti mensis Januarii, præteritæ quartæ Indictionis, anni sexies millesimi centesimi noni peccato servierunt, & non ab eo resipiscere voluerunt, depositioni Canonicæ subjicere. Eos autem, qui tali quidem bigamiæ probro, ac dedecori implicati fuere, ante nostrum autem Decretum, id quod utile est, agnoverunt, & malum a se absciderunt, & hanc adulterinam, & alienam congressionem procul abegerunt, vel eos etiam, quorum uxores in secundis nuptiis jam mortuæ sunt, vel ipsi etiam ad conversionem respexerunt, & continentiam didicerunt, & priorum suarum iniquitatum obliti sunt, sive sint Presbyteri, sive Diaconi, eos ab omni quidem Sacerdotali ministerio, sive exercitio jam cessare, præfinito aliquo tempore punitos; honorem autem in Cathedra, & statione participare, prima sede contentos; & cum fletu a Domino postulantes, ut eis condonetur peccatum ignorantiæ. Neque enim convenit, ut is alteri benedicat, qui debet propria curare vulnera. Eos vero, qui uni quidem uxori copulati sunt, si vidua erat, quæ accepta est, similiter & eos, qui post ordinationem uni matrimonio se applicarunt, hoc est Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, brevi aliquo tempore a sacro ministerio prohibitos, & punitos, rursus propriis gradibus restitui, ad alium gradum nequaquam promovendos, eis nefario videlicet dissoluto conjugio. Hoc autem in his, qui deprehensi sunt usque ad decimum quintum, ut dictum est, mensis Januarii, quartæ Indictionis, in prius declaratis delictis, solum valere statuimus; abhinc definientes, & renovantes Canonem, qui dicit: *Eum, qui duobus matrimoniis post baptismum implicatus fuerit, vel concubinam habuerit, non posse esse Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel omnino ex Sacerdotali catalogo. Similiter & qui viduam accepit, vel dimissam, vel meretricem, vel servam, vel scenicam, non posse esse Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel omnino ex Sacerdotali catalogo.*

COMMENTARIUS.

I. Quandoquidem prolixus est Canon, antequam ejus explicationem aggrediar, pro faciliori Tironum captu, paucis dicam quæ in eo potissimum continentur. Primo commendat Justinianus II. Ecclesiam Romanam, quod Clericis majoribus continentiam imponat, rogatque, certos Græcis præfigi terminos. Hinc secundo statuit Canon, ut duo-

duobus matrimoniis implicati deponantur. Tertio, ut ii, quorum uxores in secundis nuptiis obierunt, aliquantum suspendantur. Quarto, ut qui post ordinationem matrimonio se applicarunt, dissoluto matrimonio ad sublimiorem gradum minime promoveantur. Quinto, ut digami quoque, aut qui concubinam aluerint, majoribus Ordinibus donari nequeant. In summa totus Canon est de irregularitate, quam ex bigamia appellant.

II. Summatim hisce jam enarratis, quod primam spectat Canonis partem, non Latinæ solum, ac Romanæ, sed & Græcæ quoque Ecclesiæ primitivæ coæva est continentiæ lex, eosque omnes complexa, qui vel in Oriente, vel in Occidente ad sacros Ordines promoveri cupiebant, Christum ipsum, primum esse hujus disciplinæ auctorem, institutoremque, de eaque Apostolos Leges, & Canones condidisse, docet S. Epiphanius Hæresi XLVIII. Num. VII. *Cum sacerdotalia Christus munera, & ornamenta cum iis, qui post unas nuptias, continentiam servaverint, aut in virginitate persliterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit.* Et statim: *Id quod Apostoli deinde honeste, & religiose decreverunt per Ecclesiasticam Sacerdotii regulam.* Eodem teste Epiphanio in expositione Fidei Numero XXI. non eligebantur quidem suo ævo præsertim in Orientali Ecclesia, in cujus ipse moribus, & legibus erat versatus, ad Subdiaconos, aliosque superiores Ordines, nisi Virgines, aut Monachi, aut qui electus, si conjugatus fuerat, scilicet unius uxoris vir, statim æternæ continentiæ devovebatur.

III. Idipsum docet S. Hieronymus diu & ipse in Oriente versatus, in qua maximam vitæ suæ partem egerat; respondens enim Vigilantio uni e primis cœlibatus Clericorum hostibus, more illum, & continentiæ lege non modo in Occidente, & Ægypto, sed & in Oriente servata his plane verbis exagitat: *Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt.* Ita ille adversus Vigilantium; in Apologia autem pro Libris suis adversus Jovinianum, qui & ipse, sicut & Vigilantius Clericali castimoniæ bellum indixerat, ducta ejus origine a Christo Domino, & ab Apostolis, disciplinam sui ævi hunc in modum describit: *Christus Virgo, Virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut Vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici.*

IV. Sed quid ulterius progredior, remque hodie omnibus notam, atque a me in Commentariis ad Concilia, & ad Romanum Pontificale iterum, atque iterum explicatam, repeto? Hoc unum dicam, quod ea continentiæ lex, quæ hodieque in Ecclesia Romana, & apud Latinos servatur, immutata multum a Græcis fuisset, non immerito a Justiniano II. Imperatore Romanam Ecclesiam commendari, quod omnes Patriarchali suæ potestati subjectos Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ac Subdiaconos ad plenam continentiam cogat; hortari autem ab eodem Principe Ecclesiam Constantinopolitanam, quæ suis etiam Presbyteris, & Diaconis ex connivenția conjugii usum indulget, ut saltem fixos sibi terminos non excedant, Caoonemque Apostolicum servent, idest, ne Bigami ordinentur.

V. Sane tametsi ad confodiendam sacrorum hominum bigamiam duo Canones vulgo Apostolorum, nempe XVII. & XVIII. a nostro Canone afferantur, certior nihilominus est ille Pauli Apostoli Canon in Epistola sua prima ad Timotheum, Cap. III. ubi describens qualitates in Episcopis, Presbyteris, & Diaconis necessarias, inter alia ita edicit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Nomine Episcoporum comprehensos fuisse ab Apostolo & Presbyteros, ejus loci Interpretes notant. Tum de Diaconis sic ibidem subdit: *Diaconi sint unius uxoris viri.* Et rursus in Epistola ad Titum Cap. I. præcipiens illi, ut constituat per civitates Presbyteros, eandem regulam tradit: *Siquis sine crimine est, unius uxoris vir.*

VI. Quamquam vero, ut testatur S. Hieronymus in Commentario ad hunc Apostoli locum, nonnulli sui ævi Interpretes contenderent, id quidem ab Apostolo fuisse præceptum, *ne is qui Episcopus eligendus est, uno tempore duas pariter habeat uxores*; certum tamen illud est, loqui etiam Apostolum de bigamia successiva; unius quippe uxoris virum, nihil aliud esse, nisi unius matrimonii virum, docet Tertullianus in exhortatione ad uxorem Cap. VII. & alii Patres plerique apud eruditum Estium in Commentario Epistolæ Pauli primæ ad Timotheum, ubi verum ac genuinum Apostolici illius præcepti, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*, hunc esse ait: nempe oportere, ut si uxorem habeat, aut habuerit, non tamen secundam acceperit, sed unam tantum, sive eam habuerit, sive adhuc habeat. Tum multis ostendit, hunc quidem sensum esse menti, & verbis Apostoli conformem, simulque advertit, quod propter hanc Apostolicam hoc sensu intellectam sententiam Ecclesia Bigamos a sacris Ordinibus semper excluserit. Bigamos utique eos intelligens, qui priore mortua uxore, secundam duxissent, eaque bigamia est, quam veram appellant Scriptores.

VII. Extant & aliæ duæ bigamiæ species, interpretativa, & similitudinaria, quarum prior ex sanctorum Patrum, & Theologorum sententia primo locum habet in eo, qui unicam quidem, sed viduam duxerit: *Viduam Clericus non ducat uxorem.* Verba sunt S. Innocentii Papæ I. in Epistola II. Cap. VI. Cui concinit S. Leo in Epistola LXXXVII. ubi hanc bigamiæ speciem ex recitato superius Apostoli loco deducit, sic dicens: *Dicente Apostolo, ut inter alias electionis regulas is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuisse, aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, ut etiam de muliere Sacerdotis eligendi eadem intelligatur servanda conditio, ne forte illa, priusquam in matrimonium ejus veniret, qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta conjugium.* Habet secundo locum in eo, qui putans virginem ducere, nubit cum corrupta, quocunque tandem modo id contigerit, teste S. Leone Magno in laudata Epistola LXXXVII. ubi ita inquit: *Nec divinæ legis statuta defuerunt, quibus evidenter est definitum, ut virginem Sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat conjugis, quæ uxor est futura Pontificis.* Tertio in eo etiam reperitur, qui commiscetur cum conjuge, quæ post matrimonium adulterio contaminata est, uti habetur ex Canone VIII. Concilii Neocæsariensis Gentiano Herveto interprete his verbis: *Si alicujus uxor cum esset laicus adul-*

adulterata fuisse convicta fuerit, is non potest ad ministerium accedere: idest Clericus ordinari. Quin & Clericus jam ordinatus ab eodem jubetur Canone repudiare uxorem, si eo se illa flagitio inquinet post viri sui ordinationem: *Sin autem etiam post ordinationem adulterata fuerit debet eam dimittere: quod si cohabitet, non potest sibi commissum ministerium exequi*. Sane hi omnes, quos hactenus descripsimus, licet vere Bigami non sint, juris tamen interpretatione pro talibus habentur, vocanturque Bigami interpretativi. Veri enim, uti superius dictum est, sunt illi, qui cum duabus uxoribus successive nubunt.

VIII. Similitudinaria tandem bigamia, quæ est tertia species, in iis consideratur, qui post professam castitatem conjugium carnale inirent, de iisque Alexander Papa III. Cap. IV. *De Clericis conjugatis*, ita inquit: *Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, post longam pœnitentiam officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi ejus executionem habere*. Putant nonnulli, antiquissimam esse hanc bigamiæ speciem, suamque originem ducere ex Canone XVIII. Concilii Ancyrani, ex versione Isidori, ubi edicitur: *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ sunt, professione contempta, inter bigamos, idest, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt*. Verum si Canonis verba discutiantur, verosimilius apparebit, ipsas quæ professam virginitatem contemserant, ad classem quidem Bigamorum rejici in ordine ad pœnitentiam subeundam a sacris Canonibus veris Bigamis, sive nuptias iterantibus injunctam. Id quod aperte indicat Græca versio dicti Canonis, cum qua etiam concordat Latina Gentiani Herveti interpretatio, his verbis: *Quæcumque virginitatem profitentes, professionem suam irritam reddunt, ii bigamorum difinitionem impleant*; idest teneantur tempus pœnitentiæ Bigamis præfixum adimplere. Unde prædictum Canonem explicans Balsamon, cui Zonaras, & Aristenus etiam consentiunt, ita inquit: *Eos qui suam Deo professionem, votumque de virginitate servanda irritum reddunt, Patres bigamorum definitioni, hoc est, pœnæ subjiciunt*.

IX. Quicquid de interpretatione prædicti Ancyrani Canonis sit, eadem tertiæ bigamiæ species in laicis quoque consideratur, quibus duæ simul sunt uxores, utpote qui, uti nunc fit a quibusdam Græcis, alteram duxerint repudiata priore, vel ab ea repudiati; ejusque meminit S. Leo in laudata Epistola LXXXVII. ubi postquam dixit, eos, qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se conjugio sociarunt, esse irregulares, ita statim subjungit: *Multo magis illum, qui duarum simul est maritus uxorum, vel istum, qui a prima uxore dimissus, alteram duxisse perhibetur*. Non modo civili jure licita erant, liberaque repudia, sed in ipsa Ecclesia prioribus seculis visum est aliquandiu quamplurimis, præsertim Græcis Patribus, ab innocuo marito posse repudiari uxorem adulterii convictam, & aliam duci; quia scilicet Christus Dominus apud S. Matthæum Capite XIX. interrogatus a Pharisæis, an liceat homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa, ita responderit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur*. Quæ verba cum non satis dilucida viderentur, putarunt non pauci, posse ob alterius conjugis adulterium, ab innocente conjuge matrimonium dissolvi, & aliud inire. Sed omnem dubitationem removit S. Augustinus, quæstionem implicatissimam tum dilucide in duobus Libris, *De adulterinis conjugiis*, explicuit, ut paulatim Occidentalis omnis Ecclesia in unam eandemque cum eo doctrinam conspiraverit, non posse nimirum ab innocuo conjuge, repudiata adultera uxore, cum alia conjugium contrahi. Hanc doctrinam amplexa est inter alias Tridentina Synodus Sessione XXIV. Can. VII.

X. Quid autem rei sit, cur ab Apostolo, a sacris Canonibus, a sanctis Patribus irregulares sint, qui duas successive uxores duxerint, variæ afferuntur rationes. Ajunt nonnulli, castigandæ potissimum incontinentiæ eam irregularitatem constitutam esse, suamque opinionem probare nituntur ex eo quod in superius recitatis locis differens de virtutibus, quibus ornati debent esse Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel de vitiis a quibus immunes illi esse debent, cum visus sit habuisse scopum, ut omne crimen, & criminis præsertim incontinentiæ, seu luxuriæ suspicionem ab ipsis removeret. Hinc reflectens S. Chrysostomus ad verba Apostoli in Epistola ad Titum, Homilia II. ita inquit: *Castigat hoc ipso etiam impudicos Apostolus, dum non eos permittit post secundas nuptias, ad Ecclesiæ regimen, dignitatemque Pastoris assumi*. Continentiæ unius rationem habet etiam Gelasius Papa in Epistola IX. cum causas enarrat, cur laici facilius sinantur iterare conjugia, quam Clerici: *Secundas nuptias*, inquit, *secularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad Clericale sinitur venire collegium; alia enim est humanæ fragilitatis generaliter concessa licentia, alia debet esse vita, divinarum rerum servitio dedicata*.

XI. Quamvis autem tam Græci, quam Latini Patres secundas nuptias nunquam illicitas censuerint, persuasum nihilominus iis fuit, viros æque ac mulieres conjugia iterantes, nonnisi immoderata libidine in luxuriam ferri, aut saltem illius non levem suspicionem præbere: eaque causa est, cur apud Græcos præsertim sacræ Synodi passim eosdem iterantes conjugia Canonicis pœnis subjecerint: *De his, qui in plurimas nuptias inciderant*, ait Concilium Neocæsariense Can. III. *tempus quidem præfinitum manifestum est, sed conversatio eorum, & fides abbreviat*. Canone septimo Presbyteris prohibetur, ne secundas nuptias sua præsentia probarent: *Presbyteris in nuptiis bigami prandere non convenit; quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit Presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum*. Græcæ Ecclesiæ praxi adhæsit S. Basilius Græcæ & ipse Ecclesiæ Doctor, qui in Epistola ad Amphilochium Can. IV. annum pœnitentiæ in digamis definiit. Hinc Baronius ipse ad annum CCCXIII. agnoscens pœnitentiam Bigamis impositam, ait, id quidem ab Ecclesia factum, non quod secundum matrimonium contrahendo peccent, sed quod suam incontinentiam manifestent, & bigamiam, quæ in humanæ infirmitatis remedium instituta est, licentius usurpent.

XII. Rursus ob eandem rationem moralem, nempe incontinentiæ, ejusve suspicionis, bigamiam ipsam, quæ ex viduæ conjugio nascitur, prohibitam sacris fuisse hominibus, constanter etiam nonnulli asserunt, quia scilicet illa ratio, ut ita dicam, infamiæ, sive suspicionis incontinentiæ, quæ ex secundis nuptiis oritur, inter conjuges ipsos facile communicatur. Id quod Canone vulgo

Apo-

Apostolorum XVIII. quo primum hæc irregularitas ex viduæ conjugio publicata est, perspicue liquet, ubi ita inquit: *Siquis viduam, aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut servam, vel mimam, seu scenicam, non potest esse in Clero.* Manifestum est, solam hic infamiam perpendi, quæ emergit ex connubio cum mima, & scenica muliere, cum prostituta, vel repudiata, ut scite observat Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. I. Cap. LXXVIII. Num. IX. ubi etiam ait, non in alium sensum trahendum Canonem LXIX. Concilii IV. Carthaginensis, cujus hæc sunt verba: *Simili sententiæ subjacebit Episcopus*, idest deponatur, *si sciens ordinaverit Clericum eum, qui viduam, aut repudiatam uxorem habuit, aut secundam.*

XIII. Patres præsertim Latini, inter quos Augustinus, & Leo Magnus rationem excludendi a Clericatu non modo Bigamos veros, qui scilicet duas successive uxores habuere, verum etiam interpretativos, qui nimirum viduas ducunt, a mysticæ significationis defectu deducunt, conjugii nempe Christi cum Ecclesia, unius cum una, virginis cum virgine: *Sacramentum nuptiarum*, inquit S. Augustinus in Lib. De bono conjugali Cap. VIII. *temporis nostri, sic ad unum maritum, & unam uxorem redactum est, ut dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato: peccata enim omnia in baptismo dimittuntur, sed qui dixit*, Si acceperis uxorem non peccasti, *&* Si nupserit, non peccavit, *&*, quod vult faciat, non peccat, si nubat, *satis declaravit, nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti sanctitatem, sicuti femina, etiamsi Catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari, ita non absurde visum, eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium.* Quid sit hæc Sacramenti norma, declarat mox ipse Augustinus, ita statim subjungens: *Ac per hoc sicut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt, futuras ex omnibus gentibus Ecclesias uni viro subditas Christo, ita noster Antistes unius uxoris vir, significat, ex omnibus gentibus unitatem uni viro subditam Christo.*

XIV. Concinit S. Augustino S. Leo in Epistola LXXXVII. ubi ait: *Nec divinæ legis statuta defuerunt, quibus evidenter est definitum, ut virginem Sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat conjugii, quæ uxor est futura Pontificis. Jam tunc enim in Sacerdotibus figurabatur Christi & Ecclesiæ spiritale conjugium, ut quoniam vir caput est mulieris, discat sponsa Christi non ullum nosse, quam Christum, qui merito unam elegit, unam diligit, & aliam præter ipsam, suo consortio non adjungit.* Præter istam rationem imitationis Christi unam virginem sibi castam Ecclesiam desponsantis, binas alias in ipsa Epistola legendas profert Leo, ob quas Ecclesia irregularitatem illis etiam impingat, qui viduas duxerint; nempe quod a Presbyterorum conjugibus exigat Paulus, quod a Presbyteris ipsis, & a viduis Ecclesiasticis exigit, scilicet, ne bis nupserint; ac præterea quod Sacerdotibus Mosaicæ legis in veteri Testamento imperatum esset, ut virginem uxorem ducerent.

XV. Mysticam S. Augustini rationem, ob quam scilicet Bigami ab Ordinibus excluduntur, jam non modo S. Leo probavit, sed Ecclesia præsertim Latina tanto applausu recepit, ut nullum hodie dubium sit, quin inde omnis bigamiæ irregularitas desumenda sit, præsertim cum ipsam mysticam rationem commendet Innocentius III. Pontifex Maximus in Cap. V. *De bigamis non ordinandis*. Porro ea fultus ratione ostendit Augustinus in loco superius recitato, æque irregularem esse, qui ante, vel post baptismum viduam duxerit; similiter & qui duas uxores duxerit, alteram ante, alteram post baptismum. Id quod & alii passim Latini Patres docent, sed alia ducti ratione; etenim S. Ambrosius Lib. I. *De officiis*, Cap. L. ita ea re inquit: *Sed intelligere debemus, quia in baptismate culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In conjugio* (iterato) *non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismate relaxatur, quod legis est, non solvitur.* Similia legere est in laudati S. Doctoris Epistola XXV. ad Ecclesiam Vercellensem. Eadem fere ipsa est, quæ Innocentii I. Papæ responsio, qui in Epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem Cap. VI. postquam dixit, Clericum non esse ordinandum, qui secundam duxit uxorem, ita subjicit: *Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum, si forte quis accepit uxorem, & ea de seculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat a regula: quia in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur.* Et paulo post: *Quod si non putatur uxor esse computanda, quæ ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habentur.*

XVI. Est hæc quidem fere communis Patrum sententia in Ecclesia Latina, nam apud Græcos, & præsertim in nostro hoc præsenti Canone laudatur, confirmaturque Canon decimus septimus vulgo Apostolorum, quo edicitur, induci irregularitatem ex secundis nuptiis post baptismum initis, non vero ex illis, quæ ante baptismum contractæ essent: *Siquis*, verba sunt laudati Canonis, *post baptismum secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.* Huic sententiæ Græcorum tenacissime adhæsit S. Hieronymus, quippe qui in Oriente pluribus annis commoratus est, conaturque tum in Epistola ad Oceanum, tum in Commentariis Epistolæ primæ ad Titum Cap. I. totis doctrinæ, ac eloquentiæ nervis, variisque exemplis sententiam ipsam constabilire; quin & Ruffino æmulo suo opinionem hanc tanquam erroneam, & ab Ecclesia Latina alienissimam improperanti ita respondit: *Brevi sermone respondebo: Habent libellum, quem in crimen vocant, illi respondeant, hunc sua disputatione subvertant, & scripta scriptis arguant.* Sane ea in re recte ajebat Ruffinus; aliud enim Romana Ecclesia docuit, quam asserebat Hieronymus, ut liquet ex Rescripto Siricii Papæ ad Himerium Archiepiscopum Tarraconensem, & ex recitatis locis S. Innocentii Papæ I. Ambrosii, Augustini.

XVII. Cur in eam tum Hieronymus, tum passim Græci sententiam abierint, ut dicerent, minime esse irregularem, qui unam conjugem ante baptismum, & alteram post baptismum duxerit,

ea

ea profecto causa est, quod in bigamia non habuerint quidem rationem defectus sacramenti unionis Christi cum Ecclesia, sed incontinentiæ, quæ sepsam iteratis conjugiis prodit, cujus labes cum penitus per baptismum auferatur, nihilque prioris, qua quis ante baptismum sorduerit, homini baptizato imputari debeat, icciro ajebant, nullam prorsus propter illam incontinentiam fideli impingi posse irregularitatem: *Si baptismus novum hominem facit, & ex toto novum creat, nihilque in eo veteris hominis reservatur, non potest novo imputari, quod in veteri quondam fuit.* Verba sunt S. Hieronymi in laudata ad Oceanum Epistola, qua contrariam opinionem tuentes acerrime, sed frustra perstringit. Nam rectissime docet S. Innocentius I. Pontifex Maximus, ubi in Epistola sua secunda Cap. VI. ait, baptismo dilui quidem crimina, sed non minui conjugiorum numerum. Sive, ut scite admodum inquit S. Ambrosius in laudato superius Lib. II. Cap. L. *Intelligere debemus, quia in baptismate culpa dimitti potest, lex aboleri non potest.*

XVIII. Illud vero minime dissimulandum, ex superius recitato Canone XVII. vulgo Apostolorum, a nostra hac Synodo confirmato, irregularem esse etiam illum, qui post baptismum concubinam habuerit, quia scilicet criminum tametsi occultorum, ac præsertim fornicationis reos non licebat antiquitus sacris Ordinibus insignire, quamvis pœnitentiam subiissent. Id quod nos fuse ostendimus nostro I. Tomo Conciliorum in Commentariis ad Canones IX. & X. Concilii I. Nicæni. Sed hanc disciplinam, cui alias jus naturale, Divinum, & Canonicum egregie patrocinatur, jam pridem apud nos Latinos desiisse, & non modo occultorum, sed & manifestorum criminum reos sacra consuevisse ordinatione donari, testem habemus S. Bernardum, qui in Libro *De conversione ad Clericos*, Cap. XX. ait: *Ingrediuntur eum maculæ tabernaculum Dei viventis, inhabitant eum macula Templum sanctum Domini polluentes, indicium multiplex acceptari, quod tam gravissime conscientias gerunt, & nihilominus se se ingerunt in sanctuarium Dei.*

XIX. Jure etiam ac merito confirmat noster Canon Canonem XVIII. vulgo Apostolorum, quo arcetur a Clero qui viduam, aut ejectam acceperit, aut ancillam, vel aliquam de iis, quæ publicis spectaculis mancipantur, quia nimirum nemo potest in Clerum assumi, nisi virgo, aut maritus unius virginis, & honestæ mulieris, ne illa ordinandus infamiæ labe notetur, quæ emergit ex connubio cum mima, & scenica muliere, cum prostituta, ac repudiata. Quare non mirum si quarta Synodus Toletana Can. XIX. non solum a Clero arcet viduarum, ac relictarum; sed & maritos corruptarum & meretricum. Quod quidem decretum legere est passim in aliis Synodis, in quibus etiam, ac præsertim in Gerundensi, laicus ille censetur irregularis, qui post uxorem cognoverit quamvis aliam mulierem.

XX. Cum autem Bigamorum irregularitas, non tam in crimine, quod sæpe nullum occurrit, quam in defectu sacramenti, unionis scilicet Christi cum Ecclesia fundetur, jam plane addiscimus, omnes bigamiæ species, idest veræ, interpretativæ, ac similitudinariæ, contrahi tantum per matrimonii consummationem; unde vir, cujus uxor obiit post matrimonium ratum, sed non consummatum, nulla ratione est Bigamus. Ita enim apud Gratianum in Can. *Valentino*, Distinctione XXXIV. respondit Pelagius Papa, solvens propositam sibi quæstionem de viro, qui priore uxore, antequam cum ea matrimonium consummaret, mortua, aliam postea uxorem duxit. Sed audiamus Innocentium III. qui Episcopo Metensi, qui eum consuluerat, an qui contraxit cum virgine, quæ prius ab alio fuerat desponsata, censendus sit Bigamus, in Cap. Debitum V. *De bigamis non ordinandis*, ita rescribit: *Cum ergo propter sacramenti defectum, inhibitum sit, ne bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros Ordines promoveri, quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius, profecto, ubi deficit inter hujusmodi conjuges commixtio corporum, non deest ejusmodi signaculum sacramenti. Unde is, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minime cognitam duxit uxorem, quia nec ipse carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri non debet, quia possit ad Sacerdotium promoveri.*

XXI. Ex his autem tum Pelagii, tum Innocentii III. responsis illud præterea addiscere licet, quod inter alios observat Jueninus in opere *De sacramentis*, Dissertatione XII. Quæstione VI. Articulo VI. eum nempe, qui frigidus est, ac proinde ineptus ad matrimonium, semel, & iterum matrimonium tentarit, non esse irregularem. Si enim is qui viduam virginem uxorem ducit, aut ipse viduus, priore incognita, aliam ducit, & cum ea commiscetur, non fiat irregularis, licet duo vera matrimonia celebrarit; irregularis etiam esse non potest frigidus, quod duplex successive tentarit matrimonium, cum neutrum consummare potuerit, nec proinde carnem suam in plures dividere valeat. Semper autem tenenda illa regula est, si conjugium non sit consummatum, ne bigamiam quidem contrahi, propterea quod sola conjugii consummatio accurate exhibet Verbi divini cum humana natura conjugium, sive, ut ait laudatus Pontifex Innocentius III. loco citato: *Profecto conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum.*

XXII. Ex adverso idem Innocentius in Epistola Decretali ad Episcopum Ratisbonensem, relata in Cap. *Nuper* IV. *De bigamis non ordinandis*, diserte ait, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, qui uxoribus mortuis, quas ante ordinationem acceperant, secundas nuptias de facto contraherent, censeri utique Bigamos, tametsi ipsorum conjugia nulla essent: *Nos autem in hac quæstione tibi respondemus, quod cum hujusmodi Clerici, qui, quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensare, licet in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto.* Ante Innocentium Alexander III. in Cap. IV. *De Clericis conjugatis*, concedit Episcopis, ut Sacerdotes, qui matrimonium inierunt, Ordinis sui functionibus restituant, ubi flagitium piis lacrymis deterserint: *Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, sed contubernia sunt potius nuncupanda, post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi, ejus executionem habere.* Atque hi sunt similitudinarii Bigami, Clerici scilicet sacri, qui matrimonium

monium contrahunt, quod utique matrimonium non est.

XXII. Porro jam longe antea Canon noster Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, qui post ordinationem uni se matrimonio applicarunt, brevi aliquo tempore a sacro ministerio prohibitos, & punitos, rursus propriis gradibus restituit, ad alium tamen gradum nequaquam promovendos, nefario etiam matrimonio dissoluto. Est enim vetus Ecclesiæ disciplina, quæ hodieque etiam apud Græcos servatur, ut ii, qui in sacris Ordinibus constituti sunt, uxorem ducere penitus nequeant. Certe Apostolorum Canon vigesimus septimus, ex iis, qui ad Clerum provecti sunt, Clericis tantum Lectoribus, & Cantoribus ducere uxorem permittit: *Innuptis, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut, si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores, Cantoresque tantum*.

XXIII. Siquis autem quærat, an bigamia ab omnibus omnino Ordinibus semper excluserit, dicam breviter, ex laudatis superius Apostoli locis, solum Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ob bigamiam esse irregulares: neque enim de aliis Clericis ullam facit mentionem Apostolus, quia scilicet, ut quidem autumant, Apostoli ævo, ii ab Ecclesia constituti adhuc non fuerant. Sed ut ut sit ea opinio, varia fuit minorum Clericorum fortuna; licet enim Bigamos ab omni prorsus tum majori, tum minori Ordine Innocentius Papa I. in Epistola sua II. Cap. VI. abjiciat, & in Epistola XXII. Cap. I. ad Rufum Thessalonicensem, ac omnes Macedoniæ Episcopos scribat, *se, omnesque per Orientem, Occidentemque Ecclesias bigamos penitus non admittere, nec ad ultimum Ecclesiastici Ordinis locum adsumere, & si reperti fuerint, submovere*: varii nihilominus Canones extant, qui minores Ordines Bigamis quidem permittunt. Synodus Toletana I. anni CD. Can. III. statuit, *ut Lector, si viduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil sit, sed semper Lector, aut forte Subdiaconus*. Quia scilicet tunc temporis, uti alibi notatum a nobis fuit, Subdiaconatus necdum inter Ordines sacros numerabatur. Synodus Arausicana anni CDXLI. Can. XXV. Bigamis Clericis permittit, ut ad Subdiaconatum provehi possint. Similiter Andegavensis Canone II. solo eos interdicit Presbyteratu, & Diaconatu.

XXIV. Sed forte cogentibus rerum, & temporum angustiis indultum est Clericis minoribus, ut, licet Bigami essent, possent suas exercere in Ecclesia functiones; nam alias Concilium Lugdunense II. anni MCCLXXIV. a Gregorio Papa X. celebratum, Can. XVI. qui relatus est in Cap. Unico, *De bigamis in* VI. Decretum edidit, quo declarat, *digamos omni privilegio Clericali esse nudatos, & coercitioni fori secularis addictos*. Tum vetat sub anathemate, ne Tonsuram gerant, vel Clericalem vestem deferant: *Ipsis sub anathemate prohibemus deferre Tonsuram, vel Habitum Clericalem*. Concilium tandem Tridentinum Sessione XXIII. Cap. XVII. expresse mandat, ut Ordinum minorum functiones ab innuptis Clericis exerceantur, vel si horum non adsit copia, a conjugatis quidem vitæ probatæ, sed qui Bigami non sint. Ex quo illud etiam addiscimus, non posse Episcopum cum Bigamo ne ad minores quidem Ordines, vel simplicia beneficia dispensare; præsertim cum id expresse a Congregatione Concilii, & a Sixto V. qui Episcopum, a quo usurpata fuerat ea facultas, a collatione ordinum suspensum pronuntiavit, declaratum fuisse, testatur Fagnanus Lib. I. Decretalium, Parte I. Pag. 180.

XXV. Ante memoratas Synodos, Lugdunensem II. & Tridentinam, potuisse Episcopum Clericis veniam facere irregularitatis bigamiæ ad minores Ordines tantum, quinimo & ad majores Monacho, qui dispensationis gratia petere Romam nequiret, testatur in Lib. IV. Sententiarum, Distinctione XXVII. Quæstione III. Angelicus Doctor, sic inquiens: *Papa potest dispensare in tali irregularitate totaliter. Sed Episcopus quantum ad minores Ordines: & quidam dicunt, quod &c.* Solius itaque Romani Pontificis est de ea irregularitate dispensare, qua Bigami tenentur, ut possint ad sacros Ordines promoveri, vel in eis ministrare; extatque exemplum Lucii Papæ III. qui, ut refert Glossator apud Gratianum in Cap. *Lector*, Distinctione XXXIV. cum Panormitano Episcopo licet Bigamo dispensavit. Laudat hoc factum S. Thomas in Libri IV. Sententiarum Distinctionem XXVIII. tametsi Almahinus, auctoritate Christi subnixum S. Paulum eam bigamiæ irregularitatem publicasse scribat, adeoque non potuisse Lucium Papam dispensationem impertiri. Verum hallucinatus est Almahinus, non enim omnia Pauli mandata, aliorumve Apostolorum, ad jus divinum referri debent, cum multa ex iis Ecclesiæ vel auctoritate, vel consensu obsoleta sint, præsertim vero præceptum de sanguine, & suffocato, quod tametsi in Concilio Apostolorum, uti habetur in ipsorum Actis Cap. XV. sancitum fuerit, multis jam ab hinc seculis in Ecclesia Latina prorsus evanuit.

XXVI. Præter Almahinum sunt & alii Canonum interpretes, qui negant posse Ecclesiam cum Bigamis dispensare, quia scilicet Lucius III. in Cap. *Super eo II. De bigamis non ordinandis*, aperte dicit, quod *in bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros Ordines promoveri, vel in eiis, si promoti fuerint, temunere*. Verum scite respondet Estius in Libri IV. Distinctionem XXVIII. §. XVII. non loqui eo loco Pontificem de dispensatione proprie dicta, sed de communi permissione; cum enim Apostolica sit prohibitio, non debet nisi ex gravi admodum causa, ut id fiat, a Summo Pontifice concedi, non autem ab Episcopis, qui quidem ex laudato Lucii loco, si Bigamos ordinaverint, *potestate & officio ordinandi* privantur; ordinatis, si ad sacros Ordines fuerint promoti, sine ulla dispensationis spe, ab exercitio Ordinum omnino suspensis.

XXVII. Quamquam autem priscis seculis Romani præsertim Pontifices conati sint Apostoli præceptum de excludendis ab ordinatione Bigamis illæsum servare, adeo ut S. Gregorius Magnus licet a Brunichildi Francorum Regina rogatus, Bigamum ad sacrum Ordinem dispensare noluerit, uti constat ex ejus Epistola VIII. Lib. XI. inficiari tamen non possum, quin ea lex frequentibus prævaricationibus obnoxia fuerit. Nam Psychicos, idest Orthodoxos, in Libro, *De monogamia*, Capite XII. ita arguit Tertullianus: *Quot enim & bigami præsident apud vos, insultantes utique Apostolo, certe non erubescentes &c.* Sed & Theodoretus Cyri Episcopus in Epistola C. ad Domnum Patriarcham suum Antiochenum, ut se purgaret ab ordinatione Irenæi Episcopi, qui Bigamus erat, ait, celeberrimos Episcopos, Alexandrum Antiochiæ, Acacium Boroeæ, Praylium Hierosolymæ, Proclum Constantinopolis, Episcopos Ponti, Palæ-

Palæstinæ, & Phœniciæ, ejusmodi urdinationes, aut celebrasse ipsos, aut approbasse, atque ita majorum se vestigiis inhæsisse, & consuetudini obsequutum esse: *Consuetudinem ergo sequuti sumus.* Pluribus Irenæum laudat, eumque esse ait, orthodoxum, fidei zelosum, maguanimum beneficum in pauperes, virum omni Episcopali virtute ornatum. Verum Irenæum ipsum Tyriorum Metropolitam, uon modo quod Nestorium oleret, sed & quod Bigamus esset, tamquam læsorum canonum vindex Theodosius Imperator ejecit, ejusque executionem a Justiniano II. præsens Synodus nostro hoc Canone adversus iterum grassantem abusum imitatur, veteres de excludendis a Clero Bigamis Canones innovans, approbansque.

XXVIII. Ea demum nostri Canonis verba, *Usque ad decimam quintam præteriti mensis Januarii præteritæ quartæ indictionis &c.* ut scite observat in ejus Scholio Lupus, demonstrant, hanc Synodum habitam anno Domini DCXCII. Sergii I. Pontificis quinto, octavo Justiniani II. Imperatoris. Dicto Januarii die adversus Clericos Bigamos emanarat Edictum, quod Canon noster honorat fere modo, ut verbis Lupi utar, quo simile sui Antecessoris Siricii adversus incontinentes Clericos Decretum honoravit Innocentius I. Pontifex Maximus in Epistola III. ad Exuperium Thulosanum Episcopum, Cap. I. *Si ad aliquos forma illa Ecclesiasticæ vitæ, atque disciplinæ, quæ ab Episcopo Siricio, ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse, his ignorationis venia remittitur, itaut de cetero penitus incipiant abstinere. Et ita gradus, in quibus inventi fuerint, sic retenteut, ut eis non liceat ad potiora conscendere. Quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum, quem retinent, non amittant. Siqui autem scisse formam vivendi a Siricio missam detegantur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi, quia post admonitionem cognitam sunt arbitrati, præponendam voluptatem.* Ubi nota, magna esse privilegia ignorantiæ, de quibus peculiari Opere agit Auctor nomine Philippinus. Recte autem dicit Lupus, Canonem nostrum honorasse Edictum, quod contra Bigamos editum fuerat eo fere modo, quo adversus incontinentes Presbyteros ac Diaconos Decretum Siricii honoravit. Etenim non de ignorantibus prius Edictum, sed de iis, qui se se post ejus promulgationem cœperant corrigere, agit præsens Canon, eosque non plene priori gradui relinquit, sed ad tempus suspensos, ac pœnitentes, vetito etiam ad gradus superiores adscensu.

C A N O N IV.

Siquis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor, vel Ostiarius, cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Christi sponsæ vim attulerit. Sin autem laicus, segregetur.

C O M M E N T A R I U S.

I. Res est lacrymis digna, cogi Synodos adversus Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ac reliquos Clericos omnes, iterum atque iterum Canones edere, eosque depositione mulctare, qui cum mulieribus Deo dicatis coierint. Est hoc sane enormissimum facinus, ac sacrilegium omnium omnino gravissimum, quod quidem jam olim suo ævo S. Cyprianus elegantissima similitudine expressit in Epistola sua LXII. ad Pomponium, de Virginibus agens Deo dicatis, quas sacri homines, Episcopi, Presbyteri, Diaconi summo Ecclesiæ dedecore corruperant: *Si superveniens*, inquit, *maritus sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur, & fremit, & per zeli dolorem fortassis & gladium in manum sumit? Quid Christus, & Dominus, & Judex noster, cum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam jacere cum altero cernit, quam indignatur, & irascitur, & quas pœnas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur, cujus ut gladium spiritalem, & venturum judicii diem unusquisque fratrum possit evadere, omni consilio providere, & elaborare debemus.*

II. Pergit sanctissimus Præsul, & postquam dixit, quod cum omnes omnino disciplinam tenere oporteat, multo magis Præpositos, & Diaconos curare hoc fas est, qui exemplum, & documentum ceteris de conversatione, & moribus suis præbeant; ita statim de ipsis Præpositis, qui certe vel Episcopi, vel Presbyteri erant, & Diaconis, subjicit: *Quomodo enim possunt integritati, & continentiæ præesse, si ex ipsis incipiant corruptelæ, & vitiorum magisteria procedere?* Mox laudat Pomponium, quod Diaconum nescio quem, & alios qui cum virginibus Christo dicatis dormierunt, excommunicatione mulctarit: *Et idcirco consulte, & cum vigore fecisti, Frater carissime, abstinendo Diaconum, qui cum virgine sæpe mansit, sed & ceteros, qui cum virginibus dormire consueverant.* Verbo abstinere, quod idem est ac excommunicare, usus est idem Cyprianus in Epistola XXXVIII. ad Caldonium, Herculanum, & ceteros, de abstinendo Felicissimo, qui præter fraudes & rapinas, adulterii etiam crimen commiserat, quin &, ut ipse Cyprianus scribit in Epistola LV. ad Cornelium, virgines quoque corruperat. Fuisse autem Felicissimum istum, pseudoepiscopi Novati Diaconum, ex eodem Cypriano addiscere licet in Epistola XLIX. ad memoratum Cornelium.

III. Passim deplorant & alii Patres fœdos sacrorum hominum cum feminis Deo dicatis concubitus, causamque ejusmodi ruinarum ad illorum cum istis familiaritatem referunt. Testis est S. Augustinus Epistola CLXIX. Primum, Spaniensis Ecclesiæ Subdiaconum per accessum indisciplinatum ad Sanctimoniales, quem obstinate retinuit, infeliciter periisse. Sabinianum Diaconum, quod familiarius agens cum monali Bethlehemitica, eam tandem corruperit, graviter increpat S. Hieronymus in Epistola ad ipsum Sabinianum scripta, quam integram legere est in nostris selectis in laudati S. Doctoris Epistolis, quas etiam Notis quibusdam ad tironum usum illustravimus.

IV. Ple-

IV. Plenæ sunt Auctorum historiæ hujusmodi exemplis, sed audiamus nunc S. Chrysostomum, qui initio Homiliæ adversus regularium feminarum sui temporis cum sacris hominibus contubernium tragice exclamat: *Heu me, o anima, ita & ego nunc cum Propheta tempestive dico, & semel, & iterum, ac sæpius. Heu me, o anima, quale negotium, & quanta refertum sermocinatione. Virgo injuria est affecta: velum quod eam a nuptiis coercebat, sublatum est, & ab impudentissimis portis dilaceratum: sancta sanctorum conculcata sunt: honesta, & reverentiæ plena, profanata, & omnibus pervia. Quæ honestior nuptiis, adeo dejecta est, & humiliata, ut nuptias magis dicere beatas liceat. Semper quidem virginitas cum conjugio comparata, primas partes tenuit, & omnem dignitatem. Nunc autem neque in secundo ordine manere potuit, sed valde procul, & plane in ultimum concessit ordinem: & quod multa gravius, non hostes, neque inimici, sed ipsæ potissimum, quæ illas curare deberent, eam sic affecerunt; & propter quas adversus infideles hactenus libere loquebamur, illæ ipsæ ora nostra maxime obturant, & multa ignominia confundunt.*

V. Hosce S. Doctoris threnos spectare ad ruinas virginum Deo dicatarum per familiares cum sacris hominibus congressiones, manifeste tradit in Homilia laudata ipse Chrysostomus; qui etiam Lib. VI. *De Sacerdotio*, Cap. II. describens Sacerdotum complurium sui ævi eversiones, de eo præsertim miratur, quod cum ipsi a laqueis comptarum & pulcherrimarum mulierum evaserint, cum virginibus neglectam oris faciem, & sordidam vestem præferentibus infeliciter tandem impegerint: *Permulti inventi sunt, qui priora illa retia cum effugissent, retia, inquam, ex auro, ex unguentis, ex vestibus sumptuosis, ceterisque, quæ connumeravi, contexta, in hæc longe ab illis diversa facile inciderint, hisque perditi tandem fuerint.* Sed hoc mirum videri non debet, nam quamvis solemne sit secularibus, ut testis est S. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem, deformes filias, quis generos non invenerunt, virginitati tradere, & in monasterium compingere, quod hodieque fieri solet; scite advertit Auctor libri de singularitate Clericorum inter opera S. Cypriani, *magis illic cito delinqui, ubi sine suspicione securum potest esse delictum: maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla despectia fastidita, vel vilis existit, sed diabolus pingens, speciosum efficit quidquid fœdum, & horridum fuerit.*

VI. Porro Humbertus de Romanis inclyti Ordinis Prædicatorum Scriptor doctissimus, explanans Regulam S. Augustini, Cap. LXXXI. scitissime observat, Moniales multo magis obnoxias esse periculis circa castitatem erga sacros homines, quam seculares mulieres reliquas sive solutas, sive conjugatas, ejusque rei hanc rationem reddit: *Inter continentes vero sunt quædam sub habitu, & specie sanctitatis, & ideo cum non debeant habere familiaritatem cum hominibus mundanis propter nomen sanctitatis, facilius effundunt suas tentationes in viros sanctos, cum quibus frequentius conversantur. Et ideo ad cavendum ab istis, dicit Augustinus:* Nec minus ideo cavendæ, quia bonæ indolis, vel etiam piæ conversationis esse comprobantur. *Quanto enim melioris famæ sunt, tanto citius alliciunt, quia sub affectu pietatis, se supponit viscus impiæ libidinis, perniciosum mortis venenum, quod suum est projicient.* Ita Humbertus;

addit que eruditus Raynaudus in Dissertatione, *De sobria alterius sexus frequentatione per sacros, & religiosos homines*, Cap. VII. Quia ergo proclivius est, hujusmodi feminas, non habentes unde reprimant naturalem ad opus nuptiarum cupiditatem, corripi magnis tentationibus, ac mente saltem, & affectu ruere, & quidem potius erga homines sacros, quos fere solos vident, cavendum istis studiose est, ne per incautam familiaritatem conspergant adipem mulieribus succendentibus ignem. Hoc enim esset scandalum, & ruinæ occasionem præbere, quod qui facit, illo Christi Domini fulmine percellitur: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.*

VII. Sed videamus quæso quamnam pœnam incurrat, qui virginem Deo dicatam corruperit? Canon quidem noster, illum, si sacris Ordinibus initiatus, aut omnino in Clerum cooptatus sit, qui enorme illud flagitium commisit, deponi; si vero laicus, segregatione mulctari jubet. Concilium Ilerdense anni DXXIV. Can. VI. eum qui viduæ pœnitenti, vel Religiosæ Virgini stuprum intulerit, a communione & consortio Christianorum sequestrari decernit. Ex Concilio Arelatensi apud Gratianum Causa XXVII. Can. XXXVII. Quæstione I. sacrilegi, & filii perditionis esse dicuntur, qui Virginibus Deo consecratis se se commiscent; ex eo quod ipsarum *corpora per votum propriæ sponsationis, & verba Sacerdotis, Deo consecrata templa esse Scripturarum testimoniis comprobantur.* Concilium Germanicum anni DCCXLII. Can. VI. statuit, ut *quisquis servorum Dei, vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua*; Concilium Triburiense anni DCCCXCV. Canone XXIII. eum, qui cum Moniali fornicatus fuerit non posse amplius matrimonium cum alia inire, decernit. Esse hoc crimen plane gravissimum, & de majoribus perpetuam depositionem merentibus, etiamsi non sit notorie scandalosum, affirmant Doctores, quos citat Pignatellus Consultatione XXXVIII. Tom. VII. ubi postquam ostendit, teneri Episcopum, qui ejusmodi crimen patrarit, Episcopatui renunciare; docet præterea, deponi posse, si indicia adessent, & grave in populo scandalum. Certe Clemens X. coegit Episcopum N. ad renunciandum Episcopatui ob probabilissima indicia violationis Monialium. Innocentius quoque XI. anno MDCLXXXVI. ob idem crimen privavit Episcopatu N. licet nec confessum neque convictum, assignataque congrua sustentatione detrudi illum jussit pro carcere in Monasterium Sanctorum Cosmæ, & Damiani de Urbe.

VIII. Justiniani Lege apud eundem Gratianum in memorata causa & quæstione cautum est tandem, ut *siquis rapuerit, vel sollicitaverit, vel corruperit ascetriam, vel Diaconissam, vel Monacham, vel aliam mulierem religiosam vitam, vel habitum habentem, bona ipsius, & eorum, qui hujusmodi sceleris communione contaminati sunt, a religiosa loco vendicentur, in quo talis mulier habitabat, per religiosos Episcopos, & Oeconomos, & Præsides provinciarum, & Officiales eorum; ipsi autem capitali periculo subjiciantur; mulier autem ubique investigetur, & cum suis rebus Monasterio cautiori tradatur.* Constitutione itaque Justiniani, bona ipsius, qui stuprum virgini Deo sacratæ intulit, a religioso loco, in quo ipsa habitabat, vindicantur, stuprator vero capitali pœnæ subjicitur.

CANON V.

Nullus eorum, qui in Sacerdotali catalogo degunt, extra eas, quæ in Canone recensentur, a suspicione alienas personas mulierem possideat, vel ancillam, se nulli reprehensioni affinem ex hoc servans. Siquis autem quæ a nobis definita sunt, transilierit, deponatur. Hoc ipsum autem etiam Eunuchi servent, ut a vituperatione alieni sint, providentes. Qui autem transgrediuntur, si sunt quidem Clerici, deponantur, si vero Laici, segregentur.

COMMENTARIUS.

I. INnovat, atque ampliat Canon tertium Canonem Concilii I. Nicæni adversus agapetas, seu subintroductas mulieres, quas Clerici quasi spirituali tantum charitate dilectas apud se habitare patiebantur. Fuse in eum locum nostro I. Tomo Conciliorum de ipsis egimus nos, Canonesque, ac Patres retulimus, qui eam pestem, quæ per omnem tum Græcam, tum Latinam serpebat Ecclesiam, totis viribus eliminare conati sunt, quia scilicet res erat non modo plena periculi, sed & enormis lasciviæ. Ita quidem de prava illa consuetudine in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis scribit S. Hieronymus: *Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imo unde novum concubinorum genus? Plus referam, unde meretrices univiræ? Eadem domo, uno cubiculo sæpe uno tenentur lectulo, & suspiciosos nos vocant, si aliquid existimemus. Frater sororem virginem deserit, cælibem spernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum. Et cum in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spiritale consortium, ut domi habeant carnale commercium.*

II. Huic eliminando abusui varias cautiones, ac regulas excogitas fuisse a Patribus, frequenter in Conciliis legimus. Ut enim alia omittam, quæ Clericis, cum matre, & consanguineis habitare prohibebant; alia nihilominus nullas iis mulieribus a sacris Canonibus permissis passa sunt feminas administras, omnesque sibimetipsis servire jubent: *Nullus deinceps Clericorum*, inquit Concilium Turonense II. anni DLXVII. Can. X. *pro occasione necessitatis, aut causa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat. Et cum jubeamur victum, aut vestitum artificiolo quærere, & propriis manibus laborare, quid opus est in domo serpentem includere. Nullus ergo Clericorum, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, non Subdiaconus, quasi sanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam pro conservatione rerum in domo sua stabilire præsumat, quia & ipsa extranea est, dum non est mater, aut soror, aut filia.* Ubi nota omnem prætextum amputatum Clericis habendi apud se mulieres extraneas.

III. Sunt & aliæ præterea Synodi, quæ licet permittant Clericis, demorari in eorum ædibus matrem, sorores, filias, quas ante ordinationem habuerant, ac neptes; feminas tamen, quas iis serviendis siquunt, in remotiora domus habitacula, & a Clericorum cubiculis procul semota ablegandas ajunt. Sic enim inquit Concilium Agathense anni DVI. Can. X. *Id etiam ad custodiendam vitam, & famam speciali ordinatione præcipimus, ut nullus Clericorum extraneæ mulieri, qualibet consolatione, aut familiaritate jungatur. Et non solam in domo illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi ad extraneam mulierem habeat potestatem: sed cum matre tantum, sorore, filia, & nepte, si habuerit, aut voluerit, vivendi habeat potestatem: de quibus nefas est aliud, quam natura constituit, suspicari.* Sunt voces istæ in Canone III. Concilii I. Nicæni, ex quo pars nostri hujus Canonis desumpta est. Ceterum Can. XI. eadem Agathensis Synodus ita subjungit: *Ancillas, vel libertas a cellario, vel a secreto ministerio, & ab eadem mansione, in qua Clericus manet, placuit removeri.*

IV. Afferri possent & aliæ Synodi, in quibus magis, magisque novo vigore, variisque cautionibus adhibitis munitus est Canon tertius Nicænus, sed satis est, ad nostrum hunc Canonem Trullanum reflectere, qui adversus Decreti Nicæni refractarios pœnam depositionis, si Clerici sint, & segregationis, si Laici, constituit. Sed ulterius progressa est Synodus Trosleana anni CMIX. cum Can. IX. ex eo quod incontinentia sit fere semper occulta, satis esse censuit non modo ad perpetuam Presbyterorum depositionem, sed ad honorum omnium, quæ ipsi possidebant, amissionem, si convicti fuissent non solum de cohabitatione, verum etiam de sola frequentatione, vel accessu ad feminas contra Canones. Verba laudati Canonis sunt longe prolixa, varios enim continet Canones, & Leges Civiles, ac Decreta, & Constitutiones Pontificum.

V. Tandem quod forte nonnulli Canonem tertium Nicænum callide interpretantes dicerent, in eo Eunuchos non esse comprehensos, ideo noster hic Canon Trullanus addit, regulam a Canone Nicæno præscriptam, qua edicitur, ne Clerici extraneas mulieres penes se habeant, ab Eunuchis etiam esse servandam, ut & ipsi a suspicionibus, & maledicentia eximantur: *Hoc ipsum autem etiam Eunuchi servent, ut a vituperatione alieni sint, providentes.* Et quidem merito; sunt enim ii qui abscinduntur ceteris longe impudiciores, uniceque ob innuptis præsertim diliguntur, ac petulanter cum eis lasciviunt, quod gravidari nequeant, opusque non habent potione abortum faciente, ne infamentur. Tradit id quidem Juvenalis Satyra VI. Versu CCCLXVI. & duobus aliis sequentibus, ubi indolem, ac morem adolescentum quarundam Romanarum sui temporis ita describit:

Sunt quas Eunuchi imbelles, & mollia semper
Oscula delectant, & desperatio barbæ,
Et quod abortivo non est opus.

Concinit Juvenali Martialis, ubi Lib. VI. Epigrammate LXVII. ad Pannicum de Gellia uxore ita scribit.

Cur tantum Eunuchos habeat tua Gellia quæris,
Pannice; vult .... Gellia, non parere.

VI. At

VI. At nemo profecto melius, nervosiusque rem hanc explicuit, quam S. Basilius Magnus, qui in Libro, *De vera virginitate*, postquam aliorum sententiæ adhærens dixit, eos quibus soli testes abscissi sunt, acrius, atque ardentius inflammari libidine, & ad concubitum impatientissime ferri, ita deinde elegantem orationem suam persequitur: *Neque id solum, verum etiam tato jam, ut sibi videtur, violare quascunque potuerint. Ajunt enim, abscissis inferius testibus, qui a lumbis, ac renibus reliquo genitali membro semen administrant, oppilari statim superiores poros; fervente vero in renibus obscæna libidine, atque ita semen expumante, inflammari quidem ad id emittendum virum, cumque fervens in intimis id effundere nequeat, eo quod sibi ad concumbendam reservavit armari, atque ad actum prosilire nefarium. Ita abscissionem testium illecebram ad fallendam mulierem astute machinatus, impudicius illi jam flagitiosiusque miscetur. Nam is quidem qui naturalia integra habet instrumenta concubitus, excipientibus superne partis testibus semen, illudque fundentibus emisso jam semine alleviatus, concupiscentiæ flagrantis remittit ardorem. Is autem qui non habet unde quod intrinsecus prurit evacuet, vix extinguit libidinis æstum, quoad, ut ferunt, hujusce rabiem fatigatio solvat*.

VII. Nefas mihi esse puto hic ea omittere, quæ mox subjungit S. Doctor, qui, ne quod dictum est, paradoxum videri posset, exempla ejus rei affert, quæ a viris omni fide dignis se accepisse inquit: *Attestantur his quæ dicimus non solum natura ratio, verum & plurima ætatis nostræ documenta, sicuti quodam summæ reverentiæ viro, conicieque, ac vita meritis ornato referente didicimus. Ajebat enim, confessam sibi esse mulierem, Eunuchum, cui illa a Domino suo, sive a viro suo credita fuerat, quasi virum impudice sibi commisceri solitum; præsumebatque, ut ait, actum turpitudinis ipsa sua infecunditate, ac seminis privatione securius*. Subdit mox aliud exemplum, quo plane ostendit, quanta tentigine vel Eunuchi pruriant, tametsi genitalibus omnino careant; *Neque hic solum, sed alius quoque nobis unanimis haudquaquam facile mentiri solitus retulit, virginem quandam Ecclesiæ Canonicam sibi cum ejulatu nuntiasse, quod in cubiculo ipsius eunuchus fuerit, qui illam vitioso complecteretur affectu, totusque toti affusus, cum non haberet, quo posset concupiscentiæ suæ satisfacere, dentibus utebatur, ardentem in carne concubitus rabiem morsibus indicans*. Prolixa est Basilii oratio, & a curioso lectore omnino observanda, qua Eunuchos S. Doctor sugillat, veniamque sibi dari inquit, quod plura non tantum præmuniendæ virgineæ integritatis gratia dixerit, sed ut plurimos ejusmodi Eunuchos, qui nomen illustre consequuti sunt in Ecclesia, coerceret.

VIII. Porro Eunuchi sunt, qui ob musicam artem in qua versantur, a magnatibus magni habentur, omnes fere Ecclesiæ reditus devorant, auri copia, cantionum lenocinio, ac seminis sui infecunditate, facile virgines ad suam ipsorum explendam libidinem trahunt. Quocirca recte monet ipsas virgines S. Basilius, ut si intimam virginitatum servare inviolabilem cupiant, Eunuchorum contubernia, atque colloquia non passim admittant. Sed, ne longius hunc Commentarium protraham, satis jam constat ex dictis, recte admodum ex nostro Canone cautum esse, ne Eunuchi, præsertim qui ex nova Ecclesiæ disciplina, dispensatione summi Pontificis, ab irregularitate soluti Sacerdotio initiati sunt, cum extraneis feminis commorentur, *ut a vituperatione alieni sint, providentes*. Ut enim verbis S. Basilii utar, *sicut viri qui mulierum familiaritatibus gaudent, merito suspicionem adversum se turpitudinis concitant: ita & Eunuchi, qui cum mulieribus assidue morantur, idque præcipue student, ut ab eis nunquam divellantur, contra se ipsos suspicioni locum præbent*.

IX. Si ergo tandem Canon Nicænus tertius Clericis prohibuit extraneam domi suæ habere mulierem, præterquam matrem, aliasque propinquas, *quæ omnem suspicionem effugiant*, majori cum ratione Canon hic noster Trullanus eandem prohibitionem ampliat in Eunuchos; quum enim *his non adsit jus implendi quod volunt, ipsa sua impotentia audaciores ad fruendum concupiscentiæ effecti, peccatum voluntatis, magis, ac magis exaggerant*. Verba sunt S. Basilii, quibus Commentario nostro finem imponimus, multa omittentes, quæ ad carpendam insanam Eunuchorum libidinem non modo profani, & Ethnici Auctores, verum & sancti Ecclesiæ Patres afferunt, ne videamur castas aures offendere, tametsi Patres ipsi, præsertim vero Basilius, ac Hieronymus etiam, ubi ad Virgines scribunt, verbis passim utantur, ex quibus, si ab aliis dicerentur, pusilli, ac scrupulosi homines scandalum sumerent.

C A N O N VI.

Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores, & Cantores uxorem posse ducere; & hoc nos servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem hoc fuerit ausus facere, deponatur. Siquis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege matrimonii mulieri conjungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.

COMMENTARIUS.

I. Canon Apostolicus, cujus in nostro hoc Canone fit mentio, est vigesimus septimus, cujus verba juxta versionem Dionysii Exigui hæc sunt: *In nuptiis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant; sed Lectores, Cantoresque tantummo-*

tummodo. Ne quis forte occasione horum Canonum, qui solis Lectoribus, & Cantoribus uxores ducere permittunt, credat, in Ecclesia Græca ceteris inferioribus Clericis, idest Ostiariis, Exorcistis, Acolythis matrimonium fuisse interdictum, scire illud hoc loco juvabit, ideo de solis Lectoribus, & Cantoribus loqui Canones, quod hi soli juxta Græcorum morem in Clerum per ordinationem reciperentur; Ostiarii vero, Acolyti, & Exorcistæ inter Ecclesiæ quidem ministros, sed citra ullam ordinationem assumerentur, uti late ostendit Morinus, *De sacris Ordinationibus*, Parte III. Exercitatione XIV. Cap. I.

II. Est quod etiam hoc loco observes, eam facultatem, quam Apostolicus Canon laudatus Lectoribus & Cantoribus fecerat ducendi uxores si vellent, medio seculo quinto non plane in omnibus, sed in quibusdam tantum Ecclesiis obtinuisse: id enim perspicue addiscimus ex Canone XIV. Concilii Oecumenici Chalcedonensis, quod habitum fuit anno Christi CDLI. *Quoniam*, inquit, *in quibusdam Provinciis concessum est Lectoribus, & Psalmistis uxores ducere &c.* Non ergo universalis erat ea disciplina saltem tempore Concilii Chalcedonensis, sed ipsam quidem deinde noster Canon Trullanus restituit juxta præscriptum Canonis Apostolici, estque hæc hodierna & universalis Græcorum praxis, ut Lectores, si velint, nuptias etiam post suam ordinationem inire valeant.

III. Quod majores Ordines spectat, constat ex laudato Canone XXVII. ex iis qui vulgo Apostolis tribuuntur, quique disciplinam complectuntur, quæ tribus prioribus seculis apud Orientales obtinuit, in Ecclesia Græca vetitos semper fuisse Subdiaconos, aliosque in superioribus Ordinibus constitutos uxores post suam ordinationem ducere, quia scilicet memoratus Canon eam facultatem nubendi solis Lectoribus, & Cantoribus impertitus est. Ejusmodi disciplinam, quod jam esset a sacris Canonibus præscripta, non modo confirmavit, sed & novo etiam vigore munit medio sexto seculo Imperator Justinianus, ubi Lege sua ad Julianum Præfectum scripta, estque quadragesima quarta in Codicis Titulo, *De Episcopis & Clericis &c.* dolens prædictam disciplinam a multis violari, ultra depositionem alias etiam pœnas decernit: *Sacris Canonibus neque Deo amantissimis Presbyteris, neque Reverendissimis Diaconis, aut Subdiaconis nuptias contrahere post hujusmodi ordinationem permittentibus, sed solis Reverendissimis Psaltis, & Lectoribus id concedentibus; animadvertimus, quosdam dispicientes quidem sacros Canones, pueros autem generantes, ex quibusdam mulieribus, quibus conjungi secundum Sacerdotalem censuram non possunt.*

IV. Quam sacrilega sint ejusmodi matrimonia, quæ apud Græcos a Justiniani temporibus invaluere, ex laudata Constitutione ejusdem Imperatoris liquet: quippe qui Canonicas pœnas Civilibus cumulans, non tantum majores Clericos, si qui uxores duxerint, Ordine amoveri jubet, graduque, & honoribus, & functionibus, redditibusque spoliari; sed susceptos etiam ex ea nefaria copula liberos illegitimos decernit, ac si ex incestuoso conjugio prognati essent; a jure quocumque successionis, donationis, & fideicommissi penitus arcet; atque infra sortem omnium illegitimorum eosdem deturbat; bona autem omnia ipsorum parentum, Ecclesiis quibus erant adscripti, omnino attribuit: *Quoniam igitur pœna facinoris hujus in sola Sacerdotii erat amissione, sacros autem Canones non minus, quam Leges valere, nostræ volunt Leges, sancimus obtinere in illis & quæ sacris visa sunt Canonibus, perinde ac si Civilibus inscriptum esset Legibus, & omnes istiusmodi homines, tam pro Sacerdotio, quam divino ministerio, atque etiam dignitate ipsa, quam habent nudari; quemadmodum enim sacris Canonibus prohibita sunt talia, sic & secundum nostras Leges rem ipsam prohiberi, & præter supradictum excidendo ministeria pœnam, ne legitimos quidem, & proprios esse eos, qui ex hujusmodi inordinata conspiratione nascuntur, aut nati sunt; sed eam quæ ex talibus seminibus oritur, participari turpitudinem: tales enim eos esse disponimus, quales quos Leges ex incestis, aut nefariis natos nuptiis definiunt; itaut neque naturales, aut nothi, seu spurii intelligantur; sed prorsus, & undique prohibiti, & successionis genitorum indigni, ut nec donationem ab illis capere possint, neque hi, neque horum matres, nec per interpositas quidem personas, sed omnibus in hos collatis a Patribus beneficiis, ad sanctam Ecclesiam, ex qua sunt, qui talia deliquerunt, revertentibus.*

V. Addit & alia in ipsa Lege, quæ ne in ea integra recensenda prolixiores videremur, consulto omisimus, tum quod non sine admiratione testetur Balsamon, suo ævo istud pœnarum genus in ea Lege præscriptum minime fuisse observatum: tum præsertim quod ea potius, quæ in ipsa re sacri Canones, & sancti Ecclesiæ Patres constituerunt, investigare, ac ingenue referre censuimus. Quamquam ergo, ut aliis in locis ostensum est, fervata primis sæculis apud Græcos Cælibatus lex fuerit, fuerunt nihilominus tunc temporis variis in Ecclesiis Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, quos contra Ecclesiasticas Leges in ea re peccasse, testatur inter alios S. Epiphanius Hæresi LIX. *non illud ex Canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere solet.* Mirum sane illud est, quod Diaconos, qui tamen Episcopo ante ordinationem suam contestati essent, se non posse sine uxore vivere, exemit quidem Ancyrana Synodus anni CCCXIV. a Lege cælibatus, eoque passa est in ministerio manere, si postea nuptias inirent, tametsi Diaconos alios, qui protestati non essent, si uxorem ducerent, a Diaconatu cessare jubeat. Sic autem inquit Can. IX. juxta versionem Dionysii Exigui: *Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt, velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: hi si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debebunt.*

VI. Is Canon est, quem tantopere extollit Calvinus, ejusque asseclæ egregiis laudibus ornant, quasi inde perspicuum sit, iis qui majoribus Ordinibus initiati essent, licuisse conjugia inire. Verum facile est observare; primo, nullum similem Canonem legi in Conciliis etiam Orientalibus, quæ ante, & post laudatam Ancyranam Synodum celebrata sunt. Secundo, de his tantum Diaconis Ancyranum loqui Canonem, quos invitos nonnulli Episcopi ex ministrorum penuria præter morem Ecclesiæ etiam Orientalis, ut alibi ostensum fuit, ordinarent; &, si nempe illi reclamarent, atque contestarentur, se non posse

sine

ſine uxore vivere; maluiſſe Epiſcopos pro illius temporis ratione, cælibatus legi diſpenſare, quam carere miniſtris. Tertio, fuiſſe hanc temporariam diſpenſationem, quæ potius Legem cælibatus confirmat, cum conſtet ex ipſo Canone, idem non licuiſſe Diaconis, qui de incontinentia, dum ordinarentur, tacuiſſent, ideoque ex ſolo ſilentio eos cælibatui adſtrictos fuiſſe, cum, modo tacuerint, *continentiam profeſſi* haberentur. Cui Legi adeo obtemperandum ſtatuit Toletana VIII. Synodus anni DCLIII. Can. VII. ut dicat, ex tacite emiſſis votis eo modo ligari Diaconos, quo baptizati etiam infantes tenentur nunquam a fide recedere. Quinto demum, cum Ancyranus Canon, & noſter præſens Canon Trullanus ſibi invicem adverſentur, hunc potius, qui & poſterior fuit, & magis cum Apoſtolico Canone XXVII. & recepta Eccleſiæ diſciplina conſentit, ſervandum, quam Ancyranum Canonem ſingularem.

VII. Nihil itaque eſt, quod hæreticis patrocinari poſſit, qui ſumma nonniſi impudentia, & conculcatione divini æque, & humani juris poſt continentiam profeſſam, auſi ſunt conjugia inire, auctore in primis Andrea Caroloſtadio Archidiacono Wittembergenſi, quem primum omnium ex Sacerdotum ordine, anno MDXXV. uxorem duxiſſe, ſcribit in ſuo Commentario Laurentius Surius. Illum mox ſequutus Lutherus, eodem teſte Surio in ipſo Commentario hiſtorico, memorato anno MDXXV. ſolemni matrimonio ſibi ſanctimonialem virginem junxit, cum qua etiam filios procreavit. Idipſum paſſim de aliis hæreticis Caroloſtadium & Lutherum ſequutis legere eſt; mirumque iſtud videri non debet, cum, ut ſcribit S. Hieronymus, difficile ſit invenire hæreticum, qui diligat caſtitatem. Sed curioſum eſt quod prædictus Surius ad annum MDXXXI. ſcriptum reliquit: *Uſque adeo frigidum eſt hoc genus Apoſtatarum, ut periculum ſit, ne præ frigore moriantur; niſi quamprimum lepidam aliquam puellam ſibi per ſummum ſcelus adjungant, cujus ſulfureis amplexibus incaleſcant illo igne, quem non Dominus Jeſus amator integritatis, & virginitatis filius, ſed tartareus ſatan miſit in terras.* Alludere videtur primis verbis ad ea quæ adverſus Vigilantium ſcripſit jam olim S. Hieronymus; cum enim ille virginitatem damnans, in defenſionem nuptiarum, quas Clericis ſuadebat, diceret: *Si omnes virgines fuerint, nuptiæ non erunt, interibit humanum genus, infantes in cunis non vagient, obſtetrices abſque mercedibus mendicabunt*; occurrit ſtatim S. Doctor, lepideque adjungit: *& graviſſimo frigore ſolus, atque contractus Dormitantius vigilabit in lectulo.*

VIII. Jam de nuptiis poſt ordinationem a ſacratis viris contractis, & a jure Civili Juſtinianeo damnatis abunde ſuperius loquuti ſumus. Illud ſaltem revereri hæretici noſtri ævi debuerant, qui omnimodam in imperium æque ac Sacerdotium auctoritatem Principibus tribuunt; ſed neque id mirum videri debet, cum ingenue fateri cogamur, licet ſemper contra ſacrorum hominum nuptias ſacri Canones, ac ſancti Patres declamarint, ſemper tamen fuiſſe ex illis, qui ſanctiſſimam diſciplinam contemnerent, adeo ut Concilium Toletanum IX. anni DCLV. Can. X. tantam ſacrorum hominum pertinaciam deplorans, coactum ſit ſeveriorem pœnam, quam Lex Juſtiniani præſcripſerat, in liberos ipſos Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum decernere, ut nempe a parentum impudicorum ſucceſſione arcerentur, & Eccleſiarum ipſorum ſervituti addicerentur. Verba laudati Canonis hæc ſunt: *Cum multa ſuper incontinentiam Ordinis Clericorum uſque hactenus emanaverint ſententiæ Patrum, & nullatenus ipſorum formari quieverit correctio morum, uſque adeo ſententiam judicantium protraxere commiſſa culparum, ut non tantum ferretur in auctores ſcelerum, verum etiam in progeniem damnatorum. Ideoque quilibet ab Epiſcopo uſque ad Subdiaconum deinceps, vel ex ancilla, vel ex ingenua deteſtando connubia in honore conſtituti filios procreaverint: illi quidem, ex quibus geniti probabuntur, canonica cenſura damnentur: proles autem tali nata pollutione, non ſolum parentum hæreditatem nuſquam accipiat, ſed etiam in ſervitutem ejus Eccleſiæ, de cujus Sacerdotis, vel miniſtri ignominia nati ſunt, jure perenni manebunt.*

IX. Tametſi tam ſeveræ eſſent conſtitutæ pœnæ adverſus ſacratorum hominum nuptias, atque eorum ſacrilegos filios, minime ipſæ efficere potuerunt, quin ſeculo X. & XI. impudicitiæ lues ſe in Occidentalem Clerum omnem inſuderit. Fidem de ea peſte teſtatiſſimam faciunt non modo Eccleſiaſtici Annales, ſed & variæ Synodi, quæ illam tandem eliminarunt non ſine magno Secularium Principum, Epiſcoporum, ac præſertim Romanorum Pontificum ſtudio. Videri de ipſa re poteſt eruditiſſimus Lupus Tomo IV. Operum in prima ſua Procemiali Diſſertatione, *De Latinorum Epiſcoporum, & Clericorum continentia*; dum nos ad poſtremam noſtri Canonis partem deſcendentes, illud primum monemus, Gratianum ſub nomine Sextæ Synodi eam partem ita in ſuo Decreto, Can. *Siquis eorum*, Diſtinctione XXXII. referre: *Siquis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante ordinationem Subdiaconatus facit.* Eiſdem plane verbis etiam Sextæ Synodi nomine partem ipſam noſtri Canonis citat Innocentius III. in Cap. *A multis* IX. *De ætate, & qualitate Ordinandorum*; ut vel inde appareat, quod notat Vaneſpen, Innocentium, imo & alios omnes fere Scriptores illius temporis, & etiam multo poſt, non in ſuis fontibus Canones, ſed in Gratiano legiſſe. Plura quæ ad ſecundam hujus Canonis partem ſpectare videntur, infra opportuniori loco dicemus.

CANON VII.

Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia, & licentia fretos, ante Presbyteros ſedere; ſtatuimus, ut Diaconus, etiamſi in dignitate, ideſt in quovis ſit officio Eccleſiaſtico, ante Presbyterum ne ſedeat, præterquam ſi proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens, adſit in alia civitate ſuper ali-

quo

quo capite. Tunc enim ut locum illius implens honorabitur. Siquis autem tyrannica adductus audacia tale quid efficere ausus fuerit, is ex proprio gradu dejectus sit omnium ultimus ejus ordinis, in cujus est catalogo in sua Ecclesia, Domino nostro admonente, ne primis sedibus delectemur, secundum eam, quæ in Sancto Euangelista Luca, ut ex Domino nostro, & Deo profecta, posita est, doctrinam. Iis enim, qui vocati erant, dicebat parabolam: *Quando ab aliquo ad nuptias invitatus fueris, ne in primo loco accubueris, ne forte quispiam te honoratior ab eo invitatus fuerit, isque, qui te, & ipsum invitavit, veniat, & dicat: Da ei locum, & tunc incipies cum pudore ultimum locum tenere. Sed quando invitatus fueris, in ultimo loco accumbes, ut quando venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice ascende altius. Tunc erit tibi gloria coram iis, qui tecum accumbunt. Nam quisquis se extollit, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Hoc ipsum autem etiam servabitur in reliquis sacris Ordinibus; quandoquidem secularibus dignitatibus spiritales præstantiores esse scimus.

COMMENTARIUS.

I. NE medium in Presbyterorum consensu locum Diaconi occupent, Canone XVIII. Concilii I. Nicæni interdictum est, contumacesque a ministerio Diaconatus arceri, eadem constitutione decretum. Hic vero Canon, qui honestiorem sedendi locum impudenti temeritate Sacerdotibus præripuerit, non eum quidem a ministerio repelli, sed de suo gradu deturbari jubet; itaut si primum forte locum inter Diaconos obtinuerat, in postremum dejiciatur, honoreque ceteris omnibus inferior habeatur. Si quem tamen Diaconum muneris sui Vicarium in Urbem aliquam Patriarcha, vel Metropolitanus destinarit, debitos ipsorum Præsulum Legato honores deferri, eodemque cum illis loco haberi mandat.

II. Sunt & alia, quæ edicit Canon, sed antequam ulterius progrediamur, operæ pretium erit, Dubium dissolvere, quod ex enarrato huc usque Canone oritur, quodque in suo ad hunc Canonem scholio Zonaras recenset. Nempe, cum ex laudato Nicænæ I. Synodi Canone, qui medius inter Presbyteros consederit, illi cessationis a ministerio pœna gravior inflicta sit, qua ratione factum arbitremur, ut qui honestiorem locum Sacerdote assidente occuparit, cum eo hic Canon Trullanus remissius agat, leviorique animadversionis genere, nihil aliud quam postremum inter sui ordinis homines gradum obtinere jubeat? Respondet Zonaras, nonnullos jam pridem id ita explicasse, ut de Diaconis, qui dum sacra Mysteria peragebantur, eo nempe tempore, quo eos maxime Sacerdotibus inservire, atque astare oportebat, ipsi in sacris subselliis medii inter Presbyteros considere auderent, Nicænum Canonem accipi velint: hunc vero de iis, qui extra illud tempus, alio quocumque consessu, digniorem sibi inter Sacerdotes locum arrogarint, intelligendum esse arbitrentur. Cum enim ubique Sacerdotes vereri Diaconi debeant, tum id eos, dum operam rei divinæ ministerio impendunt, præstare maxime decet.

III. Quanta jam olim insolentia, & quam ob causam Diaconi supra Presbyteros se efferrent, abunde in nostro ad XVIII. Canonem Nicænum Commentario explicuimus. Sed cum eorum superbia semper ascenderet, conatæ semper sunt Synodi, ac Patres audaciam ipsorum deprimere, sed sine ullo penitus fructu, quia scilicet, ut dici assolet, securim ad radicem minime posuerunt. Multa erant in Ecclesiis præsertim Orientis officia Ecclesiastica, quorum præcipua sex numerantur, nimirum Cartophylacis, magni Oeconomi, magno Sacello Præpositi, magni vasorum Custodis, parvo Sacello Præpositi, & primi Defensoris. Summis istis, ac honorificis muniis, cum Diaconi potissimum ante nostræ hujus Synodi tempora, fungerentur, officii dignitate freti etiam supra Presbyteros consessum sibi arrogarunt. Id quod merito noster Canon vetuit, pœnamque in ipsos constituit, ut inter ordinis sui collegas ultimum in locum detrudantur; quia scilicet Christi oraculum est in Euangelii Lucæ expressum: *Omnis qui se exaltat humiliabitur.*

IV. Cum autem eandem legem, & pœnam non jam ad solos Diaconos, sed ad alios inferiores Clericos Canon extendat: *Hoc ipsum autem etiam servabitur in reliquis sacris Ordinibus*; & hos quoque plane intelligimus, non dispari insaniisse superbia, & officiorum gloria tumentes, in superiorum Ordinum Clericos dominari, & præesse voluisse. Miretur sane qui velit hæc legens, mihi certe nihil admirationi est, quod ii tantopere superbirent, majoribusque initiatos Ordinibus spernerant, cum passim videam, infimos Clericos, qui hodieque in Episcoporum ædibus aliquo vel vili funguntur officio, tanta tumere superbia, ut ipsi cooperto capite sedentes, Presbyteros coram se stare sinunt, cum eisque tamquam sibi subjectis loquuntur.

V. Verum hoc omisso abusu, qui etiam in cœtibus religiosis grassatur, ubi Superiorum Laici, seu Conversi cæteros Patres contemnunt, adeo Diaconi, aliique Clerici inferiores nostro huic Canoni non cesserunt, ut post hac in ipsos, & supra ipsos Episcopos insurgerent, consessumque sibi arrogarent. Certe Græcorum Cartophylacem, cum Diaconus esset, in Conventibus omnibus, qui extra Sanctuarium, & extra Concilia fierent, non tantum supra Presbyteros, sed & supra Episcopos ipsos sedere consuevisse, deplorat suo ævo Balsamon, eamque consuetudinem tametsi

metsi manifeste canonicis regulis inimicam, affirmat tamen roboratam fuisse Alexii Conneni Imperatoris constitutione: *Ut autem nonnulli ex Ecclesiasticis Diaconis in Congregationibus, quæ fiunt extra sacrum Tribunal, ante Sacerdotes sedeant, fieri videmus. Et existimo, hoc fieri propter dignitates, seu officia. Soli enim ii, qui a Patriarcha officiis Ecclesiasticis digni sunt habiti, sedent ante Sacerdotes; fit autem & hoc præter rationem. At Chartophylax in Congregationibus, quæ fiunt extra Synodum, sedet non solum inter Sacerdotes, sed etiam ante Pontifices, ex Constitutione Alexii Comneni.* Vide Tomum 1. Juris Orientalis, Pagina 144.

VI. Porro desinet quisque mirari, quod eo superbiæ Chartophylaces devenerint, si ad eorum officia, ac jura reflectat, quibus ipsi ornati erant. Describit ea Anastasius Bibliothecarius in quadam sua ad Actionem secundam Synodi octavæ adnotatiuncula, sic dicens: *Chartophylax interpretatur chartarum custos. Fungitur autem officio Chartophilax apud Ecclesiam Constantinopolitanam, quo Bibliothecarius apud Romanos; indutus videlicet infulis Ecclesiasticorum ministrorum, & agens Ecclesiastica prorsus cuncta obsequia, exceptis iis solis, quæ ad Sacerdotale specialiter, ac proprie pertinere probantur officium. Sine illo præterea nullus Præsulum, aut Clericorum a foris veniens, in conspectu Patriarchæ intromittitur: nullus Ecclesiastico conventui præsentatur: nullius Epistola Patriarchæ missa recipitur, nisi forte a ceteris Patriarchis mittatur: nullus ad Præsulatum, vel alterius Ordinis Clericorum, sive ad Præposituram Monasteriorum provehitur, nisi iste hunc approbet, & commendet, atque de illo ipsi Patriarchæ suggerat, & ipsi præsentet.* Cum tot essent prærogativæ Chartophylacis Constantinopolitani, non mirum, si Presbyteri non solum, sed & Episcopi Constantinopolitano Patriarchæ subjecti, eis adulantes, & placere studentes, adeo se illis subjicerent, ut tam digniorem consessum cederent.

VII. Quamquam vero noster Canon Clericos, ac præsertim Diaconos carpat, qui officiis Ecclesiasticis, quæ varia erant in Orientali Ecclesia, tumescentes, ante Presbyteros consessum sibi arrogabant, ideo tamen nos Chartophylaces perstrinximus, quod ipsos potissimum Canon iste retundat, qui supra Presbyteros constituti, jam jam Episcopis ipsis imminebant. Hisce conatibus occurrens Synodus nostra pulcherrimum illud temperamentum excogitavit, ut Chartophylax, & quicumque tandem Diaconus, *etiamsi in dignitate, idest in quovis sit officio Ecclesiastico, ante Presbyterum ne sedeat, præterquam si proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens, adsit in alia Civitate super aliquo capite. Tunc enim ut locum illius implens honorabitur.* Æquissimum sane temperamentum hoc fuit, & veteri Ecclesiæ disciplinæ consonum, quum tam ex Annalibus Ecclesiasticis, quam ex ipsis Conciliorum Actis perspicue constet, qui mittebantur ad Oecumenicas Synodos a Romano Pontifice Legatos, tametsi Diaconi aliquando tantum essent, non modo supra Presbyteros, sed supra Episcopos etiam, & Patriarchas sedem sibi jure vendicasse. Delegatos etiam ab Episcopis absentibus eodem sedisse ordine, quo ipsi delegantes Episcopi consedissent, Annales ipsi Ecclesiastici, & Acta Conciliorum passim testantur.

VIII. Certe in prima Nicæna Synodo Osium Episcopum Cordubensem, Vitum, & Vincentium Presbyteros, qui erant Romani Pontificis S. Silvestri Legati, præfuisse perspicuum est, tum ex S. Athanasio teste oculato, qui in Epistola ad Solitarios refert, Osium fuisse Synodi principem, & Nicænæ Fidei Symbolum composuisse, tum ex ipsius Synodi subscriptionibus, tum ex Photio in Libro, *De septem Synodis*, tum ex Gelasio Cyziceno, & aliis. Sed quid ceteras memorem Synodos, in Actione 1. Synodi Sextæ Trullanæ, cujus nos Canones enarramus? legitur quidem, in Secretario Sacri Palatii, quod cognominatur Trullus, convenisse sanctam & universalem Synodum, idest Theodorum, & Georgium, venerabiles Presbyteros, & Joannem venerabilem Diaconum, vicem agentes sanctissimi, & beatissimi Archiepiscopi Romæ veteris Agathonis: & Joannem sanctissimum Archiepiscopum magnæ Constantinopolis novæ Romæ: & Petrum Presbyterum, & Monachum locum servantem Sedis Alexandriæ: & Macarium Archiepiscopum Theopolis &c.

IX. Conciliis interfuisse Diaconos ab Episcopis absentibus missos, ut suas ipsorum vices gererent, abunde docent Acta Conciliorum. Quæ essent in Synodis eorum partes, fuse ostendimus nos primo nostro Tomo Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XIV. Concilium quidem Emeritense anni DCLXVI. Can. V. præcepit, ne qui adesse Episcopi non poterant, Diaconos amplius delegarent, sed aut Archipresbyterum, aut Presbyterum mitterent: *Injustum enim hoc accipit cœtus noster, ut quisquam Episcoporum Diaconum ad suam personam dirigat: hic enim quia Presbyteris junior esse videtur, sedere cum Episcopis in Concilio nulla ratione permittitur.* At vero tametsi laudata Emeritensis Synodus Diaconos a Synodis excluserit, constat nihilominus, perrexisse ipsos ad illas ab Episcopis absentibus vice sui delegari, legique de ea re possunt Acta ipsa Conciliorum.

C A N O N VIII.

In omnibus ea quæ a nostris sanctis Patribus decreta sunt, nos quoque rata, ac firma esse volentes, Canonem quoque renovamus, qui jubet uniuscujusque Provinciæ Episcoporum quotannis fieri Synodos, ubi Metropolitanus Episcopus satius esse duxerit. Quoniam autem propter Barbarorum incursiones, & quasdam alias incidentes causas, non possunt qui Ecclesiis præsident Synodos bis in anno facere, visum est, ut omnino semel in anno propter Ecclesiasticas quæstiones, ut consentaneum est, emergentes, fiat prædictorum Episcoporum Synodus a sancto Paschæ Festo, & usque ad Octobris mensis

complementum, singulis annis, in loco, quem, ut prædictum est, Metropolitanus Episcopus aptiorem judicaverit. Ii autem, qui non conveniunt, Episcopi, cum in suis Civitatibus agant, & sani sint, & ab omni inevitabili, & necessario negotio liberi, fraterne corripiantur.

N O T A.

Quod Apostolicis antea, Synodorumque Canonibus, præsertim quinto primæ Nicænæ, ac decimonono Chalcedonensis cautum fuerat, is quoque Canon renovata constitutione decernit, ac ut in singulis annis in unaquaque Provincia bis Synodus habeatur, edicit. Sed cum de hac re fusius jam in nostro ad laudatum Canonem Chalcedonensem XIX. Commentario differuerimus, ad illum plane curiosum Lectorem remittimus.

C A N O N IX.

Nulli licere Clerico cauponariam habere tabernam. Si ei enim in tabernam ingredi non est permissum, multo magis & aliis in ea ministrare, & ea quæ non licet ipsi, tractare. Siquis autem tale fecerit, vel cesset, vel deponatur.

COMMENTARIUS.

I. Pervetustus fuit, ac frequens Clericorum abusus, pastus, potusve causa tabernas, sive cauponas adire, tametsi a primis Christi seculis ad nostra hæc usque tempora Synodi, ac Patres ab ipsarum aditu Clericos omnes, pœnis in contumaces constitutis, arcere omnino conatæ sint: *Siquis Clericus*, inquit Canon LIII. vulgo Apostolorum, *in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur: præterquam si in publico diversorio in via propter necessitatem diverterit*. Hanc eandem clausulam legere est quidem in aliis Synodis, in quibus fere semper itineris ratio, vel necessaria aliqua causa excipitur, licet nullum de ea exceptione verbum in Laodicenæ Synodi Canone IV. habetur. Hæc ejus verba juxta versionem Dionysii Exigui: *Quod non oporteat sacro ministerio deditos a Presbyteris usque ad Diaconos, & reliquum Ecclesiasticum ordinem, idest usque ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios, & ex numero continentium, & monachorum, ingredi tabernas*. Omnes nominatim Clericorum ordines comprehendit, ac Monachos, eisque non modo in tabernis edere, aut bibere, verum etiam eas ingredi prohibet; quia scilicet illæ loca sunt quædam, quo cuncta undique fœda, ac pudenda confluunt, celebranturque.

II. Hinc non mirum, si reliquæ Synodi suos in eum Clericorum abusum edidere Canones. Carthaginensis III. anni CCCXCVII. Can. XXVII. ita statuit: *Ut Clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi*. Hunc Canonem æque, ac Laodicenum, ad coercendos Clericos, & Monachos Germanos, & Gallos popinis, seu tabernis deditos pristino vigori restituere Synodi, Francfordiensis anni DCCXCIV., & Rhemensis anni DCCCXIII. Quarum prior Can. XIX. ita inquit: *Ut Presbyteri, Diaconi, Monachi, & Clerici, tabernas ad bibendum non ingrediantur*. Altera vero Can. XXVI. hunc in modum ait: *Ut Monachi, & Canonici tabernas ad edendum, & bibendum non ingrediantur sicut in Conciliis Laodicensi, & Africano legitur esse interdictum*. Id quod totidem fere verbis edicit Carolus Magnus Lib. I. Capitularium, Cap. XIV. Eadem lege Parochos suos adstrinxit Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Capitulari anni DCCXCVII. Cap. XIII. quamquam non vetet eos invitatos accedere ad prandium, & domum Patris familias alicujus, quem ipsi vicissim carnali pasti cibo, spirituali pascerent alimonia: *Observandum vobis est, ut & vos ab ebrietate abstineatis, & ut plebes subditæ abstineant, prædicetis: & neque per tabernas eatis bibendo, aut comedendo, neque domos, aut vicos curiositate qualibet peragretis: neque cum feminis, aut cum quibuslibet impuris personis convivia exerceatis. Nisi forte Paterfamilias quilibet vos ad domum suam invitaverit, & cum sua conjuge, & prole velit vobiscum spirituali gaudio lætari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem charitatis officio exhibere. Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis spiritualibus*. Ahyto quoque Episcopus Basiliensis in Capitulari suo, quod circa annum DCCCXX. suæ Diœcesis Presbyteros scripsit, postquam ipsis prohibuit, ne tabernas ingrediantur, hoc unum permittit, ut *si necesse habent ibidem aliquid emendi, missos suos dirigant, & oblata in aliam domum conferant, & cum gratiarum actione fideliter percipiant*.

III. Hasce æquissimas leges, quibus extra casum necessitatis a popinis arcentur Clerici, cum Clerici, ac præsertim Parochi passim Seculo IX. negligerent, Hincmarus Archiepiscopus Remensis novo quodam vigore muniit, ubi ipsis interminatus est, fore ut rusticis aliquando tandem annueret, quod illi jam diu tentare nitebantur, ut eorum equos, vel pallia auferrent, ubi in tabernis diversantes deprehendissent. Sic ergo ait in Capitulari anni DCCCLII. ad Presbyteros Parochiæ suæ §. XX. *Inquirendum, si de tabernis, & comessationibus, & de familiaritate indebita mulierum se custodiant Presbyteri, sicut sæpissime interdiximus, quia ad contumeliam nostram laici me petant, ut si evidenter cum testibus, quo negari non possit a quoquam, Presbyterum in tabernis invenerint, caballum, & cappam inde eis habere liceat. Quapropter si ab hinc Presbyteri se de talibus non caverint, quia divinum non timent judicium, temporalem illi inveniemus contumeliam, & se-*

& seculari illorum incorrigibilitati adinveniemus detrimentum. Unum hoc est ex Capitulis illis, quibus ex Hincmari præscripto Magistri, & Decani per singulas Ecclesias inquirere, & Episcopo renunciare debebant.

IV. Sed ut alias tandem omittam Synodos, quæ tantopere contra ipsum abusum invectæ sunt, Lateranensis certe IV. Oecumenica anni MCCXV. Can. XVI. inter alia quæ ad vitam Clericorum reformandam spectare eo tempore videbantur, statuit, ut *tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti*. Id quod passim in sequioribus Patrum Synodis, ac præsertim in Oecumenica Synodo Tridentina, Sessione XXIV. Cap. XII. sine ullo prorsus fructu constitutum reperitur. Videmus etenim, dolemusque, huc illuc per varias popinas Clericos discurrere, in eisque voluptati suæ, aliorumque, quos ducunt, habenas laxare, inebriari vinis, exquisitis vesci epulis, & quod omnium est absurdissimum, sacris Ecclesiasticorum beneficiorum proventibus, quos pauperum esse Sacri Canones clamant, non semel omnia hæc agere, mulierum gratia.

V. Porro qua pœna puniendi essent hujusmodi excessus, deduci facile potest ex Canone XII. Concilii Salitzburgensis, quod in Germania, ubi sacri homines plus quam in aliis locis sunt popinis addicti, celebratum fuit anni MCCLXXIV. *Clericus*, inquit, *non viator in sacris ordinibus constitutus, aut Monachus, vel Canonicus Regularis, si tabernam intravit sine causa evidenti, rationabili, & honesta, ibique bibens, aut comedens, aut in vicino loco servienti tabernæ, vel alias publico, aliquantulam moram traxerit, ab officio sit suspensus, donec unum diem in pane, & aqua jejunet; si ibidem luserit ad aleas, vel taxillos, ab officio sit suspensus, donec duos dies in pane, & aqua jejunet; sed si in his tertio deprehensus consuetudinem non amittat, aut si suspensus ingesserit se divinis, per sententiam Episcopi privetur beneficio si quod habet; si non habet, pro Episcopi arbitrio puniatur*. Hactenus Canon Concilii Salitzburgensis anni MCCLXXIV. quem aliud ejusdem Urbis Concilium anni MCCCX. cum hoc moderamine intelligendum dicit, ut pœnæ statutæ in I. Concilio locum non habeant, ubi Clericus, aut Religiosus tabernam intraverit ad honorandum quempiam amicum, Dominum, aut quamcumque honorabilem personam, vel si impræmeditate intret, oblitus constitutionis, seu ex quacumque necessaria, vel utili causa, non voluptuosa ibi biberit, vel comederit. Tum vero demum concludit, hanc moderationem ad lusores minime esse extendendam.

VI. Ut ut sit hæc moderatio, multa sunt quæ in recitato Canone Salitzburgensis Synodi anni MCCLXXIV. addiscere possis. Primo, non arceri a taberna Clericum in itinere constitutum, si scilicet alium honestiorem locum minime habuerit, quo possit divertere. Secundo, æque ab illo violari Canonis hujus Decretum, qui in taberna comedit, ac illum *qui in vicino loco servienti tabernæ, vel alias publico aliquantulum moram traxerit*. Quibus verbis ii carpuntur, qui putant se a taberna alienos, quando in vinea illi adhærente epulas in taberna paratas comedunt. Tertio, vel eum qui parum in taberna moratur, Canonis hujus pœna mulctari. Quarto, unius diei suspensione puniri, donec unum diem in pane & aqua jejunet, Clericum, vel Monachum, qui tabernam ingreditur, ibique moram aliquantulam trahit. Quinto, si ibidem luserit, eandem suspensionis pœnam incurrere, donec biduo in pane solo & aqua jejunium agat. Sexto, eum qui sæpius in his peccaverit, tabernam frequentans, beneficiis privari, aut si illis careat, alias arbitratu Episcopi pœnas subire.

VII. Nequis forte hunc Canonem nimiæ austeritatis nota redarguat, de eo Lectorem monitum velim, posterioribus tum Conciliis, tum Synodalibus constitutionibus complurimis, etiam elapso seculo editis innovata quidem hæc Decreta fuisse, & non modo pœnam eis suspensionis affixam, sed alias etiam, quas pecuniarias, & corporales vocant. Synodus Antuerpiensis sub Miræo, Tit. XVII. Cap. IV. statutum Sonnii renovat, dicens: *Ut quicumque Ecclesiasticus, nisi peregrinationis, aut alia necessitatis causa compulsus tabernam bibendi causa visitaverit, incurrat pœnam trium florenorum prima vice, secunda dupli, tertia quadrupli*. Ulterius progressa Synodus Namurcensis sub Buisseret anni MDCIV. Tit. VIII. Cap. V. tabernas malorum omnium fontes non solum Clericis prohibet, sed etiam serio injungit Promotoribus, ut si quos resciverint frequentantes, excepta sola itineris necessarii causa, eos coram Officialibus mox evocari curent. Tum his injungit, *ut eos primum pœnis pecuniariis, deinde etiam, si abstinere noluerint, carceribus ad meliora compellant*.

VIII. Cum itaque ex laudata Namurcensi Synodo tabernæ sint malorum omnium fontes, eæque sint, in quibus nequissimi quidam parentes filias suas pro vino vendunt, ut bibant, aliaque aguntur, quæ horrenda sunt dictu, merito S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi I. Parte II. Tit. XXV. suæ Provinciæ Episcopos hortabatur, *ut in singulis suis civitatibus curent parandum unum, aut alterum publicum, & honestum diversorium, quo suarum Diœcesium Clericis rusticanis, necessitatis causa convenire liceat: nec in eo hospitio improbis, aut nequam hominibus locus sit, neve feminis ullo modo, sed tantum Clerici, & Religiosi viri, si fieri possit, in eo recipiantur*. Ita ille, qui nullum non movens lapidem, quo abusus omnes refelleret, sacrosque homines ab occasione flagitiorum, quæ in tabernis frequenter occurrit, immunes faceret, ita antea edixerat: *Ut flagitii occasionem, quæ in cauponis, & tabernis deesse non solet, Clericis adimamus, cauponarum aditu, & usu eis omnino interdicimus, nisi in itinere, necessitatis causa: quo loco cum mulieribus ne discumbant*.

IX. Hæc sunt quæ in Commentario nostri Canonis placuit susius differere, ne dum similes Canones occurrant, iterum nobis ea de re agendum sit. Quamquam vero noster Canon eum refellat Clericum, qui cauponariam habet tabernam, eum tamen illa usus sit ratione, *si enim ei in tabernam ingredi non est permissum, multo magis & aliis in ea ministrare, & ea quæ non licet ipsi, tractare*; ideo operæ pretium duximus prius abusum illum Clericorum perstringere ingrediendi tabernas, ut inde facile quispiam intelligat, quam longe enormius sit aliud Clericorum flagitium, *cauponariam habere tabernam*. Damnat id quidem Canon, taciteque innuit non paucos Clericos eo ævo, quo Trullana Synodus habita fuit, caupones egisse: *Nulli*, inquit, *licere Clerico cauponariam habere tabernam*. Canonis rationem eleganter exponit

Zonaras; ubi in Scholio ait: *Turpe siquidem, atque ab ordinis dignitate vehementer alienum, exercendæ cauponæ Clericum præsidere, excipiendis hominibus, apponendis ferculis præsto esse, pincernæque quodammodo operam, ac ministeria hospitibus exhibere.* Statimque subjicit: *Cui vero etiam, ut in Apostolico Canone videre est, ad cauponam divertere omnino haud permissum, quo pacto totos in ea dies consumere, vitamque exigere commoranti licebit?*

X. Puto equidem, in hunc nostrum Canonem impingere sacros quosdam homines, Clericos æque ac Monachos, qui in Domibus suis, sive in Monasteriis, per se, vel per alios turpissima negotiatione tabernarios agunt, mercesque, ac vinum præsertim venui exponunt. Est sane ea res illicita, Ecclesiastico homine indigna, ac propterea merito a sacris Canonibus iterum iterumque sub gravibus pœnis damnata. Certe in Concilio Avionensi anni MCCLXXIX. Can. XII. cum anathemate damnantur Clerici, qui frumentum, vel vinum vilius emunt, carius deinde venditnri: *Nullus Clericus beneficiatus, nullus etiam in sacris Ordinibus constitutus per se, vel per alium emat bladum, vel vinum causa revendendi, vel negotiandi, neque huic statuto fraudem aliquam faciat. Quod si facere præsumpserit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto.* Quanta sit ejus flagitii enormitas, testantur passim sacræ Synodi, ac zelosiores Ecclesiarum Prælati, inter quos Religiosissimus Cardinalis de Turrecremata Basilicæ S. Mariæ Transtyberim Titularis in Constitutionibus pro bono regimine ejusdem Basilicæ editis anno MCDLXVII. die XV. Januarii, iterumque innuvatis, ac publicatis a Cardinale Othone Trucchesiu memoratæ Ecclesiæ Titulare anno MDLXI. die XX. Decembris, extantque mss. in membranaceo Codice apud Archivum Canonicorum laudatæ Basilicæ, Cap. XXIX. quod inscribitur, *Quod Canonici non faciant tabernam in Canonica*, turpi abusui occurrens, pecuniariam pœnam, qua nulla alia avaris hominibus esse atrocior potest, adversus Canonicos ipsos tabernarios statuit, ita inquiens: *Item statuimus, & ordinamus, quod nulli Canonicorum nostræ Ecclesiæ liceat in Canonica ipsius tabernam facere, sub pœna pro qualibet vice decem florenorum pro medietate cameræ nostræ, & pro alia medietate sacristiæ applicandorum.*

XI. Affine huic Decreto est, quod longe ante constituit in Beneventana Provinciali Synodo V. anni MCCCXXX. Monaldus I. Monaldeseus Beneventi Metropolita, Cap. L. adversus Canonicos, Sacerdotes, & alios Clericos, Diœcesis, ac Beneventanæ Provinciæ, qui *mercantias, tabernas, & alia mercimonia exercere in opprobrium Ordinis Clericalis*, non verebantur: pœnam enim in eosdem constituit unciæ unius carolenorum argenti, Beneventani Metropolitæ, vel ejus Suffraganeorum Cameræ applicandæ. Declarat autem mox, *non includi in constitutione prædicta vendentes vinum, vel græcum, seu fructus tabernariis, vel aliis mercatoribus, licet dicti tabernarii, vel mercatores dictum græcum, vel vinum vendant, seu faciant vendi ad minutum.*

XII. Egregiam Decretorum tum Beneventanæ Provincialis Synodi, tum Cardinalis de Turrecremata rationem docent nos Patres Concilii Narbonensis anni MDLI. Can. XVII. ubi de tabernis loquentes, scitissime ajunt, quod quemadmodum a secularibus, & laicis Ordo Clericorum discernitur, sic distincta esse debent eorum officia, itaut quas exercere solent artes laici, rejicere debeant Clerici, ne habendi cupiditate, malorum omnium somite ipsorum animi torqueantur. Merito itaque iidem Patres jubent, ut *caveant Clerici omnes, ne cœnacularium faciant, sive tabernariorum munus exerceant, nisi superiores, gravioresque pœnas malint perpeti.* Pœnæ hujusmodi sunt carceris, aliæque arbitrariæ; postquam enim paulo ante edixerant, ut Clerici omnes a crapula & ebrietate abstineant, & uenopolia, seu tabernas non ingrediantur, nisi viatores, ita statim subjiciunt: *Quod si contempserint, pœna carceris, & alia arbitraria plectantur.*

XIII. Nequis autem putet, Provincialium Conciliorum Decretis minime Regulares obligari, tradit Pignatellus Tomo V. Consultatione LXXXIV. Num. XV. censuisse jam sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium die IX. Januarii anni MDCII., non posse Regulares Aromatariam tabernam tenere, nisi pro se ipsis; eoque casu visitari non posse a Protomedico. Idipsum declaravit Sacra Congregatio Immunitatis in Barchinonensi, die XXI. Novembris anni MDCXXXV. ac tandem post causam mature discussam decrevit Sacra Congregatio Visitationis Apostolicæ contra Religiosos & Ecclesiasticos quoscumque quæstuosas artes pro sæcularibus exercentes. Decreti vero tenor, apud laudatum Pignatellum est hujusmodi.

XIV. Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, in sæcularibus negotiis nimium esse implicatos, quæstuosas artes exercendo, Sacra Congregatio Apostolicæ Visitationis ad tollendos varios abusus, qui in diversis Urbis ejusque districtus Monasteriis irrepserunt, dum iidem Religiosi per se, vel a Communitatibus, aut aliis sæcularibus requisiti diversas mechanicas, seu venales artes exercere student, quod omnino ab Ecclesiastica disciplina alienum esse debet, cum præsertim in grave hoc artium, & pauperum artificum, eorumque familiarum in Urbe, ejusque districtu existentium præjudicium cedat, statuit, decrevit, atque inhibendo mandavit, omnibus tam Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium in Urbe, ejusque districtu existentium, quam particularibus Religiosis, & Ecclesiasticis quibuscumque, ne in posterum sive Religionis nomine, sive particulari audeant, præsumant per se, vel per alios exercere in suis Conventibus, aut alibi in quocumque loco ullam venalem artem, sive Aromatariam, Pistoriam, Lanificium, Textrinam, aut aliam quamlibet, præter quam, pro suis religiosorum aut alumnorum usibus, nec ullo modo sæcularibus, aut aliis Religiosis, & Ecclesiasticis, pharmaca, panem, carnes, aut alia quælibet opificia quomodocumque elaborata, & ornata, vendere, etiam prætextu amicitiæ, & familiaritatis, absque speciali licentia in scriptis obtinenda etiam ab iis Religiosis, quibus ex particulari suæ Religionis instituto id alias liceret. Siquis vero ipsorum aliquid contra hoc Decretum quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam suspensionis a Divinis, privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus contra eos generalis Thesaurarius

rarius

rarius procedat tamquam contra illicitos negociatores, confiscando omnia iacra, & capitale ad dictas artes, & opificia spectantia. Non obstantibus quoad supradicta omnia, & singula in præsenti Decreto contenta Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, sive Congregationis Cassinensis, Fratrum Prædicatorum, Societatis Jesu, Minimorum, aut aliorum quorumcumque tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario, ac individuo exprimendi, Ecclesiarum Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, & aliorum quorumcumque Regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate specialiter & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præsentes Ordinationes in valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ omnes, ad quos pertinent, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent. Utque earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die XXIX. Augusti MDCXXXVII.

XV. Hactenus Sacræ Congregationis Decretum, in quod plura observat memoratus Pignatellus. Quamvis autem Cardinalis de Luca in suo Discursu LX. Tomo XIV. *De Regularibus*, ostendere conatus sit, licere ipsis pharmaca, quæ in Monasteriis, ac Domibus suis pro servitio Religiosorum, aliorumque ibi viventium, conficiuntor, sæcularibus etiam vendere; præter memoratum Decretum, extant & alia recentiorum Pontificum, quibus Religiosis viris publicam habere tabernam aromatariam, & medicinas vendere sæcularibus, omnino vetatur. Scio, multis in locis apud Viros Religiosos vendi publice non modo pharmaca, sed & vinum, farinam, oleum, carnes, caseum, aliaque id genus etiam minutim, sed forte aliquo pollent privilegio, quod me penitus latet. Certe Pontificum ac Conciliorum Decreta, earum rerum venditiones religiosis ipsis prohibentia, omnibus patent.

CANON X.

Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, qui usuras, vel quæ dicuntur centesimas accipit, vel cesset, vel deponatur.

NOTA.

Usuras exigere, non Episcopi solum, Presbyteri, ac Diaconi, sed & omnes in Canone recensiti Clerici, Concilii I. Nicæni Canone decimo septimo prohibentur. Ibi nos & quid centesima sit, explicuimus, & quæ ad ipsius Canonis explicationem pertinebant executi sumus. Ea igitur adeat Lector, quem de eo hic monitum velim; prohiberi hic Clericis iterum ejusmodi usuras, alias in Laodicenæ Synodi Canone IV. & in aliis aliarum complurium Synodorum Decretis frequenter damnatas, quod scilicet ex ipsis non pauci Ecclesiasticis proventibus affluentes, plura habendi studio nonnisi ad usuram pecuniam mutuam darent.

CANON XI.

Nemo eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Laicus, Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accersat, vel ab eis medicinas accipiat, vel una cum eis in balneis lavetur. Siquis autem hoc facere aggressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si autem Laicus, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. Ne festos dies cum Judæis simul celebrare, neve munuscula ab iis, in anniversariis eorum celebritatibus mitti solita accipere liceat, pervetusto vulgo Apostolorum Canone LXIX. interdictum fuit, & quidem sub eisdem poenis a nostro hoc Canone constitutis, Clericos enim deponi, Laicos vero segregatione mulctari jubet: *Siquis Episcopus*, inquit, *vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo, jejunat cum Judæis, vel cum iis festos dies agit, vel ab ipsis xenia accipit, ut verbi gratia azyma, vel quid tale, deponatur. Si vero sit laicus, segregetur.* Oblata etiam quæcumque a Judæis munera, aut cum eis festos dies celebrare, aut azyma ab illis accipere, eorumque proinde impietati communicare, ex Concilio Laodiceno Can. XXXVII. & XXXVIII. vetitum fidelibus fuit, quod ea in re multum peccarent: *Quod non oportet, quæ a Judæis, vel hæreticis mittuntur festiva accipere, neque una cum eis festum agere.* Et statim alium hunc Canonem subdit, qui est XXXVIII. *Quod non oportet a Judæis azyma* acci-

accipere, vel eorum impietatibus communicare.

II. Hosce, aliosque id genos Canones, quos passim in sequioribus Synodis legere est, eliminare eum Christianorum abusum minime valuisse, ex nostro Canone addiscere licet, ubi & a Judæis azyma accipere, & eum iis amicitiam jungere, & illorum opera ægrotantes curari, & eodem eum illis balneo uti omnino prohibemur. Quamquam vero quod azyma spectat, Theodorus Balsamon, & eum sequutus Carranza, vellet, Patres in eo Canone non prohibuisse azymum panem comedere, sed per azyma, more Judaico festa celebrare, non recte Canonem ipsum interpretari videntur, nam primum etiam interdici, ut aditus secundo intercludatur, ex laudatis Synodi Laudicenæ binis canonibus liquido constat. Id quod jam scite ante nos observavit eruditissimus Ferdinandus de Mendoza in suo ad Canonem quinquagesimum Illiberritani Concilii Commentario, ubi Clericis æque ac ceteris Christianis eum Judæis vesci districte prohibetur: *Si vero aliquis Clericus, sive Fidelis fuerit, qui cum Judæis cibum sumserit, placuit eum a communione abstinere, ut debeat emendari.* Sed nemo jam mirari potest, Christiania azyma edere eum Judæis prohiberi, si animadvertat, non solum eum Judæis, & Gentilibus, sed eum Catechumenis etiam, Christianis olim cibum capere fuisse interdictum, ut ex Concilio Moguntino refert Ivo Parte I. Decreti, Cap. CCLXXXIX. ubi ita ait: *Catechumeni manducare non debent cum baptizatis, neque eis poculum dare; quanto magis Gentiles.*

III. Jam non munerum tantum, vel mensæ, ac ciborum una eum Judæis Christianos homines fieri participes fuisse a nostris majoribus vetitum, verum etiam nec de cibo gustare, quem sibi ipsi Judæi præparassent, tradit quidem Burchardus Wormatiensis Episcopus Lib. XIX. Decretorum, Cap. V ubi agit de confessione, & reconciliatione illorum, qui peccata sua confiteri desiderant, & de ordine dandæ eis pœnitentiæ. Sic enim inter alia inquit: *Comedisti de cibo Judæorum, vel aliorum paganorum, quem ipsi sibi præparaverunt? Si fecisti, decem dies in pane, & aqua pœniteas.* Christianis eum Judæis vesci semper Concilia vetuere, ex quibus nonnulla recenseo. Veneticum anni CDLXV. Can. XII. *Omnes deinceps*, inquit, *Clerici Judæorum convivia evitent: nec eos ad convivium quisquam accipiat.* Idipsum mandat Agathense anni DVI. Can. XL. Epaonense anni DXVII. Can. XV. *A Judæorum conviviis etiam laicos constitutio nostra prohibuit; nec cum ullo Clerico nostro panem comedat quisquis Judæorum fuerit conviviis inquinatus.* Aurelianense III. anni DXXXVIII. Can. XIII. *Item Christianis convivia interdicimus Judæorum, in quibus si forte fuisse probantur, annuali excommunicationi pro hujusmodi contumacia subjacebunt.* Matisconense anni DLXXXI. Can. XV. *Nullus Christianus Judæorum conviviis participare præsumat; quod si facere quicumque, quod nefas est dici, Clericus, aut Secularis præsumserit, ab omnium Christianorum consortio se noverit compescendum.* Sed quid alia memorem? Metense Concilium anni DCCCLXXXVIII. Can. VII. interdictum diserte ait, *juxta capitula sanctorum Patrum, ut nemo Christianorum cum eis manducet, vel quicquid comedi, aut potari potest, a Judæis accipiat.*

IV. Constat præterea ex sacris Canonibus, non modo mensam, sed omne aliud commercium Christianis cum Judæis vetari ob eam scilicet rationem, qua in generali III. Lateranensi Concilio, relato in Cap. *Ad hoc, De Judæis &c.* Alexander Papa III. præcepit, ne Christiani pro quacumque mercede Judæis serviant, & ne eorum obstetrices, ac nutrices, Judæorum infantes in domibus ipsorum nutrire præsumant: *Quia Judæorum mores*, inquit, *& nostri in nullo concordant, & ipsi de facili ob continuam conversationem, & assiduam familiaritatem, instigante humani generis inimico, ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inclinarent.* Eam ob rationem jam longe ante Alexandri Decretum Toletana IV. Synodus anni DCXXXIII. Can. LXII. omnem prorsus communionem Christianis eum Judæis habere prohibuit, sic inquiens: *Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia proni sunt. Nulla igitur communio sit Hebræis ad Fidem Christianam translatis cum his qui adhuc in vetere ritu consistunt, ne forte eorum participatione subvertantur.* Tum tandem mandat, ut quicumque ex his, qui baptizati sunt infidelium consortia non vitaverint, & hi Christianis donentur, & illi publicis cædibus subjaceant.

V. Omnes fere Conciliorum Canones, qui in re, quam agimus afferri possunt, ac omnia pene Capita Tituli VI. Libri V. Decretalium, qui inscribitur, *De Judæis &c.* complexa est Basileensis Synodus, Sessione XIX. ubi ad detestandam, avertendamque Judæorum familiaritatem, Christianis monita multa præscribit servanda, ita inquiens: *Sacros insuper Canones renovantes, præcipimus tam Diœcesanis, quam potestatibus secularibus, ut modis omnibus prohibeant, ne Judæi aut alii infideles, aut Christianos, aut Christianas in familiares, seu servientes, aut filiorum suorum nutrices habeant, ac ne Christiani cum ipsis in eorum festivitatibus, nuptiis, & conviviis, aut balneis, seu nimia conversatione communicent, aut medicos, vel matrimoniorum proxenetas, seu aliorum contractuum mediatores de publico constitutos assumant; nec aliis publicis præponantur officiis, aut ad gradus quoscumque scholasticos admittant, nec eis locentur prædia, vel alii reditus Ecclesiastici. Prohibeantur etiam libros Ecclesiasticos, Calices, Cruces, & alia Ecclesiarum ornamenta sub pœna perditionis rei emere, aut pignori sub pœna amissionis pecuniæ mutuatæ, accipere: sub gravibus quoque pœnis cogantur aliquem deferre habitum, per quem a Christianis evidenter discerni possint: quorum ut evitetur nimia conversatio, in aliquibus Civitatum, & Oppidorum locis a Christianorum habitatione separatis habitare compellantur, & ab Ecclesiis longius, quantum fieri potest: nec diebus Dominicis, & aliis solemnibus festivitatibus apothecas apertas tenere, vel in publico laborare præsumant.*

VI. Hactenus Canon Concilii Basileensis, qui otinam iis in locis, ubi Judæi habitare permittuntur, summa eum diligentia servaretur; ne alias ob frequentem conversationem, & assiduam familiaritatem, ut verbis utar Alexandri III. jam superius recitatis, instigante humani generis inimico, ad suam superstitionem, & perfidiam, Christianorum simplicium animos inclinare possint. Eam ob caosam a multis Regnis, ac præsertim a nostro Regno Neapolitano jussu Ferdinandi Regis cognomento Catholici expulsos Judæos passim Scriptores testantur. Ubi vero habitare sinuntor, Principibus æque ac Episcopis incumbere debet, ut

nullam

nullam Christianæ Religioni injuriam afferant. Dolet enim recte in Literis suis ad Archiepiscopum Senonensem, & Episcopum Parisiensem, relatis in Cap. XIII. *De Judæis*, Innocentius III. quod Judæos, quos gratia Principum in suis terris admisit, fecit adeo insolentes, ut illos committant excessus in contumeliam Fidei Christianæ, quos non tantum dicere, sed etiam nefandum est cogitare. Ait mox inter alia, Christianas Judæorum infantum nutrices cum in die resurrectionis Dominicæ recipere Corpus & Sanguinem Jesu Christi contingeret, per triduum antequam eos lactarent, lac ab ipsis Judæis factum effundi in latrinam. Mandat iccirco laudatus Pontifex memoratis Episcopis, ut Philippum Regem Francorum, in cujus Regno ea scelera a Judæis patrabantur, diligenter moneant, atque efficaciter inducere procurent, quod Judæi de cetero nullatenus insolescant, sed sub timore servili prætendant semper verecundiam culpæ suæ, & revereantur honorem Fidei Christianæ.

VII. Cur autem Judæi inter Christianos tolerentur, varias rationes sancti Patres referunt; inter quos S. Augustinus ad Psalmum LVI. Sermone LXXVII. ita inquit: *Per omnes gentes dispersi sunt Judæi testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent Codices, de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si quando forte aliquis Paganus dubitaverit, cum eis dixerimus Prophetias de Christo, de Codicibus Judæorum probamus. Librarii denique nostri facti sunt, quomodo solent servi post Dominos Codices ferre.* Huc spectat quod idem S. Doctor scribit in Libro *De vera Religione*, Cap. VI. *Ecclesia Catholica utitur gentibus ad materiam operationis suæ; hæreticis ad probationem doctrinæ suæ; Schismaticis ad documentum stabilitatis suæ; Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ.*

CANON XII.

Porro quoque ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africa, & Libya, & aliis locis, quidam ex iis, qui illic sunt Religiosissimi Præsules, cum propriis uxoribus etiam postquam ad eos processit ordinatio, una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum, & scandalum afferentes. Cum itaque studium nostrum in eo magnopere laboret, ut omnia ad gregis in manus nostras traditi, nobisque commissi utilitatem fiant, nobis visum est, ut nihil hujusmodi deinceps ullo modo fiat. Hoc autem dicimus, non ad ea abolenda, & evertenda, quæ Apostolice antea constituta sunt, sed populorum salutis, & ad meliora progressionis, curam gerentes, & ne status Ecclesiasticus ullo probro afficiatur. Dicit enim divinus Apostolus: *Omnia ad Dei gloriam facite: sine offendiculo estote, & Judæis, & Græcis, & Dei Ecclesiæ, quemadmodum & ego omnibus placeo, non quærens meam utilitatem, sed multorum, ut serventur. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Siquis autem tale quid agere deprehensus fuerit, deponatur.

COMMENTARIUS.

I. Ne Episcopo, Sacerdoti, aut Diacono uxorem suam specie continentiæ ejicere liceat, quinto vulgo Apostolorum Canone cautum est; quique id fecerit, segregari primo, ac si tum quoque pertinax fuerit, depositione mulctari, eodem ipso Canone est constitutum, cujus verba juxta versionem Gentiani Herveti hæc sunt: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus uxorem suam ne ejiciat Religionis prætextu. Si autem ejecerit, segregetur; si perseveret, deponatur.* Ex adverso noster hic Canon refellens Episcopos Africæ, Libyæ, & aliarum quarumdam Provinciarum, quod uxoribus antea ductis, etiam post suam ipsorum ordinationem una habitarent, atque iccirco Laicis offendiculum, & scandalum afferrent, omnino vetat, ne Episcopus uxorem, si quam nondum sacris ordinibus initiatus duxerat, post ordinationem in Domu Episcopali retineat.

II. Quo pacto ii conciliandi sint Canones, Patres quidem Trullani, qui nostrum hunc Canonem edidere, ita suam sententiam exprimunt: *Hoc autem dicimus non ad ea abolenda, & evertenda, quæ Apostolice antea constituta sunt, sed populorum salutis, & ad meliora progressionis curam gerentes, & ne status Ecclesiasticus ullo probro afficiatur.* Quæ verba exponens Zonaras, non eam fuisse ait sententiam Trullanorum Episcoporum, ut Apostolicum superius recitatum enervarent Canonem, sed ut expolirent Ecclesiæ disciplinam, & castitatem Ecclesiæ Ministrorum ad eum quidem sanctimoniæ gradum, quo eam provehere nequissent Apostoli, qui rudes informabant populos, cum eisque remissius agentes pro temporum ratione, nonnisi multa cum indulgentia poterant ad Christi Fidem convertare. Sed audiamus Zonaram ipsum ita loquentem: *Et vero non se studio evertendæ contrariis sanctionibus Apostolicæ constitutionis adductos, sed populorum saluti, atque in virtutibus progressioni consulentes, ac nequa inde sacro Ordini macula inureretur, providentes, Episcopis, uxorum quas antea duxerant, commercio, & consuetudine interdicendum censuisse Auctores Canonis addidere. Quasi divinos scilicet Apostolos, nascente, ac emergente tum primum fide, neque adhuc sonitu divinæ prædicationis latius evulgata, mitius cum iis, qui fidem amplecterentur, ac remissius egisse, nec ab eis omnes

nes perfectionis numeros exegentes, aliquid tum imbecillitati ipsorum, tum inveteratæ apud omnes gentes, atque adeo apud ipsos Judæos consuetudini indulsisse affirment. Nam & summis Judæorum Sacerdotibus, uxorem habere per leges licebat, neque id vero Græcorum sacrificulis ulla constitutione interdictum fuit.

III. Pergit mox Auctor, aitque, amplificata jam Euangelii prædicatione, oportuisse Pontifices ad perfectam continentiam vitam suam dirigere, atque icciroo, ut omne offendiculum amputaretur, prohibitum eis fuisse cum propriis uxoribus habitare, multo autem magis cum alienis: *Nunc vero longe lateque propagata religione, ac diligentius quæ ad sanctiorem vitæ normam pertinent, constitutis, augescente in dies Euangelico cultu, severioribus, inquiunt, vitam suam continentiæ legibus adstringere ipsi quoque Episcopi debent; ut non moda ab alienis uxoribus abstineant, sed ab iis quoque, quos thori consortes habuere: neque solum lecti socias non admittant, sed nec sub eodem tecto, aut eisdem ædibus degere patiantur. Nam, etsi fieri potest, ut castos se nihilominus atque integros servent, offendi tamen alios exemplo, atque abduci ad deteriara necesse est.* Eadem quæ Zonaras, tradit & Balsamon, suam interpretationem ex ipsis Canonis nostri verbis deducentes.

IV. Sed ut verum fatear, ambo ii Auctores labi videntur, quinimo & ipsi Patres Trullani, quum ajunt Apostolorum ævo, eorum indulgentia permissum fuisse Episcopis, uti uxoribus, quas ante ordinationem duxerant. A vero enim aberrat ista sententia, quum, ut toties tam nostro Tomo I. quam hoc secundo, a nobis ostensum fuit, ea a nascente Christiana Religione usque ad hanc Sextam Synodum apud Græcos æque ac Latinos viguerit disciplina, ut quamvis etiam conjugati homines, quod teste S. Hieronymo, non tanti essent virgines, quanti necessarii Sacerdotes, sacris Ordinibus initiarentur, ab uxoribus nihilominus abstinerent; fuitque icciroo abusus Episcoporum quorundam Africæ, Libyæ, aliarumque nonnullarum provinciarum, qui cum propriis uxoribus in æde Episcopali habitarent, non sine offendiculo populorum, qui eis subditi erant. Id quidem cum noster Canon testetur, ex eo perspicue deducimus. I. offensos eo Episcoporum abusu populos, quod contra Cælibatus legem, qua erant Episcopi adstricti, peccarent. II. exolevisse jam tum Justiniani Imperatoris Legem, qua ad Episcopales Cathedras eligi, evehique eos, inhibuit, quibus superessent uxores: *Nulli permittentes uxorem habenti talem imponi ordinationem, ne & ipse cadat Sacerdotio, & ordinantem similiter excludi procuret.* Ex qua Lege id manifestum est, Episcopos etiam in Oriente Cælibatus Lege devictos fuisse perdiu ante Justiniani tempora, hallucinaturque icciroo Balsamon, cum in Canonem IV. Apostolorum, Trullana in Synodo Decretum primo illud fuisse existimat.

V. Sed violata Justiniani Lege de non assumendis ad Episcopatum iis, qui uxorati essent, introducto abusui dandi iterum Episcopatus viris, qui habebant uxores, opportune Patres Trullani remedium illud adhibuerunt, ut non quidem una habitarent, sed, ut ajunt Can. XLVIII. *Uxor ejus qui ad Episcopalem dignitatem promovetur, communi sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi providentia fruatur.* Sane varia olim fuit ea de re disciplina, nam tametsi sacri homines ab uxoribus, quas antea acceperant, post ordinationem abstinerent, non tamen illas e domibus ejiciebant, sed sub eodem tecto una cum ipsis commorabantur, eisque opportuna vitæ subsidia suppeditabant. Atque hoc sensu intelligendus est laudatus Canon quintus vulgo Apostolorum: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus uxorem suam ne ejiciat Religionis prætextu.* Idest, ne uxorem, a qua sufficit abstinere, indiscreto devotionis zelo ab æde sua ejiciant, repudientque, ac pene inopia perire sinant, contra præceptum Apostoli præcipientis, ut earum curam habeant.

VI. Eodem plane modo explicanda est Synodus Gangrensis, ubi damnat Eustatium Sebastenum in prima Armenia Metropolitam, quod matrimonium vituperans, Clericis suis juberet, ut proprias uxores contemnerent, domo ejicerent, ipsisque alimenta denegarent. Recte enim inquiunt Honorius, & Theodosius Augusti in Lege XLIV. Codicis Theodosiani, *De Episcopis, Ecclesiis, & Clericis*, ad Palladium Præfectum Prætorio: *Illas etiam non relinqui castitatis hortatur adfectio, quæ ante Sacerdotium maritorum legitimum meruere conjugium. Neque enim Clericis incompetenter adjunctæ sunt, quæ dignos sacerdotio viros sua conversatione fecerunt.* Non relinquendas a sacris viris uxores, sed eas ab iis tamquam si non haberentur habendas, expresse edicit S. Leo in Epistola sua XCII. ad Rusticum Archiepiscopum Narbonensem Cap. II. ubi de uxoratis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis ita scribit: *Ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, sed quasi non habeant, sic habere, quo & salva sit charitas conjugiorum, & cessent opera nuptiarum.* Idipsum tradit S. Gregorius Lib. VII. Indictione II. Epistola XXXIX. ad Romanum defensorem, & alios, ubi postquam dixit, Episcopos, ac ceteros sacros homines non debere cum mulieribus habitare, ita demum concludit: *Hoc tantummodo adjecto, ut hi, sicut canonica decrevit auctoritas, uxores, quas caste debent regere, non relinquant.*

VII. Ex recitatis hactenus maximorum Pontificum locis, Leonis, & Gregorii, satis liquet, Canonem quintum Apostolis tributum, non esse intelligendum de usu conjugii, sed de repudio; non enim sinit, uti superius dictum est, ut sacri homines uxores contemnant, vel domo ejiciant; verum nec etiam vel obscure innuit, licere illis uti conjugio, quod ante ordinationem contraxerant. Una itaque multis seculis, caste tamen, & sine ullo conjugii usu, inhabitarunt sacri homines cum suis uxoribus ante ordinationem ductis. Verum ad tollendam suspicionem ita jam cautum fuit ex Concilio Turonensi II. anni DLXVII. Can. XII. *Episcopus conjugem ut sororem habens, & ita sancta conversatione gubernet domum omnem, tam ecclesiasticam, quam propriam, ut nulla de eo suspicia quaqua ratione consurgat. Et licet Deo propitio Clericorum suorum testimonio castus vivat, quia cum illo tam in cella, quam ubicumque fuerit, sui habitent, cumque Presbyteri, & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba juniorum, Deo auctore, conservent: sic tamen propter zelotem Deum nostrum tam longe absint mansiones propinquitate divisi, ut nec hi, qui ad spem recuperandam Clericorum servitute nutriuntur, famularum propinqua*

qua

qua contagione polluantur. Presbyteris, & Diaconis conjugatis Synodus Lugdunensis III. anni DLXXXIII. Can. I. mandat, ut *non solum lecto, sed etiam frequentatione quotidiana debeant de uxoribus suis sequestrari.* Tum vero addit: *Quod si, quod Deus avertat, de eorum familiari contubernio post acceptam benedictionem infans natus paruerit, ab officii gradu priventur*.

VIII. Majorem sane cautionem ea in re adhibuit Agathensis Synodus anni DVI. Can. XVI. ubi ait quod cum conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, *ut sequestrata mansionis cubicula, religione præmissa, posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur*. Non minori diligentia usa est Toletana III. Synodus anni DLXXXIX. Can. V. quum scilicet Episcopos, Presbyteros, Diaconos ab Ariana hæresi ad Ecclesiam reversos, & eo usque uxoribus usos, adstringit, ut deinceps cum iis illis minime in uno conclavi commorentur, sed domos separatas habeant: *Compertum est a sancto Concilio, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos venientes ex hæresi, carnali adhuc desideria uxoribus copulari. Ne ergo de cetera fiat, hoc præcipitur, quod & prioribus Canonibus terminatur, ut non liceat eis vivere libidinosa societate, sed manente inter eos fide conjugali, communem utilitatem habeant, & non sub uno conclavi maneant: & certe si suffragatur virtus, in aliam domum suam uxorem faciat habitare, ut castitas, & apud Deum, & homines habeat testimonium bonum*. Varii conjugatorum Clericorum lapsus effecere tandem, ut uxores eorum, qui ad sacros Ordines apud Latinos promoverentur, in Monasteriis includerentur. Id supponit quidem tanquam praxim nono seculo in utraque Ecclesia tritam Ratramnus Monachus Corbejensis scribens adversus Græcorum oppositiones, qui Latinam Ecclesiam calumniabantur.

IX. Ceterum jure novo Decretalium, quod uxoratus in Episcopum promoveri non possit, nisi uxor religionem profiteatur, docent nos Alexandri III. literæ ad Archiepiscopos Strigonensem, & Coloniensem, relatæ in Cap. VI. *De conversione conjugatorum*, ubi post recitatum Agathensem Canonem XVI. Ita scribit: *Quod si in quibuslibet Ecclesiasticis gradibus providenter, solerterque curandum est, ut in domo Dei nil sit inordinatum, nihilque præposterum, multo magis laborandum est, ut in ejus promotione, qui super omnes gradus continetur, ne erretur. Inde est quod fraternitati vestræ auctoritate Apostolica prohibemus, ne uxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem, vel vitam assumat*. Extant quidem mutilæ hæ literæ in laudato Cap. VI. *De conversione conjugatorum*, sed restitutæ sunt ope virorum doctorum in quibusdam editionibus Decretalium. Quod autem nullus conjugatorum ad alios sacros Ordines promovendus sit, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus, edicit idem Pontifex eisdem Archiepiscopis rescribens, Cap. V. Tituli citati. Quod tandem Græcos spectat, præter Canonem XLVIII. Concilii Trullani, cujus partem superius retulimus, extat in Jure Orientali, Tomo I. Pag. 175. & seq. Constitutio Isaaci Angeli Imperatoris, ubi a Patriarchis, & Episcopis interpellatus consentanee ad Canonem ipsum XLVIII. Trullanum, jubet Episcopos abdicari, nisi prius eorum conjuges acquiescant tonderi, in Monasterium secedere, Monasticaque indui veste; denique id inposterum cavet, ne electi ante ordinentur Episcopi, nisi prius eorum conjuges, & secedant in Monasterium, & ibi profiteantur.

C A N O N XIII.

Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro Canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum, vel Presbyteratum profiteantur, se non amplius suis uxoribus conjungendos: nos antiquum Canonem Apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum, qui sunt in Sacris, legitima conjugia deinceps quoque firma, & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem siquis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur, se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum: ne ex eo a Deo constitutas, & sua præsentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, euangelica voce exclamantes: *Quæ Deus conjunxit, homo non separet*. Et Apostolo docente: *Honorabiles nuptias, & thorum immaculatum*. Et: *Alligatus es uxori? Ne quære solutionem*. Scimus autem, sicut & qui Carthagine convenerunt, & vitæ ministrorum honestatis curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri secundum proprios terminos a consortibus abstineant: ut & quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa usque antiquitate servatum, nos quoque similiter servemus, tempus in omni re scientes, & maxime in jejunio, & oratione. Oportet enim eos, qui divino Altari assident, in sanctorum tractandorum tempore esse om-

omnino continentes, ut possint id, quod a Deo simpliciter petunt, obtinere. Siquis ergo fuerit ausus præter Apostolicos Canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in Sacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore, & consuetudine privare, deponatur. Similiter & siquis Presbyter, vel Diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, segregetur; &, si perseveraverit, deponatur.

COMMENTARIUS.

I. Quamquam in Ecclesia tum Latina, tum Græca a nascente nostra Christiana Religione adeo Cælibatus lege sacrati homines devincti essent, ut, tametsi frequenter ob penuriam ministrorum uxorati ordinarentur, nusquam tamen eis licitum fuerit uti conjugio, quod ante ordinationem contraxerant, sexcenties id quidem a nobis probatum fuit, allatis perspicuis monumentis Patrum, & Synodorum, ac præsertim praxis Ecclesiæ non tantum Latinæ, sed etiam Græcæ, quam aliquando S. Hieronymus Vigilantio, qui in Clericorum Cælibatum debacchabatur, vehementissime opposuit, sic dicens: *Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* Esse hanc veterem Ecclesiæ disciplinam, Apostolorum traditione profectam, ut uxorati Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & qui mysteriis divinis inserviunt, ab uxoribus antea ductis se abstineant, expresse docet Concilium Carthaginense II. labente Seculo IV. celebratum Can. II. *Ita placuit, & condecet, sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi, & qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant.*

II. Satis hæc ostendunt, quam immerito Trullani Episcopi Ecclesiam Romanam carpant, temereque ipsam non obscure calumnientur, quasi novo Cælibatus adinvento Canone, continentiæ scilicet sacris viris indictæ post suam ipsorum ordinationem, contra Apostolicum Canonem quintum, vinculum matrimonii ante ordinationem legitime contracti dissolveret; nuptiasve a Deo constitutas, & sua præsentia benedictas injuria afficeret. Sed toto cælo errant; nam I. Canonem ejusmodi Cælibatus fuisse ab Apostolica traditione profectum, & a tota antiquitate religiose servatum, audivimus jam a Patribus Concilii II. Carthaginensis. Secundo, Apostolicus Canon V. nihil aliud dicit, quam ne Episcopus, Presbyter, Diaconus uxorem abjiciat, idest ne illam repudiet, contemnatque; sed curam illius habeat, eique necessaria vitæ subministret; de usu conjugii nullum ibi verbum. Tertio, qualis fuerit Romanorum Pontificum sententia circa conjugium ante ordinationem contractum, eorumque uxores, qui sacris ordinibus initiabantur, in præcedenti Commentario explicuimus, allato inter alia S. Leonis loco in Epistola ad Rusticum Archiepiscopum Narbonensem, ubi de assumptis e conjugio Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis ita scribit: *Ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, sed quasi non habeant sic habere, quo & salva sit charitas conjugiorum, & cessent opera nuptiarum.* Non ergo Ecclesia Romana vinculum matrimonii dissolvit, quod ante ordinationem contrahitur, sed usum omnino prohibet juxta veterem vel Ecclesiæ Græcæ disciplinam, usque ad seculum sextum ab ipsis etiam Græcis servatam.

III. Sed abyssus abyssum invocat, etenim sicuti nimio studio stabiliendæ, propugnandæque Ecclesiæ suæ disciplinæ memorati Patres Trullani calumniari conati sunt Ecclesiam Romanam, columnam, & firmamentum veritatis; ita & eodem præcipiti zelo, ac fascino abrepti, ut novum suum abusum constabilirent, Canonem Synodi Carthaginensis ausi sunt allegare: quem quidem qui consulet, divinos Patres Trullanos, sic eos vocat Zonaras, egregie mentitos reperiet. Quis enim nesciat, Episcopos æque, ac Presbyteros, & Diaconos ab omni Africana Ecclesia adstrictos ad plenam continentiam, quod ea esset traditio Apostolorum veterum Patrum doctrina, & vetus Ecclesiæ praxis? Profecto id docet Canon II. Concilii secundi Carthaginensis, quem superius descripsimus. Cui adde S. Augustinum, cujus locum inferius referemus.

IV. Sed audiamus quæso Canonem III. Concilii V. Carthaginensis, in quo divini Patres Trullani novum suum abusum fundant: *Præterea*, inquit, *cum de quorundam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundum propria* (alii Codices habent priora) *statuta etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio.* Hactenus Canon, qui cum nihil aliud diceret, quam placere sibi, *Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundum propria statuta*, vel, ut alii legunt, *priora statuta*, idest secundum priores, aut proprias constitutiones jam editas etiam ab uxoribus continere, ipsi Patres Trullani, malo nonnisi dolo, verterunt, *secundum proprios terminos*, sive cum eorum vices sacrificandi, vel Altari ministrandi recurrunt. Quod alienum esse a mente Patrum, non tantum ipse obvius verborum intellectus ostendit, sed & aliæ Carthaginensis Ecclesiæ Synodi, ac Patres, inter quos S. Augustinus, qui eidem etiam laudato V. Carthaginensi Concilio interfuit, Lib. II. *De adulterinis conjugiis*, Cap. ultimo, argumento ducto a continentia Clericorum, laicos coercet, qui cum uxores propter adulterium dimisissent, alias volebant ducere, quod, qui ajebant, non possent a mulierum usu temperare: *Solemus eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam* (hoc est ordines sacros) *subeundam capiuntur invitі,*

viti, eamque susceptam, usque ad debitum finem, Deo adjuvante, perducat.

V. Fœda est itaque non minus quam divinorum Patrum Concilii Trullani, Zonaræ, ac Balsamonis hallucinatio, cum ex versione Græca Canones IV. Concilii Carthaginensia, sive potius Collectionis Canonum Synodorum complurium, quæ Carthagine celebratæ sunt, adversus ejusdem Canonis textum Latinum, qui tamen ut primigenius & authenticus omni alii versioni est præponendus, viribus totis contendunt, nil a Canone ipso Carthaginensi aliud exigi, quam ut Presbyteri, & Diaconi, vel Subdiaconi a propriis uxoribus abstineant *tempore contrectationis sanctorum Mysteriorum*. Zonaras quoque ex eadem Collectione Carthaginensium Canonem, quo Latinos magis magisque sugillat, & abusum Græcorum confirmet, Canone LXXIX. utitur juxta Græcam versionem a proprio Latino Canonis textu longe alienam, sic enim ipsum Canonem legit: *Qui Clerici debent ab uxoribus abstinere. Ad hæc autem dum de aliquorum Clericorum in suas uxores continentia mentio fieret, placuit, ut Presbyteri, Episcopi, & Diaconi, propriis terminis etiam a suis abstineant uxoribus: quod nisi fecerint, Ecclesiastico ordine moveantur.* Ea verba *propriis terminis*, uti supra notatum est, adulterata a Græcis sunt, nam legi debent omnino, *secundum priora statuta*. Errat ergo Zonaras, cum ait, eo Canone id quidem præcipi *Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, per suas vices, hoc est, certis, ne unicuique præfinitis diebus abstinendum esse ab uxorum commercio.*

VI. Sed ut videas, quanta sit tum divinorum Patrum Concilii Trullani, tum aliorum Græcorum Interpretum hallucinatio, si Canon laudatus Carthaginensis sensum pateretur ipsi ab illis affictum, jam non modo Presbyteris, & Diaconis, verum & Episcopis etiam licitum esset commisceri uxoribus extra ministerii tempus; de his enim eodem prorsus modo Canon Carthaginensis loquitur, quo & de Presbyteris, ac Diaconis. Quid ergo est, quod Episcopis commercium illud matrimonii adeo prohibent, ut, quemadmodum alibi dictum fuit, ne patiantur quidem uxores ipsorum cum illis in domo Episcopali manere, sed omnino præcipiant, ut Monasteriis includantur, in eisque vestem monasticam induant, ac se se monasticæ professioni devoveant? Rursus, si Canon V. quem Apostolis tribuunt, ubi vetat, ne Episcopus, Presbyter, vel Diaconus pietatis prætextu uxorem ajiciat, de commercio conjugali intelligendus est, ut ipsi Græci autumant, qui est quod ab eo Episcopos solos excludunt? Ajunt divini Patres Trullani, Græcique Interpretes, vetari quidem conjugii usum Episcopis, non ad evertendum, quod ab Apostolis constitutum est, sed ne status Ecclesiasticus ullo probro afficiatur. Sed cum hæc ratio æque etiam in Presbyteris, & Diaconis militet, qui ad statum quoque Ecclesiasticum pertinent, & affici probro non debent, jure ac merito ego concludam, etiam istis, sicut & Episcopis interdicendum esse usum conjugii.

VII. Siquis autem hic interroget, unde contigerit, quod apud Latinos conjugii usus quovis seculo Presbyteris, & Diaconis, fuerit interdictus, e contra vero apud Græcos soli Episcopi, non autem Presbyteri, & Diaconi eo interdicti fuerint. Respondent passim eruditi Auctores, id forte contigisse, quod apud istos prioribus seculis omnia sacerdotalia munia sibi Episcopi servarent, soli enim fere baptismum administrabant, celebrabant mysteria, reconciliabant pœnitentes. In Ecclesia autem Latina cum frequentior fuerit incruenti Sacrificii per Sacerdotes oblatio, ac proinde quotidianæ virginalis hostiæ immolationi sæpius quam apud Græcos tum Presbyteri, tum Diaconi darent operam, effectum est, ut strictioris Cælibatus lege obligati fuerint.

VIII. At hisce sic explicatis, Græcorum in ea re abusus permittendi Presbyteris, ac Diaconis conjugii usum, tam altas radices apud ipsos jam egit, ut ab hac Trullana Synodo ad nostra hæc usque tempora perduret. Eam corruptelam Seculo IX. sic ex Concilii I. Nicæni Canone tertio insectabatur Ratramus Monachus Corbejensis, confutans argumenta, quæ a Græcis objecta fuerant Latinorum Ecclesiis: *Nam quisquis uxorem duxerit, non potest & præter uxorem alias etiam mulieres in domo non habere, quibus uxoria necessitas, & cura domestica suppleatur. Ubi vero cunctarum interdicitur subintroductio feminarum, præter omnino personas, quæ carent omni suspicione, manifestum est, quod interdicatur uxoria etiam copula, quæ nulla modo potest fieri sine reliquarum accessione feminarum.* Græcorum praxim œconomiæ, & pacis causa tolerarunt quidem Romani Pontifices; de ea enim sic inquit Stephanus Papa III. apud Gratianum in Can. ultimo, Distinctione XXXI. *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulantur* (hoc est matrimonio utuntur ante ordinationem inito): *istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.* Eam etiam spectavit praxim Concilium IV. Lateranense Oecumenicum anni MCCXV. Can. XIV. ita inquiens: *Qui autem secundum regionis suæ morem, non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur, cum legitimo matrimonio uti possint.* Pacis causa tandem in duobus aliis Oecumenicis Synodis, Lugdunensi, & Florentino dispensatum ast cum Sacerdotibus Græcis, ut valeant uti uxoribus, quas ante ordinationem duxerant.

IX. Quod demum in præsenti Canone edicitur, Presbyteros, & Diaconos recurrentibus suis vicibus sacrificandi, aut ministrandi, debere ab usu matrimonii abstinere: *Oportet enim eos, qui divino Altari assident, in Sanctorum tractandorum tempore esse omnino continentes, ut possint id quod a Deo simpliciter petunt, obtinere*: probavit quidem Romana Ecclesia, statuitque Clemens VIII. Pontifex Maximus in sua Constitutione XXXIV., quæ incipit, *Sanctissimus*, edita anno Christi MDXCV. continetque Instructionem super aliquibus Ritibus Græcorum pro Episcopis Latinis, in quorum Diœcesibus Græci, vel Albanenses Græco ritu viventes degunt, §. V. statuit, inquam, conformiter ad hunc Canonem nostrum, ut nimirum Presbyter Græcus uxoratus Missæ sacrificium oblaturus, per hebdomadam, vel saltem triduum ab uxore abstineat. Ex quo addiscimus, quam male se gerant Confessarii, qui Presbyteros, Diaconosve in fornicationis, & sacrilegii crimen prolapsos, nullo pene, aut exiguo intercurrente tempore sacris Altaribus adstare permittunt; aliter enim sacri Canones monent, & qui ad eorum tramites de morali, ut ajunt, Theologia scripserunt.

CANON XIV.

Sanctorum, divinorumque Patrum nostrorum Canon in his quoque valeat, ut Presbyter ante triginta annos non ordinetur, etiamsi sit homo valde dignus, sed reservetur. Dominus enim Jesus Christus trigesimo anno baptizatus est, & cœpit docere. Similiter nec Diaconus ante vigintiquinque annos, nec Diaconissa ante quadraginta annos ordinetur.

CANON XV.

Subdiaconus ne minor viginti annis ordinetur. Siquis autem eorum, qui sunt in statu Sacerdotali, præter præfinita tempora ordinatus fuerit, deponatur.

COMMENTARIUS.

I. Ordinandorum ætates Canon hic uterque describit, atque in Sacerdote creando trigesimum, in Diacono vigesimum quintum, in Subdiacono vigesimum, & in Diaconissa tandem quadragesimum annum expectari jubet, neque, qui minor sit, quamvis se dignum is maxime ostenderit, quemquam ad Ordines admitti sinit, sed reservari hominem, hoc est, dum ad cetera ejus merita, ætatis quoque maturitas accesserit, omnino expectari præcipit. Sed nimia hæc severitas est, quam numquam tum ante, tum post hujus Concilii tempora Patres Græci pariter ac Latini servandam censuere, ubi scilicet virtutes initiandorum, ac merita defectum ætatis superarent.

II. Innumera pene ejus dispensationis exempla nobis suppeditant Ecclesiastici Annales. De S. Gregorio Thaumaturgo, & ejus fratre Athenodoro, qui in Ponto in ipso flore juventæ creati sunt Episcopi, ita quidem scribit Eusebius Lib. VI. *Historiæ*, Cap. XXX. *Tantam, & tam admirabilem in divinis eloquiis adepti sunt peritiam, ut ambo adhuc admodum juvenes, Ecclesiarum in Ponto Episcopi fuerint constituti*. Scribit Ennodius in vita S. Epiphanii Episcopi Ticinensis, eum ob eximiam virtutem, qua præditus erat, anno ætatis decimo octavo Subdiaconatus ordine fuisse insignitum: *Talis jam ad decimum octavum ætatis suæ annum pervenit: in quo secundo ab Levitis numero dedicatus, senum cœtibus puer adgregatus est*. Mox subdit, pari ætatis venia, & relaxatis ob ejus merita Canonibus, biennio post ad Diaconatum adscitum fuisse: *In quo ille Subdiaconi ordine nihil amplius quam biennio commoratus, meritorum suorum saltibus evectas exiluit. Brevi post ad Diaconi evectas infulas, vigesimum annum ætatis ascendit*. Ait tandem, octo tantum annis Diaconatus munia egregie perfunctum, Crispino Episcopo e vivis sublato, ei in Episcopatu successorem datum fuisse.

III. Illud sane in his, aliisque exemplis, quæ afferri possent, adnotandum est, dispensari iis tantum consuevisse ætatem, qui sua ipsi sponte Ordinem æque ac dispensationem fugitabant. Liquet id quidem exemplo S. Gaudentii Episcopi Brixiensis, qui Sermone in die suæ consecrationis anniversario ad populum habito, ita de seipso testatur: *Imperitiæ meæ conscius, & ætatis ipsius immaturæ, ad Sacerdotii dignitatem pudore deterritus, merito silendi licentiam a summis Sacerdotibus postulabam*: Et paulo post: *Onus istud totis viribus conatus sum declinare, sed Beatus Pater Ambrosius, ceterique verendi Antistites, tales ad me Epistolas miserunt, ut sine damno animæ meæ ultra jam resistere non valerem; cui ab Orientalibus quoque Episcopis, nisi meum ad vos reditum pollicerer, salutaris communia negaretur*. Idem de S. Remigio Remensi Archiepiscopo scribit Flodoardus Lib. I. *Historiæ Remensis*, Cap. XI. ait enim, ea donatum dignitate fuisse anno ætatis vigesimo secundo, cum contra ipse obtestaretur, quod *Ecclesiastica Regula hanc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem*.

IV. Sed varia fuit Regula Ecclesiastica circa ætatem initiandorum. Ex Decreto Siricii Papæ qui floruit labente Seculo IV. in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum Cap. IX. qui ab infantia Lectores creati fuerant, fiebant Acolythi, & Subdiaconi anno ætatis vigesimo, Diaconi trigesimo, Presbyteri trigesimo quinto, Episcopi quadragesimo quinto: *Usque ad tricesimum ætatis annum Acolythus, & Subdiaconus esse debebit: post quæ ad Diaconi gradum accedat. Ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue Presbyterium consequatur. Exinde post decennium Episcopalem Cathedram poterit adipisci; si tamen per hæc tempora integritas vitæ, ac fidei ejus fuerit approbata*. Ii vero, qui grandævi ætate militiæ Clericali dederant nomen, per biennium quidem Lectoratum, Exorcistatumque exercebant; Acolythatum, & Subdiaconatum per quinquennium; Diaconatum vero, & Presbyteratum tanto tempore, quanto ii, qui in infantia se Ecclesiæ ministerio voverint: *Qui vero*, inquit Cap. X. *jam ætate grandævus, melioris propositi conversatione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim Lectorum, aut Exorcistarum numero societur .... Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus, & Subdiaconus fiat, & sic ad Diaconatum, si per hæc tempora dignus judicatus fuerit, provehatur. Exinde jam accessu temporum, Presbyterium, vel Episcopatum, si eum Cleri, ac plebis evocaret electio, non immerito sortiretur*. Eandem disciplinam Cap. XIII. servari vult erga Monachos, antequam ad Presbyteratum, aut Episcopatum promoveantur: *Nisi in*

his

bis eadem, quæ singulis dignitatibus superius præfiximus, tempora fuerint custodita. Similia de ea ætate, ac interstitiis decernunt, Innocentius Papa I. in Epistola IV. ad Felicem Nucerinum Episcopum, Cap. V. & Zosimus Papa in Epistola I. ad Hesichium Episcopum Salonitanum, Cap. IX.

V. In Oriente ex Concilio Neocæsariensi, quod ineunte Seculo IV. celebratum est, Canone secundo idonea visa est Presbyteratui ætas anni trigesimi, quod ea ætate baptizatus sit Christus, cœperitque Euangelium prædicare: *Christus in trigesimo anno baptizatus est, & cœpit prædicare.* Hinc merito quidem S. Hieronymus in Epistola ad Theophilum adversus errores Joannis Hierosolymitani, ordinationem Pauliani fratris sui, & S. Epiphanii, qui anno ætatis trigesimo Presbyteratu donati fuerant, acerrime defendit adversus memorati Joannis criminationem, cui illa ætas minime visa fuerat idonea: *Occidentalium Sacerdotum commovit aures, dicens eum adolescentulum, & pene puerum in Parochia sua Bethlehem Presbyterum constitutum. At ætas ejus Beatitudini tuæ non est ignota; & cum ad triginta annorum spatia jam pervenerit, puto eam in hoc non esse reprehendendam, quæ juxta mysterium assumti hominis in Christo perfecta est.* Concinit rationi laudati Canonis Neocæsariensis, moxque aliis auctoritatibus utriusque Testamenti, ætatem ipsam triginta annorum Presbyteratui idoneam novo argumento tuetur: *Recordetur legis antiquæ, & post vigintiquinque annos a Levitica Tribu eligi in Sacerdotium pervidebit. Aut si in hoc solo testimonio Hebraicam sequitur veritatem, noverit, triginta annorum fieri Sacerdotem. At ne forsitan dicat, vetera transierunt, & facta sunt omnia nova, audiat cum Timotheo, Adolescentiam tuam nemo contemnat.* Desumpsit hunc locum ex Epistola Pauli I. ad Timotheum, additque postremo Hieronymus, minores triginta annis a Joanne ipso Hierosolymitano ordinatos fuisse Presbyteros, ut vel inde videas, sæpe illud contingere, quod in Epistola ad Romanos reprehendit Apostolus, in quo alios quis judicat, in seipso id condemnare.

VI. Quamvis autem Justiniani Lege IX. Cod. *De Episcopis &c.* novellisque ejus constitutionibus CXXIII. & CXXXVII. præscripta sit ætas triginta quinque annorum Episcopis, Presbyterisque ordinandis, & vigintiquinque Diaconis, & Subdiaconis, facta etiam Episcopis venia, ut anno ætatis trigesimo eligi possint: communis nihilominus fuit fere Ecclesiastica regula, tum ante, tum post hunc nostrum editum Canonem, etiam post annum millesimum, ut Episcopi, ac Presbyteri esse possent annos nati triginta, Diaconi vero annos nonnisi vigintiquinque. Eam quidem ætatem præscribit Concilium Agathense anni DVI. Can. XVI. & XVII. Arelatense IV. anni DXXIV. Can. I. ita inquit: *Nullus Episcoporum Diaconum, antequam vigintiquinque annos impleat, ordinare præsumat, Episcopatus vero, vel Presbyterii honorem nullus laicus ante præmissam conversionem, vel ante triginta ætatis annos accipiat.* Notat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. LXVIII. Numer. I. particulam illa *vel*, non disjunctivam esse, sed conjunctivam. Rei enim utriusque, conversionis, & ætatis necessitatem innuit, ne quis existimaret eum eo in ætate dispensatum esse, qui Religionem profiteretur. Per *conversionem* autem, eam probationem intelligendam ait, qua cujusque antequam ordinaretur Diaconus, continentiam, & in fungendis minoribus ordinibus diligentiam experiebantur. Id quod probat Canone VI. Concilii III. Aurelianensis, quod celebratum fuit anno DXXXVIII. *De Clericorum præmittenda conversione id omnimodis observetur, ne ullus ex laicis ante annualem conversionem, vel ætatem legitimam, idest vigintiquinque annorum Diaconus, & triginta Presbyter ordinetur.*

VII. Rursus Toletana quarta Synodus anni DCXXXIII. Can. XX. ait auctoritatem veteris Legis & Canonem sequi se quidem, ubi mandat, ut *a viginti & quinque annis Levitæ consecrentur, & a triginta annis Presbyteri ordinentur.* S. Isidorus Hispalensis Episcopus Lib. II. *De Ecclesiasticis officiis*, Episcopos ait ordinandos anno ætatis trigesimo, *ob ætatem, qua Christus orsus est prædicare*; additque, Diaconos anno vigesimoquinto initiandos exemplo Levitarum veteris Legis. Seculo octavo hanc eandem circa ætatem ordinandorum viguisse disciplinam, docet nos Carolus Magnus Lib. I. Capitularium, Cap. L. ubi juxta Canonem Concilii Neocæsariensis mandat, *ut nullatenus Presbyter ordinetur ante trigesimum ætatis suæ annum, quia Dominus Jesus Christus non prædicavit ante trigesimum annum.* Anno DCCCXIII. Concilium Turonense III. Can. XII. expresse cavit, ne Presbyter *ante legitimum tempus, hoc est trigesimum ætatis annum ordinetur.* Sed quid sæculorum ætates memorem, cum constet, etiam post annum Christi millesimum, & quidem ex Tolosano Concilio anni MLVI. Can. II. & Rotomagensi anni MLXXIV. Can. VI. eam ætatem annorum scilicet vigintiquinque, & triginta ab iis, qui ad Diaconatum, & Presbyteratum aspirabant, expectari oportuisse.

VIII. Post medium seculum duodecimum is demum obrepit usus, ut anno vigesimo quinto Presbyteri, vigesimo Diaconi, ac decimo octavo Subdiaconi ordinari possent; eamque generalem consuetudinem probavit Oecumenica Synodus Viennensis anni MCCCXI. ubi hoc Decretum edidit, legiturque in Clementinis Lib. I. Tit. VI. Cap. III. *Generalem Ecclesiæ observantiam volentes antiquis juribus in hac parte præferri, decernimus, ut alio non obstante impedimento canonico, possit quis libere in decimo octavo ad Subdiaconatus, in vigesimo ad Diaconatus, & in vigesimo quinto ætatis suæ anno ad Presbyteratus Ordines promoveri.* Amplexa est hoc Decretum tertia Synodus Ravennatensis quantum ad Diaconos, & Presbyteros spectabat, nam Subdiaconis annum ætatis decimum sextum præscribit. Quod tamen mirum videri non debet, quum Concilium Melfense anni MLXXXIX. cui præerat Urbanus II. tametsi nihil innovaret circa ætatem Presbyterorum, & Diaconorum, quæ tunc temporis, ut dictum est, erat triginta, & vigintiquinque, indulsit tamen Can. IV. ut Subdiaconi anno decimoquarto, vel decimoquinto initiari valerent.

IX. Concilium denique Tridentinum, ut ex parte veterem Ecclesiæ disciplinam in re tam gravi restitueret, Sessione XXIII. Cap. XII. tacite derogans Synodi Viennensis Decreto, præfiniit Subdiaconatui annum vigesimum secundum, Diaconatui vigesimum tertium, & Presbyteratui vigesimum quintum. Ea hodie disciplina vivimus, ut ob defectum ætatis jam a Tridentina Synodo singulis majoribus ordinibus præfixæ, solius sit Romani Pontificis, qui est super Concilia, dispensa-

tionem

tionem concedere: est seue hæc antiqua Ecclesiæ disciplina, constatque non modo ex Cap. *Cum Dilectas*, *De electione*, verum in Epistola XLIII. Ivonis Carnotensis Episcopi ad Urbanum II. ubi de Willelmo electo in Episcopum Parisiensem agit: *Addiscimus quoque consilio ejus, quia aliquantulum infra annos legitimos nobis esse videbatur, ut promotiones ad gradus Ecclesiasticos per congrua intervalla differret, & interim, aut per se, aut per nuntios Ecclesiæ, pro his, quæ ad integritatem Ordinationis minus sunt, a Paternitate vestra indulgentiam postularet.*

X. Sed jam longe ante Urbanum II. S. Zacharias Pontifex Maximus, qui floruit medio Seculo VIII. ut in Epistola ejus XII. videre est, Episcopo id concessit, ut urgente gravissima necessitate, anno ætatis vigesimoquinto ordinaret Diaconos, ac Presbyteros, quia scilicet ii juxta Canones illius ævi promoveri non possent, nisi annos nati triginta: *Si provectæ ætatis minime reperiantur, & necessitas exposcit, a vigintiquinque annis & supra Levitæ, & Sacerdotes ordinarentur.* Occurrunt passim etiam in antiquis Annalibus Ecclesiasticis hujusmodi dispensationes a Romanis Pontificibus concessæ. Nec est quod de eis mirari possis, cum ex Lege, *Quidam*, *ff. De re judicata*, & Lege II. Cod. *De his qui veniam ætatis impetrarunt*, solus Princeps veniam ætatis posset concedere. Hinc Scipio Africanus, cum Ædilitatem peteret, intercedentibus Tribunis, quod ætate minor esset, respondit apud Livium Libro XXV. *Si me omnes Quirites Ædilem facere volunt, satis annorum habeo.*

XI. Neque vero inficior, dispensasse olim etiam Episcopos circa ætatem initiandorum ad sacros Ordines, sed in omnibus iis dispensationibus ea fuit sanctissima Ecclesiæ veteris disciplina, ut primo in eorum gratiam fierent, qui præstantioris meriti erant, tum vero non ipsorum petitione, qui alias sua sponte & ordinem, & dispensationem declinabant, sed Episcoporum imperio, qui vel ad virtutum potius dotes, vel ad Ecclesiæ necessitatem, Ministrorum indigentias, quam ad ætatem respiciebant. Hodie se res aliter habet, cum videamus, peti a multis dispensationem, non quia ulla in Ecclesiis ministrorum necessitas, sed ad suam ipsorum utilitatem, ut scilicet citius Missarum stipendia lucrentur, reditibusque Ecclesiarum ditentur. Dolens narret Cedrenus, Theophilactum e parente suo intrusum Patriarchali Sedi Constantinopolitanæ cum annum ageret decimum sextum. Addit, ipsum nonnisi anno ætatis vigesimo quinto fuisse consecratum, vices interim, & munia Patriarchæ fungente Triphone. Refert & hoc exemplum Baronius ad annum CMXXXIII. cum paulo ante, scilicet anno CMXXV. portentosius aliud exemplum jam retulisset, nempe Hugonis filii Heriberti Comitis Aquinatis, qui malis artibus illum quinquennem eligi fecerat Archiepiscopum Remensem. Et quod magis stupeas, non modo Clerus, populusque Remensis, sed & Abbo Episcopus Suessionensis, Bavo Episcopus Catalaunensis, & Rex Rodulphus consensione sua electionem firmarunt. Quin etiam re ad Joannem X. Papam delata per eundem Abbonem, aliosque ejusdem Ecclesiæ Remensis Legatos, ait Flodoardus Lib. IV. Cap. XX. Pontificem ejusmodi confirmationem confirmasse, quæ vero Episcopalis ministerii erant, interim ipsi Abboni curanda delegasse. Notandum sane, quod ad ipsum annum CMXXV. observat Spondanus, *qualis auctoritate Pontificis ingens istud malum primum fuerit introductum in Ecclesia Dei, in qua postea varie est propagatum, hodieque adhuc viget; videlicet Joannis Decimi, quo turpior nullus, cujus sicut ingressus in Cathedram Petri infamissimus, ita & exitus nefandissimus extitit.*

X. Teste laudato Baronio ad annum CMLV. Joannes XII. Romanam invasit Sedem admodum sane puer, cum in Romana Synodo post aliquot annos habita Otto Imperator illum cum jam octavum in Pontificatu ageret annum, puerum vocaret: *Puer est, facile bonorum mutabitur exemplo virorum*. Ceterum narrat in sua Historia Luitprandus Lib. VI. Cap. VII. eundem Joannem in Romana Synodo impetitum fuisse & hac gravissima accusatione, quod anno ætatis decimo ordinasset Episcopum Tudertinum: *Et quod annorum decem Episcopum in Tudertina Civitate ordinaret.* Atque hæc satis sint ad explicationem nostri Canonis circa ætatem ad sacros Ordines promovendorum; quod autem spectat Diaconissarum ætatem, quæ est quadraginta annorum, quum ea jam ante hunc Canonem, in Canone XV. Concilii Chalcedonensis fuerit præfixa, ad nostrum in eum Canonem Commentarium Lectorem curiosum remittimus, id unum hic adnotantes, Diaconissarum consecrationem Romæ quidem sæculo XI. adhuc in usu fuisse, uti constat ex diplomate Joannis Papæ XIX. quo facultatem concedit Episcopo Sylvæ-candidæ divina officia certis diebus celebrandi in Ecclesia S. Petri in Vaticano, apud Mabillonium Musæi Italici Tomo II. Pag. 156. In eo autem diplomate ita inter alia legitur: *Consecrationes vero Altarium Ecclesiæ S. Petri, & aliorum Monasteriorum, necnon consecrationes Ecclesiarum, Altarium, Sacerdotum, Clericorum, Diaconorum, seu Diaconissarum totius Civitatis Leoninæ, vobis, vestrisque successoribus, in perpetuum, sicut prælibatum est, concedimus, & confirmamus.*

CANON XVI.

Quoniam Actuum Liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit; Neocæsariensis autem Synodus sic in a se editis Canonibus aperte disseruit. Quod septem debent esse Diaconi ex Canone, etiamsi sit valde magna civitas, ex Libro autem Actuum persuadeberis: Nos cum dicto Apostolico Patrum mentem adaptassemus, invenimus, eos esse loquutos non de viris, qui ministrant mysteriis, sed de ministerio, quod in usu mensarum adhibebatur, cum Liber Actuum sic habeat: *In diebus illis cum Discipulorum multitudo cresceret, fuit Græcorum murmur adversus Hebræos, quod despiciebantur*

eorum

eorum viduæ in ministerio quotidiano. Duodecim ergo accersita multitudine Discipulorum dixerunt: Non placet, ut verbo Dei relicto, mensis serviamus. Providete ergo Fratres viros ex vobis, de quibus bonum sit testimonium, septem, Spiritu Sancto, & sapientia plenos, quos in hoc usu constituemus: Nos autem in oratione, & verbi ministerio fortiter perseverabimus. Et placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum, Virum plenum fide, & Spiritu Sancto, Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum Proselytam Antiochenum, quos statuerunt coram Apostolis. Hæc interpretans Ecclesiæ Doctor Joannes Chrysostomus, sic prosequitur: Est operæ pretium admirari, quomodo non est scissa multitudo in virorum electione, quomodo non sunt ab ipsis rejecti, ac reprobati Apostoli. Quamnam autem habebant hi auctoritatem, & quam acceperunt ordinationem, scire est necessarium. Numquid Diaconorum? Atqui hoc non est in Ecclesiis. Sed est Presbyterorum dispensatio? Atqui nullus erat adhuc Episcopus, sed soli Apostoli. Unde nec Diaconorum, nec Presbyterorum nomen existimo apertum esse, & manifestum. Propter hæc ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti septem Diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt, ut est prius exposita doctrina; sed eos esse, quibus fuit concredita, ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant. Qui nobis in hoc quoque forma fuere humanitatis, & studii in eos, qui indigent,

COMMENTARIUS.

I. Septem ex Legum præscripto sufficere in una qualibet magna Civitate Diaconos, idque ex Actuum Apostolorum Libro facile conjici posse, decimoquinto Neocæsariensis Synodi Canone declaratum est: *Diaconi*, inquit, *septem esse debent ex Canone, etiamsi sit magna Civitas. Ejus autem rei fidem faciet Liber Actorum.* Apostolos haud dubie sequuta est Romana Ecclesia, quæ ante laudatum Neocæsariensem Canonem non plures quam septem habebat Diaconos; testatur enim apud Eusebium Lib. VI. *Historiæ*, Cap. XLIII. S. Cornelius Papa in Epistola illa, quam scripsit medio fere tertio seculo, Romæ tum fuisse Presbyteros quadraginta quatuor, Diaconos septem, ac totidem Subdiaconos, Clericorum vero inferiorum multitudinem quammaximam. Eum numerum diu permansisse in Ecclesia Romana, testatur Sozomenus Lib. VII. *Historiæ*, Cap. XIX. ubi ita inquit: *Diaconi apud Romanos hactenus non plures sunt ad similitudinem eorum, qui ab Apostolis ordinati fuerunt. Apud alios vero numerus horum varius est.*

II. Ceteras Ecclesias in eo tenendo numero minus fuisse constantes, ex ipso Neocæsariensi Canone conjicimus, qui licet numerum Diaconorum septenarium etiam in magnis Civitatibus juxta Apostolicum institutum restituerit, adhuc tamen Edessena Ecclesia, de qua mentio fit in Actione X. Concilii Chalcedonensis, Seculo V. Presbyteros habebat quindecim, Diaconos octo & triginta: in Ecclesia autem Constantinopolitana Justinianus Imperator centum voluit esse Diaconos, uti videre est in novella sua Constitutione ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum, quam laudat Zonaras in suo ad hunc Canonem Scholio. Fuisse IV. Christi seculo in variis Ecclesiis magnum Diaconorum numerum, non obscure innuit S. Hieronymus in Epistola ad Evagrium, ubi ideo de Romana solum Ecclesia queritur, quod ob ipsorum paucitatem, quæ in pretio solet esse, efferrent se se supra Presbyteros, quos multitudo despicabiles facit: *Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ, vendicas? Omne quod rarum est, plus appetitur. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemtibiles facit.*

III. Sed non amplius ferendi sunt Patres Trullani, qui in hoc præsenti Canone, ut ostendant majorem septenario Diaconorum numerum Apostolicæ institutioni non adversari, Neocæsariensem Canonem, qui eum restituerat numerum, reprehendunt, temereque pronuntiant, non satis Diaconorum nomen, quod ex Apostolorum Actis affertur, a Neocæsariensibus Patribus fuisse intellectum; quia scilicet non de Diaconis, qui sacro Altaris ministerio assisterent, sed de iis, quibus cura mensarum, ac fidelium multitudini suppeditandi onus incumberet, Acta illa loquuntur. Ajunt mox etiam, suam ipsorum sententiam testimonio S. Joannis Chrysostomi roborari, quod ea verba Actorum explicans, neque de Sacerdotibus, aut Diaconis Sacerdotum Ministris intelligi posse diserte assereret.

IV. At errant Patres Trullani, major enim habenda est fides Patribus Concilii Neocæsariensis, quam ipsis; sunt enim illi viciniores institutioni Diaconorum peractæ ab Apostolis, & longe Apostolicæ traditionis peritiores; sciebant enim quod jam olim antiqui Græci Patres docuerant, institutos nempe ab Apostolis septem Diaconos, non modo ut mensis communibus, verum etiam sacris ministrarent. S. Ignatius Martyr, qui Diaconorum electionis testis esse potuit, in Epistola ad Trallianos de iis Diaconis, quos Apostoli Cap. VI. Actorum instituerant, ita loquitur: *Oportet & Diaconis mysteriorum Christi ministris per omnia pla-*

placere: nec enim ciborum, & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores. Et paulo post: *Quid vero Diaconi, quam imitatores Angelicarum virtutum, qui purum, & inculpatum ministerium illi* (idest Episcopo) *exhibent, ut S. Stephanus Jacobo; Timotheus, & Linus Paulo; Anacletus, & Clemens Petro?* Non igitur ad hoc præcise ordinati sunt Diaconi, ut mensis communibus ministrarent.

V. Altero Christi seculo S. Justinus in apologia sua secunda diserte docet, Diaconos esse sacri Altaris Ministros, & Sacrificii, ita scribens: *Postquam & is, qui præest, gratias egit, & populus omnis benedixit, ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt, deferuntur.* Panis autem, & vinum, quæ cum gratiarum actione consecrata, per Diaconos distribuuntur præsentibus, & ad absentes deferuntur, quid aliud sunt præter corpus, & sanguinem Christi, quæ non in communibus, sed in sacris mensis administrantur? Si itaque Diaconi, Auctore Justino, Eucharistiam tum præsentibus, tum absentibus distribuebant, erant ii certe ministri Altaris, & Sacrificii. Quod autem ea esset primis Christi seculis Diaconorum provincia, Eucharistiam scilicet dispensandi, diserte docet pervetustus Apostolicarum Constitutionum Auctor Libro VIII. Cap. XXVIII. ubi ita inquit: *Non baptizat Diaconus, non offert: oblatione vero ab Episcopo, vel a Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat Presbyteris. Nulli ex reliquis Clericis licet facere opus Diaconi.*

VI. Allata hactenus loca veterum Patrum Ecclesiæ Græcæ, aliaque fere innumera quæ afferri possent abunde certe nos docent, qualis ante Neocæsariensem Synodum, quæ habita fuit anno Christi CCCXIV. fuerit Græcæ Ecclesiæ traditio circa institutionem Diaconorum. Sed quid opus traditione erat Patribus Neocæsariensibus, ut crederent Diaconos, non modo mensarum communium, sed Altaris quoque, & Divinorum Mysteriorum ministros, cum id passim ex sacris Paginis novi Testamenti potuerint addiscere, ac præsertim ex Cap. VI. Actuum Apostolorum, ubi prima institutio Diaconorum describitur? Quid enim Apostoli tanto studio eligerent viros boni testimonii septem, Spiritu Sancto & sapientia plenos? Quorsum communis oratio? impositio manuum? tanta illa morum perfectio? Si ministrandis solum mensis communibus, ab Apostolis instituti sunt, cur ipso Apostolorum ævo baptismum conferebant Diaconi, & Evangelium prædicabant? Constant hæc quidem ex Actis Apostolorum, quæ tamen Patres Trullani minime intelligentes, perperam Neocæsariensem Canonem carpunt, summaque nonnisi audacia contra expressa veterum Patrum Græcorum oracula pronuntiant, illos Actuum Apostolorum Diaconos fuisse, non qui sacris ministeriis, dum res divina peragitur, obeundis vacarent, sed qui hominibus amplectendæ fidei studio ad Apostolos assidue commeantibus alimenta ministrarent.

VII. Non inficior, creatos fuisse Diaconos ab Apostolis, ut præessent dispensationi eleemosynarum, quas Judæi non administrabant ad normam charitatis; despiciebant quippe viduas Græcorum, seu Hellenistarum, qui Christianæ Religioni nomen dederant: *In diebus illis* (inquit Lucas Cap. VI. Actorum, ubi recenset septem Diaconorum creationem) *crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.* Sed fateri cogimur tum ex contextu verborum illius loci, tum etiam complurium Patrum auctoritate, ac traditione Ecclesiæ, quod tametsi instituendorum Diaconorum occasio fuerit Apostolis mensa communis, non ea tamen sola ratio fuerit, cum primarium ejus institutionis consilium ad Sacrificium ipsum spectaret, & ad sacram mensam, quæ tunc temporis a communi minime divellebatur. Ceterum nonnisi Christi mandato, & delegata auctoritate ordinatos ab Apostolis fuisse Diaconos, perspicue Patres Græci æque ac Latini sentiunt, ubi ajunt Hierarchiam Ecclesiasticam divinitus institutam Episcopis constare, Presbyteris, & Diaconis. Id quod Concilium Tridentinum Sessione XXIII. Can. VI. definiit, sic inquiens: *Siquis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Ministri quidem ex ipsa vocis significatione alii non sunt, quam Diaconi, sed eo maxime verbo uti voluit sacra Synodus, ut innueret, minores Ordines omnes, quia quædam quasi Diaconatus decerptæ portiones sunt, divina illa Hierarchia comprehendi.

VIII. Mirum illud est, quod Trullani Patres ad constabiliendam sententiam illam, Diaconos nempe septem ab Apostolis electos fuisse, non ut sacrorum ministerio, sed ut rei potius cibariæ præfecti, & œconomi adhiberentur, S. Joannis Chrysostomi locum obtendere non erubescant; cum liquido constet, ipsum sanctum Doctorem præ cæteris Patribus quammaxime Trullanorum Episcoporum sententiæ adversari. Docet namque Homilia I. in Epistolam Pauli ad Philippenses, Diaconi nomen & splendorem tantum esse, ut promiscue Apostolus nomen Diaconi Episcopis, Presbyterisque adscripserit, tametsi Episcopis, Presbyteris, & Diaconis communia non essent, nec eadem omnibus officia. Sed nescio, an clarioribus unquam verbis significata est sacra ordinatio Diaconorum, quam quibus eam expressit idem Chrysostomus Homilia IV. in Acta Apostolorum, ita inquiens: *Ordinati sunt per preces, hoc enim est manuum impositio. Manus ab homine imponitur, totum autem Deus operatur.* Id quod advertit S. Doctor ad locum Actuum Apostolorum, ubi agitur de institutione septem Diaconorum, poterant & Patres Trullani advertere, sed voluerunt in meridie cæcutire. Quis enim locum illum considerans institutionis primorum Diaconorum, non videat, in Diaconatu omnia reperiri, quæ ad Sacramentum proprie dictum requiruntur? Nam primo, constat signo sensibili, manuum scilicet impositione, quam usurparunt Apostoli, ubi primos Diaconos ordinarunt, quamque adhibuit semper Ecclesia ad eorum consecrationem. Secundo, reperitur promissio gratiæ, quam etiam illis Apostoli contulerunt per orationem, & manuum impositionem: *Et orantes*, ait Lucas, *imposuerunt eis manus.* Unde quovis seculo persuasum fuit Ecclesiæ, se per eandem impositionem manuum dare Spiritum Sanctum, per Episcopos nimirum, qui, dum Diaconis manum imponunt, orationem fundunt, qua in eos septiformis Spiritus Sanctus invocatur. Cui quidem orationi majoris explicationis causa,

causa, in antiquis Pontificalibus, uti videre est nostro Tomo 1. Commentariorum ad Romanum Pontificale, Tit. XI. *De ordinatione Diaconi*, ea verba præmittuntur: *Accipe Spiritum Sanctum*.

IX. Non itaque Chrysostomi, cujus auctoritate muniri hunc Canonem suum Trullana Synodus gestit, ea mens fuit, ut Diaconos illos, de quibus Lucas Cap. VI. Actuum Apostolorum loquitur, ab ordinatione sacra ablegaret, verum ut ostenderet, rei temporariæ administrationem, quam tum acceperant, Diaconis ita propriam non esse, ut non alii illam possent gerere, cum ejus ætate res illa penes Presbyteros esset, qui dicebantur Oeconomi, de quibus egimus ad Canonem XXVI. Chalcedonensem. Sed audiamus iterum sanctum Doctorem ita loquentem: *Qualem acceperant ordinationem? Numquid eam, quæ est Diaconorum? Et profecto hoc in Ecclesiis non est, sed Presbyterorum est œconomia. Et quidem nullus adhuc erat Episcopus, sed Apostoli solum, unde neque Presbyterorum, neque Diaconorum nomen opinor esse clarum, & manifestum*. Ex quibus scite notat Thomassinus Parte I. Lib. I. *Disciplinæ*, Cap. LI. Num. XII. hoc sibi proposuisse Chrysostomum, ut bonorum Ecclesiæ temporalium dispensationem, quæ tum erat consuetudo, Presbyteris adsereret, adversus Diaconorum importunitatem, qui eam sibi deberi ex illa Apostolorum institutione contendebant. Diaconorum ergo consilium ut refelleret, aut præveniret Chrysostomus, profitetur, primis illis temporibus Episcopos nondum fuisse, qui alii essent ab Apostolis: Presbyterorum vero, ac Diaconorum nomina, & ipsorum etiam Episcoporum, indiscriminatim esse usurpata: quare Diaconos ex eo Lucæ loco œconomiam hanc, quam Presbyteri obtinerent, vendicare sibi nullo pacto posse. Atque hæc sufficiant pro confutatione spurii hujus Trullani Canonis, qui cum Chrysostomum, & ipsum Actuum Apostolorum locum minus intellexisset, perperam etiam Canonem Neocæsariensem reprehendit. Cæterum de dignitate, Ordinatione, & variis Diaconorum muniis, videri possunt, quæ fuse scripsimus tum Tomo I. Conciliorum, tum etiam I. Tomo Romani Pontificalis.

C A N O N XVII.

Quoniam diversarum Ecclesiarum Clerici propriis, in quibus ordinati sunt, relictis Ecclesiis, ad alios Episcopos se contulerunt, & sine proprii Episcopi sententia in alienis Ecclesiis constituti sunt, & ex eo ipsos reddi insolentes, ac inobedientes evenit: statuimus, ut a mense Januarii præteritæ indictionis, nullus omnino Clericus in quocumque sit gradu, potestatem habeat sine proprii Episcopi scripta dimissoria in alienæ Ecclesiæ catalogum referri. Qui hoc enim a præsenti nunc tempore non servat, sed quod in se est, eum, qui illi manus imposuit, dedecore effecerit, deponatur & ipse, & qui eum præter rationem suscepit.

C O M M E N T A R I U S.

I. Multi in hanc sententiam alii Canones editi sunt, præsertim vero decimus sextus Concilii I. Nicæni, quem nostro I. Tomo Conciliorum fuse explicuimus. Hic quoque Clericos in aliam Ecclesiam absque impetrata scripta ab Episcopo proprio facultate transire non finit, quia scilicet *ex eo ipsos reddi insolentes, ac inobedientes evenit*. Certe in Actis primi Ephesini Concilii, Parte I. Cap. XXX. refertur supplex Monachorum libellus adversus Nestorium, ubi gravissime expostulent de illatis sibi contumeliis, atque infestationibus Clericorum, qui, ut Nestorii insaniæ adhærerent, Ecclesias suas reliquerant, in quibus residere debuissent: *Opera utitur Clericorum quorumdam ab externis parœciis, & diœcesibus adscitorum, quibus tamen secundum Ecclesiasticos Canones in alieno Episcopatu, vel Ecclesia degere non licet, sed iis solum locis, & civitatibus, idque quiete, quibus ordinati sunt*.

II. Fuit sane vetus Ecclesiæ disciplina, quam etiam fuse enarravimus Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum II. *De ordinibus conferendis*, ut Clerici omnes tum majores, tum minores ordinatione sua ita suo Episcopo, & Ecclesiæ, cui eos ille affigebat, alligarentur, ut passim sacræ Synodi eis vetent ad alias migrare Ecclesias sine proprii Episcopi facultate. Synodus Arelatensis anni CCCXIV. Can. II. ita inquit: *In quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseverent*. Et mox Can. XXI. subjicit: *Presbyteri, & Diaconi, si relictis locis suis, in quibus ordinati sunt, ad alium se locum transferre voluerint, deponantur*. Laudicena Synodus eodem Christi anno habita Can. XLII. vetat quidem, ne Clerici vel itineri se committant, inconsulto Episcopo: *Non oportet Sacerdotem, vel Clericum sine jussione sui Pontificis iter ingredi*. Idem decernit Turonensis I. Synodus anni CDLXI. postquam enim dixit Can. II. ut *siquis Clericus absque sui Episcopi permissu derelicta Ecclesia sua, ad aliam se transferre voluerit, alienus a communione habeatur*; Canone sequenti ita subjungit: *Clerici non absque Sacerdotum suorum commendatione ad alias Provincias, seu Civitates ambulare disponant*.

III. Illud præterea cautum fuit ex sacris Synodis, ut qui sine Episcopi licentia ad alias Ecclesias se conferrent, ad suas redire cogerentur. Id enim statuit jam olim Synodus I. Nicæna Can. XVI. confirmavitque Synodus Sardicensis, cum, conquerente Etio Episcopo Thessalonicensi de diutina commoratione in Civitate sua complurium Presbyterorum, & Diaconorum aliarum Provinciarum, Can. XX. juxta editionem Dionysii Exi-

gul ſtatuit, Clericos omnes eadem reſidentiæ lege teneri, qua & Epiſcopos; *Univerſi dixerant: & tempora, quæ conſtituta ſunt circa Epiſcopos, & circa has perſonas obſervari debent*. S. Leo I. Pontifex Maximus in Epiſtola LXXXVI. ad Nicetam Aquileenſem Epiſcopum grande piaculum ducens, quod Clerici avaritia, ambitioneve incitati alterius alicujus Eccleſiæ honorum, uberiorumve proventuum, proprias Eccleſias deſererent, beneficiis illos privari edicit, ac tum demum excommunicatione percelli: *Illam quoque partem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, qua olim a ſanctis Patribus, & a nobis ſæpe decretum eſt, ut nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus Ordine, nec in ſubſequenti ordine Clericorum, ab Eccleſia ad Eccleſiam cuiquam tranſire ſit liberum, ut integrum revoces, admonemus. Et unuſquiſque non ambitione illectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum depravatus, ubi ordinatus eſt, perſeveret: ut ſiquis ſua quærens, non quæ Jeſu Chriſti, ad plebem, & Eccleſiam ſuam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & a communionis, vinculo habeatur extraneus*.

IV. Execratus eſt etiam Imperator Juſtinianus Novella ſua Conſtitutione III. non paucos ſui ævi Clericos, qui ſpe honorum, & ſplendidioris, atque opulentioris Eccleſiæ allecti, cum non poſſent ſine ſuorum Epiſcoporum permiſſu Eccleſias ſuas deſerere, Magnatum patrocinia aucupabantur, ut ab illis, & a Provinciarum quoque Eccleſiis ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam transferri valerent: *Quod hactenus indecenter fieri nequaquam in Republica geratur, ideſt multos Reverendiſſimorum Clericorum dedignari quidem in iis, quibus ordinati ſunt, ſanctiſſimis Eccleſiis, aut hic, aut Provinciis deſervire, ad ſanctiſſimam vero majorem Eccleſiam, & venerabilem Clerum ejus per patrocinium quodlibet accedere. Quod de cetero fieri, omnimodo prohibemus*. Ejus prohibitionis rationem illam eſſe docet, quod ſi ſacris Canonibus, Legibuſque civilibus non licet Monachis de uno ad aliud monaſterium proficiſci, multo minus liceat Clericis a ſuis Eccleſiis ad alias migrare, cum hi potius, quam illi ad id faciendum impelli poſſint vel auri ſame, vel honorum, dignitatumque cupiditate: *Nam ſi prohibemus ex uno Monaſterio in aliud tranſmigrare, multo magis neque Clericis hoc permittimus, lucri, & negotiationis habere demonſtrationem hujuſmodi horum deſiderium judicantes*.

V. Quod Clerici æque ac Monachi ambitioſuli conferrent ſe olim frequenter ad Imperialem Urbem Conſtantinopolis, diuque in ea commorantes, turbas excitarent, & ſtatum Eccleſiaſticum perturbantes, aliquorum etiam domos ſubverterent, ſtatuit quidem Chalcedonenſis Synodus Can. XXIII. ut prius admoniti a Defenſore Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ diſcedere, ſi contumaces perſeverarent ibidem manere, ab ipſo eodem Defenſore ejicerentur. Hunc Canonem haud dubie a Clericis Monachiſque inconſtantibus neglectum novo quidem vigore laudatus Imperator Juſtinianus munire credidit, ubi Lege ſua LV. Cod. *De Epiſcopis, & Clericis*, immunes a tutelis eos faciens Clericos, Monachoſque, qui rebus divinis in ſuis Eccleſiis vacarent, alios qui extra ſuas Eccleſias, & Monaſteria vagarentur, ea immunitate privavit: *Eos tamen Clericos, & Monachos hujuſmodi habere beneficium ſancimus, qui apud ſacroſanctas Eccleſias, vel Monaſteria permanent, non divagantes, neque circa divina miniſteria deſides. Cum propter hoc ipſum beneficium eis indulgeamus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis miniſteriis inhæreant*. Sed hæc pœna beneficium potius eſſe videtur; quid enim Clerici avaritiæ addicti ambire tam avidius vellent, quam pupillorum tutelas agere, eoſque bonis ſuis expoliare?

VI. Rectius itaque Trullani Patres noſtro hoc Canone cenſuerunt, utroſque deponendos, tum qui a ſuis Eccleſiis diſceſſerint, Clericos, tum Epiſcopos, a quibus ii excepti fuerint; eſtque hæc pœna, quam paſſim Synodi, ac Pontifices Maximi variis editis ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus confirmarunt, ampliaruntque. Clericos etenim vagos Moguntina Synodus anni DCCCXIII. Can. XXII. carceri addixit: *Tales omnino ubicumque inventi fuerint, præcipimus, ut Epiſcopi ſine ulla mora eos ſub cuſtodia conſtringant Canonica*. Ejuſdem anni Synodus Turonenſis Can. XIII. perquiri eoſdem juſſit, ut ne divina celebrare myſteria permitterentur, qui ex aliena Diœceſi advenťarent ſine proprii Epiſcopi literis: *Ut unuſquiſque Epiſcoporum Parochiam ſuam diligenter perſcrutari nitatur, ne aliquis Presbyter ab alterius Parochia in ſuam commigrans, officium celebrare præſumat ſine literis commendatitiis, ſicut olim multis in locis actum eſſe repertum eſt*. Diligentiorem adhibuit cautionem Cabilonenſis Synodus eodem anno habita, ubi Canone XLI. junxit plumbo oportere eſſe munitas hujuſcemodi literas commendatitias: *Literas etiam habebit, in quibus ſint nomina Epiſcopi, & Civitatis plumbo impreſſa*. Concilium tandem Tridentinum Seſſione XXIII. *De reformatione*, Cap. XVI. priſcam diſciplinam reſtaurare cupiens, Clericos omnes vult, ubi ordinantur, ita Eccleſiis addici, ut, ſi illas inconſultis Epiſcopis deſeruerint, Sacrorum exercitio interdicantur. Nullum præterea Clericum ſine commendatitiis ſui Ordinarii literis ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda, & ſacramenta adminiſtranda admitti jubet. Dolendum autem, ex frequenti literarum conceſſione, Eccleſiaſtico Ordini non parum inferri injuriæ, dum multi Presbyteri Eccleſias, quibus in ſua ordinatione fuerant adſcripti, deſerentes ad alias migrant, ut majori ſtipendio eleemoſynave Miſſas celebrent.

C A N O N XVIII.

Eos qui barbaricæ incurſionis prætextu, vel alio aliquo modo propter aliquam circumſtantiam emigrarunt, Clericos, poſtquam modus ille, aut circumſtantia ceſſarit, vel barbaricæ incurſiones, propter quas receſſerant, rurſus in ſuas jubemus Eccleſias reverti, nec eas diu abſque ulla occaſione relinquere. Siquis autem non, ut præſens vult Canon, adierit, ſegregetur,

tur ; donec ad ſuam Eccleſiam redeat. Hoc ipſum autem in eo fiat Epiſcopo , qui illum detinet,

COMMENTARIUS.

I. QUamquam Ordinatio , uti ſuperius dictum eſt , Clericos prorſus omnes Epiſcopo ſuo , & Eccleſiæ, cui fuerant adſcripti , ita adglutinaret , ut in ea omnino reſidere tenerentur ; cum tamen vel incurſionibus Barbarorum , vel acerbitate exactionum , vel fame regionem occupante , vel ob alias ejuſmodi cauſas aliquando contingeret , ut in alienas terras , domeſtica ſede relicta , migrare Clerici cogerentur , merito ſtatuit hic Canon noſter , eos , ubi primum cauſa illa , propter quam ſe ſe ab urbibus , Eccleſiiſque ſuis diſceſſerant , ſublata fuerit , ad eas reverti debere , neque diutius in externa regione peregrinari . Qui ſecus fecerit , velut Eccleſiæ ſuæ deſertorem , ac transfugam , & cum eo Epiſcopum , a quo exceptus detinebitur , illum donec Eccleſiam ſibi creditam repetierit , hunc vero quoad apud ſe hominem habuerit ſegregatos eſſe decernit .

II. Innovat is quidem Canon Canonem vigeſimum Chalcedonenſem , ubi tametſi excommunicatione percellantur, & Clericus, qui ab Epiſcopo ſuſceptus eſt , & Epiſcopus , qui eum ſuſcepit, donec Clericus , qui ad alienum Epiſcopum migravit , in ſuam Eccleſiam , quam reliquerat , revertatur ; excipiuntur nihilominus Clerici illi , *qui proprias amittentes provincias , ex neceſſitate ad aliam Eccleſiam tranſierunt* . Hinc quamvis prima Nicæna Synodus Can. xv. & Sardicenſis Can. I. & II. expreſſe vetent Epiſcopis de ſuis ad alias tranſire Civitates , Pelagius tamen II. Pontifex Maximus in Epiſtola ſua ad Benignum Archiepiſcopum perſpicue ſcribit , laudatos Canones Sardicenſes , *non de his dicere , qui pulſi , aut non recepti a civibus , vel a quibuſcumque , aut neceſſitate cogente , vel auctoritate majorum tranſeunt ; ſed de his , qui ſponte proſiliunt , aut temeritatis , aut ambitionis cauſa hoc faciunt* .

III. Duo ſunt , quæ in hoc Pelagii Pontificis teſtimonio obſervemus . Primum eſt , recte admodum in eo dici , Sardicenſes Canones non habere locum in Epiſcopis , non receptis a civibus ſuis . Etenim Socrates Lib. VII. *Hiſtoriæ* , Cap. XXXV. adverſum illos , qui Proclum a Cyzicenis non receptum Epiſcopum volebant incardinari non poſſe Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ , Canonem hunc antiquum adducit : *Siquis Epiſcopus ad aliquam Eccleſiam regendam deſignatus , ad eam non iverit , non illud non ob ſuam ipſius culpam , ſed quod populus illum rejecerit , vel aliam ob cauſam , quæ ſit neceſſaria , factum ſit , cum licebit honoris , & miniſterii Eccleſiaſtici compotem eſſe , modo nihil faceſſat moleſtiarum Eccleſiæ , in qua ipſe conventus agit ; ſed libens approbet , quod Provinciæ Concilium de re in controverſiam adducta ſtatuerit* . Eſt is Canon decimus ſeptimus Concilii Ancyrani juxta Dionyſium Exiguum , licet juxta alios ſit Canon decimus octavus , quo jubetur , Epiſcopis a ſua plebe non receptis tribuendum in Eccleſis , cui ante Epiſcopatum Clerici militarant , hoſpitis Epiſcopi honorem , dummodo ſeditiones non moveant , nec alienas Cathedras moliantur invadere .

IV. Errant ſane qui ejuſmodi Epiſcopis a Canone Ancyrano concedi contendunt non quidem Epiſcopi , ſed ſolum Presbyteri honorem . Etenim Antiochena Synodus anni CCCXLI. Can. XVIII. juxta verſionem laudati Dionyſii Exigui , Canonem Ancyranum confirmans , ac de Epiſcopo loquens , qui propter aliquam cauſam non vitio ſuo exortam , ad aliquam Eccleſiam ſe confert , ita inquit : *Hic & honoris ſit , & miniſterii* (utique Epiſcopalis) *particeps , dummodo nil moleſtus Eccleſiæ rebus exiſtat , ubi miniſtrare cognoſcitur* . Probari id poſſet variis Epiſcoporum priſcorum exemplis , ſed ſatis eſt exemplum referre , quod de Joanne Thalaja ab Alexandrinis minime recepto ſcribit in Breviario ſuo Liberatus Carthaginenſis Cap. x. his verbis : *Joannes habens Epiſcopi dignitatem remanſit Romæ ; cui Papa* (erat is Felix III.) *Nolanam dedit Eccleſiam , in qua plurimos reſidens annos , in pace defunctus eſt* .

V. Recte etiam ait memoratus Pelagius II. (quod eſt alterum in ejus teſtimonio notatu dignum) a Sardicenſibus Canonibus non tangi illos , qui tranſeunt ob Eccleſiæ neceſſitatem ex auctoritate Majorum . Id enim expreſſe ſtatuit Synodus IV. Carthaginenſis Can. XXVII. inquiens : *Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat , nec quiſquam inferioris Ordinis Clericus . Sane ſi illud Eccleſiæ utilitas fiendum popoſcerit , Decreto pro eo Clericorum , & Laicorum Epiſcopis porrecto , in præſentia Synodi transferatur : nihilominus alio in loco ejus Epiſcopo ordinato . Inferioris vero gradus Sacerdotes , vel alii Clerici conceſſione ſuorum Epiſcoporum , poſſint ad alias Eccleſias transmigrare* . Multis ab hinc ſeculis Epiſcoporum translatio de propria Sede ad aliam , velut una e majoribus cauſis , non poteſt fieri abſque auctoritate Apoſtolicæ Sedis , uti liquet ex Can. *Mutationes* , Can. *Sicut alterius* , Can. *Paſtoralis* . VII. Quæſtione I. Sed de his jam alibi ſermo fuit .

VI. Quod Clericos ſpectat , de quibus Canon noſter loquitur , debent ipſi ad proprias reverti Eccleſias , a quibus ob aliquam cauſam juſte diſceſſerant , ubi ſcilicet ceſſavit calamitas , quæ regionem ſuam occupabat , ſive exactionum acerbitas , quibus Magiſtratus civiles , ac Principes præſertim Clericos vexare ſolent . Novi equidem , ab Eccleſiis variarum Provinciarum innumeros pene Clericos diſceſſiſſe , quod ferre non poſſent graviſſimas Baronum æque , atque Epiſcoporum ſuorum exactiones : atque hæc cauſa eſt , cur minime cogi poſſint , ut ad ſuas Eccleſias redeant .

CANON XIX.

Quod oportet eos , qui præſunt Eccleſiis , in omnibus quidem diebus , ſed præcipue Dominicis , omnem Clerum , & Populum docere pietatis , &

rectæ Religionis eloquia, ex divina Scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis: & non transgredientes jam positos terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed etsi ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiæ luminaria, & Doctores suis scriptis exposuerunt; & majorem ex iis laudem assequantur, quam si quæ a se dicuntur, componant, ne dum quandocumque ad id hæsitant, ab eo quod convenit, excidant. Per prædictorum enim Patrum doctrinam populi ad eorum, quæ sunt bona & expetenda, & inutilia, ac rejicienda, cognitionem venientes, vitam in melius componant, nec in ignorantiæ vitium dilabuntur: sed doctrinæ mentem adhibentes se ipsos ad id, ne mali quid eis accidat, excitant, & imminentium suppliciorum metu sibi salutem operantur.

COMMENTARIUS.

I. PLura continet Canon, ac primo quidem, eos, qui præsunt Ecclesiia, idest Episcopos, ac Parochos teneri *in omnibus quidem diebus, sed præcipue Dominicis omnem Clerum, & Populum docere pietatis, & rectæ Religionis eloquia*. De eo Episcoporum munere, quod fere in desuetudinem abiit, cum multi quærant quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, satis abundeque in aliis operibus nostris disseruimus, tum nostro I. Tomo Conciliorum, tum Tomo nostro I. Romani Pontificalis, tum denique in Opere, *De Codice sancti Evangelii &c.* Quod ergo Parochos spectat, jam olim Concilium Vasense anni DXXIX. postquam Can. I. statuit, ut Presbyteri, qui sunt in Parochiia constituti, secundum consuetudinem, quæ in Italia servabatur, Clericos domi nutrirent, & in lege Domini erudire contenderent; Canone II. mandat, ut pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro totius populi utilitate, non solum in Civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis verbum Dei Parochi prædicent, eisque impeditis, ut Homiliæ Patrum a Diaconis recitentur: *Si enim*, inquit, *digni sunt Diacones, quod Christus in Evangelio loquutus est, legere: quare indigni judicentur Sanctorum Patrum expositiones publice recitare?*

II. Longe ante Vasensem Canonem, & ante Canonem hunc nostrum quinquagesimus septimus Canon Apostolis tributus non tantum Episcopo, sed etiam Presbytero prædicationem negligenti, non modo segregationem infligit, sed & degradationem comminatur: *Episcopus, vel Presbyter, qui Cleri, vel Populi curam non gerit, & eos ad pietatem non docet, segregetur; &, si in socordia perseveret, deponatur*. Recte addit Episcopo Presbyterum, quia, ut ait Aquisgranensis Synodus sub Ludovico Pio anno DCCCXXXVI. Lib. I. Cap. VIII. *Presbyteri consortes sunt cum Episcopis in doctrina populorum, & officio prædicandi*. Quamobrem etsi in nonnullis Ecclesiis mos inoleverit, ut soli Episcopi prædicarent, & coram ipsis Presbyteri omnino silerent, scite nihilominus ait S. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum de vita Clericorum & Sacerdotum, quod *pessimæ consuetudinis est, in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non dignentur audire*. Presbyteri simpliciter, vel Sacerdotes, nuncupati sunt olim Parochi, ejusque rei cum innumera sint tum in Conciliis, tum in Epistolia Pontificum, & Capitularium Libris testimonia, ab iis recensendis lubens abstineo. Videri potest Filesacus in Opusculo, *De origine Parœciarum*, Cap. III. & VI.

III. Lubens quoque omitto Concilia pene innumera, quibus edicitur, munus docendi populum Parochis incumbere, cum nihil luculentius afferri possit, quam Concilii Tridentini Decretum Sessione V. *De reformatione*, Cap. II. ubi ita præcipit: *Quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant*. Verum, cum experientia constet, Catholicis plerisque lacte potius, quam solido cibo opus esse, ex variis Synodorum Decretis, debent potissimum Animarum Pastores instructioni, seu catechismo incumbere, in quo prima Fidei, & Religionis rudimenta ad captum & parvulorum, & rudiorum traduntur. Laudata Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De reformatione*, Cap. IV. postquam dixit, monendum ab Episcopo populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode fieri potest, ad audiendum verbum Dei; ita deinde subdit de Episcopis: *Iidem etiam saltem Dominicis, & aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt; &, si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent*.

IV. Habendas ab Episcopis, Parochisque conciones, & catechismos ad populum Dominicis præsertim diebus (quod alterum est, quod in nostro Canone continetur) non modo constat ex laudatis hactenus Synodis, sed & antiqua Ecclesiæ praxi, quam tradit Auctor pervetustus Apostolicarum Constitutionum Lib. II. Cap. LIX. his verbis: *Die Dominico, qui est dies resurrectionis, studiosius Templum adite, ut Deum laudibus celebretis, qui fecit omnia per Christum, quem ad nos misit, & pro nobis mori permisit, & a mortuis excitavit. Quid enim apud Deum excusare poterit, qui eo die ad audiendum verbum Dei salutare*

lutare de resurrectione non convenit? Quo quidem die precationes tres stantes facimus, memores ejus, qui post triduum resurrexit. In quo item adhibentur lectio Prophetarum, Evangelii prædicatio, oblatio Sacrificii, & sacri cibi donum. Meminit ejusdem moris S. Justinus in secunda sua pro Christianis Apologia, sic inquiens: *Solis qui dicitur die, omnium, qui vel in oppidis, vel rari degunt, in eundem locum conventus fit, & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quiescente, Præsidens orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet.* Dies solis olim dicta est dies Dominica, ut ex eodem Justino constat loco laudato, Tertulliano in Apologetico Cap. XVI. & aliis multis priscis Scriptoribus.

V. Inculcabat suo & ævo Chrysostomus gregi frequenter, ut die præsertim Dominico ad Ecclesiam se conferret audiendi causa verbum Dei, quod ipse ea die solitus erat effundere. Ut enim alia S. Doctoris testimonia omittam, Homilia V. in Matthæum sic inquit de Dominica die agens: *Legem hanc nobis statuamus immobilem, nec nobis tantum, sed conjugibus etiam, liberisque nostris, ut unam hanc totius hebdomadis diem, quo ad audiendum concurritur, totum in eorum, quæ dicuntur, meditatione ponamus.* Et paulo post: *Quod ne accidat, quoties a sancta Congregatione disceditis, nihil magis necessarium judicate, quam ea quæ audiendo didicistis, conservare meditando. Nimis enim omnino indevotis, & prorsus extrema est, ut quinque, & sex dies quidem in rebus carnalibus consumentes, unum spiritualibus diem, imo exiguam diei partem nolitis impendere.* Is abusus, quem & alii Patres passim deplorant, adeo hodieque apud Catholicos grassatur, ut plerique fideles vix Missam Dominicis, festisque diebus audientes, totum diem, quem divinis officiis, concionibusque audiendis, ac piis operibus obeundis debebant impendere, ludis, tabernis, ac voluptatibus in animarum suarum, & proximorum etiam perniciem insumant. Sed de his alias.

VI. Viguisse etiam morem apud Latinos primorum temporum, ut conciones die potissimum Dominico haberentur, docet nos S. Augustinus Lib. VI. Confessionum, Cap. III. ubi ait solitum se Mediolani fuisse S. Ambrosium ejus Urbis Episcopum omni die Dominico concionantem audire: *Et eam quidem*, nempe Ambrosium, *in populo verbum veritatis recte tractantem omni die Dominico audiebam.* Rursus idem Augustinus Sermone XXVIII. de verbis Apostoli diserte ait, diem Dominicam destinatam esse concionibus ad populum habendis: *Nunc cum die Dominico, debito reddendi sermonis, recitaretur eadem lectio, divinitus mihi inspiratum esse credidi, ut inde tractarem.* Etiam in aliis festivis diebus habitas olim fuisse conciones, ab eodem Augustino addiscimus, qui Tractatu IX. in Epistolam S. Joannis ita scribit: *Intercesserunt autem, ut omitteremus Textum hujus Epistolæ, quædam pro diebus Festis solemnia lectionum, quæ non potuerunt nisi legi, & ipsa tractari: nunc ergo ad prætermissum ordinem redeamus, & quæ restant, intente accipiat charitas vestra.* Constat sane ex ipso Augustino, & aliis passim sanctis Episcopis, varios de Sanctis sermones fuisse ab ipsis, in eorum solemnitatibus, ac Festis recitatos.

VII. Nostri Trullani Canonis, aliorumque complurium, qui mandant, ut Ecclesiarum pastores in Dominicis præsertim diebus omnem Clerum, & Populum doceant, eam reddit rationem Zonaras: *Apostolici Decreti auctoritatem sequuti Patres hoc edito Canone, cum aliis quoque, tum Dominicis præsertim diebus Episcopi oratione populum ad pia Religionis studia informari, ac institui jubent. Cum enim per eos dies, vacationem a laboribus nacti homines, in Ecclesiam conveniant, ibique tempora divinarum Scripturarum auditione traducant, erit ea populo longe fructuosior industria, quam in eo erudiendo, ac instituendo, iis præcipue diebus Episcopus adhibuerit.* Ex quibus Zonaræ verbis illud etiam discimus, quod superius notatum jam fuit, ductam esse hanc consuetudinem habendi sermonis diebus Dominicis ab ipsis Apostolorum temporibus. Rationem Zonaræ mutuatus Balsamon ita & ipse in suo ad eundem Trullanum Canonem Scholio scribit: *Episcopi Ecclesiarum Auctores constituuntur, & propterea dicit Canon, eis omnino necesse esse, eum, cui præsunt, populum semper docere, & multo magis in diebus Dominicis, in quibus omnes fere solent in Ecclesiis interesse, ut qui a suis artificiis, operibusque cessent.*

VIII. Mandat tertio Canon iis qui Ecclesiis præsunt, ut ea quæ populum docent, ex divina Scriptura colligant, vel, ut ait Synodus Tridentina, *prædicent sanctum Jesu Christi Evangelium.* Hinc merito S. Hieronymus adversus Luciferianos scribens queritur, indoctos passim promoveri Episcopos, & addit: *Ex literatis quicumque hodie ordinantur, id habent curæ, non quomodo scripturarum medullas ebibant, sed quomodo aures populi declamationum flosculis mulceant.* Est is quidem magni abusus momenti, sed longe majoris alius, quod vix hodie Ecclesiarum Pastores invenies, qui verbum Dei prædicent, quippe qui passim e foro assumuntur, quique cum diu vicarios Episcoporum egerint, omnemque suam fori, & Episcopalis Cancellariæ negotiis operam navarint, Scripturarum interpretationem nesciunt, quas ad bene vivendum populis sibi commissis explicare debent, & quidem præcepto divino, ut definit Synodus Tridentina Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. I. Certe curandum iis summopere est, ut saltem jam facti Episcopi sacrorum assidua lectione librorum capaces fiant ad explicandum gregi suo sanctum Jesu Christi Evangelium; neque enim ab hujusmodi onere, & prædicandi necessitate liberantur, quod nunquam operam sacris literis dederint, neque in prædicatione, sed in judiciis versati sint. Hæc enim vana excusatio facile a Cardinali Bellarmino refellitur, qui Lib. II. *De gemitu Columbæ*, Cap. V. ita inquit: *At neque S. Ambrosius, neque S. Gregorius prædicationi operam dederunt, sed forensibus judiciis; & tamen vocati ad præfecturam Ecclesiæ, continuo lectioni scripturarum, & prædicationi verbi Dei operam dare cœperunt.* Tum subdit Sancti Caroli exemplum, qui cum Jurisprudentiæ operam dedisset, & usum concionandi non haberet, & linguæ quoque impedimentum pateretur, omnes tamen difficultates Christi amore, & officii sui adimplendi desiderio superavit, & assidue uberrimo cum fructu usque ad mortem Evangelium prædicavit.

IX. Quarto demum Canon regulam tradit, quam ii qui sacram Scripturam docent, exactissime debent servare, ne scilicet aliter illam interpreten-

pretentur; quam quomodo Ecclesiæ luminaria, & Doctores suis scriptis exposuerunt. Rationem ejus rei ex Apostolo addiscere licet, qui in Epistola ad Ephesios Cap. IV. diserte ait, datos Ecclesiæ a Deo Patres, atque Doctores, ut illam ab omni errore præservent: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Hinc recte ac merito Ecclesia in Conciliis coagrata, dum quid de Fide credendum proponit, ac definit, se Sanctorum Patrum sequi Fidem, ac mentem profitetur. Unde in Concilio Chalcedonensi conclamatum olim: *Hæc est Fides Patrum.* Et in Concilio Viennensi a Clemente V. dictum est: *Nos ad Sanctorum Patrum, & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes, sacro approbante Concilio declaramus &c.*

X. His concinit tandem Concilium Tridentinum Sessione IV. in Decreto de editione, & usu sacrorum librorum, ubi contra sectarios nostri temporis prohibuit, *nequis Scripturam Sacram contra unanimem Sanctorum Patrum sensum interpretari audeat.* Vel, ut habet Professio Fidei a Pio IV. Pontifice Maximo edita: *Sacram Scripturam nunquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.* Utinam id divinarum Scripturarum expositores diligenter observent: dolemus enim, nonnullos aliquando audiri, qui vel ex ingenio suo excogitatam interpretationem, vel a modernis scriptoribus acceptam, explicationibus antiquorum Ecclesiæ Patrum, atque Doctorum non modo præferre non erubescunt, verum etiam ea quæ ipsi docuere risui populi exponere non verentur. Ut alios omittam qui Patrum sententias minime intelligentes, eas vel hæresim sapere, vel genuinum sensum non esse assequutos, temere nimis pronuntiant.

CANON XX.

Ne liceat Episcopo in alia, quæ ad se non pertinet, Civitate publice docere. Siquis autem hoc facere deprehensus fuerit, ab Episcopatu desistat, Presbyteri autem munere fungatur.

COMMENTARIUS.

I. NE qua inter Episcopos causa offensionis existat, nulli propterea Episcopo publice in aliena Urbe docendi facultatem Trullani Patres præsenti hoc Canone esse præcipiunt. Nec enim id sine aliqua illius Urbis Episcopi contumelia fieri potest. Olim quidem multi ex Episcopis sua freti eloquentia ad alias solebant civitates pergere, in quibus Episcopi dicendi, ac docendi minus periti erant, ut se nimirum populis earum regionum admiratione eloquentiæ commendarent, & Cathedras illas Episcopales invaderent. Vetuit id quidem Synodus Sardicensis anni CCCXLVII. Can. XI. Verum non desunt exempla, quæ docent, etiam post editum Canonem Sardicensem viguisse abusum, alienas Cathedras eo artificio arripiendi. Ut autem alios omittam, referunt Socrates Lib. VI. Cap. XXI. & Sozomenus Lib. VIII. Cap. X. Severianum Gabalensem Episcopum Constantinopolim perrexisse lucri causa concionaturum, turbam ibi in S. Joannem Chrysostomum excitasse, ut lenocinio sermonum, oves a Pastore suo abduceret, Sedemque ipse Constantinopolitanam retineret.

II. Sed dicet quispiam, cum hominem de Episcopali fastigio dejectum cogi in Presbyterorum ordinem sine sacrilegio non posse Canone XXIX. Chalcedonensis Synodi definitum sit, qua ratione Episcopum, qui sibi in aliena Diœcesi publice docendi munus usurpaverit, ab Episcopatu cessare, seque Sacerdotalis potestatis limitibus continere Trullanus Canon decernat? Respondet Zonaras, sermonem esse in Synodo Chalcedonensi de justa vel injusta depositione. Vel enim, inquit, ob gravem delicti culpam, qui Episcopus fuerat, ea dignitate spoliatus est, ac ne inter Sacerdotes quoque locum teneat, idem crimen efficiet: vel innocenti multa irrogata, proindeque ne tum quidem Sacerdotibus annumerari, sed Episcopali fastigio, unde per injuriam dejectus fuerat, restitui hominem oportebit. Hic vero noster Episcopus ambitiosiolus nullum, ex quo Sacerdotio moveri debeat, in se facinus admisit; sola is ambitione, laudisque immoderata cupiditate peccavit. Ut igitur peccato animadversio respondeat, temerariaque hominis elatio comprimatur, ab Episcopatu gerendo desistere, atque in Presbyterorum ordinem traduci jubet. Ceterum pœna hæc locum habet, ubi publice Episcopus in aliena Diœcesi doceat, quidpiam enim ex eo privatim quærenti satisfacere, seorsimque docere, nequaquam Episcopo vetitum, nec aliquid eum, qui id faciat, in se culpæ suscipere scitissime observat laudatus Zonaras, docentque id etiam Theologi, ac Canonici Juris Consulti.

CANON XXI.

Qui Canonicorum quidem criminum rei facti, & propterea perfectæ, ac perpetuæ depositioni subjecti, in laicorum locum detrusi sunt; si quidem ad conversionem sua sponte respicientes peccatum deflent, propter quod a gra-

gratia exciderunt, & ab eo se penitus alienos efficiunt, Clerici habitu tondeantur. *Sin* autem non sua sponte hoc elegerint, comam sicut laici nutriant, utpote qui mundanam, seu secularem conversationem vitæ cælesti præposuerunt.

COMMENTARIUS.

I. MUlta sunt criminum genera, ob quæ initiatos Clero moveri, atque inter laicos referri decretum est. Sed ponatur verbi caussa fornicatio. Siquis ergo cum muliere deprehensus Presbyter, aut Diaconus fuerit, deponi, ac laicis adscriptus censeri debet. Verum si postquam ordine motus est, ad pœnitentiam sponte se dederit, seque ab ea culpa, ob quam mulctatus est, quam longissime abduxerit, tonderi hominem Canon Clericorum more permittit; ut eo videlicet, qui Clericorum proprius est, ornatu concesso, reliquo laicorum habitu utentis, atque ad laicorum locum dejecti, pudor, ignominiaque minuatur. Quod si nullum abdicandi dedecoris, ac vitæ emendandæ sua sponte consilium capiat, ex laicorum consuetudine nutrire comam, capilloque abradendo penitus abstinere, jubet; ut cum se antea Sacerdotem, aut Diaconum, nunc in Laicorum ordines relatum, non sine rubore animadvertat, ita demum se ipsum colligat, mentemque a flagitio avocatam ad saniora consilia proinde convertat.

II. Notat hæc quidem Zonaras in suo ad hunc Canonem Scholio; licet autem propter ultroneam, & humilem delictorum confessionem, & voluntarie susceptam pœnitentiam, mitigandam esse pœnam Canon noster dicat, dum Clericum ob crimen Canonicum, exempli gratia, fornicationis, depositum, & ultro, ac voluntarie pœnitentem solo habitu Clericali donans, ad Clericatus functiones minime admittit; ea nihilominus in multis Ecclesiis servata est olim disciplina, ut Clerici capitalium, seu Canonicorum criminum rei, si pœnitentiam obiissent, non penitus ab omnibus functionibus arcerentur. Certe ex Canone IX. Concilii Neocæsariensis, ubi Presbyteri propria inter Sacra functione spoliantur, reliquis tamen non spoliantur Sacerdotii ornamentis: *Ne offerat*, inquit, *maneat tamen in aliis propter bonæ vitæ studium*. Sive, ut habet versio Dionysii Exigui: *Oblata non consecret, maneat in reliquis officiis, propter studium bonum*. Ex Canone sequenti habemus, Clericos ipsos ad inferiorem dumtaxat gradum amandari, nam inquit: *Similiter & Diaconus, si in idem peccatum inciderit, ministri ordinem habeat*; idest ad Subdiaconorum ordinem deprimatur.

III. Humaniora sunt quædam Ilerdensis Concilii, quod celebratum est anno DXXIV. in ea re Decreta. Etenim Can. II. singulari quadam indulgentia Clericos adulterii reos, peremptæque adulterinæ suæ prolis deponit quidem, sed post pœnitentiam Canonicam, sedere patitur inter Ecclesiæ Cantores, seu Psalmistas: *Si vero Clerici fuerint*, qui scilicet abortum procurarint, vel natos suos extinxerint, *officium eis ministrandi recuperare non liceat, attamen in Choro Psallentium, a tempore receptæ communionis intersint*. Sed longe admirabilior est ejusdem Concilii lenitas, ubi Can. V. Episcopis liberum esse ait, ut Clericos semel carne lapsos, qui statim strenuam pœnitentiam exegerint, permittant priores suas Ordinum functiones obire, sine ulla tamen spe ad superiores eluctandi: *Hi, qui altario Dei deserviunt, si subito in flenda carnis fragilitate corruerint, &, Domino respiciente, digne pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare; ita tamen, ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri*. Addit, quod si iterato, velut canes ad vomitum reversi fuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.

IV. Fateor, pro locorum, ac temporum ratione variatam fuisse in Oriente æque ac in Occidente eam disciplinam, uti alibi a nobis fusius ostensum est. Ceterum tametsi veteris disciplinæ rigor in Ecclesia Latina relaxatus sit circa annum Christi millesimum, in Ecclesia tamen Græca, teste Thomassino Parte II. *Disciplinæ*, Lib. I. Cap. LX. illibatus etiam nunc viget, adeo ut quantumvis occulta sint crimina, iis tamen hæreat irregularitas, si ejusmodi ea sint, quibus olim pœnitentia publica præscriberetur. Floruit quidem seculo Christi XII. Zonaras Græcus, testificatusque est in suo ad hunc Canonem Scholio, non permitti Presbytero, & Diacono semel depositis propter Canonicum aliquod crimen, puta fornicationem, ut in habitu, & veste sint Clericali, nisi postquam scelus pœnitentia expiaverint. Ante enim laica veste, & cinere conspersi apparere cogebantur more laicorum, ut hac ignominia scelus vindicaretur.

V. Rursus quamquam homicidia, quæ bello perpetrantur, & tum maxime, cum contra infideles dimicatur, veniam etiam in Presbyteris mereantur; vel ea ipsa tamen indeclinabili Græcos irregularitate illaqueari constat. Memorat namque Cedrenus Pag. 637. ex eoque laudatus Thomassinus, audax facinus Presbyteri, qui cum rei sacræ operam daret, irrupissentque Sarraceni in ejus oppidum, ne exutus quidem sacra veste impetum in eos fecit, tam fortiter, tam feliciter, ut plurimis cæsis, reliquos omnes in fugam verterit. Hunc ajunt ab Episcopo suo mox Sacerdotio exutum, cum restitutionem diu tentatam non obtineret, a Fide, & a Religione defecisse, & Sarracenis aggregatum sævissimis eorum in nos grassationibus non interfuisse solum, sed etiam præfuisse. Ex quo docemur, satius esse aliquando Canonum rigorem temperari, quam irreparabili detrimento Ecclesiam Dei exponere. Hac sane œconomia usi non semel fuere Episcoporum omnium Magistri Romani Pontifices, qui charitate, & Ecclesiæ necessitate ducti rigorem Canonum variis occasionibus relaxarunt. Plurima ejusmodi dispensationum exempla videri possunt apud Virum Clarissimum Ludovicum Thomassinum in sua veteri ac nova Ecclesiæ Disciplina, ubi etiam ex variorum Patrum, atque Theologorum sententia fuse atque egregie de ea re disserit.

CA-

C A N O N XXII.

Eos, qui pecuniis ordinantur, sive Episcopos, sive qualescumque Clericos, & non per examinationem, ac vitæ electionem, deponi jubemus, sed & eos etiam, qui ordinaverunt.

COMMENTARIUS.

I. INnumeri pene adversus simoniam Canones editi jam olim fuere, ac Pontificiæ Constitutiones, grassari tamen eum io dies abusum, & Ecclesias velut gaogrænam depasci dolent merito Patres Trullani, ac statuunt, non modo eos deponi, qui pecuniis ordinantur, sive Episcopos, sive Clericos qualescumque, verum etiam eos, qui Ordines contulerunt. Longe severior pœna est, quam hujusmodi simoniacis infligit Canon xxx. vulgo Apostolorum, qui existimans vindicandum bis hac in parte in id ipsum, deponit non modo, sed & a communione segregat Ordinantes, & Ordinatos per pecuniam, Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum: *Siquis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse, & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abscindantur, sicut Simon magus a Petro.* Eadem utraque pœna animadverti jubet Chalcedonense Concilium Can. II. in minores etiam Ordines pecunia collatos, quin & in ipsa sic collata Ecclesiæ officia, Oeconomos, Defensores, & alios, quos fuse explicuimus lo nostro ad illum Canonem Commentario, nostro I. Tomo Conciliorum.

II. Concilium Bracharense III. anni DLII. Canone III. ait antiquam esse Patrum constitutionem, qua anathemate percellitur qui dat, & qui accipit in ordinationibus: *Anathema sit danti, & accipienti.* Eo severius est quidem Concilium VI. Toletanum anni DCXXXVIII. dum Can. IV. præter irrevocabilem depositionem, hæreditariis etiam bonis simoniacos spoliat: *Communione privatus cum ordinatoribus suis, propriorum bonorum amissione damnetur.* Ex Canone, *Reperiuntur*, apud Gratianum, Causa I. Quæstione I. cautum est, ut ille, qui sacros Ordines munerum fuerit datione lucratus, & suscepto hooris grado privetur, & in monasterio sub perenni pœnitentia retrudatur. Habes hanc fere pœnam retrusionis in monasterium, etiam ubi simonia esset occulta; etenim Alexander III. Pontifex Maximus in Cap. *Ex tuæ, De simonia*, consultus de nescio quo Sacerdote, quem nonnisi pecuniæ solutione ad Sacerdotis ordinem voluit Archidiaconus præsentare: ita respondit: *Tibi sic duximus respondendum, ut, si hoc non est publicum, sed secretum, eumdem Sacerdotem secreto convenias, monens, sine ulla tamen coactione, eum propensius, & inducens, ut Ordinem alicujus Religionis assumat, & perpetuo ab officio, quod illicite acquisivit, abstineat.*

III. Præcipua adversus simoniacos pœna est depositio, & quidem perpetua, nam præter Canonem nostrum Trullanum, & alios superius laudatos, idipsum edicunt insequentium temporum Canones, ex quibus etiam illud addiscimus, perpetuam hanc depositiooem nulla pœnitentia deleri posse. Hinc interrogantibus Britonum Episcopis, utrum simoniace ordinati possiot in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra ordinem, & Sacerdotalem fieri gradum, ita respondit Leo IV. Pontifex Maximus apud Gratianum Can. *Requisitis*, Causa I. Quæstione I. *Nos quidem convictis, & his, qui tam detestabile nefas, quod jam multis est damnatum Conciliis, peregisse noscuntur, nulla possumus pœnitentia subvenire, & tot spiritualibus Patribus obviare: sed in illorum Patrum me sententia convenire, omnibus certum sit.* Hic evidenter supponit Pontifex, simoniace ordinatos nec post actam pœnitentiam ad exercitium Sacerdotii restituendos. Quod & eruditissimus Lupus in Dissertatione II. procemiali, *De simoniæ crimine*, Cap. XVII. Tomo III. operum præfixa recte notavit, ita inquiens: *Hasce enim Ordinationes adeo detestata est, adeoque nulla unquam pœnitentia ad ministeri executionem admittere olim voluit Ecclesia, ut etiam irritas diceret, & haberet quasi substantialiter nullas.* Quamvis autem, ut scite observat Vanespen Parte II. *Juris Ecclesiastici*, Tit. XXX. Cap. VI. Num. VIII. credat Lupus contra Morinum, has ordinationes oon fuisse quoad substantiam irritas, tamen non dubitat irritas saltem fuisse effectu quoad executionem, atque indispensabili suspensione, ac irregularitate firmatas.

IV. Observandum denique est quod ait Canon, non pecuniis ordinandos esse Episcopos, & Clericos quoscumque, sed *per examinationem, ac vitæ electionem.* Est hæc pervetusta Ecclesiæ disciplina, quam fuse explicuimus aliis in locis, ac præsertim nostro I. Tomo Romani Pontificalis ad Titulum II. *De ordinibus conferendis*, & Tomo III. ad Titulum XXVIII. *De scrutinio serotino, quo antiqui utebantur, antequam electus in Episcopum consecraretur.* Itaque, ne dicta repetam, Commentario huic finem imponam conclusione Canonis III. Concilii Bracharensis III. anni DLXXII. *Oportet ergo, non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimonium Clericos ordinare.* Id ipsum inter alia decernit Concilium Tridentinum.

C A N O N XXIII.

Ut nullus sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus, immaculatam præbens communionem, ab eo qui communicat, ejus participationis gratia, obolos, vel quamvis aliam speciem exigat. Non est enim venalis gratia, nec pro pecuniis Spiritus sanctificationem impertimur: sed ea iis, qui digni

sunt,

sunt, absque ulla est calliditate communicanda. Siquis autem eorum, qui sunt in Cleri catalogo, ab eo, cui immaculatam impertit communionem, ullam speciem exigere visus fuerit, deponatur, ut simoniaci erroris, & maleficii æmulator.

COMMENTARIUS.

I. Quibus divina, & ineffabilia mysteria populo impertiendi cura demandata est, obolos, aut rem aliam, quæcunque demum ea sit, a communicantibus exigere, Canon vetat. Nec enim venalis, inquit, est gratia, neque pretio sanctitas comparatur; sed sine præmio, dignis hominibus gratuita largitione confertur. Merito itaque Clericos omnes veluti simoniaci erroris, & improbitatis æmulatores deponi jubet, qui aliquid a communicantibus etiam minimum exigere ausi fuerint. Nam & Simon Magus, uti habetur Cap. VIII. Actuum Apostolorum, oblato pretio rependi sibi vicissim Sancti Spiritus gratiam ab Apostolorum Principe postulabat.

II. Quamquam autem ejusmodi simoniam edito hoc Canone Patres Trullani conati sint penitus ab Ecclesia Dei eliminare, fateri nihilominus cogimur, etiam post annum Christi millesimum, apud Græcos æque ac Latinos, ab ea lue sacros homines non fuisse immunes. Etenim in Remensi Synodo, ut abusui, qui grassabatur, occurreret, statuit quidem Leo IX. *nequis pro Eucharistia quidquam exigat*. Patres quoque Concilii Londinensis anni MCXXV. Honorio II. Pontifice Maximo, quod sacri homines omnia fere sacramenta venderent, Canone II. ita edixerunt: *Interdicimus etiam, ut pro chrismate, pro oleo, pro baptismate, pro pænitentia, pro visitatione infirmorum, seu unctione, pro communione corporis Christi, pro sepultura, nullum omnino pretium exigatur.*

III. Suo hunc Canonem in Anglia præsertim caruisse effectu, docent nos aliæ Synodi in eis locis habitæ, & ut alias omittam, in Synodo Westmonasteriensi, quam celebravit Richardus Archiepiscopus Cantuariensis S. Thomæ Martyris successor, referente Rogero Hovedeno in sua Anglicana Historia, ita quidem legimus: *Dictum est, solere nummos in quibusdam locis dari pro communione. Hæc simoniacæ hæresis esse, detestata est sancta Synodus, & anathematizavit. Statuimus ergo, ut de cetero nec pro communione quicquam exigatur, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur. Siquis contra hæc facere præsumpserit, anathema sit.* Plurimi Canones eodem rigore quidquam exigi vetant, etiam sub prætextu consuetudinis, quam recte abusum potius, & corruptelam appellant.

IV. Quod Græcos spectat, audiendus est Balsamon, qui in suo ad hunc Canonem Commentario, rem narrat, qua abusum quendam Græcorum recenset, & damnat de simonia, sic inquiens: *Cum satis longo ab hinc tempore in quodam loco, qui Calobychas appellatur, & in Chersonesi regione positus est, sancta Dominica Paschæ Christi Resurrectionis diversarer, vidi quasdam regionis illius muliereulas, & quosdam homunculos post matutinam divinam Psalmodiam ad Catholicæ Ecclesiæ Templum confluentes, cum ovis gallinæ panis fermento mistis, & aliis quibusdam esculentis, vel etiam ad aliquid aliud aptis, & interrogavi quamnam ob causam hoc fieret, & audivi, quod unusquisque iis, quibus potest, Sacerdotem donis, qui populo divina sacramenta porrigit, prosequitur. Neque enim aliter cuiquam licet Sacerdotem adire, & divina ab eo sacramenta percipere. Et tunc quidem reprehendi quod fiebat.* Etiam apud Latinos alicubi is abusus viget, quinimo quibusdam in locis Parochi Eucharistiam ad infirmos deferentes, cereos, qui ab iisdem accenduntur super mensa, in qua sanctissimum Sacramentum deponitur, sui juris facere non verentur.

C A N O N XXIV.

Ne cui liceat eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Monachorum, in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere. Sed & siquis Clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingressa fuerint, surgat, & discedat, Patrum nostrorum sic jubente doctrina. Siquis autem ejus rei convictus fuerit, vel cesset, vel deponatur.

COMMENTARIUS.

I. Si veteres Patres consulamus, illud passim nos docent, spectacula, & scenicos ludos inventum esse diaboli, ab iisque abstinendum Christianis, veluti idololatriæ, luxuriæque omnium flagitiorum sentina. Eos, qui ipsis antiquitus præerant, intererantve, fuisse irregulares, & Clericatu indignos, addiscere licet ex Epistola IV. S. Innocentii I. Pontificis Maximi ad Nucerinum Episcopum, ubi eam quidem ob causam Decuriones, & Curiales a Clericatu ablegans, ita inquit: *Constat eas in ipsis muniis etiam voluptates exhibere, quas a diabolo inventas esse, non dubium est, ludorum, vel munerum apparatibus, aut præesse, aut interesse.*

II. Varia fuisse apud Romanos spectaculorum genera, ex Tertulliano in Libro, *De spectaculis*, Cap. III. notat ad hunc Canonem Lupus, nempe Circum, Theatrum, Agonem, munus, idest

idest Cursus circenses, & scenicos ludos. Hisce, quod adhuc vigerent, delectatus aliquando Valentinianus Junior Augustus, ipsemet postea fere obliteravit, ut in ejus funebri encomio testatur S. Ambrosius: *Ferebatur Valentinianus primo circensibus delectari. Sic illud absterfit, ut ne solemnibus quidem Principum natalibus, vel Imperialis honoris gratia circenses putaret esse celebrandos.* Eisdem delectatum in Italia, & a se correctum Alypium discipulum suum refert S. Augustinus Lib. VI. *Confessionum*, Cap. VII. *Etenim ille post illa verba proripuit se ex fovea tam alta, qua libenter demergebatur, & cum miserabili voluptate caecabatur; & excussit animum forti temperantia, & resiluerunt omnes Circensium sordes ab eo, ampliusque illuc non accessit.*

II. Fuse de ludis circensibus agunt eruditissimi inter alios Auctores, Panvinus peculiari, *De ludis circensibus*, Libro, & Mendoza in Canonem LXIV. Concilii Illiberritani; sed iis omissis, illud nobis notandum, quod, tametsi Valentinianus, atque Alypius, homines laici *scenicos ludos* tandem aversarentur, coactae nihilominus sunt sacrae Synodi Sacerdotes, Monachosque ab hujusmodi spectaculis arcere: *Ne cui liceat*, inquit Canon, *eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Monachorum, in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere.* Nequid simile imposterum Clerici audeant, neque se ab hujusmodi deformitate removerint, eos etiam depositione mulctari jubet: *Siquis autem ejus rei convictus fuerit, vel esset, vel deponatur.*

III. Longe jam ante hanc Constitutionem Justinianus Imperator Lege XVII. *De Episcopis & Clericis*, & Novella Constitutione CXXIII. Cap. X. Episcopos aeque ac Clericos reliquos omnes suspendi ad triennium jubet, & in monasterium detrudi ad poenitentiam, qui spectaculis interessent; sed quanti Justiniani Legem, & Trullanum Canonem sacri homines Graeci fecerint, addiscere est ex Vita S. Tharasii Patriarchae Constantinopolitani, qui obiit anno DCCCVI. Is enim, ut ait in ejus Vita Ignatius Monachus apud Surium ad diem XXV. Februarii, inter alia egregia pastoralis suae curae facinora, Clericos omnes absterrere, effugareque coactus est a spectaculis, & curriculis equorum in Hippodromo, ut ad graviora se, sanctioraque in Scripturis spectacula conferrent: *Multos itaque ex iis, qui erant in sacris, qui equorum certaminibus mirandum in modum delectabantur, repressit, & ut se domi continerent, cum haec fierent, sibique, & divinis scripturis attenderent, admonuit.*

IV. Mirum illud videri posset, quod de sanctissimo, ac doctissimo Thoma Apameae Episcopo scribit Evagrius Lib. IV. Cap. XXIV. ubi ait, certamini equorum cum Cosroe Rege Persarum interfuisse; verum non est, quod in exemplum adduci id possit, cum constet ex ipso Evagrio, sapientissimum Praesulem laudatissima dispensatione censuisse nonnihil detrahere de ea disciplina, qua prohibetur Clericis interesse hujusmodi spectaculis, ut scilicet efferati tyranni iram molliret: *Thomas vir non doctrinae modo, sed recte factis etiam facile praestantissimus. Qui forte una cum Cosroe certamen equorum in circo spectare, licet hoc Ecclesiae Canon vetaret, neutiquam recusavit. Quod propterea ab eo factum est, ut omnibus modis Cosrois furorem molliret, mitigaretque.*

V. Turpe illud est, absurdumque, quod nulla ingruente necessitate, adversus sacra Conciliorum Decreta, omnium Ordinum Clerici, primi sunt, qui spectaculis publicis, ac scenicis ludis, & cursui equorum intersunt, ut nimirum videantur, & videant, suaeque voluptati indulgeant. Clamant ubi eos redargues, non jam id vitii hodierna spectacula habere, cujus contemplatione antiqua spectacula, ac ludi scenici a sanctis Patribus, & a sacris Canonibus explodebantur. Sed hanc mollem interpretationem effeminatorum quorundam sacrorum hominum sui temporis jam olim damnavit Balsamon, ubi ad hunc Canonem scripsit, nunquam molliori, & remissiori sensu donandos esse Canones, sed solidiori, & tutiori, qui magis ad aeternam salutem conducat: *Plures autem, & qui sunt paulo religiosiores, quibus ipse quoque assentior, haec non sibi sufficere putavere, dicentes, debere Canones ad id, quod est animae utilius exponi, non ad id, quod est liberius, ac dissolutius, & magis, ut ita dicam, indifferens.*

VI. Age nunc videamus alteram nostri Canonis partem, qua vocatum ad nuptias Clericum, ubi se primum ludiones ostenderint, ex praescripta a Patribus disciplina, recedere, atque abire jubet: *Sed & siquis Clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingressa fuerint, surgat, & discedat, Patrum nostrorum sic jubente doctrina.* Patres hic juxta observationem Zonarae intellige Episcopos, qui Laodiceae congregati anno CCCXIV. Synodum in ea Urbe celebravere. Canone autem ejus Synodi quinquagesimoquarto, ne sacro Ordine initiati homines, Clericive alii ad nuptiarum, aut convivii celebritatem vocati, spectaculis intersint, sed antequam histriones producantur, exurgant, seque inde removeant, constitutum est: *Quod non oportet sacratos, & Clericos in nuptiis, vel conviviis aliqua spectacula contemplari, sed priusquam ingrediantur thymelici, surgere, & secedere.* Nulla hic iis, qui Canoni non paruissent, decreta est poena, at noster Canon etiam eum depositione mulctari jubet, siquid simile imposterum aliquis audeat, neque se ab hujusmodi deformitate removerit: *Siquis autem ejus rei convictus fuerit, vel esset, vel deponatur.*

VII. Nuptias solemnibus conviviis, scenicisque ludis, ac saltibus foedare abusus est antiquissimus, adversus quem acriter declamat S. Cyprianus in Libro, *De habitu Virginum*, ubi inter alia carpit Virgines Christianas, quae nuptiis intererant: *Quasdam non pudet nubentibus interesse, & in illa lascivientium libertate sermonum colloquia incesta miscere, audire quod non decet, quod non licet, dicere, observari, & esse praesentes inter verba turpia, & temulenta convivia, quibus libidinum fomes accenditur, sponsa ad patientiam stupri, ad audaciam sponsus animatur &c.* Et paulo post: *Nuptiarum festa improba, & convivia lasciva vitentur, quorum periculosa contagio est.* Merito hinc statuit Synodus ipsa Laodicena Can. LIII. *quod non oportet Christianos ad nuptias venientes, se turpiter, & indecore gerere, sed modeste coenare, & prandere, ut decet Christianos.* Jam non Virgines tantum, sed fideles omnes Canon absterret, Virgines aeque, ac nuptas, viros pariter, ac feminas ab hujusmodi nuptiis. Unde recte S. Gregorius Nazianzenus hortabatur Olympiadem, quae nupta erat, ne ad nuptiale convivium iret, ubi & perpotatur, & denique infacetis facetiis indulgetur. Omne quippe convivium,

vivium, ut Lib. 1. Cap. II. ait Quintilianus, obscenis canticis strepit, in eoque pudenda dictu spectantur. Prudentius in Hamartigenia dixit *convivale calentis carmen nequitiæ*.

VIII. Quamquam vero ejusmodi spectacula, quæ in nuptiis exhibebantur, vetita omnibus fidelibus sint, potiori ratione sacris hominibus prohiberi debuerunt, ne scilicet eorum oculi, aures que mysteriorum sanctimoniæ sacri contaminarentur. Eam quidem ob rationem in Concilio Venetico anni CDLXV. Can. XI. vetantur Clerici, non nuptiarum tantum conviviis interesse, sed & omnibus prorsus conventibus, ubi intemperanter, atque obscene saltatur, & canitur: *Presbyteri*, inquit, *Diaconi*, *atque Subdiaconi*, *vel deinceps*, *quibus ducendi uxores licentia non est*, *etiam alienarum nuptiarum evitent convivia*, *nec iis cœtibus admisceantur*, *ubi amatoria cantantur*, *& turpia*, *aut obsceni motus corporum choris*, *& saltibus efferuntur*: *ne auditus*, *& obtutus sacris mysteriis deputatus*, *turpium spectaculorum*, *atque verborum contagione polluatur*. Eadem ipsa sunt verba Concilii Agathensis anni DVI. Can. XXXIX.

IX. Concilium Ravennatense anno MCCLXXXVI. habitum, Canone I. novum damnavit abusum, quod eo tempore in Italia grassabatur, dum, tametsi Clerici nuptialibus ludis, & saltibus non interessent, Sponsi nihilominus ad eorum domos mittebant joculatores, histrionesque, munera ab ipsis emendicaturos, quibus debent pauperes sustentari: *Non sine temeritate consuetudinis inducuntur*, *quæ lege damnantur*. *Cum igitur laicorum importunitate qui Clericis plurimum sunt infesti*, *consuetudo*, *quæ potius est dicenda corruptela*, *vel abusus videatur induci*, *non sine animarum Clericorum Provinciæ nostræ periculo*: *ut cum laici decorantur cingulo militari*, *seu nuptias contrahunt*, *joculatores*, *& histriones transmittunt ad Clericos*, *ut eis provideant*, *prout & idem laici faciunt inter se*: *ex quo contigit*, *ut cum Clerici de Ecclesiarum communiter facultatibus sustententur*, *suo patrimonio proprio consanguineis reservato*, *ipsas facultates Ecclesiarum pia fidelium devotione collatas Ecclesiis*, *ex quibus debent pauperes sustentari*, *distribuant*, *seu potius effundant in hujusmodi usus illicitos*, *propter quæ multum denigratur Clericorum honestas*. *Talem autem*, *& tantum volentes removere abusum*, *statuimus*, *ut nullus Clericorum nostræ provinciæ*, *quocumque fungatur honore*, *vel statu*, *a talibus joculatores*, *vel histriones transmissos recipiat*, *seu provideat aliquid propter victum*, *etiam transeundo*. *Siquis autem contra fecerit*, *duplum ejus*, *quod dederit joculatori*, *vel histrioni*, *restituere Ecclesiæ*, *a qua habet beneficium*, *teneatur per ipsum in usus pauperum convertendum*.

X. Multa sunt in hoc Canone observatu digna, quæ studiosus Lector notare potest, præsertim vero quam merito sugilletur præposterus usus proventuum Ecclesiasticorum, qui, ut Canones ajunt, patrimonia pauperum sunt, tametsi hodierni Clerici complures in suarum animarum perniciem in eosdem joculatores non vereantur ipsos proventus intemperanter effundere. Sed de his jam alibi fusius. Nunc ut Commentarium nostrum in Canonem Trullanum absolvamus, hoc unum dicimus, curæ esse Episcoporum, ut abusus tantopere a Patribus, ac Synodis damnatus, fœdandi nuptias scenicis ludis, a Christianis omnibus omnino tollatur. Sic enim statuit Concilium Tridentinum Sessione XXIV. *De reformatione*, Cap. X. *Nuptias Episcopi*, *ut ea qua decet*, *modestia*, *& honestate fiant*, *curabunt*: *sancta enim res est matrimonium*, *& sancte tractandum*.

C A N O N XXV.

Præterea renovamus etiam Canonem, qui dicit, agrestes, & quæ sunt in Provincia, Parochias, inconcussas manere apud Episcopos, qui eas possident, maxime si triginta annorum spatio eas sine vi possidentes administraverint. Si autem ante triginta annos fuit, vel fuerit aliqua de iis controversia, licere iis, qui se injuria affectos dicunt, de eo actionem movere apud Synodum provinciæ.

N O T A.

Est is Canon, quem hoc loco renovant Patres Trullani, Chalcedonensis Synodi Canon decimus septimus. Nos eum suo loco explicuimus, quæ ibi scripta sunt, videre curiosus poterit Lector.

C A N O N XXVI.

Presbyterum, qui per ignorantiam illicitis nuptiis est implicatus, esse quidem Cathedræ participem, secundum ea, quæ sunt nobis a sacro Canone decreta: a reliquis autem operationibus abstinere. Ei enim, qui est talis, satis est, si venia detur. Ut is autem aliis benedicat, qui debet propria curare vulnera, non est consentaneum. Benedictio enim est sanctificationis impertitio. Qui autem id non habet propter delictum ex ignorantia, quomodo alteri impertiet? Nec ergo publice, nec privatim benedicat, nec Christi Corpus aliis distribuat, nec aliquod aliud ministerium obeat; sed præcedentia contentus, Domino defleat, ut illi ex ignorantia peccatum remittatur:

manifestum enim est, quod nefarium conjugium dissolvetur, nec vir cum ea ullo modo consuetudinem habebit, propter quam sacra operatione privatus est.

COMMENTARIUS.

I. SI priusquam sacris Ordinibus initiaretur, corpore quispiam peccaverit, hoc est, ad libidinosam usque corporum commixtionem progressus fuerit, deinde vero admissum crimen promotus, hoc est, ubi Sacerdos creatus fuerit, confiteatur, offerre quidem, hoc est, sacra celebrare, homini ipsi haudquaquam licere; sed solum posse illum proprios Sacerdotum honores, Cathedræ prærogativam, hoc est, consessum inter sui ordinis Clericos, jusque præterea in Altari communicandi tenere, aliisque ob alias virtutes, si nimirum vitæ integer, ac virtutis excercendæ studiosus sit, privilegiis cohonestari, IX. Neocæsariensis Concilii Canone, ad quem, ut post Zonaram Vanespen testatur, Canon noster alludit, constitutum est: *Si Presbyter, qui corpore prius peccaverit, promotus fuerit; etsi ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat, maneant in aliis, propter aliud ejus vitæ bonæ studium.*

II. Sed hoc omisso Canone, certe sanctus Basilius Magnus in Epistola ad Amphilochium Iconii Episcopum, Canone vigesimo septimo, quem Patres Trullani pene exscripserunt, eum, qui se vetitis nuptiis inscius alligaverit, idest, consanguineam ignorata consanguinitate duxerit, solo Cathedræ honore concesso, a reliquis sacrorum munerum functionibus omnino abstinere jubet: *De Presbytero, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus est, diffinivi, quæ oportent, esse quidem Cathedræ participem, a reliquis autem actionibus abstinere: ei enim sufficit venia. Ut is autem aliis benedicat, qui sua debet negotia curare, non est consentaneum. Benedictio enim est sanctificationis communicatio. Qui autem eam non habet propter ignorantiæ lapsum, quomodo aliis communicabit? Nec ergo publice, nec privatim benedicat, nec Christi Corpus aliis impertiat, nec aliquid aliud sacrum ministerium obeat, sed quod præsideat contentus, aliis, & Christo defleat, ut sibi ignorantiæ peccatum condonetur.*

III. Eadem hic quoque decreta, quæ olim sanxit S. Basilius; edicitur enim in nostro Canone conformiter ad Canonem IX. Neocæsariensem, & ad memorati S. Doctoris Canonem vigesimum septimum, ut qui se damnatis videlicet nuptiis per ignorantiam implicuerit, sibique forte consanguineam ignorata propinquitate sociarit, Cathedræ solo honore contentus, quod reliquum est, nullum omnino sacerdotale munus attingat, quodque ejus ignorationi noxa condonata sit, bene secum, ac feliciter actum esse sibi persuadeat. Benedicere vero alteri qua ratione audeat, qui de sua potius expianda culpa solicitus esse debet? Est namque benedictio spiritalis quædam gratiæ sanctitatisque communicatio. Quicumque igitur quod in ipso sanctitatis, & gratiæ fuit, propter offensionem ab ipso patrati facinoris amisit, ea communicare, ac in alios infundere qua ratione poterit?

IV. Ergo mandat Canon, ipsum Presbyterum, qui ignoranter peccavit, solius esse honoris participem, ut scilicet sedeat cum Presbyteris, a reliquis autem Sacerdotalibus actionibus abstineat, ut scilicet, neque benedicat publice, idest, in Ecclesia, nec privatim, idest extra Ecclesiam; sed neque sancta tractet, nec ipsa aliis communicet, nec aliquid aliud Sacerdotale exerceat; sit autem Cathedra contentus, idest, sessionis honore, qui illi propter ignorantiam concessus est, atque in eo maxime, ut pœnitentia culpam redimat, occupatus. S. Basilius in laudato Canone, post interdictam ipsi Presbytero Sacerdotalem omnem actionem, *defleat*, inquit, *aliis, & Domino*. Domino, ut qui potest peccata remittere: aliis, ut pro eo rogent Dominum, ut condonet ei delictum per ignorantiam commissum. Porro, ut venia ei detur, non solum quod sedeat cum Sacerdotibus, sed & quod non alio modo puniatur, cautum est quidem ex nostro Canone, ut connubium damnatum rescindat, atque se penitus ab omni consanguineæ mulieris commercio abducat. Nam si incestæ nuptiæ maneant, Cathedræ quoque jus omne amittet, quin & ab Ecclesia uterque conjux ejicietur, & male contractum inter ipsos fœdus Judex pro potestate dissolvet. Iterum enim atque iterum a nobis jam dictum est, permitti quidem ex sacris Canonibus uxoratos Clericatu initiari, non autem Clericos sacris Ordinibus initiatos ducere uxorem.

V. Unum superest, quod ad calcem hujus Commentarii adnotemus, per ea nostri Canonis verba, *Benedictio enim est sanctificationis impertitio &c.* non intelligi, quod alias perperam Novatiani, Donatistæ, Waldenses, Hussitæ, & Wilefistæ docuere, eosque sequuti alii hæretici complures, amissa ab Ecclesiæ ministro sanctitate, & gratia, hanc alteri non posse ab eo conferri, quasi mali ministri ordinis sui potestate sic possint excidere. Quod etiam existimare visus est solitarius ille, qui Presbyteri moribus contaminati sacro interesse renuebat, ut Libro V. Vitarum Patrum refertur. Nam cum non attendatur ad manum jacientis semen, num illa sordeat, aut niteat; nec utrum calix aquam transmittens, urgenteus sit, an lateritius, quæ sunt ex Augustino ductæ comparationes, sic & minister quantumvis malus, nil de sacrificii in se spectati valore, ac merito detrahit. Non ergo jus & potestatem benedicendi, sed exercitium dumtaxat Canon noster adimit. Cæterum valere Sacramenta a ministris in statu peccati mortalis, imo & in ejus affectu existentibus collata, Dogma Catholicum est, de quo consulendi sunt sacræ Theologiæ Doctores, qui de ea re fuse atque egregie disserunt.

CANON XXVII.

Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens; sed uta-

tur

tur vestibus, quæ iis, qui in Clerum relati sunt, attributæ fuere. Siquis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur,

COMMENTARIUS.

I. Qui seipsos Deo per sacram Ordinationem dicarunt, modestiam quoque in ipso corporis habitu, & ornatu externo conservare, ac tueri eos debere, passim, ac merito quidem sancti Patres, ac sacri Canones docent. Nam, ut scite Zonaras notat, homo quidem, ut sacræ testantur literæ, faciem intuetur, Deus autem cor; ac arcanas quidem animi cogitationes divina vis inspicit, homines vero ab externa specie ad interiora, & latentia suspicionibus, & conjectura perveniunt. Quamobrem si in Dei sortem vocatos nequaquam consueto sui Ordinis hominibus, sed longe dissimili, ac diverso habitu, uti quispiam animadvertat, eusque vel splendida, varieque elaborata veste indutos, vel militari ornatu, quasi ad iter agendum bene præcinctos conspiciat, fideles omnes tacita proinde cogitatione damnabit, atque ex præpostero illo habitu, omnium, qui Clero adscripti sunt, animum, ac mores æstimabit.

II. Hinc Concilium Carthaginense IV. anni CCCXCVIII. nihil de iis omittens, quæ ad Clericorum officium pertinent, Can. XLV. statuit, illos modestu esse habitu, modestis uti præcipit calceamentis: *Clericus professionem suam, & in habitu, & in incessu probet; & nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat*. Cui concinit S. Hieronymus, qui in Epistola ad Nepotianum, *De vita Clericorum & Sacerdotum*, quam nos peculiari opella fusioribus notis illustravimus, diserte scribit, Clericos omnes etiam Ordinum inferiorum, simplicitate vestium, & modestia singulari ornari debere: *Si Lector, si Acolythus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus; nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur*. Sicut nostro, ita & Hieronymi ævo Clerici erant complures, quos ita describit, exagitatque S. Doctor in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis: *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat: crines calamistri vestigio rotantur, digiti annulis radiant; & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existimato, quam Clericos*.

III. Erant contra alii primis seculis Clerici, qui fucata humilitate, ut homines deciperent, ad eis donandum, vel avaritiæ spiritu ducti, viles affectabant vestes, quos idem S. Pater Hieronymus in Prophetam Michæam scribens, deridet, & carpit, sic inquiens: *Non absque amictu linteo incedere, sed pretium vestium linearum non habere, laudabile est. Alioqui ridiculum, & plenum dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium, orariumque non habeas, gloriari*. Paulo ante dixerat: *Si autem sub occasione pauperum, pauca ditantur domus, & in vase fictili aurum comedimus; aut cum thesauris mutemus & vestes, aut pauper habitus non quærat divitias Senatorum*. His adde, quæ in laudata ad Nepotianum Epistola de eadem re scribit: *Vestes pullas æque devita ut candidas. Ornatus, ut sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non absque amictu incedere, &c.*

IV. Tradit quidem Cardinalis Baronius ad annum CCCXLIII. ex laudato S. Hieronymi loco, Clericorum vestes castanei, vel violacei olim coloris fuisse, quia scilicet S. Doctor pullam in Clerico vestem perinde damnat, ac candidam. Ei opinioni assentiri videtur Thomassinus, qui ex ipso Hieronymi loco ait Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. XLIII. Num. VI. nedum præceptum fuisse Clericis, ut pulla uterentur veste, quin & ea uti dehortari Hieronymum, non aliter, quam ea, quæ splendore suo conspicua sit. Sed certe lapsi sunt viri clarissimi, quippe qui non advertant, pullam vestem Hieronymo, aliisque idem sæpe esse, ac sordidam. Ut autem alios omittam, quos recenset eruditissimus Caracciolus Clericus Regularis in Notis ad Constitutiones sui Ordinis Parte II. Cap. II. Hieronymus ipse postquam dixit: *Vestes pullas æque devita, ut candidas*; ita statim subjungit: *Ornatus, ut sordes pari modo fugiendæ sunt*. Ecce igitur quas *pullas* dixerat, *sordes* post appellat. Idem ipse in Epitaphio Nepotiani, de ejus vestitu loquens, hanc ipsam vocem ita declarat: *Excepta vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantum corpore frigus excluderet, nihil sibi amplius reservavit. Cultus ipse provinciæ morem sequens, nec munditiis, nec sordibus notabilis erat*. Nigra autem usum veste Nepotianum perspicue docet Hieronymus, ubi de eodem loquens in laudato Epitaphio, sic inquit: *Quis hoc crederet, ut Consulum pronepos, & Furiani germinis decus, inter purpureas Senatorum, furva tunica palliatus incederet?*

V. Putant quidam doctissimi Caraccioli sententiæ adhærentes, Clericos olim, ac etiam Episcopos vestes atri coloris gestasse. Nam teste Socrate Lib. VI. *Historiæ*, Cap. XX. cum Sisinnius Novatianus Episcopus albas vestes more & fastu suæ sectæ deferret, atque hujus rei e domo Arsacii Constantinopolitani Episcopi notaretur, respondit: *Tu prius dic mihi, ubi sit scriptum, Episcopum debere nigra veste uti?* vellicans scilicet hoc responso Arsacium, ceterosque Episcopos Catholicos nigris vestibus utentes. Verum, ut ingenue fatear, nec etiam longe post annum millesimum videtur ullam necessitatem, aut universalem fuisse consuetudinem, ut Clerici vestes nigri coloris assumerent, Id enim solum Concilia jubent, tum ne plurium sint colorum Clericorum vestes, tum ne splendidiorum. Synodus Coyacensis anni ML. unum id præcipit Clericis Can. III. *ut vestimentum unius coloris, & competens habeant*. Lateranensis II. sub Innocentio II. anni MCXXXIX. Can. IV. Clericis omnibus abstulit vestes scissura, aut colore notabiles, contumacesque Ecclesiasticis beneficiis privari jussit: *Præcipimus etiam, quod tam Episcopi, quam Clerici in statu mentis, & corporis, Deo & hominibus placere studeant; & nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium, nec in tonsura, intuentium, quorum forma, & exemplum esse debent, offendant aspectum; sed potius, quæ eos deceat, sanctitatem præseferant. Quod si monita ab Episcopis emendari noluerint, Ecclesiasticis careant beneficiis*. Id quod iisdem verbis statuit Remensis Synodus anni MCXLVIII. sub Eugenio III. Can. II. ubi & jussi sunt Episcopi immorigeros, ac pertinaces omnes beneficiis Ecclesiasticis spoliare.

VI. Rur-

VI. Rursus sequioribus seculis celebratæ Synodi nil aliud exigere videntur, quam ne Clericorum vestes sint viridis, vel rubei coloris. Id fuse ostendit Thomassinus in sua veteri ac nova Ecclesiæ disciplina, Parte I. Lib. II. Cap. L. & LI. ubi etiam Num. III. ait, labente seculo decimoquinto, Parisiensibus constitutionibus fuisse quidem præscriptum, ut Clericorum vestes nigri essent coloris, vel ad nigrum accedentis. Certe S. Carolus in Concilio I. Mediolanensi Cap. XVII. solo nigro colore contentos jussit esse Clericos omnes, nisi in ea essent dignitate, quæ splendidiorem desideraret: *In omni vestitu color tantum niger adhibeatur, nisi fortasse alium colorem requirat dignitatis gradus.* Observat autem laudatus Thomassinus loco citato Num. VI. post Synodos Tridentinam, & Mediolanenses S. Caroli, raram fieri prohibitionem coloris rubei, viridisque Clericis, quod absolutissime jam, & præciperetur nigra vestis, & in mores induceretur.

VII. Illud plane ex dictis constat, passim id præcipi a Synodis, ut modesto habitu utantur Clerici, ac simplici, qui forte ad nigrum referri posset. Nec enim alia illos in sortem Christi pauperis vocatos decet vestis, quam quæ non pretium, & elegantiam, sed quæ vilitatem, & simplicitatem præsefert. *Homo*, inquit Clemens Alexandrinus Lib. II. Pædagogi, Cap. X. *non alia de causa opus habet vestimentis, quam ut tegatur corpus ad maxima frigora, & vehementes æstus propulsandos, ne nos lædat ambientis aeris immoderatio.* Quod si cuique homini id dictum est, quanto magis Clerico Christi, & Apostolorum paupertatis imitatori? Rursus cum idem pervetustus Ecclesiæ Pater loco laudato, adeo in sericei vestimenti mollitiem invehatur, ut ne feminis quidem sericeas vestes gestare permittit, eo quod superflua hæc, & splendida mentem minime constantem arguant: quam multo vehementius Clericos carperet, qui ejusmodi gestarent vestes? Forte suo ævo nondum erant Clerici molles, & effeminati, quos deinde alii Patres vehementissime ob eam vestium sericarum vanitatem insectati sunt.

VIII. Ergo audiamus S. Chrysostomum, qui Homilia IX. in Epistolam Pauli ad Philippenses, sericam in Clerico vestem elegantissima ratione hunc in modum sugillat: *Dic, quæso, sericisne Sacerdos vestitur? Si id facit, ego reprehendam, & non parcam, imo & ipsum Sacerdotio quoque indignum dico. Quomodo enim admonebit alios, ne superfluis vacet, cum seipsum ipse admonere nequeat.* Longe ab ea labe fuit S. Hieronymus, qui de seipso in Epistola ad Asellam ita scribit: *Numquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio?* Damnat quidem in sacris hominibus sericas vestes Synodus Nicæna II. Oecumenica Can. XVI. in quem vide Commentarium nostrum, sed minime illa efficere potuit, quin Clerici vestes serico, purpura, auroque nitentes gestarent. Etenim de S. Tharasio Patriarcha Constantinopolitano ita scribit ejus vitæ Auctor apud Surium die XXV. Februarii Cap. XIV. *Multis ex iis, qui erant in numerum Clericorum, qui suos lumbos zonis cingebant aureis, & ornati erant variis, & pretiosis vestibus sericeis, aurum quidem ademit; fecit autem succingere lumbos cingulis contextis ex pilis caprarum. Iis vero qui toti corpori contextas ex iisdem filis purpureas vestes habebant, excogitat tunicas remotas a curiositate nimia, & deliciis; ut quæ essent vestitus honestus, & convenirent iis, qui Deo servire statuerunt, & profitentur humilitatem.*

IX. Post annum Christi millesimum, ac præsertim post Oecumenicam Synodum Tridentinam, plurima extant Concilia, in quibus tametsi vestium sericarum usus Clericis prohibeatur, ea tamen decreta passim negliguntur, ab iis potissimum, qui Ecclesiasticis proventibus affluunt. Res omnibus nota est, satisque abusum hunc alibi deploravimus ex doctrina S. Bernardi, cujus verba in Epistola II. quam scripsit ad Fulconem puerum, qui postea fuit Lingoniensis Archidiaconus, hæc sunt: *Quia surgis ad vigilias, vadis ad Missas, horis chorum nocturnis, diurnisque frequentas, bene facis. Sic Ecclesiæ præbendam gratis non accipis. Dignum est, ut qui altario deservit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut, si bene deservias, de altario vivas, non autem ut de altario superbias, ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, grisiaque pellicea a collo, & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quicquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et paulo post: *Contenti simus vestimentis, quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis vel similari, vel placere studeamus.* Sed hæc jam fuse explicuimus in Notis ad Epistolam S. Hieronymi ad Nepotianum, *De vita Clericorum, & Sacerdotum.*

X. Quamquam vero effeminati Clerici sericeis vestibus, brevioribus, variique coloris uti non erubuerint, nemo tamen inficias iverit, quin talares, laneæ, ac nigræ a modestis Clericis adhiberentur, tametsi quod ad colorem nigrum spectat, de eo expressæ & universim receptæ Leges in antiquis Conciliis nusquam occurrerent. Etenim Clericorum Regularium Ordinem, qui laneas, nigras, & talares vestes gestant, ait Spondanus ad annum MDXXIV. institutum fuisse *sub solito, & communi habitu Clericorum.* Quid alios Clericos regulares memorem? etiam Seculares Presbyteri, qui biscentum ab hinc & supra annos S. Hieronymi Charitatis Domum inhabitare cœperunt, non aliis usi sunt vestibus, quam nigris, laneis, & oblongis. Hosce imitatus S. Philippus Nerius, qui triginta tres annos in eadem Domo commoratus est, ubi & primum Oratorii Congregationem instituit, non alius coloris, ac formæ usus est habitu, quam eo, quo hodie ex veteri instituto memoratæ Domus Patres utuntur. Lanea erat, talaris, & Eugubina, ut Baccius in ejus Vita testatur Lib. II. Cap. XIV. Num. VIII.

XI. Fuit plane vetus Ecclesiæ disciplina, ut Clerici vestes oblongas deferrent, extantque ea in re variæ Synodi, ac zelosiorum Episcoporum Decreta, quorum nonnulla lubet hoc loco referre. Synodus I. Matisconensis anni DLXXXI. Can. V. habitu seculari, & breviori, armorumque gestatione interdicit, carcere alioqui triginta diebus & austeritate jejuniorum mulctandis: *Ut nullus Clericus sagum, aut vestimenta, vel calceamenta secularia, nisi quæ religionis deceat, induere præsumat. Quod si post hanc definitionem Clericus, aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, a seniore ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus, aqua tantum, & modico pane diebus singulis sustentetur.* Sagus,

ut

ut eruditi notant, vestis brevior erat. Martinus Bracharensis in celebri sua Canonum collectione Cap. LXVI. Clericos talari veste uti cogit, sic dicens: *Et secundum Aaron vestem induere, ut sint in habitu ordinato.*

XII. Talarem esse oportere Clericorum vestem edicunt aliæ Synodi passim, quia scilicet ea habitus forma & gravitatem conciliat, honestatem præsefert, & a laicis sacros homines distinguit. Sed illis missis, quæ ceteroqui videri possunt apud eruditissimum Franciscum Genettum Episcopum Vasionensem, Theologiæ moralis Tomo II. Tractatu I. Cap. IX. & Tomo V. Tractatu VIII. Cap. IV. ultra talos vestem demittere, adeout terram radant laciniæ, & imæ oræ conspurcentur, id sane tam absurdum videtur S.Clementi Alexandrino, ut Lib. II. Pædagogi Cap. X. serio exclamet: *Trahere vestes ad summos usque pedes demissas, valde est arrogans, & superfluum, quod ambulandi actionem impedit, cum vestis instar verriculi, quæ in soli sunt superficie, sordes secum attrahat.* Porro vestium lacinias eo modo trahere, nisi mysterium, & decorem, ut in Cardinalibus, atque Episcopis habeat, ut scitissime observat doctissimus Caracciolus loco superius laudato, theatricum est, & scenæ congruum. Hinc pallam trahere, Varroni dicuntur cytharœdi, qui spatiosam vestem longo syrmate humum verrentem, gerere solebant, ut notat eruditus Turnebus. Servetur itaque modus, quem Concilium Lateranense IV. Oecumenicum anni MCCXV. Cap. XVI. præscripsit his verbis: *Clerici clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda*, Nam quæ longiora sunt, & laciniam retro trahunt, sacris Præsulibus congruunt, non cæteris Clericis; quæ vero breviora, laicis Philippinis.

XIII. Redeo nunc ad Canonem nostrum, in quo illud notatu dignum videtur, velle Patres Trullanos, ut Clerici tam in Civitate degentes, quam etiam itinerantes, vestibus Clericatui convenientibus semper incedant, sacris alioqui per hebdomadam suspendendi. Quibus verbis satis innuunt, non posse illos, vel etiam ubi iter agerent, breviores vestes deferre. At vero tametsi passim Synodi post Tridentinam habitæ talari habitu jugiter incedere Clericis jubeant, contumacesque variis pœnis afficiant, semper tamen itineris caussam excipiunt: ut enim alias omittam, quæ apud laudatum Genettum videri possunt, Synodus Rossanensis in nostra Calabria anno MDXCIV. habita a Lucio Sanseverino Archiepiscopo Rossanensi Cap. III. *De vita & honestate Clericorum*, ita inquit: *Omnibus Clericis, & Presbyteris quibuscumque Diœcesis nostræ mandamus, quod talari veste semper utantur, omni tempore ad talos extensa; itinerantibus tamen contractiori veste concessa, quæ non sit a Clericalis modestiæ terminis aliena.*

XIV. Consona iis sunt varia Decreta Sacræ Concilii Congregationis. Quamvis enim sacrum ipsum Concilium Tridentinum Sessione XIV. Cap. VI. *De reformatione*, verbis expressis non injunxerit Ecclesiasticis personis usum vestis talaris, sed solum jusserit deferri habitum, *eorum ordini, & dignitati congruentem, & juxta Episcopi ordinationem, ac mandatum*; nihilominus Sacra Concilii Congregatio rata semper habere consuevit, Episcoporum Decreta de usu vestis talaris: præsertim vero in Hortana VIII. Julii MDCXC. proposito dubio, *An Edictum, seu Præceptum Episcopi sustineatur*, rescriptum fuit, *sustineri Edictum, Sacerdotes teneri semper incedere habitu talari, & Clericos maxime in functionibus Ecclesiasticis, & quoad pœnas Episcopus moderate procedat*, ut in Lib. XL. Decretorum, Pag. 435. Rursus in Ostunensi VI. Julii MDCLXXIX. ad VII. Dubium respondit, servandum esse Decretum proxime relatum in Hortana, ut in Libro XLVII. Decretorum, post Paginam 294. Sic quoque in Milevitana IV. Junii MDCCVII. ad XXVII. Dubium, prodiit Rescriptum, *Constitutionem Synodalem sustineri.* Alia id genus Decreta legi possunt in Thesauro Resolutionum Sacræ Congregationis Concilii Tomo V. & alibi, Etiam Dignitates, & Canonicos cogi posse ad incedendum in habitu talari usque ad occasum Solis, excepta tamen occasione eundi ad loca ruralia, respondit eadem Concilii Congregatio in Salernitana die XXVII, Septembris MDCCXXXII, ad Dubium II,

XV. Sed tametsi tot extent Decreta, Conciliorum Canones, Constitutiones Pontificum, atque Edicta, hodie tamen mos ille invaluit, sive potius abusus, ut Clerici, ac Sacerdotes, ipsique etiam Episcopi nonnulli, secularium more, contractiori veste incedant, cum alias in Conciliis passim, & ab Episcopis zelosioribus Ecclesiasticæ disciplinæ nihil frequentius inculcetur, quam, ut ii qui Clericali militiæ adscripti sunt, talares vestes deferant. Scio permitti aliquando a Synodis vestes etiam contractiores, sed illas nimirum, quæ ultra tibiarum medium se extendunt, juxta Concilii Londinensis Decretum anni MCCLXVIII. Can. V. *Statuimus*, inquit, *& districte præcipimus, ut Clerici universi vestes gerant non brevitate nimia ridiculas, vel notandas, sed saltem ultra tibiarum medium attingentes.* Ubi nota ridiculas, ac notandas appellari vestes, quæ hodieque secularium more, juxta formam quæ ab Ultramontanis mitti solet, a Clericis gestantur, vix ad genua pertingentes.

CANON XXVIII.

Quoniam in diversis Ecclesiis intelleximus, uva ad Altare allata, ex quadam, quæ invaluit consuetudine, Ministros hanc incruento oblationis Sacrificio conjungentes, utraque simul populo distribuere: decernimus, ut nullus Sacerdos hoc amplius faciat; sed ad vivificationem, & peccatorum remissionem, solam oblationem populo impertiat: tamquam primitias autem uvæ allationem existimantes, Sacerdotes eam seorsum benedicentes, petentibus impertire ad fructuum datoris gratiarum actionem, per quos cor-

pora

pora nostra divina dispositione augentur, & aluntur. Siquis autem Clericus præter hæc Decreta fecerit, deponatur.

COMMENTARIUS.

I. Multæ variis in locis, ut hodieque accidit, oscitantia Pastorum, ab Ecclesiasticæ disciplinæ gravitate alienæ consuetudines jam olim recipi consueverunt. Quarum ex numero ea quoque fuit, ut uvarum primitiæ Templo illatæ, divinoque, & inenarrabili Sacrificio adjunctæ, populo viritim dividerentur. Morem igitur ejusmodi hoc Canone Patres Trullani damnant, ab eoque sacri Ordinis homines abstinere jubent. Solum porro inquiunt, sacram oblationem, qua peccatorum veniam obtineant, nisi siqui ad eam percipiendam minus probati accesserint, populo impartiri concessum sit. Uvarum vero primi illi fructus sua separatim precatione commendati multitudini dividantur, ut exinde frugum, omniumque, quæ ad victum necessaria sunt, divino largitori gratias agat. Qui secus fecerint, in eos depositione animadverti jubent.

II. Ergo id solum vetat Canon, ne uvæ, quæ olim ad Altare deferebantur, expressæ, & speciebus consecratis adjunctæ, una cum illis a Sacerdotibus populo distribuantur. Commendat autem ritum, si nempe seorsim benedictas populo petenti Sacerdotes ipsi dividant. Est enim hæc cæremonia benedictionis uvarum, sicut & aliarum frugum in Missa, non modo ab Ecclesiis Orientali, sed etiam Occidentali probata. Sane peracta consecratione post illa Canonis verba, *largitor admitte*, si nostræ fruges, aut quælibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante Altare collocari olim solebant, & hic a Sacerdote benedici, & terminata benedictione solita iis clausula, *Per Christum Dominum nostrum*, addebant orationem, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*; quæ, ut notat Lucas Dacherius in præfatione ad Lectorem Tomo IV. sui Spicilegii præfixa, & ex eo Joannes Bona S. R. E. Cardinalis Lib. II. *Rerum liturgicarum*, Cap. XIV. non solum referuntur ad oblata, sed etiam ad res tunc benedictas, quas Deus continuo creat, sive producit, easque petimus ejus benedictione sanctificari nostris usibus profuturas.

III. Quod uvarum benedictionem spectat, quarum meminit Canon noster Trullanus, ejus quidem antiqua statuta Monasterii Cluniacensis edita a laudato Dacherio Tomo IV. Spicilegii, mentionem faciunt, eratque olim ea benedictio communis in die Natalis S. Sixti Martyris die VI. Augusti, si tamen ea die uvæ essent maturæ: *Sed si nondum sunt maturæ*, prædicta statuta inquiunt, *Custos Ecclesiæ observat, quando primo maturescant, ut faciat eas ad Ecclesiam deferri. Allatas Armario repræsentat, & Armarius Sacerdoti inter Canonem, ad horam competentem, & prænotatam, ut eas benedicat. Postea in Refectorio per Sacerdotem distribuuntur*. Armarius voce barbara 's dicebatur, cui Armarii, idest Cellarii cura commissa erat, quem Latini Promum-condum vocant.

IV. Teste Martene Lib. IV. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. VII. Num. X. isthæc uvarum benedictio solemnis reperitur etiam in omnibus fere Ordinariis, & Consuetudinariis Benedictinis, ut in antiquo Corbejæ Ordinario, in Tullensi S. Apri, in consuetudinibus S. Germani, S. Dionysii, & S. Cornelii, & apud Udalricum Lib. I. Cap. XXXV. & quidem infra Canonem, sive matutinalis, sive majoris Missæ facienda. Ex Ordinario Cassinensi, in Transfiguratione Domini, quæ dies est VI. Augusti, in quam etiam incidit dies Natalis S. Sixti Martyris, hora tertia omnes albis induti stabant in Choro, & uvæ benedicebantur in Missa. Ritum vero ita describit memoratum vetus Corbejense Ordinarium: *In hac Festivitate benedicuntur uvæ, quæ primum lavantur diligenter a Custode Ecclesiæ, & in scypho ponuntur argentea. Ad horam postmodum benedictionis, antequam scilicet dicatur ad Missam*. Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, *sumuntur ab Armario, & Altari eam reverentia applicantur. Benedictio vero ita silenter dicitur, ut nec a Diacono, vel Armario audiatur. Benedictione peracta, Armarius uvas ab Altari reportat, & Secretario reddit. Sacerdos vero illas ad mensas, a prioribus incipiens, unicuique distribuit, ut servitoribus aliquantum remaneat. Ipsi vera, cum fuerit in sede sua, unus ex Prioribus, vel Armarius dat, qui ad primum versum dederit benedictionem. Quod si in Festo S. Sixti nondum possunt inveniri uvæ, quando primitus inveniri poterunt, eodem modo benedicentur*.

V. Eadem benedictio uvæ die S. Sixti, sive VI. Augusti, adeo in Ecclesia Latina est antiqua, ut in pervetusto Sacramentorum Libro S. Gregorii ipsa die occurrat, ut videre est apud eruditum Menardum, a quo quædam adducuntur in Notis, Ritus ejus ita quidem prædicta die S. Sixti in Missali Lugdunensi describitur: *In Canone Missæ antequam Sacerdos dicat*, Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, *ponantur a Diacono super Altare ad partem dexteram prope manum Sacerdotis dexteram acini uvarum in vase mundo, & Sacerdos dicat*: Benedic Domine hos fructus novos uvæ, quos tu Domine rore Cæli, & inundantia pluviarum, & temporum serenitate, atque tranquillitate, ad maturitatem perducere dignatus es, & dedisti eos ad usus nostros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini nostri Jesu Christi. *Deinde Sacerdos aspergat acinos uvarum aqua benedicta, & postea subjungat*, Per quem hæc omnia. *Diaconus vero elevet vas acinorum de Altari, & tradat Vicemagistro Chori, quo accepto, ipse videlicet Vicemagister Chori distribuat acinos uvarum omnibus de conventu in Choro existentibus, & omnibus aliis laicis in Ecclesia*. Ubi nota, distributas olim uvas benedictas apud Latinos sanctiori ritu, quam in quibusdam Ecclesiis Græcis, quorum abusum merito Canon Trullanus reprehendit, ac damnat. Ejus benedictionis auctorem faciunt S. Eutychianum Papam, qui vixit post medium Seculum III. ut testis est laudatus Martene.

VI. Certe etiam ex vetusto ritu habent Græci benedictionem uvarum, & quidem die VI. Augusti, uti ex Euchologio constat, in quo extat ora-

oratio in uvæ delibatione, sexta Augusti, his verbis: *Dominum precemur. Fructum hunc vitis novum aeris temperie, pluviæ stillis, & temporum tranquillitate ad maturitatem tuo placito deductam benedic Domine, ut nobis ex hoc vitis genimine degustantibus sit in lætitiam, & illud in donum offerentibus, in peccatorum propitiationem, per sanctum corpus Christi tui, cum quo benedictus es, cum sanctissimo, bono, & vivifico tuo Spiritu: nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.* Notat eruditus Goar ad hanc orationem, ubi præcoces sunt fructus, adjectis etiam ficubus primo visis, ritum hunc peragi die sexta Augusti: in frigidiori vero regione, qualis est Constantinopolitana, die xv. ejusdem mensis inter celebrandum fructus ipsos benedicendos Patriarchæ offerri; probatque ex Balsamone, qui in Canonem tertium Apostolorum ita scribit: *Ideo Patriarchæ quoque uvas offerunt, in Altari sacræ Ædis Blanchernarum peracto sacro, circa Festum dormitionis sanctissimæ Deiparæ.*

VII. Oratio a Patriarcha fieri solita apud Græcos, cum de more die decimaquinta Augusti vindemiam adoritur Imperator in Blanchernis, legitur quidem apud laudatum Goar, his verbis *Diacono dicente:* Dominum precemur, *& reliquam collectam, precatur:* Deus, & Salvator noster, qui unigenitum Filium tuum, & Dominum nostrum Jesum Christum vitem vocari, & per ipsum immortalitatis fructum nobis donari, complacuit: ipse quoque benedic istum vitis fructum, & nos illius factos participes, inculpate gratias agere, & te datorem, & auctorem omnium bonorum ad nos cibandos, laudare concede: & servos tuos fideles Imperatores nostros veræ vitis effice consortes; vitam illorum ab insidiis tutam conserva, æternis, & inamissibilibus tuis bonis, pace in omnibus donata, illos exorna. Intercessionibus sanctæ Deiparæ, & omnium Sanctorum, qui a seculo tibi placuerunt. Benignitate, & humanitate Unigeniti Filii tui: Cum quo. *Et quæ sequuntur.*

VIII. Pergit Sacerdos, & dicit: *Pax omnibus.* Diaconus autem: *Capita vestra Domino inclinate.* Tum sequitur hæc alia oratio: *Domine virtutum, gloriæ Rex, terrenum Regnum sub te moderantes in omni pietate, & pace conserva, deduc illos ad tuæ voluntatis portum, bonorum cælestium illis fruitionem largire, nosque nomen tuum invocantes, in delibatione producti a te vitis fructus velut mundanorum etiam reconditorum bonorum tuorum participes effice. Tu enim es Rex gloriæ, & Salvator animarum nostrarum; & tibi gloriam &c.* Hactenus ritus Græcorum in benedictione uvarum servatus, prout ab eruditissimo Goar refertur in suis ad Euchologium Notis.

IX. Ceterum apud Latinos successu temporis tepescente Fidelium fervore, & Præsulum præsertim incuria, ne Missa prolixior esset, ejusmodi benedictiones, ac ritus ab ea sejuncti fuerunt; manente interim oratione, quæ dum per solas species consecratas profertur, vix intelligitur; imo, ut sensum habeat convenientem, mirum in modum torqueri debet; quod & in multis aliis in Missa occurrentibus accidisse, & hodie obscuritatem magnam parere non uno in loco monet memoratus Bona Cardinalis eruditissimus: *Hæc nimirum*, inquit Lib. II. Cap. xiv. *majorum nostrorum Religio fuit, ut omnes sacræ, & Ecclesiasticæ functiones, sacramentorum administrationes, & quæcumque benedictiones intra Missarum solemnia peragerentur.* Et paulo post: *Sed tepescente successu temporis fervore, multa ex his, ne Missa prolixior evaderet, ab ea paulatim sejuncta sunt; adeo ut etiam ipsa communio post Missam differatur, non sine magna Rituum Ecclesiasticorum perturbatione; quia orationes, quæ post communionem a Sacerdote dicuntur, pro ipsis communicantibus sunt.*

C A N O N XXIX.

Carthaginensis Synodi Canon dicit, ut Sancta Altaris nonnisi a sobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo Cœna Domini peragitur; tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles sanctis illis Patribus hac dispensatione usis. Cum nihil ergo nos inducat, ut accuratam observationem relinquamus, statuimus, Apostolicas, & paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesimæ postrema septimana, quinta feria jejunium solvere, & totam Quadragesimam injuria efficere.

C O M M E N T A R I U S.

I. Cum reliquo toto anni tempore sacra Altaris mysteria a jejunis hominibus celebranda esse Patres Carthaginensis Concilii III. anni CCCXCVII. Can. xxix. decrevissent, quintam nihilominus, magnam, ut vocant feriam, quod solemnis in ea Cœna Dominicæ apparatus exhiberi soleat, excepere. Verba Canonis laudati Concilii hæc sunt: *Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore, defunctorum, sive Episcoporum, sive Clericorum, sive ceterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniantur.* Hactenus Canon xxix. Concilii III. Carthaginensis, qui idem est, ac Canon xli. in Codice Africanæ Ecclesiæ exhibitus, cujus in hoc nostro Canone Patres Trullani meminere.

II. Plura autem sunt, quæ in ipso Carthaginensi Canone observemus. Primum quidem, Eucharistiam nonnisi a jejunis percipiendam. Ea enim est Apostolica, & Patrum traditio, cum illa, quæ in omnibus Ecclesiis semper observata sunt, & quorum institutio minime in Conciliis reperitur, ad Apostolicam traditionem referenda omnino esse, sapientissime docet S. Augustinus

Lib. IV. *De baptismo contra Donatistas*, Cap. XXIV. ubi ita ait: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur*. Eam fuisse universæ Ecclesiæ praxim, ut Eucharisticæ communioni jejunium præmitteretur, passim prisci Ecclesiæ Patres docent. Tertullianus Lib. II. ad uxorem, ubi agit de Eucharistia, quam quisque fidelis in privatam domum, ob sævientes contra Christifideles persecutiones, deferret, ita inquit: *Non sciet maritus* (infidelis) *quid secreto ante omnem cibum gustes*. Ejusdem moris testis est Cyprianus Epistola LXIII. ad Cæcilium de Sacramento Dominici Calicis agens, qua contendit, sacrificium Eucharisticum aptius matutinis, quam vespertinis horis offerri: *Namquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum, & vesperam mundi. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus*.

II. S. Augustinus in celebri Epistola CXVIII. ad Januarium, illud sibi argumentum proponens, quod objicere quispiam posset, Christum non jejunis, sed cœnatis Apostolis Eucharistiam præbuisse, commendat primum, atque tuetur Ecclesiæ praxim, sic inquiens: *Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per universum Orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cœnati Fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere*. Tum hanc rationem reddit, cur Christus post cœnam discipulis suis Eucharistiam præbuerit: *Namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, hoc voluit arctius infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat*. Contendit deinde, illud Christi factum quoad temporis quidem circumstantias permissum fuisse prudenti Apostolorum ordinationi: *Et ideo non præcipit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset*.

III. Addit denique S. Doctor, Apostolum data a Christo facultate usum fuisse, seu jejunium Eucharistiæ præmittendum definiisse: *Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens*: Propter quod fratres cum convenitis ad manducandum, invicem expectate: Siquis esurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis: *statim subtexuit*: Cætera cum venero ordinabo. *Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universum per Orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur*. Nihil ergo exemplum Christi officit, quod Apostolis suis post cœnam Eucharistiam distribuerit, cum multa illum peregisse constet, quæ saltem quoad temporis circumstantias Ecclesiæ determinanda reliquit. Eo sane nisus principio S. Gregorius Nazianzenus celebri sua oratione in sanctum Baptisma, adversus eos invehebatur, qui eo prætextu baptismum in annum ætatis suæ trigesimum differebant, quod Christus annos agens triginta baptizari voluerit.

IV. Sed audiamus quoque Alexium Aristenum, qui in laudatum Canonem XLI. Codicis Africani, rem ita explicat: *Licet Dominus post Cœnam Discipulis Pascha tradidit; at non opus est, nos secundum Theologi vocem, exempla, quæ supra nos sunt, sequi, sed ritui Ecclesiæ insistendum est, & nonnisi jejunos Sacerdotes in Altari sacra offerre, & eos etiam, qui communicant, similiter esse jejunos*. Eum fuisse antiquum ritum etiam Ecclesiæ Græcæ, testatur quoque S. Joannes Chrysostomus Homilia XXVII. in primam Pauli Epistolam ad Corinthios, ubi ita inquit: *Tu priusquam communices, jejunas, ut quomodocumque communione dignus appareas*. Nefas semper fuisse in Ecclesia non jejunum communicare, constat quidem ex criminatione adversus eundem Chrysostomum conficta, quam ipse in Epistola CXXV. ad Cyriacum Episcopum ita scribens diluit: *Multa adversus me struxerunt. Ajunt, me post epulas quibusdam communionem impertiisse. Hoc si feci, de Episcoporum libro nomen meum expungatur, nec in orthodoxæ fidei volumine scribatur. Si quidquam ejusmodi perpetravi, abjiciat me etiam Christus a regno suo*.

V. Licet autem passim & ordinarie jejunium naturale Eucharisticæ communioni ex utriusque Ecclesiæ consensione præmitteretur, non defuerunt tamen Ecclesiæ, quæ ab avita illa consuetudine recesserunt. S. Cyprianus in laudata Epistola ad Cæcilium, quorundam meminit, qui bis in diem, mane jejuni, vesperi pransi, aut cœnati Eucharistiam sumebant. *An illa sibi aliquis contemplatione blanditur*, inquit, Aquarios exagitans, *quod etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus?* Illum morem, seu potius abusum rejicit S. Episcopus, & ita inquit: *Sed cum cœnamus, ad convivium nostrum plebem convocare non possumus*, quod nempe tunc ab infidelibus prohiberentur, *ut sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus*.

VI. Forte ob persecutiones, quæ tribus primis seculis adversus Christianos excitabantur, permissum fuit illis non jejunis communicare. Tum enim nonnisi clam audebant Christiani conventus suos agere, sive noctis initio, sive sub ejus finem. Unde eorum cœtus dicebantur *antelucani*, ipsique fideles, ut loquitur Minutius Felix, vocabantur *natio latebrosa, & lucifugax*, utpote qui utcumque possent, nec advertentes num comedissent, aut jejuni essent, Sacrificiis aderant, in quibus Eucharistia, ut moris erat, donabantur. Forte quod hic mos, sive per abusum, sive ob causam persecutionum introductus, data Ecclesiæ pace, in quibusdam adhuc Ecclesiis vigeret, ut Eucharistiam non jejuni etiam sumerent, Patres Concilii III. Carthaginensis, edito Canone, quo edicitur, ut *sacramenta Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur*, in gentis suæ solatium, quæ pravæ illius consuetudinis tenacissima erat, unum diem illum anniversarium exceperunt, quo Cœna Domini celebratur.

VII. Differit de ea dispensatione Augustinus in laudata Epistola sua CXVIII. ad Januarium, Cap. VII. *Sed nonnullos*, ait, *probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Cœnam Dominus dedit, tanquam ad insi-*

insignitèrem commemorationem post cibos offerri, & accipi liceat corpus, & sanguinem Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, post refectionem, quæ hora nona fit, ad ablutionem possit occurrere. Morem illum non damnat Augustinus, nam ita subjicit: *Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus.* Ne quis autem putet, praxim illam a primis Ecclesiæ Africanæ exordiis obtinuisse, hæc sanctus Doctor subjicit, quæ illius originem demonstrent: *Hoc tamen non arbitror institutum, nisi quia plures, & prope omnes in plerisque locis eo die lavare consueverunt. Et quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul, & lavacra tolerare non possunt, ad vesperam vero propter jejunantes.*

VIII. Siquis vero hic interroget, unde die Cœnæ Domini lavandi consuetudo ortum suum duceret, subsequentibus his verbis idem Augustinus enarrat: *Si autem quæris, cur lavandi mos ortus sit, nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem Quadragesimæ sordidata* (ducebatur nempe Quadragesimale tempus non in jejuniis modo, sed etiam in sacco, & cinere) *cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lavarentur, istum autem diem potius ad hoc electum, quo Cœna Domini anniversarie celebratur.* Quod siquis hic iterum roget, cur Fideles utpote jam baptizati, corpus abluerent, quæ enim ratio ab Augustino affertur, locum quidem habet in Catechumenis, non autem in fidelibus; respondet Augustinus, sic dicens: *Et quia concessum est hoc baptismum accepturis, multi cum his lavare voluerunt, jejuniumque relaxare.*

IX. Sed hisce obiter explicatis, tametsi Patres Carthaginenses diem illum unum Cœnæ Domini exciperent, quo a non jejunis Eucharistia sumi posset, adhuc tamen multæ Ecclesiæ abusum illum retinuere non jejunos communicandi: *Ægyptii*, inquiunt Sozomenus Lib. VII. Cap. XIX. & Socrates Lib. I. Cap. XXI. *qui Alexandrinis finitimi sunt, & illi, qui Thebaidem incolunt, Sabatho Synaxim exequuntur illi quidem, sed non, ut mos fert Christianorum, mysteria participant. Nam ubi epulati sunt, & variis cibariis se saturarunt, sub vesperum oblatione facta, mysteriis communicant.* Pervasit etiam abusus iste aliquas In Gallia Ecclesias, eique occurrere conata est Synodus secunda Matisconensis anni DLXXXV. Can. VI. ubi edicit, Eucharistiam a solis jejunis sumendam, laudatque, ac integrum describit memoratum superius Canonem XXIX. Concilii III. Carthaginensis.

X. Serpsisse quoque per Hispanias abusum ipsum ab hæreticis Priscillianistis acceptum, ut quidam Feria V. Cœnæ Domini, soluto prius jejunio, Missas pro defunctis celebrarent, quasi hoc privilegii ea Missa haberet, ut etiam non jejunis consecrare liceret, testatur Synodus I. Bracharensis anni DLXIII. Cap. XVI. contra hæresim Priscillianorum, sic dicens: *Siquis quinta feria Paschali, quæ est Cœna Domini, hora legitima, post nonam jejunus in Ecclesias Missas non tenet, sed secundum sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei, ab hora tertia per Missas defunctorum, soluta jejunio colit, anathema sit.* Fuisse alios ab iisdem hæreticis corruptos, qui passim non jejuni sacra mysteris celebrarent, testis est Synodus Bracharensis II. anni DLXXII. Can. X. *Placuit, ut quia per stultitiam præsumpti nuper erroris, aut certe ex veteris Priscillianæ adhuc hæresis fætore corruptos cognovimus quosdam Presbyteros in hujus præsumtionis audacia detineri, ut in Missa mortuorum etiam post acceptum merum, oblationem nasi sunt consecrare. Ideoque hoc præfixæ evidentis sententiæ admonitione servetur, ut siquis Presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit deprehensus, idest, ut non jejunus, sed quocumque jam cibo præcepto, oblationem consecraverit, continuo ab officio suo privatus, a proprio deponatur Episcopo.*

XI. Porro ante hasce Synodos laudata Synodus III. Carthaginensis Can. XXIX. moris illius meminit, qui Seculo IV. in Africa viguit, ut nimirum vel horis pomeridianis, pro mortuo, sive pro animam agente Sacerdotes etiam non jejuni Missam celebrarent; icciroo enim mandat, ut *si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, seu Clericorum, sive ceterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur.* Plura addiscimus, & primo quidem, loco Sacrificii solis orationibus faciendam esse commendationem defunctorum, si nullus pro eo celebrando jejunus inveniatur. Secundo, in Africa vix olim solitum comedi ante meridiem consuevisse. Tertio, Missæ Sacrificium non matutinis ita celebratum, quin etiam pomeridianis horis offerretur, si necessitas foret, ut pro mox defuncti anima, & jejunus e Sacerdotibus quispiam inveniretur. Quarto, Sacrificium semper existimatum fuisse utile defunctis, & intentionem Ministri alicui speciatim profuisse præter generalem intentionem, quam solita commemoratio pro defunctis continet.

XII. Ne diutius deviem, accedo nunc ad Canonem nostrum, quo Patres Trullani ea quoque die Cœnæ Domini, quem Carthaginensis Canon exceperat, a jejunis Eucharistiam esse sumendam jubent: *Tunc fortasse*, inquiunt, *propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles sanctis illis Patribus hac dispensatione usis.* Alludunt ad ipsum Canonem Carthaginensem, & pergunt: *Cum nihil erga nos inducat, ut accuratam observationem relinquamus, statuimus, Apostolicas, & paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesimæ postrema septimana, quinta feria jejunium solvere, & totam Quadragesimam injuria afficere.* Tradit Zonaras, quod de Apostolicis, Patrumque traditionibus Trullani Patres asserunt, intelligi quidem de Canone Apostolorum sexagesimo nono, & Laodicenæ Synodi Canone quinquagesimo, cujus verba hæc sunt juxta Dionysii Exigui versionem: *Quod non oporteat in Quadragesima, in ultimæ septimana quinta feria jejunium solvere, totamque Quadragesimam sine veneratione transire, magisque conveniat omnem Quadragesimam districto venerari jejunio.* Sive ut ait Gentiani Herveti versio: *Quod non oportet in Quadragesimæ postrema septimana jejunium solvere, & totam Quadragesimam injuria afficere; sed oportet totam Quadragesimam jejunare, aridis vescentes.*

XIII. Ejus porro septimanæ quinta feria, consuetudo illa aliquibus in locis invaluerat, ut Fideles antea ederent, & satiarentur, postea vero communicarent. Eam consuetudinem Canon Laodicenus reprehendit, præscribitque Fidelibus, ut in tota Quadragesima nonnisi siccis cibis vescantur;

ſcantur; eaque eſt xerophagia, quam Libro I. adverſus Pſychicos ita explicat Tertullianus: *Xerophagiam obſervamus, ſiccantes cibum ab omni carne, & juſulentia, & uvidioribus quibuſcumque pomis, ne quid vinoſitatis vel edamus, vel potemus.* Ejuſmodi xerophagiam in jejuniis etiam nunc ſervant Græci, apud quos vigere teſtatur Balſamon ad laudatum Canonem Laodicenum, abſtinentiam a piſcibus, quos etiam Tertullianus omnis carnis nomine comprehendit. Docet præterea memoratus Auctor ad Canonem ſexageſimum nonum Apoſtolorum, ſervari quoque a Græcis omnibus xerophagiam totius anni decurſu, feriis quartis, & ſextis, adeout nec his, neque Quadrageſimalibus diebus, vel cum ægrotis diſpenſetur unquam in mortis etiam confinio conſtitutis, niſi circa piſces.

XIV. Quidquid ſit de ea diſciplina, de qua alibi fuſius, recte ajunt Patres Trullani, Euchariſtiam etiam in Domini Cœna a jejunis ſumi, eſſe Apoſtolicam, & Patrum traditionem. Nam præter Apoſtolicum Canonem LXIX. & Laodicenum L. ad quos alludere ipſos Zonaras ait, idipſum ſane teſtatur non modo Auguſtinus in Epiſtola CXVIII. ad Januarium, quam ſupra laudavimus, verum etiam inter alios Patres Græcos S. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus Lib. IV. adverſus Neſtorium Cap. L. ſic dicens: *Nonnulli ex iis, qui crediderant, hujus Myſterii traditionem, ac vim ignorantes, ab eo quod conveniebat, divertere volebant, & omnibus expoſita convivia, & publicas epulas in Eccleſiis ſuſtinebant: homines, qui id facere conſueverant, objurgat Beatus Paulus ſcribens: Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum?*

XV. Sed quid alios Patres memorem, cum ex Concilio Antiſſiodorenſi anni CLXXVIII. Can. XIX. non modo Sacerdos celebrans Miſſam, verum etiam ei aſſiſtentes ſacri Altaris Miniſtri, Diaconi nimirum, & Subdiaconi debeant eſſe omnino jejuni: *Non licet*, inquit, *Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono poſt acceptum cibum, vel poculum Miſſas tractare, aut in Eccleſia, dum Miſſæ dicuntur, ſtare.* Atque, ut videas quanta fuerit erga Euchariſtiam reverentia, non modo jejunos illam ſumere oportebat, verum etiam nonniſi multas poſt horas ab illius perceptione ſumi communes alii cibi poterant. Id enim ſtatuit Canon XXIII. apud Gratianum, *De conſecratione*, Diſtinctione II. *Si mane Dominica portio editur, uſque ad ſextum jejunent Miniſtri, qui eam ſumſerunt; & ſi tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperam.* Puto equidem, fruſtra a Gratiano S. Clementi tribui hoc Decretum, cum conſtet, primis ſeculis Majores noſtros mox ab Euchariſtiæ ſumptione celebraſſe charitatis convivia, quæ Agapæ dicebantur. Fuit nihilominus aliquando in uſu, ideoque forte a Gratiano affertur, deinde vero abrogatum, rationemque ejus abrogationis hanc affert S. Thomas: *Antiquitus rarius Miſſarum ſolemnia celebrabantur, & cum majori præparatione: nunc autem quia oportet frequentius ſacra myſteria celebrare, non poſſet de facili obſervari, & ideo per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum.* Ait nihilominus S. Doctor, convenire quidem, ut inter hujuſce Sacramenti ſumptionem, & ceteros cibos communes aliqua mora intercedat, quo Fideles Eccleſiam imitentur, quæ Sacerdotis orationem, quæ gratiarum actio dicitur, poſt communionem recitat, ut ex Libro Miſſali conſtat.

XVI. Reliquum eſt, ut cauſas quaſdam recenſeamus, ob quas hodieque liceat non jejunos communicare. Synodus Conſtantienſis Seſſione XIII. ita quidem ſtatuit: *Licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit hoc venerabile Sacramentum; tamen ſacrorum Canonum auctoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſervat, quod hujuſmodi Sacramentum non conficiatur poſt Cœnam, nec ſumatur a non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a jure, vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſa.* Prima igitur cauſa eſt Viatici neceſſitas ob periculum mortis, de qua videri poteſt elegantiſſima Epiſtola CCLI. S. Ivonis Carnotenſis Epiſcopi ad Manaſſem Meldenſem. Poteſt enim ab infirmo in periculo mortis conſtituto etiam non jejuno Euchariſtia ſumi per modum Viatici, uti omnes Theologi docent. Non tamen audiendus eſt Major, antiquus Scholaſticus, contendens, Presbyterum ſumpto cibo poſſe clanculum, & abſque ſolemnitate panem etiam fermentatum conſecrare, ne infirmus ſine ultimo Viatico excedat e vivis. Sed rejici debet ea ſententia, tum quia Sacerdotes, uti omnes Theologi docent, divino jure vinum etiam conſecrare jubentur, ubi conſecrant panem; tum quia eodem jure divino, qui conſecravit, conſecratæ hoſtiæ particulam ſumere debet; tum tandem quod aliud ferat univerſæ Eccleſiæ conſuetudo, & diſciplina; licet olim pro mortuo, ſive animam agente Sacerdotes etiam non jejunos celebraſſe, teſtetur Concilium III. Carthaginenſe Can. XXIX. quem ſupra explicuimus. Sane provecta jam die ſi in pyxide nulla ſit hoſtia conſecrata, nec adſit jejunus Presbyter, infirmo etſi ad extrema redacto ſatis eſſe debet communio ſpiritualis. Nec enim par eſt, ut Euchariſtia contra præſcriptas ab Eccleſia leges, & inſtitutos ab ea ritus conſecretur.

XVII. Altera cauſa eſt, qua Sacerdoti non jejuno Euchariſtiam ſumere licet, ut nempe perficiat Sacrificium, quod facta aut unius, aut totius duplicis ſpeciei conſecratione, Sacerdos, a quo fuerat inceptum, præ inopinata infirmitate, aut alio repentino caſu ad exitum non valeat perducere. Ita ſcilicet ſancitum eſt Canone I. Synodi VII. Toletanæ anni DCXLVI. ubi hæc habentur: *Cenſemus igitur convenire, ut cum a Sacerdotibus Miſſarum tempore ſancta myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis accidit cujuslibet eventus, quo cœptum nequeat conſecrationis expleri myſterium, ſit liberum Epiſcopo, vel Presbytero alteri conſecrationem exequi officii cœpti.* Concilium Toletanum XI. anno DCLXXV. habitum, quod ob frequentes quaſi in girum agitationes, quam infirmitatem vapores, ſeu vertigines vocant, ſubiti lapſus Sacra etiam agenti Sacerdoti acciderent, Can. XIV. periculo huic occurrens ſtatuit, ut qui celebraret, ſocium haberet Sacerdotem vicinum, qui eo caſu occurrente Sacrificium cœptum perficeret: *Pro hujuſmodi ergo caſibus præcavendis neceſſarium duximus inſtituere, ut ubi temporis, vel loci, ſive Cleri copia ſuffragatur, habeat ſemper quiſquis ſacrificat poſt ſe vicinum ſolaminis adjutorem, ut ſi aliquo caſu ille, qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram eliſus, a tergo ſemper habeat, qui ejus vicem exequatur intrepidus.* Vide Concilium Colonienſe anni MCCLXXX. Can. VII.

XVIII. Ea forte indulgentia cum nonnulli Sacerdotes abuti potuiſſent, abuſi quidem jam memora-

moratus Canon II. Concilii VII. Toletani occurrit, ubi ita statuit: *Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis crimen convertatur, nullus post cibi, potusve quamlibet minimum sumptum Missas facere, nullus absque patenti provenatu molestiæ, minister, vel Sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere.* Hoc autem principio laudatus Canon nititur, nempe quod Sacrificii perfectio, ac consummatio juris sit divini, quod quidem Ecclesiastico præponderat. Atque hinc est, quod ob ipsam Sacrificii perfectionem Sacerdoti non jejuno etiam injunctum est, ut vinum consecret & sumat, si in ipsa communione aquam per errorem infusam fuisse Calici deprehendat. Qua autem ratione simili in casu se gerere debeat Sacerdos, perspicue docent Missalis Romani Rubricæ, Tit. IV. *De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.* Videsis laudatam Synodum Coloniensem Can. VII.

XIX. Extra hos casus ab Ecclesia probatos, qui non jejunus communicaret, eum gravi se peccato devincire, omnes passim Doctores docent, ac præsertim recentiores Lutherum etiam ob eam causam sugillantes, qui in Libro; *De abroganda Missa*, cibum moderatum affeclis suis annuit, qui ad sacram synaxim accessuri sunt, ut os mundetur, sublevetur caput, halitus male olens expurgetur. Sed hæc deliria Lutheri sunt, & aliorum etiam quorundam hæreticorum, qui in eo errore illum præcesserunt, Hussitarum scilicet, quos jam ante Lutherum Synodus Constantiensis damnavit. Ceterum inter fabulas rejicimus, quod antiqua Auctoris incognita Chronologica compilatio ad annum CMLXXVIII. de S. Udalrico Episcopo Augustano scribit: *Iste Udalricus Episcopus fecit prandium cum Conrado Constantiensi Episcopo, & eodem die facto prandio celebravit Missam solemnem cum Clero, & Populo. De hoc incusatus respondit: Ego non comedi, sed charitas.* Neque enim credere fas est, S. Episcopum sine ulla prorsus gravi causa a sacris Conciliis probata, voluisse sacros Ecclesiæ ritus confringere. Sed nec est, quo de ea fabula mireris, cum & eidem S. Episcopo alioqui zelantissimo affictæ etiam fuerint literæ pro Clericis conjugatis, a S. Gregorio VII. Pontifice Maximo damnatæ, & passim vocatæ, *Capitulum Udalrici.*

C A N O N XXX.

Ad Ecclesiæ ædificationem omnia facere volentes, etiam Sacerdotes, qui sunt in barbaricis Ecclesiis, complecti cura constituimus. Quare si Apostolicum Canonem de uxore non ejicienda pietatis, ac religionis prætextu se supergredi debere existimant, & ultra ea, quæ sunt constituta, facere, & ideo communi cum suis consortibus conventione, & consensu inito, a mutua consuetudine abstinent, statuimus, eos non amplius cum illis ullo modo cohabitare debere, ut ex eo nobis perfectam sui promissi demonstrationem præbeant. Hoc autem illis non propter aliud, quam propter eorum pusillanimitatem, extraneosque, ac non satis firmos mores concessimus.

COMMENTARIUS.

I. Errant hic iterum Patres Trullani, quum perperam interpretantes Canonem V. vulgo Apostolorum de uxore non ejicienda pietatis ac religionis prætexto, Sacerdotes nonnullos carpunt, quod in Barbaris Ecclesiis constituti, sola privata conventione ab uxoribus ante Sacerdotium ductis more Latinorum abstinerent. Jam enim non uno in loco Canonem ipsum Apostolorum explicuimus, ut nimirum is illius sit sensus, ne Episcopus, aut Presbyter uxorem, a qua sufficit abstinere, præpostero devotionis zelo domo ejiciat, & alimentis privet, contra præceptum Apostoli statuentis, ut curam illius habeat; non vero, ut Græci autumant, ut cum ipsa, quam ante Sacerdotium duxerat, post sacram etiam ordinationem dormiat, & filios procreet. Id enim esse contra veterem Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ disciplinam, jam fuse alibi ostendimus, præsertim vero ex illo celebri S. Hieronymi testimonio adversus Vigilantium Clericorum cœlibatum perperam oppugnantem: *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quod Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* Diu in Oriente commoratus fuerat Hieronymus, Græcæque Ecclesiæ morem noverat, minime permittentis Presbyteris præsertim, ac Diaconis, ut usum conjugii haberent cum uxoribus, quas ante ordinationem duxerant, idenque hæretico Vigilantio non modo Latinæ, sed & Græcæ Ecclesiæ consuetudinem objicit. Ceterum cum Canon III. Concilii I. Nicæni, qui prohibet, ne cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, aliisque Clericatu insignitis ulla mulier commoretur, præter matrem, sororem, aut amitam, aliasve, quæ suspicionem effugiunt, minime recenseat uxores aut Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum inter mulieres, quas secum retinere possent, sat nobis innuit, haud licitum fuisse earum usum in Oriente initio IV. Seculi, quo Nicæna Synodus habita est.

II. Rursus & in eo graviter errant iidem Trullani Patres, quum nimis ipsi urbani homines, barbaros censent, qui non sequuntur Græcorum abusus. Ajunt enim, propter eorum pusillanimitatem, externosque, ac non satis firmos mores, Sacerdotibus ipsis barbaricarum Ecclesiarum concedere, ut non amplius cum uxoribus, a quarum mutuo conjugii usu abstinent, ullo modo habitare debeant; ut nimirum *ex eo perfectam sui promissi*

missi demonstrationem praebeant, Æqua definitio & omnino Canoni duodecimo consona, quo prohibetur Episcopo post ordinationem una cum sua uxore in eadem domo habitare: *Habet siquidem*, ut recte in suo ad hunc nostrum Canonem Scholio inquit Zonaras, *muliebre contubernium ad libidinem, illecebrasque venereae cupiditatis non medio-cre incitamentum*, In eo sane una cum suis Graecis Trullanis Patribus errat & Zonaras, quod asserere audeant constitutum ab ipsis praesentem Canonem *propter Sacerdotum hujusmodi barbaros, agrestesque mores, nec satis praeterea firmam, ac solidam in fide constantiam*. Eadem est complurium aliorum Graecorum sententia.

C A N O N XXXI.

Clericos, qui in Oratoriis, quae sunt intra domos, Sacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facere debere, decernimus. Quare siquis Clericus hoc non servaverit, deponatur.

COMMENTARIUS.

I. Ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse loca Sacris peragendis specialiter deputata, non obscure indicat Apostolus in Epistola sua 1. ad Corinthios Cap. XI. ubi describens Eucharistiae sumendae ritum, & populi ad eam celebrandam conventum, ita inquit: *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos*. Et paucis interjectis: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Etsi enim nomen Ecclesiae pro fidelium congregationa frequenter sumatur, hic tamen ab Apostolo pro ipso loco, in quem illi conveniebant, usurpari, perspicue inter alios docet S. Basilius, qui in Regulis brevioribus interrogatione cccx. locum illum Apostoli exponens, sic ait: *Quemadmodum ratio non permittit, ut vas ullum commune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari*.

II. Hoc ipsum confirmat S. Augustinus Quaestione LVII. in Leviticum, sic inquiens: *Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur, nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur*: Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. *Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait*: Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut ad Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum, parietesque prodierit, vel confugerit, quibus Ecclesiae congregatio continetur*. Varias tum Romae, tum alibi, Apostolorum aevo, & tribus primis seculis fuisse Ecclesias, tametsi in Christianos tyranni saevirent, fuse docet Cardinalis Baronius ad annum Christi LVII. & doctissimus Joannes Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XIX.

III. Sed audiamus S. Justinum, qui in Apologia II. describens ritum celebrandi divina Mysteria seculo secundo ait: *Die qui dicitur solis, omnium, qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit, & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quod tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quiescente, Praesidens orationem, quae populum instruit, habet*. Ad unum ergo locum Fideles conveniebant, ut in unam quasi Ecclesiam coadunati sacra ipsa mysteria convenientius agerent, atque orantes facilius exaudirentur. Hinc qui se a conventu publico, aut loco huic conventui deputato separabant, atque particulares conventus instituebant, unitatem quodammodo Ecclesiae scindere, seseque ab unitate separare putabantur; eamque ob causam Synodus Gangrensis Can. VI. anathemate percellit Eustathianos, quod publicum fidelium coetum contemnentes, extra Ecclesiam privatim convenirent, ac sacra mysteria celebrarent. Quinto quoque Antiochenae Synodi anni CCCXLI. Canone, sub poena depositionis prohibentur sacris initiati conventus privatim agere, altariave excitare, nisi proprio Episcopo, cujus in ditione sunt, consentiente.

IV. Licet autem olim ob persecutiones, quibus Christiani homines vexabantur, domus privatae, imo etiam, ut testatur Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. VII. *Historiae*, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuerit, ex quo tamen coepit paullisper Christiana religio respirare, & Ecclesias publice construi licuit, ad Sacrificii reverentiam destinatis jam publicis locis Episcopi auctoritate, vetitum est saltem alicubi etiam Episcopis privatis in domibus divina mysteria celebrare. Sic enim cautum est Canone LIX. Laodicenae Synodi anni CCCXIV. *Quod non oportet in domibus fieri oblationes ab Episcopis, vel Presbyteris*. In iis scilicet domibus, quae in Urbe erant, ubi erectae jam essent Ecclesiae; non vero in iis, quae ruri, ubi nullae Ecclesiae perdiu fuere, uti alias a nobis dictum est.

V. Hunc esse laudati Canonis sensum addiscere licet ex S. Joanne Chrysostomo, qui eodem seculo, quo celebrata est Synodus Laodicena floruit. Is namque Homilia XVIII. in Acta Apostolorum, divites hortabatur, excitabatque, imo & iis legem ponebat, ut ruri oratoria extruerent in domibus suis, Presbyterumque, & Diaconum, sive alios haberent Clericos, qui ibidem divina officia peragerent, domesticosque omnes Christianae pietatis rudimentis imbuerent: *Oro*, ait, *ac supplico, & gratiam peto, imo & legem pono, ut nullus qui habet villam, appareat carere Ecclesia. Ne mihi dixeris, prope est, in vicinia est, magnus est sumptus, non magnum commodum. Si quid habes insumendum in pauperes, illuc insume. Melius illuc, quam ibi. Educa Diaconum, & Sacerdotalem ordinem*. Et paulo post: *Venerabilis eris & Presbyter postea, & ad securitatem agri conducet. Preces illic perpetuae propter te: laudes, & synaxes propter te: oblatio per singulos dies Dominicos. Quale est matutinis, vespertinisque*

que hymnis præsentem esse, & simul prandentem Sacerdotem videre. Et paucis interjectis: *An parum est in sanctis oblationibus nomen tuum referri, & quotidie pra villa preces ad Deum fieri?* Postremo, ut tergiversationes omnes excludat, hortatur Chrysostomus, instatque, ut duo saltem, vel tres communi sumptu ædiculam hujusmodi sacram extruant, dotentque in villis suis: *Et si quidem tres fuerint Domini, in commune conferant; si autem unus, & alis vicinis suadeat.*

VI. Data Ecclesiæ pace, tametsi in Urbibus, oppidisque, ac aliis in locis erectæ essent Basilicæ, ac Templa, habebant quidem Magnates, & Viri divites sua in domibus Oratoria, seu sacras Ædiculas, in quibus Sacrificia celebrabantur. Vetuit illa Justinianus novella sua Constitatione LVIII. non permittens ibi posthac nisi privatas preces, ipsam vero Mysteriorum celebrationem solis servari jubens Ecclesiis: *Omnibus interdicimus magnæ hujus civitatis* (Constantinopolis) *habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis, in domibus suis habere quasdam quasi orationum domos, & in his sacra celebrare mysteria, & hinc fieri quædam Catholicæ, & Apostolicæ traditioni extraordinaria. Sed si quidem domos ita simpliciter aliqui habere putant oportere in sacris suis, orationis videlicet solius gratia, & nullo celebrando penitus horum, quæ sacri sunt mysterii, hoc eis permittimus*. Ita ille, qui tamen Novella Constitutione CXXXI. Cap. VIII. separata a domibus non vetat construi oratoria, dum impetrent ab Episcopo proprio licentiam, qui rem divinam ibi faciant.

VII. Priorem Imperatoris Constiutionem, quam de supprimendis Oratoriis domesticis edidit, certe aut usu receptam non fuisse, aut in desuetudinem abiisse, liquido constat ex nostro Canone, quo edicitur, *Clericos, qui in Oratoriis, quæ sunt intra domos sacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facere debere*. Erant ergo vel tunc Oratoria privata, quæ licet Magnatum ædibus includerentur, suos tamen habebant Clericos, qui & Mysteria ibi, & annuente Episcopo Baptismum etiam celebrabant. Rarius Episcopos eam in rem annuisse, constat ex Canone LIX. hujus ejusdem Trullanæ Synodi, ubi ita inquit: *In æde Oratorio, quæ est intra domum, Baptismus nequaquaquam peragatur, sed qui illuminatione ab omnibus sordibus aliena digni habendi sunt, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Siquis autem quæ a nobis constituta sunt, non servare convictus fuerit, si sit quidem Clericus deponatur; si vero laicus, segregetur.*

VIII. Edendis hisce Decretis causam quidem dedere Semi-eutychiani hæretici, qui clam in memoratis domesticis privatisque Oratoriis sacramenta celebrabant. Hinc enim est quod ex recitato Canone LIX. Trullano cautum fuit, ut baptismate initiandi *ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur*. Quibus verbis perspicue innuit Canon damnata hæreticorum baptismata in privatis ædibus etiam Synodi Trullanæ tempore grassata. Jam enim longe ante in Concilio Constantinopolitano sub Menna ejus Urbis Episcopo anni DXXXVI. conquesti fuerant Archimandritæ Diœceseos Constantinopolitanæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ in Libellis Agapeto Pontifici Maximo exhibitis, de Schismaticis Severi Antiocheni, Antymi Trapezuntini, Petri Apamecnsis, eorumque assecclarum conventiculis, sic ajentes: *In multas domos eorum, qui in excellentia sunt, intrant, ac indecentia faciunt. In ipsis propriis domibus, & suburbiis Altaria, & Baptisteria erigunt, in appositum veri Altaris, & sancti Fontis, & omnia simul contemserunt propter attributum eis patrocinium ab his, qui in domo Domini, & aliquo alio modo potentes sunt*. In eam præsumtionem lapsi sunt postea Monothelitæ a Synodo Sexta damnati.

IX. At vero tametsi olim ad extirpandum eum abusum in Oriente plures editi Canones fuerint, adhuc tamen excindi haud potuit; coacta est etenim Oecumenica VII. Synodus II. Nicæna Canones ipsos Trullanos XXXI. & LIX. innovare, prohibens inter alia, ne Clerici suis relictis locis in alias Urbes, ac præsertim Constantinopolim discurrant, neque se Magistratibus adjungant, ac in eorum privatis Sacellis, nisi impetrata tum Episcopi, a quo discesserunt, tum Constantinopolitani, cujus in ditionem venerunt, facultate, Sacra faciant, alioqui depositione mulctandi: *Quoniam quidam Clericorum parvipendentes Canonicam constitutionem, relinquunt Parochiam propriam, & ad alias Parochias convolant, & maxime in hac a Deo servanda Regia Urbe, se se apud Principes locant, in eorum Oratoriis Missas facientes: hos absque proprio Episcopo, & Constantinopolitano Antistite non licet suscipere in qualibet domo, vel Ecclesia. Quod si hoc fecerit, & ita perseveraverit, deponatur*. Addit Canon & alia, quæ nos suo loco in nostro ad eum Canonem Commentario enarrabimus.

X. Quamquam vero Canon noster XXXI. Trullanus, cui etiam adhæret X. Canon Synodi II. Nicænæ, concesserit quidem, ut in Oratoriis domesticis & Baptismum conferre liceret, & Sacra facere, modo Episcopus licentiam præberet, Leo tamen Imperator cognomento Sapiens, qui floruit labente Seculo IX. Novella sua Constitutione IV. & XI. Presbyteris quibuscumque indulsit, ut etiam inconsulto Episcopo & Baptismum, & sacra Mysteria in privatis Magnatum ædibus, & mediocris fortunæ hominum celebrare possent, illud nimirum obtendens, Canone Trullano obviatum fuisse vel laicis, qui se Presbyteros venditarent, vel hæreticis, qui se catholicos fingerent, ideoque eam cautelam adhibitam fuisse, ut Episcopi facultas requireretur, at suo ævo extinctas omnes hæreses esse, & ideo æquum esse, ut ea sacra munera quibusvis permittantur Presbyteris, præsertim cum jam non Magnates tantum, sed & alii minus potentes Oratoria habeant domi, nec tamen omnes possint impensas facere proprii Presbyteri: *Siquidem cum divina gratia, in omnibus non modo Potentiorum, verum etiam tenuiorum domibus sacraria Deo erecta sint; & vero sumptus, reliquaque ad rem familiarem necessaria Sacerdotibus non possint similiter ab omnibus suppeditari &c.*

XI. Scite autem notat Balsamon in hunc nostrum XXXI. Trullanum Canonem, quod post hanc Leonis Constitutionem, opus non fuerit licentia Episcopi, abdicandum tamen eum fore Presbyterum, qui Episcopo contradicente, Sacra faceret in ejusmodi domesticis Oratoriis; additque præterea, ubi Episcopus non contradiceret, tacitam hanc ejus licentiam haberi non modo ex silentio illius, sed ex Mappis sacris, idest ab Episcopo consecratis, quibus in Oriente necesse erat Altaria contegi, quæ consecrata non fuissent, ut myste-

ria

ria celebrarentur: *Sed quamvis hæc sic habeant, siquis a regionis Antistite sacrificare, vel baptizare in Oratorio prohibitus fuerit, is vero, qui tale quid fecerit, deponetur, nec ei Novellæ proderunt. Is autem, qui non est expresse prohibitus, videtur etiam tacite ex Episcopi sententia hoc facere. Propterea enim, ut est verisimile, excogitata sunt superaltaria, & fiunt ab Antistitibus regionis, ut ponantur supra sanctas mensas Oratoriorum, & sufficiant, ut ostendatur, ex Episcopi permissione fieri sacrificium.* Vocantur hæ Mappæ a Græcis *Antimensia*, de eisque fuse egimus nostro II. Tomo Commentariorum in alteram Partem Romani Pontificalis.

XII. Illud quidem scitissime inter alia, quæ hic notavimus, observat Thomassinus in sua veteri, ac nova Ecclesiæ disciplina, Parte I. Lib. II. Cap. XCVI. Num. IV. potuisse illam hujusmodi Oratoriorum apud Græcos multitudinem ex eo profectam esse, quod apud illos olim nec esset nisi Altare unum in unaquaque Ecclesia, nec nisi, quem usum adhuc retinent, una Missa in uno Altari posset eodem die celebrari; ex quo fiebat, ut ex tanta hominum multitudine multi non possent Sacrificio interesse. Sane quod ob eam Oratoriorum multitudinem plebs a parochialibus Ecclesiis abstraheretur, remedii aliquid afferre enixus est Alexis Patriarcha Constantinopolitanus, qui, uti legitur Tomo primo *Juris Orientalis*, Pag. 255. magnatibus vetuit, quantiscumque demum a Patriarchis, vel Episcopis donati essent privilegiis, ad Oratoria sua turbas hominum admittere, aut baptismata ibi celebrare, aut divina officia, præter Sacrificium Missæ, quod Festis ibi diebus, Dominicisque peragi posset.

XIII. Quod Latinos spectat, etiam apud ipsos cum sensim labentibus seculis excresceret numerus Sacerdotum, Optimates vero, ditioresque, quibus non lubebat certa determinataque hora ad Ecclesias Missarum solemnia cum reliquo populo, ac plebe audituris, accedere, illicque per longius temporis spatium in ipsis Missarum solemnibus, quæ & concionem, & alias quasdam Christianæ pietatis exercitationes comprehendebant, immorari; facile Sacerdotes misellos, sicut & hodie passim, reperire potuerunt, qui in domesticis, privatisque Oratoriis suis, ad suum ipsorum nutum, & commoditatem, tamquam alii famuli domus mercede conducti, celebrarent, eumque in modum præcepto Ecclesiæ de audienda Missa festis diebus ipsi satisfacerent. Quam indigne Presbyteri ii conductitii a Magnatibus ipsis haberentur, dicemus in nostro ad decimum Canonem Concilii Nicæni II. Commentario.

XIV. Patres Concilii Ticinensis abusum hunc domesticorum Oratoriorum in Italia grassantem seculo nono ex eo insectati sunt, quod quidam Laici, & maxime Potentes, ac Nobiles, quos studiosius ad prædicationem venire oportebat, juxta domos suas ædiculas haberent, in quibus divinum audientes officium, ad majores Ecclesias raro venirent, & dum soli afflicti, & pauperes adessent, nil aliud possent Episcopi ad illos prædicare, quam ut mala patienter ferrent. Tum addunt: *Si autem divites, qui pauperibus injuriam facere soliti sunt, venire non renuerint, admoneri utique possent, ut eleemosynis peccata sua redimerent, ut a fluxu rerum temporalium se abstinerent.* Postremo tandem mandant, admoneri ipsos potentes, ut ad majores Ecclesias, ubi prædicationem audire possint, conveniant; & quantum dono omnipotentis Dei divitiis, & honoribus ceteros antecellunt, tantum ad audiendum præcepta Conditoris sui alacrius festinent.

XV. Multas ad eum tollendum abusum in Italia, ac Gallia, & Germania grassantem celebratas Synodos notat in suo ad hunc nostrum Canonum Scholio doctissimus Lupus. Celebre autem est ea in re Concilii Tridentini Decretum Sessione XXII. mandans Episcopis, ne patiantur in privatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum Missæ Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque. Putat Vanespen Parte II. Tit. V. Cap. VIII. non vetari hodie Episcopos ex laudato Decreto, si velint, licentiam concedere, celebrandi in Oratoriis privatis, sed illud plane constat, hodie non ab alio quam a Romano Pontifice, cum certis clausulis eam facultatem concedi; quarum una ea est, ut excipiantur quædam præcipuæ festivitates, quibus ad audiendam Missam Ecclesia adeunda est. Altera vero, ut non alii, quam ii, quorum intuitu Oratorium domesticum conceditur, Missam ibidem audientes, a præcepto audiendi in Ecclesia Missam liberentur. Sed ea in re observandæ sunt Pontificis literæ, quibus privilegium illud conceditur.

C A N O N XXXII.

Quoniam ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantum in sacra Mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum Sacrificium peragunt, adducentes Ecclesiæ Doctorem Joannem Chrysostomum hæc dicentem in interpretatione Euangelii secundum Matthæum: Quamobrem non aquam bibit, cum surrexit, sed vinum? Improbam sane hæresim radicitus extirpans. Quoniam enim nonnulli aqua in mysteriis usi sunt, ostendens, quod & quando mysteria tradidit, & quando, postquam resurrexisset, absque mysteriis solam, ac nudam mensam apposuit, usus est vino: Ex genimine, inquit, vitis: Vitis autem vinum, non aquam generat: & ex eo aquæ in sacro Sacrificio adjunctionem Doctorem subvertere existimant. Ut non ab hoc tempore inposterum ignorantia teneatur, Patris sententiam orthodoxe aperimus. Cum enim improba Hydroparastatarum,

ho-

hoc est, eorum qui aquam offerebant, antiqua esset hæresis, pro vino sola aqua in proprio Sacrificio usi sunt, resellens hic vir divinus detestabilem ejusmodi hæresis doctrinam, & ostendens, quod directe Apostolicæ traditioni adversatur, id, quod jam dictum est, affirmavit. Nam & suæ Ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi Sacrificium oportet, ex pretioso Christi nostri Redemptoris latere ex sanguine & aqua contemperationem ostendens, quæ in totius mundi vivificationem effusa est, & peccatorum redemtionem, & in omni etiam Ecclesia, ubi spiritalia lumina desulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Jacobus Christi Domini nostri secundum carnem frater, cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primum est creditus, & Basilius Cæsareensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito Sacrificio, ita consecrandum in divina Missa ex aqua & vino sacrum Calicem ediderunt. Et qui Carthagine convenerunt sancti Patres, his verbis aperte, & præcise mentionem fecere, ut in Sanctis nihil plus, quam Corpus, & Sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum. Siquis ergo Episcopus, vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, & aquam vino miscens sic immaculatum offert Sacrificium, deponatur, ut imperfecte mysterium enuncians, & quæ tradita sunt, innovans.

COMMENTARIUS.

I. DUo sunt sibi invicem oppositi veterum hæreticorum errores, qui in hoc Canone de vino Eucharistico recensentur, ac refutantur. Alter est hydroparastatarum, sive Aquariorum, qui sola aqua contenti vinum a Sacrificio ablegarunt. Armenorum alter est error, qui vinum purum, seu nulla aqua temperatum in ipso Sacrificio adhibebant. Quod Aquarios spectat, varia jam olim genera illorum fuere. Nonnulli sub vano sobrietatis obtentu a vino in sacris mysteriis abstinebant, talesque erant Ebionitæ, de quibus, Hæresi XXX. ita scribit S. Epiphanius: *Mysteria faciunt ad imitationem Sanctorum in Ecclesia .... per azymos panes, & alteram mysterii partem per aquam solam.* Hos sequutus est Tatianus, de quo laudatus Epiphanius hæc habet Hæresi XLVI. *Mysteriis similiter usus est ad imitationem sanctæ Ecclesiæ: verum aqua sola usus est in eisdem Mysteriis.*

II. Alii vinum a Sacrificio, quod res mala esset vinum, removebant; iique sunt Encratitæ, qui, ut testis est idem Epiphanius Hæresi XXVII. *Vino omnino non utuntur, diabolicum esse dicentes, & bibentes, ac utentes, iniquos esse, & peccatores.* Et paulo post, hæresim ipsam confutans, ita subjicit: *Unde sane Mysteria, quæ apud ipsos per aquam solum fiunt, neque mysteria sunt, sed ad imitationem verorum falso fiunt:* Eodem principio nixos Manichæos, & Communioni sub specie vini se subtrahentes insectatus est S. Leo Sermone IV. *De Quadragesima*, sic inquiens: *Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse Mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant; ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant.* Hi omnes Sectarii, teste Augustino in Libro, *De hæresibus*, Cap. LXIV. *Aquarii ex hoc appellati sunt, quod aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis Ecclesia.*

III. Nonnulli tandem e fidelium numero Presbyteri ex ignorantia potius, quam ex malitia, sive metus causa vino abstinebant, dum sacra mysteria celebrarent, ne scilicet ex odore vini, quod in Sacrificio hausissent, Christiani deprehenderentur ab infidelibus. Apud illos enim in suspicionem Christianismi veniebant, qui ex antelucania cœtibus redeuntes, vinum redolebant. De iis quidem hæc habet S. Cyprianus in Epistola sua LXIII. ad Cæcilium: *Ceterum omnis religionis, & veritatis disciplina subvertitur, nisi id, quod spiritualiter præcipitur, fideliter reservetur; nisi in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi. Sic ergo incipit & a passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit de sanguine ejus & cruore confundi.* Mane isti aquam solam, vespere mixtum Calicem in Sacrificiis offerebant; in sola autem aqua mane celebrabant, ne, uti dictum est, per saporem vini redolerent sanguinem Christi, & sic a persecutoribus detegerentur. Ejus erroris causam fuisse quorundam Episcoporum simplicitatem, in ipsa Epistola idem Cyprianus affirmat.

IV. Ad hujusmodi Aquariorum classem referendi sunt illi, de quibus Acta S. Wolfangi Ratisponensis Episcopi, qui obiit labente seculo decimo, apud Surium die XXXI. Octobris Cap. XXIV. ita inquiunt: *Sub ejusdem sancti Præsulis temporibus accidit, ut vini penuria quidam cum aqua, vel aliis potuum generibus, Missarum celebrarent Sacramenta. Quod vir Dei comperiens, tantum effudit lacrymarum imbrem, ut crederetur sui corporis amittere sospitatem.* Quibus, ut omnem penuriæ excusationem auferret, subjiciunt mox Acta, præcepisse sanctum Episcopum, *ut per singulas*

gulos menses duodecim Presbyteri venirent, & de cellario sua vinum acciperent, aliisque dividerent. His accensendi sunt alii quidam Sacerdotes, quorum cæcitatem deplorat Alexander Papa III. in Epistola sua ad Upsollensem Archiepiscopum, & Suffraganeos ejus, his plane verbis: *Non sine cordis amaritudine quosdam Sacerdotes contra Apostolicas institutiones cum sicca fæce vini, vel cum micis panis vino intinctis Missam celebrare audivimus.*

V. Longe enormior fuit aliorum complurium cæcitas, quorum meminit Concilium Bracharense IV. anni DCLXXV. Can. II. *Audivimus, quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinos ordines, & Apostolicas institutiones lac pro vino in divinis Sacrificiis dedicare, alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere: quosdam etiam non expressum vinum in Sacramento Dominici Calicis offerre, sed oblatis uvis populos communicare.* Funestissima omnium haud dubie fuerunt antiquitus hæreticorum Cataphrygum Sacramenta. Hi enim, ut testis est S. Augustinus in Libro, *De hæresibus*, Cap. XXVI. *De infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore, minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes. Qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; si autem vixerit, pro magno Sacerdote.* Eundem errorem Cap. XXVII. idem S. Doctor hæreticis Pepozianis etiam attribuit.

VI. Aquariis praxim omnino oppositam amplexi sunt quidem Armeni, cum enim illi aquam puram in Sacrificiis suis adhiberent, hi ex adverso vinum purum, nullisque aquæ guttis temperatum consecrabant. Causa erroris ea censetur, quod nempe, cum Armeni Eutichiana imbuti essent hæresi damnante duas in Christo naturas, verebantur scilicet, ne vini, & aquæ permixtione, duarum naturarum in Christo distinctionem adstruerent, quomodo enim Ebionitæ sola aqua solam humanam, ita Armeni Jacobitæ solo vino solam divinam in Christo naturam duxere profitendam. Meminit hujus Armenorum erroris a memorata causa proficiscentis Nicephorus Callixtus Libro XVIII. *Historiæ*, Cap. LIII. ubi etiam Armenos recentiores refellit, quod asserere non erubuerint, eum errorem a S. Gregorio Armenorum Apostolo, ac primo Episcopo fuisse ad ipsos transmissum. Porro Lutherani, qui ab omnibus pene hæreticis hæresim suam mutuati sunt, etiam & hunc Armenorum errorem amplecti voluerunt, quippe qui vinum purum offerant, sugillentque Romanam Ecclesiam, quæ illud aqua temperat: *Meo sensu*, inquit Lutherus in primo scripto, quod adversus Henricum VIII. Angliæ Regem anno Christi Domini MDXXII. exaravit, *melius, & tutius foret, aquam non miscere vino, cum sit merum figmentum humanum.*

VII. Adversus Armenos Canon Noster invectus, recte ait, aquæ, & vini in Sacrificio mixtionem esse omnium Patrum dogma, & non modo Apostolorum, sed & Christi Domini traditionem. S. Justinus testatus est quidem in secunda sua pro Christiania Apologia, fideles in synaxibus sacris solitos fuisse *participare de pane Eucharistico, & vino, & aqua.* Longe luculentius de eadem re loquutus est S. Cyprianus in celebri sua Epistola LXIII. ad Cæcilium, ubi ex professo agens de Sacramento Dominici Calicis; ita inquit: *Admonitos autem nos scias, ut in Calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Tum hanc exponens sententiam capitis IX. Proverbiorum: *Venite, & edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis*, ita inquit: *Vinum mixtum declarat, idest, calicem Domini aqua, & vino mixtum prophetica voce prænunciat, ut appareat, in passione Dominica id esse gestum, quod fuerat ante prædictum.*

VIII. Legenda integra Cypriani Epistola, in id enim tota collimat, ut vino aqua in Sacrificio misceatur. Sed lubet adhuc nonnulla excerpere, ac præsertim quasdam hujusmodi ritus rationes, quibus ille suam Epistolam munivit, atque adornavit: *Aquas*, inquit, *populos significare, in Apocalypsi Scriptura divina declarat, dicens:* Aquæ, quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi, & turbæ, & gentes Ethnicorum sunt, & linguæ. *Quod scilicet perspicimus & in sacramento Calicis contineri.* Qua ratione id fiat, luculenta hac oratione exponit: *Nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat, videmus, in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Quomodo autem in Calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ & vini, sic miscetur in Calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari.* Tanti momenti visum est Cypriano illud mysterium, ut mox inde concludat constantem, & perpetuam Ecclesiæ charitatem in Christum: *Unde & Ecclesiam, idest, plebem in Ecclesiam constitutam, fideliter, & firmiter, in eo quod credidit, perseverantem nulla res separare poterit a Christo, quo minus hæreat semper, & maneat individua dilectio.*

IX. Pergit S. Pater, aitque, prævaricationem, ac neglectum miscendæ aquæ vino in Sacrificio Missæ, non modo gravissimum esse delictum, sed & mutilationem hujus ineffabilis Sacramenti: *Si autem in sanctificando Calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spiritale, & cæleste perficitur.* Et statim subjungit: *Sic vero calix Domini non est aqua sola, nec vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum.* Ad quæ verba Jacobus Pamelius notat, verisimilem videri illorum sententiam, qui admixtionem aquæ ita necessariam volunt, ut sine illa sit irrita Calicis Domini consecratio. Ita quosdam sui ævi Auctores asseruisse tradit quidem S. Bernardus in Epistola LXIX. ad Guidonem Abbatem Monasterii Trium Fontium: *Ajunt tamen nescio quem alium aliud sensisse Scriptorem, non posse videlicet absque tribus, idest, pane, vino, & aqua, hoc Sacrificium esse; itaut si quodlibet deesse contigerit, reliqua non sanctificentur.* His concinit Canon Sanctorum citatus ab Egberto Eboracensi Archiepiscopo

piſcopo in Excerptis Cap. xcvIII. ubi ita ad rem inquit: *Sacerdotes Dei diligenter ſemper procurent, ut panis, & vinum, & aqua, ſine quibus nequaquam Miſſæ celebrantur, pura, & munda fiant; quia ſi aliter agatur, cum his, qui acetum cum felle mixtum Domino obtulerunt, niſi vera pœnitentia ſubvenerit, punientur.*

X. Sed quicquid de hac ſententia ſit, quam alias Theologi omnes reſpuunt, ad laudatum ſuperius Cypriani locum, ac rationem reſpexit quidem Concilium Bracharenſe III. anni DCLXXV. Can. II. ſic dicens: *Calix enim Dominicus, juxta quod quidam Doctor ediſſerit, vino, & aqua permixtus debet offerri; quia videmus, in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti.* Et ſtatim ſequitur: *Ergo quando in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & jungitur: qua copulatio, & junctio aquæ, & vini, ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ſeparari &c.* Eos redarguit Canon, qui, uti ſuperius dictum eſt, non expreſſum vinum in Sacrificio offerebant, ſed oblatis uvis populos communicabant. Eadem quoque Cypriani verba legere eſt apud S.Iſidorum Lib.I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, in Concilio Wormatienſi anni DCCCLXVIII. Can. IV. & apud alios Scriptores, ac Synodos, quorum teſtimonia hic recenſere ſupervacaneum eſt. Illud plane conſtat, eam diſciplinam miſcendæ aquæ vino ab antiquis ſanctis Patribus, & Conciliis paſſim probari. Ut enim alios omittam, Patres Concilii III.Carthaginenſis anni CCCXCVII. cui interfuit S Auguſtinus, Can. XXIV. diſerte ajunt: *Ut in Sacramento corporis, & ſanguinis Domini nihil amplius afferatur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum.* Quibus adde S. Ambroſium, qui Lib. IV. *De Sacramentis*, Cap. V. inquit: *Vinum cum aqua in calice mixtum, fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis.* Et Patres Concilii Triburienſis anni DCCCLXXXV. Can. XIX. ſic ajentes: *Cujus rei veritatem* (ſcilicet ab Apoſtolis traditum fuiſſe ritum de quo agitur), *in hac ſancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne ullus ſine commixtione vini, & aquæ myſteria ſacra perficiat.*

XI. Noſter Canon ad aſtruendam, confirmandamque diſciplinam, ac veterem Eccleſiæ praxim de miſcenda aqua vino, dum ſacra myſteria celebrantur, binas laudat Liturgias, alteram S. Jacobi Apoſtoli, fratris Domini, ac Hieroſolymitani Epiſcopi; alteram vero S. Baſilii Epiſcopi Cæſarienſis, quia ſcilicet in ambabus ritus, de quo agimus, expreſſa fit mentio. Scripſit de prima eruditiſſimam Epiſtolam ad Bartuldum Nihuſium Leo Allatius in ejus Symmictis editam Pagina 176. qua eam ab Hæreticorum oppoſitionibus vindicat, & prolatis antiquorum teſtimoniis germanum Jacobi fœtum eſſe demonſtrat. Magni autem ponderis ad ejus veritatem ſtabiliendam inprimis eſſe perpetuam Eccleſiæ Græcæ traditionem, quæ illam ſemper ut legitimam agnovit, ſcite obſervat, fuſeque oſtendit eruditiſſimus Joannes Cardinalis Bona Lib. I. *Rerùm Liturgicarum*, Cap. VIII. Num. III. ubi etiam Cap. IX. de Liturgia S. Baſilii diſſerens, ait illam commendari non modo a noſtro Trullano Canone XXXII. ſed & a Paulo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, qui floruit initio Seculi V. in Opuſculo *De traditione divinæ Miſſæ*, a Leontio Lib. III. adverſus Neſtorium, & ab aliis Græcis Patribus, quampluri- mis. Cauſam, qua motus fuit Baſilius ad novam componendam Liturgiam, eam memorat Sanctus Proclus, quia Miſſam a S. Jacobo editam, fidei fervore deficiente, homines terrenis negotiis immerſi nimiæ prolixitatis accuſabant; quare ſalubri uſus conſilio eam in compendium redegit.

XII. Eſt & illa quoque celebris Liturgia, quam ſcripſit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, eadem qua Baſilius ratione impulſus, ut memoratus Proclus in ſuo opuſculo affirmat. Meminit ejus Liturgiæ non obſcure Canon noſter Trullanus, eum de Chryſoſtomo loquens, cujus teſtimonio perperam intellecto abutebantur Armeni, ita inquit: *Nam & ſua Eccleſia, ubi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit, quando incruentum peragi Sacrificium oportet; ex pretioſo Chriſti noſtri Redemtoris latere ex ſanguine, & aqua contemperationem oſtendens, quæ in totius mundi vivificationem effuſa eſt, & peccatorum redemtionem &c.* Sane in ſua Liturgia Chryſoſtomus conceptis terminis præſcribit, ut vinum conſecrandum aqua temperetur: *Deinde*, inquit de Diacono, *facit commixtionem in Calicem, mittens vinum, & aquam, & dicit*: Unus militum latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & aqua. *Et in dicendo quidem*, Exivit ſanguis, *infundit vinum*; *& in dicendo*, Aqua, *effundit aquam*. Egregiis hiſce doctiſſimi S. Patris verbis omnino confodiuntur, qui ſolo vino in myſtica Menſa utentes, errorem ſuum una S. Joannis Chryſoſtomi in Evangelium Matthæi explicatione perperam comprobare nitebantur. Etenim quæ fuerit mens in eum locum ſancti Doctoris, recte admodum Trullani Patres agnovere, ajentes, ipſum, non ut ſolius vini portionem in ſacris myſteriis adhibendam doceret, ſed ut hydroparaſtatarum, ideſt Aquariorum, qui ſola aqua faciendum Sacrificium opinarentur, hæreſim convelleret, eoſque ſanctis Patribus, Apoſtoliciſque conſtitutionibus contraria ſentire, & facere, doceret, ideirco ſermonem illum inſtituiſſe. Ceterum utramque Liturgiam Baſilii, & Chryſoſtomi edidit in ſuo Euchologio Jacobus Goar, Notiſque adeo copioſe, & erudite illuſtravit, ut, teſte laudato Joanne Bona Cardinale, nihil ejus diligentiæ addi poſſit.

XIII. Illud plane conſtat ex laudatis Liturgiis, quibus Eccleſia Græca utitur, jam non ſemel, ut apud nos Latinos ante conſecrationem, ſed bis apud ipſos Græcos aquam vino miſceri, dum divina myſteria peraguntur, nempe ſemel frigidam, cum in Protheſi ſancta dona præparant, pungente Sacerdote panem ſancta lancea, & dicente, *Unus militum lancea latus ejus aperuit, ſtatimque exivit ſanguis, & aqua*; & Diacono infundente vinum, & aquam. Deinde calidam, poſt conſecrationem, immediate ante communionem, petente Diacono a Sacerdote, ut aquam fervidam benedicat: illo vero benedicente his verbis: *Benedictus fervor ſanctorum tuorum jugiter, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen*; tum Diaconus infundit in Calicem, dicens: *Fervor fidei plenus Spiritu Sancto, Amen.* Rationem ſecundæ hujus mixtionis Scriptores Græci apud laudatum Goar in Notis ad Liturgiam S. Joannis Chryſoſtomi, & apud Arcudium Lib.III. ſuæ Concordiæ, Cap. XXXIX. eam reddunt, tum quia aqua calida ex latere Chriſti exivit, tum quia per eam, fervorem Sancti Spiritus intelligi volunt.

XIV. Praxis hujus, ac mysterii ita Græci tenaces sunt, ut Theodorus Balsamon in Responsione XVIII. ad Quæsita Marci Patriarchæ Alexandrini Latinis verterit crimini, quod ea praxi minime utantur: *Igitur*, inquit, *qui non ita peragunt mysteria, neque magnitudinem miraculi* (quod nempe sanguis & aqua ex Christi corpore fluxerit) *hoc facto extollunt, sed per aquam frigidam, & vinum, divinam communionem participant. Hi non credunt etiam post salutarem Domini mortem divinitatem in sancto ejus corpore fuisse, sed ab eo discessisse, & fuisse illud juxta conditionem nostrorum corporum, quod magnæ hæreseos est deliramentum*. Sed hæc solita sunt memorati hominis Græci deliria, qui ut insectetur Latinos, calumnias passim ipsis affingit, impudentissima mendacia effundens.

XV. Ex adverso ritum Græcorum quidam e nostris Theologis, præsertim prisci, minime intelligentes, aquæ calidæ infusionem impugnant, ut inter alios Umbertus Sylvæ Candidæ Episcopus in sua adversus Nicetum Pectoratum invectiva. Plerique etiam e recentioribus, ut eam Græcorum praxim refellant, hocce testimonio Angelici Doctoris utuntur, quod legitur in III. Parte, Quæstione LXXXIII. Articulo VI. ad IV. *Nullo modo debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte*. Sed recte ait laudatus Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. IX. Num. IV. hanc doctrinam ex ignoratione approbati Ritus procedere, quem in suis Liturgiis præscribunt sancti Ecclesiæ Doctores, ac Patres, Basilius, & Chrysostomus, usuque perpetuo Orientalis Ecclesiæ Sacerdotes doctrina & sanctitate conspicui comprobarunt. Atque hinc est quod Græci post solutam Florentinam Synodum de ea disciplina interrogati ab Eugenio Papa IV. sine censura dimissi sunt, ubi Mitylenensis Antistes memorato Pontifici fecit satis.

XVI. Jam vero siquis tandem scire desiderat, quantum aquæ vino misceri in Sacrificio debeat. Rem ita definiit olim Triburiensis Synodus anni DCCCXCV. Can. XIX. *Ne ullus fiat commixtione vini, & aqua mysteria sacra conficiat, sed ut duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi, tertia aqua, per quam intelligitur fragilitas humana natura*. Quæ verba non ita intelligenda sunt, ut velint tertiam Calicis consecrandi partem necessario debere aqua constare, sed hoc unum sancire, ut aqua tertiam ejusdem Calicis partem minime excedat. Initio Seculi XIII. nonnullos, quod plus aquæ, quam vini Calici immitterent, Honorius Papa III. literis suis ad Archiepiscopum Ablasensem, relatis in Cap. *Perniciosus, De celebratione Missarum*, his verbis proscripsit: *Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet, quod in majori quantitate de aqua ponitur, quam vino, cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum: ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus id non facias, nec in tua Provincia fieri patiaris*. Concilium Coloniense anni MCCLXXX. Can. VII. mandat quidem, ut *de aqua duæ guttulæ, vel tres apponantur*. Debet ex communi Doctorum sententia modicum quidem aquæ vino misceri, cujusque ritus, ac mysterii in illo continenti prævaricatio, tametsi nullum non reddat Sacramentum, gravi certe peccato, ac penæ obnoxium faceret Sacerdotem, qui ritum ipsum negligeret. Nam si Episcopus aliquis, aut Presbyter acceptam hanc âb Apostolis consuetudinem neglexerit, ac vinum, aqua nullatenus infusa, in Sacrificio obtulerit, hominem, mysterii quippe imperfecte enuntiati reum, Canon noster deponi jubet.

CANON XXXIII.

Quoniam cognovimus, in Armeniorum regione eos solum in Cleri ordinem referri, qui sunt ex genere Sacerdotali, iis, qui hoc facere aggrediuntur, mores judaicos sequentibus; nonnullos autem eorum etiam non tonsos, sacros Cantores, & divinæ Legis Lectores constitui: decernimus, ut deinceps non liceat iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad ejus, cui manus imponitur, genus respicere: sed examinantes, an digni sint, juxta exposita in sacris Canonibus Decreta, in Cleri Catalogum referri, ut eos Ecclesiastice promoveant, sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non. Sed etiam ut nulli ex omnibus permittant, juxta ordinem eorum, qui sunt in Clericorum ordinem relati, populo in suggestu divinas Scripturas recitare, nisi is Sacerdotali tonsura usus fuerit, & benedictionem a suo Pastore Canonice susceperit. Siquis autem præter hæc facere deprehensus fuerit, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. Lex quidem, & mos olim fuit apud Judæos, ut Sacerdotes ex una Levitica Tribu eligerentur. Eum ab Armeniis servatum morem, qui nonnisi Sacerdotum filios soliti erant in Clerum assumere, Trullani Patres hoc edito Canone damnant; neque ullam in Clero legendo generis, & familiæ rationem haberi, sed uniuscujusque vitam, ac mores inspici jubent. Scite notat in suo ad hunc Canonem Scholio Lupus doctissimus, hæreditariam in Ecclesiasticas dignitates successionem, adeo esse antiquum in Ecclesia malum, ut Polycrates Ephesiorum Archiepi-

chiepiscopus apud Eusebium Cæsariensem Lib. v. *Historiæ*, Cap. xxiii. ita secundo Ecclesiæ seculo scripserit ad Victorem Romanum Pontificem: *Septem erant Episcopi mihi cognatione conjuncti; ego autem octavus sum*.

II. Antiquissimam quoque fuisse eam successionem apud Armenios, constat sane ex eo, quod S. Gregorio in Armenia Episcopo, qui floruit initio iv. Seculi, uti antiqua Armeniorum historia, & memorati Episcopi vita apud Surium testatur, in Episcopatum successit Arostanes filius, & quidem vivo Patri ordinatus jam Coadjutor, ut testis est Simeon Metaphrastes. Successit deinde Arostani Verthanes frater germanus, cujus in locum suffecti postea fuerunt Hesichius, & Gregorius filii. Atque ita fere factum usque ad Isaacum secundum Anastasio I. Pontifici coætaneum, cui injuste per factionem ejecto, divinitus revelatum est, nullum in sceleris istius pœnam deinceps e S. Gregorii stemmate Episcopum fore, memoratus etiam Lopus affirmat; qui etiam inter alia observat, non constare, an ea consuetudo fuerit abusus, quia scilicet non quævis, sed sola hæreditaria consanguineorum successio est abusus. Successisse ait Aristonem Gregorio per electionem quidem, quod semper licuit, eodemque modo factum autumat consanguineis Polycratis Ephesiorum Episcopi, & Gregorii Episcopi Turonensis, qui, solis quinque exceptis, omnes antecessores suos Episcopos de suo fuisse sanguine gloriabatur.

III. Ut ut sit ea Lupi opinio, variis jam olim Decretis gravissime contestati sunt Patres, quam sit alienum a spiritu novi Testamenti, non modo per hæreditariam successionem carnis & sanguinis Sacerdotia conferri, verum etiam per illius successionis imaginem. Quamvis enim in antiquo Testamento Sacerdotium cum semine propagaretur, ob imperfectionem scilicet illius Legis carnalis: in novo tamen, cujus Sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, qui uti habetur in Epistola Pauli ad Hebræos Cap. vii. fuit sine Patre, & Matre, & absque genealogia, congruum fuit, & Sacerdotium, & beneficia Sacerdotio adjuncta, non ratione carnis, & sanguinis, aliquove ad illa respectu, saltem per imaginem, sed ratione solius virtutis, ac meriti, omnino conferri. Ratio discriminis præter alias, quas profert Bellarminus Lib. i. *De Clericis*, Cap. vi. ducenda est ex eo, quod sicut in veteri Testamento populus Dei propagabatur per carnalem generationem ex Jacob, in novo autem propagatur per spiritualem regenerationem ex Christo: ita quoque par erat, ut in Testamento veteri Sacerdotes carnali successione propagarentur, in novo autem spirituali nonnisi electione assumerentur.

IV. Huic rationi mirifice inter alios Patres suffragatur S. Leo Magnus Pontifex Maximus, Sermone II. in die anniversario assumtionis suæ ad summi Pontificatus apicem, ubi non obscure eandem in Sacerdotia successionem elegantissima oratione convellit: *Davidicum Psalmum dilectissimi non ad nostram elationem, sed ad Christi Domini gloriam consona voce cantavimus. Ipse est enim de quo prophetice scriptum est*: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: *hoc est, non secundum ordinem Aaron, cujus Sacerdotium per propaginem sui seminis currens, temporalis ministerii fuit, & cum veteris Testamenti lege cessavit: sed secundum ordinem Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Et dum quibus parentibus sit editus, non refertur, in eo ille intelligitur ostendi, cujus generatio non potest enarrari*. Notatu sane sunt digna, quæ statim addit, sic dicens: *Denique cum hujus divini Sacerdotii sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro, & sanguis creavit, eligitur; sed cessante privilegio Patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit; ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas Sacerdotalis, atque Regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cælestis gratiæ gignat Antistitem*.

V. Quamquam vero una cum S. Leone Patres alii sentiant, omnesque passim Synodi ipsam Sacerdotiorum aditionem per portam carnis, & sanguinis deplorent, & damnent, nullum tamen fuit tempus, quo lues illa per Orientem, Occidentemque non grassaretur. Notavit jampridem S. Hieronymus hoc probrum Lib. i. in Jovinianum, numerans inter causas improbatæ electionis Antistitum, quod Pontifices sacra munera *affinibus & cognatis, quasi terrenæ militiæ officia largiantur*. Eum abusum hæreditariæ in Episcopatus successionis in Hispaniis gliscentem, refert quidem, ac damnat Hilarus Papa, qui mortuo S. Leone, in ejus locum suffectus est, in Concilio Romano anni CDLXV. Can. v. sic dicens: *Præterea fratres, nova, & inaudita, sicut ad nos missis de Hispaniis Epistolis, cum certa relatione pervenit, in quibusdam locis perversitatum semina subinde nascuntur. Nonnulli Episcopatum, qui nonnisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus sed hæreditarium putant esse compendium: & credunt, sicut res caducas, atque mortales, ita Sacerdotium, velut legali, aut testamentario jure posse dimitti. Nam plerique Sacerdotes in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare, ut scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quam grave sit æstimate. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de Ecclesiis auferamus, ne, quod turpe dictu est, homini quisquam putet deberi, quod Dei est*. Porro constat ex Epistola II. Hispanorum Episcoporum ad Hilarum Papam, Canonem hunc ideo editum esse, quia Nundinarius Barcinonensis Episcopus successorem sibi designaverat Irenæum quendam, quem memoratus Hilarus in Epistola sua secunda ad Ascanium Tarraconensem Metropolitam, & reliquos Taraconensis Provinciæ Episcopos ex Romanæ Synodi sententia data die trigesima Decembris anni CDLXV. a regimine Barcinonensis Ecclesiæ excludi voluit, *ne Episcopalis honor hæreditarium jus putetur, quod nobis sola Dei nostri benignitate confertur*.

VI. Non inficior, viguisse aliquando eam in Ecclesia disciplinam, ut Episcopi certis quibusdam casibus sibi successores deligerent; sed plane constat, eas successorum designationes nequaquam impedivisse, quo minus libere fieret eorum electio, postquam ii obiissent, a quibus fuerant designati. Fuse de ea disciplina agit eruditus Thomassinus Parte II. Lib. II. Cap. lv. & lvi. Nos qui nostrum Canonem explicamus eum, quem ille, abusum damnamus, hæreditariarum scilicet in Sacerdotia successionum intuitu carnis & sanguinis. Licet enim sanctissimi interdum Præsules pro suorum tem-

temporum necessitate successores sibi designarent, non tamen carnem, & sanguinem respiclebant, sed eos omnino, qui virtute, ac meritis præditi erant. Certe S. Athanasius, qui ea facultate usus est, ubi adventante morte sanctissimum Presbyterum Petrum designavit, qui sibi in Alexandrina sede succederet, ejus voluntati Clerum, Magistratum, Plebem unanimi in Petrum ipsum electione subscripsisse, testis est quidem Theodoretus Lib. IV. Cap. XVIII. *Athanasius Petrum suo suffragio designarat, ejusque electioni ab omnibus tam Sacerdotibus, quam Magistratibus assensum est. Populus quoque universus acclamationibus, quantum lætitiæ percepisset, demonstravit.* Sequutus est Athanasius in ea designatione, Moysis exemplum, quem Patres eam præsertim ob causam unanimi laude commendant, quod non suæ familiæ splendori studuit, eum Ducem populi sibi sufficiendum quæsivit; sed quem maxime idoneum ad id munus existimavit, Josue filium Nun, abjectis hac in parte filiis suis duobus, & fratris item filiis, cognatisque omnibus: *Porro*, inquit Theodoretus in Numeros Cap. XLVII. *convenit admirari Prophetam, qui cum haberet filios, & fratrem, & fratris filium, nullum horum ducem præfecit, sed Deum consuluit, & quem ipse decrevit, ordinavit.*

VII. Ex admirando hoc Moysis exemplo, qui cognatorum neminem sibi successorem accivit, inter alios Patres Origenes Homilia sua XXII. in Numeros ansam accipit, Episcopos, Clericosque omnes, adeoque laicos admonendi omnes, ne in eligendis pastoribus carnem, & sanguinem respiciant, sed uni consulant Ecclesiæ necessitati, morum sanctimoniæ, & Religioni: *Discant*, inquit, *Ecclesiarum Principes, successores sibi non eos, qui consanguinitate generis juncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum; sed referre ad judicium Dei, & non eligere illum, quem humanus commendat affectus, sed Dei judicio totum de successoris electione permittere. Numquid non poterat Moyses eligere Principem populo, & vero judicio eligere, & recta, justaque sententia, ad quem dixerat Deus:* Elige Presbyteros populo, quos tu ipse scis Presbyteros esse. *Et elegit tales, in quibus continuo Dei spiritus requiesceret, & prophetarent omnes?* Tum postquam dixit, potuisse Moysen eligere Principem Populi, eumque ideo non elegisse, ne posteris præsumtionis hujusmodi exemplum relinqueret, ita paulo post subjicit: *Si ergo tantus ille, ac talis Moyses, non permittit judicio suo de eligendo Principe populi, & constituendo successore; quis erit, qui audeat, vel ex plebe, quæ sæpe clamoribus ad gratiam, aut pretium fortasse, excitatis moveri solet; vel ex ipsis etiam Sacerdotibus quis erit, qui se idoneum ad hoc judicet, nisi si cui Deus oranti, & petenti a Domino reveletur.* Et paucis interjectis, exemplum Moysis persequens, ita concludit: *Nulla hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Propinquis, agrorum, & prædiorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit.*

VIII. Commendat inter alios veteres, atque illustres Scriptores Isidorus Pelusiota Libro III. Epistola CCLXXXVI. in Moyse eandem in designando successore humanorum affectuum abdicationem; sed audire præstat S. Hieronymum, qui in Caput I. Epistolæ Pauli ad Titum ex ipso Moysis exemplo infert, quam præpostere ad Ecclesiastica munera eligantur sanguine juncti, vel in quibus alia elucet ratio eligendi, quam virtutum, ac meritorum. Tractans enim illud Pauli, *Ut constituas per Civitates Presbyteros*, sui ac nostri pariter ævi abusum ita describit: *Moyses Amicus Dei, cui facie ad faciem Deus loquutus est, potuit utique successores Principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia Tribu eligitur Jesus, ut sciremus, Principatum in populos, non sanguini deferendum esse, sed vitæ.* Notanda præsertim sunt hæc, quæ mox sequuntur: *At nunc cernimus, plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse; sed quos ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit; &, ut deteriora taceam, qui, ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt.*

IX. Sedulus quoque in ablegando omni carnali affectu in conferendis Sacerdotiis inter alios summos Pontifices fuit quidem S. Gregorius Magnus, qui Lib. VII. Epistola V. ad Brunichildem Francorum Reginam, eam enixe obtestatur, ne in suo Regno Episcopatus, ac alios Ecclesiasticos gradus jure proximitatis dari permittat: *Christianitatis vestræ sollicitudo diligenter invigilet, & nullum, qui sub vestro Regno est, ad sacrum ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum, seu proximitatis jure patiatur accedere; sed ille ad Episcopatum, vel alterius sacri Ordinis officium eligatur, quem dignum & vita, & mores ostenderint.* Ablegandum addit eum abusum, non secus ac simoniacam pravitatem. Indidem post S. Hieronymum, & S. Gregorium argumentatur Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio, Cap. IX. Semper enim Clerici carnales in Ecclesia extitere, qui, ubi aliquod Beneficium Ecclesiasticum semel subiisset familiam, perinde ac si juris familiæ illius factum esset, ne inde excederet, & ad extraneos transiret, solliciti multum fuere, ac si fundus esset paternus, & a multis seculis per manus in ea familia conservatus, veluti vinea Naboth, ut scite Raynaudus inquit.

X. Sequioribus seculis quantum hujusmodi hæreditariæ successiones in Ecclesiis grassarentur, docet nos Hildebertus in Epistola sua LIII. ubi de Ecclesia Alvernensi hæc scribit: *Audivimus, & ultra quam credi possit, admirati sumus, in vestra matre Ecclesia, hæreditario jure Canonicas obtineri. Perniciosa hæc, & exhæredans hæreditas. Canonica namque stipendium est gratiæ, non hæreditatis emolumentum. Perit autem gratia, ubi hæreditas principatur: unde & hæreditate canonicum fieri, exire de Ecclesia est, non Ecclesiam introire. Qui enim dicunt,* Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei, *nec hæredes sunt Dei, nec cohæredes Jesu Christi.* Et paulo post: *Obumbrata rapina est, ea quæ electionis sunt, hæreditate vindicari.* Legenda integra Epistola, quæ tota in ea perversitate exagitanda consumitur. Legi etiam potest ejusdem Scriptoris Epistola LXV. ubi inter alia refert Decretum Concilii Namnatensis, contra hæreditarias in Beneficiis successiones.

XI. Luculentum exemplum malorum, quæ huic hæreditariæ per carnem, & sanguinem in Beneficia aditioni inhærent, & gravissimæ vindictæ, qua Deus illam punit, suppeditavit S. Bernardus in Vita S. Malachiæ Episcopi Hiberniæ Cap. X. ubi diffe-

differit de ejus alectione in locum Celsi Metropolitæ, seu Primatis Hiberniæ, exclusa quorundam Potentum progenie, quæ jampridem sedem illam Pontificalem occuparat, & ad alius transferri minime patiebatur: *Mos pessimus*, inquit, *inoleverat quorundam diabolica ambitione potentum, sedem sanctam obtentum iri hæreditaria successione. Non enim patiebantur episcopari, nisi qui essent de tribu, & familia sua. Nec parum processerat execranda successio, decursis jam in hac malitia quasi generationibus quindecim. Et eousque firmaverat sibi jus pravum, imo omni morte puniendam injuriam, generatio mala, & adultera, ut etsi interdum defecissent Clerici de sanguine illo; sed Episcopi nunquam. Denique jam octo extiterant ante Celsum viri uxorati, & absque Ordinibus, litterati tamen. Inde tota illa per universam Hiberniam, de qua superius diximus, dissolutio Ecclesiasticæ disciplinæ, censuræ enervatio, Religionis evacuatio; Inde illa ubique pro mansuetudine Christiana, sæva subintroducta barbaries, imo paganismus quidam inductus pro nomine Christiano*. Tum Cap. XI. fuse describit pessimam mortem tum illius, qui Sedem invaserat, tum illorum, qui ei adhæserant, ut Malachiam perderent.

XII. Seculo XI. ac XII. occasione colluvionis Presbyterorum, qui, ut alibi dictum est, passim uxores ducebant, & quorum filii plurimi Clericatu erant initiati, adeo ut in Anglia, teste Paschali II. in Epistola ad Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem, Clericorum istorum major esset numerus, quam aliorum; occasione inquam colluvionis illius Presbyterorum, qui in Sacerdotio filios procreaverant, cautum in variis Conciliis fuit, ut ad ulteriorem gradum isti filii, quorum plurimi Clerici erant, minime proveherentur. Tum tametsi in hac parte dispensatum fuerit, ea tamen conditione dispensatum est, ut in paterna Beneficia non succederent. Synodus Londinensis anni MCII. Can. VII. ita ad rem statuit: *Ut filii Presbyterorum non sint hæredes Ecclesiarum Patrum suorum*. Altera Londinensis Synodus anni MCXXV. Can. V. eandem prohibitionem renovat, ut nimirum beneficia non fiant hæreditaria: *Sancimus præterea, ne quis Ecclesiam sibi, sive præbendam paterna vendicet hæreditate, aut successorem sibi in aliquo constituat beneficio. Quod si præsumtum fuerit, nullas viret habere permittimus, dicentes cum Propheta:* Deus meus pone illos, ut rotam &c. Qui dixerunt hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

XIII. Ne quis putet, earum calamitatum expertes fuisse alias nationes, Synodus Namnatensis, anni MCXXVII. cui præfuit Hildebertus Archiepiscopus Turonensis, idipsum decrevit: *Ordinari filios Sacerdotum, nisi prius Canonici Regulares, aut Monachi fierent, Synodus interdixit. His autem, quos jam ordinatos constabat, abolendæ successionis intuitu, in Ecclesiis, quibus Patres eorum ministraverant, ministrandi abstulimus facultatem. Præbendas, & quaslibet Ecclesiæ dignitates, rigore quo debuit, inhibitum est, hæreditate obtineri*. Synodus Abrincatensis anni MCLXXII. Can. II. iterum prohibet, ne filii parentibus in beneficia succedant: *Filii Sacerdotum non ponantur in Beneficiis parentum*. Sed quid alias memorem Synodos, cum in Oecumenica IV. Lateranensi anni MCCXV. Can. III. non modo illegitimi, sed & legitimi filii indiscriminatim vetentur in paterna succedere Beneficia, idque in Ecclesiis Collegiatis, & Cathedralibus, ubi ne alias quidem præbendas obtinere permittuntur eodem tempore, quo Pater: *Ne Canonicorum filii, maxime spurii, Canonici fiant in secularibus Ecclesiis, in quibus instituti sunt Patres. Et si fuerit contra præsumtum, decernimus non valere; qui vero tales, ut dictum est, canonicare præsumserint, a suis beneficiis suspendantur*. Canoni huic sanciendo occasionem dedit pessima, quæ in plerisque Ecclesiis inoleverat corruptela, in quibus Canonicorum filii, maxime spurii, in paterna Beneficia passim succedebant.

XIV. Quamquam vero hæreditaria vera successio in Beneficia Ecclesiastica ope Conciliorum, ac summo studio Romanorum Pontificum ab Ecclesia Latina pluribus ab hinc seculis eliminata penitus fuerit; in Ecclesia tamen Græca, saltem alicubi, teste Joanne Chernacensi Dominicano in literis ad Fratres Ordinis sui de erroribus suæ gentis, *Parochi, & Episcopi fiunt hæreditario jure per consanguineorum violentiam*. In Ecclesia Latina, eliminata jam hæreditaria in Sacerdotia successione, restat tamen ejus deformitatis imago, cum nempe beneficiarius suum cognato, vel alteri renuntiat beneficium, sive etiam eum in eo beneficio, quod retinet, Coadjutorem assumit cum futura successione. Hanc successionis hæreditariæ imaginem Concilium Tridentinum Sessione XXV. *De reformatione*, Cap. VII. ait in re beneficiaria sacris esse constitutionibus odiosam, & Patrum Decretis contrariam, præsertim vero ubi in Coadjutores, ut sæpe fieri assolet, ii qui consanguinei sunt, assumuntur. Decernit itaque laudatum Concilium, hujusmodi hæreditariæ successionis speciem ablegandam esse ab Ecclesia, sic dicens: *In coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur*. Tum, quomodo coadjutor, cui, & ex qua causa concedendus sit, hisce plane verbis edicit: *Quod si quando Ecclesiæ Cathedralis, aut Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet Prælato dari coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam hæc causa prius diligenter a Sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ a jure, & decretis hujus sanctæ Synodi, in Episcopis, & Prælatis requiruntur: alias concessiones super his factæ, surreptitiæ esse censeantur*.

XV. Ergo contestatur Concilium, displicere sibi eas quas vocant Coadjutorias, quæ fere nihil quidem aliud sunt, quam inventum prorogandi idem Beneficium cum specie hæreditariæ successionis intra eandem familiam. Sunt sane antiquæ in Ecclesia, & ob necessitatem aliquando etiam commendatæ, modo non haberetur respectus ad carnem, & sanguinem; nam caro stetisse S. Odalrico Augustano Episcopo, quod Adalberonem ex sorore nepotem asciviisset coadjutorem, memorati sancti Antistitis Acta testantur. Sane quicquid olim in veteri Testamento, & qua ratione servatum fuerit circa hæreditarias in Sacerdotia successiones, jam, uti fuse superius ostensum est, a novo Testamento ablegatæ sunt. *Eam itaque* (ut verbis utar doctissimi Raynaudi, in opere cui Titulus, *Mala e bonis Ecclesiæ*, Lib. II. Sectione II. Cap. III. Num. XX. in fine) *divinam institutionem convellere nituntur, qui imaginem hæreditariæ successionis inducunt in Ecclesiam, Beneficiis intra eandem familiam quasi perpetuatis, & longa serie*

serie ratione solius consanguinitatis; a patruo ad nepotem, cognatumve delatis, non secus ac deferuntur avita prædia, & hæreditates. Novi eumdem hominem, qui hodieque, dum hæc scribimus, Ecclesiastico gaudet beneficio, quod a centum quadraginta & supra annis, a patruo ad nepotem delatum intra eandem familiam conservatum est, primusque obtinuit Capellanus quidam, qui Cardinali Bellarmino inserviebat. Tenenda est prorsus a Dominis Cardinalibus, cunctisque Ecclesiarum Prælatis, ac beneficiariis illa Concilii Tridentini admonitio Sessione xxv. *De reformatione,* Cap. I. eisdem facta, ut nimirum *omnem hunc humanum erga fratres, nepotes, propinquosque affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant &c.*

XVI. Nunc veniamus ad alteram nostri Canonis partem, qua damnatur non solum Armeniorum, sed & quarundam aliarum Ecclesiarum abusus, quo laici in Ecclesia suggestum ascendentes, divinas Scripturas ibidem populo adstante recitabant. Vetat id quidem Canon, mandatque, ne deinceps cuipiam ascendere sugestum, & ibi sacras lectiones legere liceat, nisi cui prius usitata sacris hominibus consuetudine, detonsa coma, benedictionem ex præscripto Canonum suus Pastor impertiverit; *hoc est, sacra nota, & charactere de more consignaverit;* uti exponit Zonaras. Abusum, quem Canon damnat, esse plane in Ecclesia antiquum, constat ex Synodo Laodicena anni cccxiv. Can. xv. ubi ex versione Herveti ita legimus: *Non oportet præter Canonicos Cantores, qui suggestum ascendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia.* Canonici ideo dicuntur, quod Canoni, idest Catalogo, seu Matriculæ Ecclesiasticæ essent adscripti. Præter alias Synodos, & Patrum Constitutiones, quibus vetantur laici ex ambone cantare, & sacras Scripturas legere, quod Cantorum, & Lectorum præcipuum munus erat, Theodorus Cantuariensis, Græcus origine, inter selecta Capitula apud Dacherium, id etiam ait, quod *laicus in Ecclesia non debet recitare lectionem.* Tempore tamen Balsamonis, idest Seculo xII. quo ipse floruit, Cantores nonnisi ex Eunuchis erant, quod a priorum seculorum disciplina abhorrebat. Tradit id ipse in Canonem IV. Trullanum, eumque abusum nos hodieque in Ecclesia Latina deploramus, quod Eunuchi non sine magno Ecclesiasticorum redituum detrimento, tametsi laici sint, Missas, Psalmos, & Lectiones cantant.

XVII. Canonem Laodicenum, ac nostrum hunc Trullanum, quod forte in desuetudinem abiissent, laicique homines, ac pueri in suggestu legerent, renovat non modo, ac firmat Septima Generalis Synodus, II. Nicæna Can. xIV. sed etiam addit, Monachos quoque, nonnisi per manus impositionem creatos primum Lectores, posse Scripturas de sugestu in Conventu populi recitare. Eruditus Lupus scite in suo Commentario ad hunc Canonem observat, solos olim ab Episcopis benedictos Lectores ex ambone, seu pulpito consuevisse legere, videri constare ex S. Cypriani Epistola xxIV. & xxxIII. in quarum altera notari quidem ea verba oportet: *Fecisse me sciatis Lectorem Saturum, quem jampridem communi consilio Clero proximum feceramus, quando ei die Paschæ semel, atque iterum lectionem dedimus, aut quando cum Presbyteris Doctoribus Lectores probaremus.* Ubi nota, laicum in Lectorem promovendum examinari primum debuisse per Episcopum, & Presbyteros Doctores, probationisque causa legisse aliquoties in Ecclesia, & ita Clero proximum constitui. Ad hunc morem respexit in laudata Epistola xxIV. S. Cyprianus. Plura de Lectoribus diximus, in nostro Tomo I. Romani Pontificalis ad Tit. VI. Nonnihil etiam de eisdem dicemus ad laudatum Canonem xIV. Concilii Nicæni II.

CANON XXXIV.

Porro autem cum & hoc Canon Sacerdotalis aperte dicat, quod conjurationis, vel sodalitatis crimen etiam ab externis legibus est vetitum, multo autem magis hoc fieri in Ecclesia prohibere oportet. Nos quoque observare studemus, ut siqui Clerici, aut Monachi inventi sint, vel conjurantes, vel sodalitates ineuntes, vel adversus Episcopos, vel Conclericos aliquid struentes, a proprio gradu omnino excidant.

NOTA.

Is, qui de conjuratione est Canon, renovatio est Canonis xIV. Concilii Chalcedonensis, eundemque a nobis suo loco explicatum reperies.

CANON XXXV.

Nulli omnium Metropolitanorum liceat, mortuo Episcopo, qui ejus Throno subest, res ipsius, vel Ecclesiæ ejus auferre, vel sibi vendicare: sed sint sub custodia Cleri Ecclesiæ, cui defunctus præfuit, usque ad alterius Episcopi promotionem, præterquam si in eadem Ecclesia non relicti sint Clerici; tunc enim Metropolitanus ea non diminuta servabit, ordinando Episcopo omnia reddens.

NOTA.

Quod Canone xxII. Concilii Chalcedonensis de Clericis simpliciter dictum fuerat, præsenti Canone de Metropolitano quoque edicitur. Ibi & hujus Canonis mentio, & alia, per quæ ejusdem explicationi satisfactum arbitramur, allata fusiori oratione fuere, Num. xI. & xII.

C A N O N XXXVI.

Renovantes quæ a ſanctis centumquinquaginta Patribus in hac Dei obſervatrice, & Regia Urbe convenerunt, & ſexcentorum triginta, qui Chalcedone convenere, conſtituta ſunt, decernimus, ut Thronus Conſtantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ Throno obtineat, & in Eccleſiaſticis, ut ille rebus magnifiat, ut qui ſit ſecundus poſt illum. Poſt quem magnæ Alexandrinorum Civitatis numeretur Thronus, deinde Antiochiæ, & poſt eum Hieroſolymitanæ Civitatis,

N O T A.

Innovantur hoc Canone, & confirmantur Canon III. Concilii I. Conſtantinopolitani, & Canon XXVIII. Chalcedonenſis Concilii. Quæ a nobis de Conſtantinopolitana Sede, in eorum Canonum, qui hic laudantur, explicatione dicta ſunt, ea quærenda; quæ qui legerit, plura in hanc ſententiam fortaſſe minime requiret,

C A N O N XXXVII.

Quoniam diverſis temporibus barbaricæ incurſiones fuere, & ex eo plurimæ Civitates infidelibus ſubjugatæ fuere, ut ideo non poſſit ejus Civitatis Præſul, poſtquam ordinatus fuerit, ſuum Thronum apprehendere, & in eo in Sacerdotali conſtitutione collocari, & ſic pro ea, quæ invaluit, conſuetudine, ordinationes, & omnia, quæ ad Epiſcopum pertinent, agere, & tractare: Nos honorem, ac venerationem Sacerdotio ſervantes, & gentilem injuriam nequaquam ad Eccleſiaſticorum jurium perniciem exerceri volentes; eis, qui ſic ordinati ſunt, & propter prædictam cauſam in ſuis Thronis non ſunt conſtituti, ut abſque ullo ex ea re præjudicio conſerventur, decrevimus, ut & diverſorum Clericorum ordinationes Canonice faciant, & præſidentiæ auctoritate ſecundum proprium ſtatum utantur, & ſit firma, ac legitima, quæcumque ab eis procedit adminiſtratio. Non enim a tempore neceſſitatis exacta juris obſervatione circumſcripta diſpenſationis terminus circumſcribetur.

C O M M E N T A R I U S.

I. Decrevit jam olim Antiochenum Concilium anni CCCXLI. Can. XVII. ut Epiſcopus, qui ſemel ordinatus, ad deſtinatum ſibi gregem, ac ſedem pergere detrectarit, excommunicationi ſubjiciatur, nec ſolvatur eo vinculo, *donec ſuſceperit coactus officium, vel perfecta Synodus Epiſcoporum provincialium de ipſo aliquid decernat*. Cauſas enim fortaſſe, ob quas excuſari velit, probabiles afferet, quibus a perfecta Synodo approbatis, pœna quoque impoſita homini condonabitur. Eſt autem illa perfecta Synodus, cui una quoque adeſt Metropolitanus. Sic enim eam vocem explicat Canon XVI. ejuſdem Synodi Antiochenæ.

II. Quod vero Canone XVIII. Antiocheno Decretum fuit, ut qui ordinati Paſtores, non aliquo ſuo vitio, ſed vel a populo excluſi, vel alia cauſa, in qua, culpa ipſi vacarent, impediti, ad gregem ſuum ire, & muneris ſui partes obire vetarentur, iis ut honore nihilominus, & liturgiæ prærogativis frui liceat: idem hoc noſtro Canone, ſuſius explicata conſtitutione decernitur. Siquis enim, inquit, ad Epiſcopatum evectus, deſtinatam ſibi civitatem quippe a barbaris forte occupatam, obire non queat, omnia is privilegia ſibi pro munere præfecturæ, quam obtinet, debita nihilominus vindicabit. Itaque & Clericos Ordinibus inſignire, *Canonice* tamen, hoc eſt, ut explicat Zonaras, ſervatis in eo Canonum ſanctionibus, ſine fraude poterit, & honorem Epiſcopi, & Cathedræ dignitatem obtinebit. Eſt hoc namque ἡ τῆς προεδρίας αὐθεντία, jus illud nempe, honeſtiore loco in ſua ſtatione, hoc eſt, ea ſede, quæ prima forte, aut ſecunda, aut alia deinceps ejus Urbis Epiſcopo conſtituta eſt, aſſidendi, nec de ea dejici Præſulem, quod ſacram ejus Urbis Cathedram, tenere adhuc non potuerit, propterea licebit.

III. Rurſus quæcumque Epiſcopali auctoritate ab eo conſtituta, actave fuerint, rata omnia, & quam optimo jure firma haberi præcipit etiam Canon. Nec enim quia temporum iniquitate, excitatæque a barbaris procellæ periculo excluſus, Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem Epiſcopus adire non poſſit, idcirco vel diligentia circumſcribetur, vel œconomiæ, ſive diſpenſationis termini anguſtius definientur; hoc eſt, ut ſcite etiam Zonaras notat, non ea de cauſa minus exacte; ac religioſe Canones ſervari placet, quorum auctoritate Epiſcopis, in ſua cuique Diœceſi, de omnibus, quæ ad eam pertinent, ſtatuendi eſt conceſſa facultas. Atque hæc ſunt quæ in noſtrum Canonem laudatus

Zonaras observat de Episcopis barbarorum incursione ad gregem suum, ac sedem pergere impeditis.

IV. Forte abs re non erit, hic eam quæstionem attingere, an Episcopus sævientibus bellis, aut barbarorum irruptionibus possit Ecclesiam suam deserere, vel in ea manere teneatur. Varii quidem varia asserunt, in unumque conjecit locum Gratianus quicquid in eam rem a sanctis Patribus disputatum est, Dicam itaque quod ab eo tandem concluditur in Canone, *Adversitas*, Causa VII. Quæstione I. ubi ait, si in solum Pastorem sæviat persecutio, exemplo Christi & Apostolorum fugere quidem posse pastorem, & a sua Ecclesia abesse: *Cum vero specialiter quæritur, fugiat exemplo Christi, qui a facie Herodis fugit in Ægyptum: fugiat exemplo Pauli, qui a fratribus per murum submissus est in sporta. Unde Augustinus ait: Fugiat Minister Christi, sicut ipse Christus in Ægyptum fugit: fugiat & qui specialiter quæritur, dum per alios firma est Ecclesiæ salus: Hinc etiam ait Dominus Discipulis*: Si vos persecuti fuerint in una Civitate, fugite in aliam. *Hinc etiam idem abscondit se, & exivit de Templo, quando Judæi lapides tulerant, ut jacerent in eum.*

V. At ubi in gregem æque, ac Pastorem persecutores, seu barbari irruunt, nec fugere posse Pastorem, nec ullo modo abesse idem Gratianus paulo post hisce verbis affirmat: *Cum vero non Prælatorum, sed totius Ecclesiæ salus quæritur, Fides impugnatur; necesse est, ut ex adverso ascendant, & in die belli seipsos murum opponant pro domo Domini, & animas suas ponant pro ovibus suis; ut exemplo suæ passionis accendant, quos sermone doctrinæ diutius conservare non valent.* Hæc Gratianus, qui ex S. Patribus multa eam in rem testimonia collegit, explicavitque. Hodie variæ a Canonici Juris Consultis afferuntur causæ, ob quas impune, & sine ullo prorsus scrupulo possunt Episcopi Ecclesias suas deserere.

CANON XXXVIII.

Canonem, qui a Patribus factus est, nos quoque observamus, qui sic edicit: *Siqua Civitas ab Imperiali potestate innovata est, vel rursus innovata fuerit, civiles, ac publicos typos Ecclesiasticarum quoque rerum ordo consequatur.*

COMMENTARIUS.

I. Canon is, cujus hic fit mentio, & innovatur, est pars Canonis XVII. Concilii Chalcedonensis, quam nos hoc loco explicandam reservavimus, ne Commentarius ille in longum abiret. Ergo, ut ejus explicationem aggrediar, ait Lupus in suo ad ipsum Chalcedonensem Canonem Scholio, confirmari eo Canone *antiquam Principis potestatem, qua Castrum, aut villa ab ipso in Civitatem erecta, statim consequebatur non tantum civilia privilegia, sed & Ecclesiastica, quorum principale est Cathedra, & Clerus Episcopalis.* Sed labitur vir Clarissimus, constat enim quinque primis seculis in Episcopatuum institutione ne vestigium quidem ullum deprehendi Imperialis auctoritatis. Jus illud intra provinciam suam habebant Metropolitæ, qui, latius per universum Orbem suos palmites producente Christiana Religione, novos erigebant Episcopatus, novosque creabant Episcopos, qui novellas fidei propagines excolerent. Sic Phœdimus Amaseæ Metropolitanus, Neocæsareæ Urbi, in qua non amplius erat numerus, quam decem & septem fidelium, S. Gregorium Thaumaturgum primum dedit Episcopum, & verbo absentem consecravit citra manuum impositionem, ut testis est in ejus Vita S. Gregorius Nyssenus.

II. Divisa in duas provincias Cappadocia a Valente Imperatore, a quo id Anthymus Tyanensis Episcopus extorserat, ut Cappadociæ II. sua Tyana Civitas caput esset, ac Metropolis, S. Basilius Cæsariensis in Cappadocia Archiepiscopus, ut metropoli suæ illatum vulnus aliquo pacto curaret, exiguam Sasimorum Ecclesiam in Episcopatum erexit, eoque oneravit S. Gregorium Nazianzenum quantumvis reluctantem, ejusque rei testem inter alios habemus ipsum Gregorium, qui Oratione sua in laudem Basilii, ita de eodem scribit: *Dissidium hoc in Ecclesiæ lucrum, emolumentumque convertit, ex eoque calamitate insignem utilitatem traxit, patriam nimirum pluribus Episcopis communiens. Ex quo tres præclarissime res sequutæ sunt; nam & animarum cura major suscepta est, & quælibet civitas proventus suos habuit, & bellum hac ratione compressum, & extinctum est.* Et mox. *Hujus consilii vereor, ne velut appendix quædam ipse fuerim. Neque enim honestius, ac speciosius verbum, quo utar, occurrit. Nam cum cetera omnia hujus viri facta supra quam dici queat, admirer; unum hoc laudare nequeo, (affectum enim animi confitebor, alioqui nec multis incognitam) eam nimirum, qua mecum præter morem usus est, inhumanitatem, ac diffidentiam, cujus mærorem ne tempus quidem adhuc exhaurire potuit.* Dolet hic de eo Gregorius, quod Sasimis, vili, & inamœno, ac perangusto oppido, amicum amatissimum præfecisset Basilius, tamquam ipsius virtuti parum confideret. Sed quicquid de ea re sit, illud certe ex hac historia addiscimus, jus quidem fuisse Metropolitanis, non vero Imperatoribus suam intra Provinciam novos Episcopatus instituere.

III. Neque vero solum Metropolitæ, sed & ipsi etiam non raro Episcopi tum Orientis, tum Occidentis sine ulla Imperatoris auctoritate alios intra Diœcesim suam creabant Episcopos, pia sollicitudine alii, alii ambitione acti, ut haberent, in quos sarcinæ pastoralis aliquam partem deponerent, aut obnoxios, quibus imperitarent. Inde factum est, ut passim in agris, villisque, & in locis ignobilioribus ordinarentur Episcopi, cum tamen ex Majorum traditione, teste Athanasio in Apologia sua II. non deberent in iis locis institui: *Non oportet in villulis, vel agris Episcopos constitui, sed Visitatores, Verum tamen jampridem constituti nihil faciant præter conscientiam Episcopi.* Verba sunt Canonis XVII. Concilii Laodiceni, quod

quod ante Athanasium habitum fuerat, & quidem anno CCCXIV. Ubi nota, I. ante hujus Concilii tempora consecrasse plerumque Episcopos sine Imperatorum auctoritate novos in suæ Diœcesis Oppidulis Episcopos, quibus regionis alicujus, & earum, quæ circa erant, Parœciarum cura committeretur. II. statuisse autem Synodum, ne posthac ibi, nisi Chorepiscopi ordinarentur. III. ut qui hactenus in eis locis ordinati fuerant, ii ne quid auderent, nisi annuente, & probante Episcopo Civitatis.

IV. Canonem Laodicenum de Episcopis non instituendis, nisi in Urbibus frequentioribus, ne vilesceret Episcoporum majestas, si sedem in villulis, oppidulisque haberent, innovavit anno CCCXLVII. Sardicensis Synodus Can. VI. ubi non modo statuit, ne in vicis, ac modicis civitatibus ordinarentur Antistites, verum etiam, ut in cujus Episcopi Diœcesi plebs populosa inveniretur, huic suus constitueretur Episcopus consensu Concilii Provincialis. Postquam laudatus Canon ex versione Gentiani Herveti, dixit, *non licere simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago, vel parva urbe, cui vel unus Presbyter sufficit*, ob eam rationem, *ne Episcopi nomen, & auctoritas vilipendatur*; ita statim subjicit: *Provinciæ Episcopi debent in iis Urbibus Episcopos constituere, ubi etiam prius Episcopi fuerunt. Si autem inveniatur Urbs aliqua, quæ adeo populosa evadat, ut ipsa Episcopatu digna judicetur, accipiat*. Nulla hic fit mentio Imperatoris, ejusque consensus, sed solum Concilii Provincialis.

V. In Africa laborante Ecclesia hæreticorum colluvie, quia sæpius contingebat, ut plebes, quæ antea proprium Episcopum non habuerant, sibi Episcopum dari postularent, vel proprio studio suo, vel Presbyterorum ambitione, unde oriebatur fœda Ecclesiarum perturbatio, novarum sedium Episcopalium institutionem ad plenarium Concilium, idest Provinciale cum Metropolitano deferri placuit quidem Patribus Synodi Africanæ Canone LXV. *Placuit & illud*, inquiunt, *ut plebes, quæ nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex Concilio plenario uniuscujusque Provinciæ, & Primatis, atque consensu ejus, ad cujus Diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minime accipiant*. Consensum proprii Episcopi, e cujus Diœcesi delibatio fieret, requirit plurium Conciliorum decretis adhærens eadem Synodus Can. XX. ubi ita inquit: *Multis Conciliis hoc statutum est a Cœtu Sacerdotali, ut plebes, quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ Episcopos nunquam habuerunt, nonnisi cum voluntate ejus Episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant Rectores*. Idipsum testatur Concilium II. Carthaginense labente seculo IV. habitum, Can. XLVI. ita inquiens: *Audivimus constitutam, ut Diœceses non mereantur Episcopos accipere, nisi cum consensu ejus, sub quo fuerint constitutæ*. Neque hic ulla Imperatoris mentio, sed totum jus esse dicitur Provincialis Synodi, novum erigere Episcopatum inter unius Episcopi fines, modo ejus accedat consensus, e cujus territorio fit delibatio.

VI. Porro tametsi memorati Canones Africani in erigendis novis Episcopatibus consensum requirant Concilii Provincialis, constat nihilominus S. Augustinum, cum statuisset novum in Castro suæ Diœceseos Fussala Episcopatum erigere, propterea quod quadraginta passuum millibus ab Hipponensi Civitate distaret, nec posset eo se curam

To.II.

Episcopalis, & vigilantia tanta porrigere, quantam impendere ipse satagebat, non quidem Imperatoris, vel Provincialis Synodi, sed solius Primatis, cui ut Metropolitano suberat, consensum sibi necessario requirendum existimasse. Sic enim ipsemet scribit Epistola CCLXI. ad Cœlestinum Papam: *Propter quem ordinandum* (idest novum Episcopum) *sanctum senem, qui tunc Primatum Numidiæ gerebat, de longinquo, ut veniret, rogans, literis impetravi*. Ubi nota, I. nec Imperatoris, nec Carthaginensis Antistitis mentionem facere Augustinum, nec Romani Pontificis, quamvis ad Cœlestinum data Epistola sit, sed tantum Primatis, a quo & ordinari curavit novum Episcopum. II. sileri ab Augustino consensum Concilii Provincialis, quod is contineri videtur consensione Primatis, qui vix quicquam majoris rei, nisi de Concilii sententia moliebatur.

VII. Antequam ulterius progrediamur, jam liquet ex dictis, nullam habuisse Imperatores potestatem, vel consuetudinem, etiam post datam Ecclesiæ pacem, ubi ipsi Christiani erant, erigendi novos Episcopatus. Christianus Lupus in Scholio suo ad Canonem XVII. Chalcedonensem, ut probet confirmari eo Canone *antiquam Principis potestatem, qua castrum, aut villa ab ipso in civitatem erecta statim consequebatur non tantum civilia privilegia, sed & Ecclesiastica, quorum principale est Cathedra, & Clerus Episcopalis*, duo mox affert exempla, Majumæ, & Basilinopolis, quas ab Imperatoribus in Civitates erectas ait, & Episcopatu insignitas. Verum aliter se res habet, quam narrat Lupus. Ut enim egregie notat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. I. Cap. LIV. Num. VII. jam scite observavit Sozomenus, in Palæstina Gazam, & Majumam, quæ olim fuerant civitates duæ, & duo Episcopatus, in unam quidem ab Imperatoribus civitatem conjunctas fuisse, sed in una civitate duos remansisse Episcopatus: *Utraque seorsum suum habet Episcopum, suum Clerum*. Mortuo Majumæ Episcopo, Episcopatus utriusque unionem tentavit Gazæ Episcopus, sed, ut inquit Sozomenus, *Concilium gentis illius causam cognovit, aliumque creavit Episcopum*. Quod vero Basilinopolim spectat, etsi illa a Juliano, seu ab alio quovis Imperatore in album Urbium relata, Episcopali mox sede decorata est, id certe non Imperatoris, sed Nicæni Episcopi auctoritate consecuta est, cujus e Diœcesi abscindebatur. In rescripto Regio nulla prorsus mentio Episcopatus, ut scite idem Thomassinus notat. Rem æstimavit Nicænus Episcopus a communi consuetudine, Urbem sine Episcopo esse non debere.

VIII. Quamvis autem primis quinque seculis vix expectato summi Pontificis nutu novi, vel a solis Episcopis, uti dictum est, vel a Concilio provinciali, Episcopatus erigerentur, insequentibus nihilominus nulli prorsus, aut fere nulli creati sunt Episcopatus novi, nisi de Metropolitani, Provincialis Synodi, & Papæ consensu. Pluribus id quidem ostendit Thomassinus Parte I. Lib. I. Cap. L. & seqq. Sed fatendum est, rebus melius compositis, penes solos Romanos Pontifices fuisse potestatem, novas sedes Episcopales instituendi, eamque ipsos veluti unam e majoribus causis ad se revocasse. Laudunensem quidem Episcopatum a suo sinu, idest propria sede avulsum instituit S. Remigius Remensis Episcopus, & Genebaldum primum dedit Antistitem, auctore Hincmaro in vita S. Remigii apud Surium die XIII. Januarii. Sed

auctoritate Apostolica id factum, nemo est, qui dubitet, cum ex mandato Hormisdæ Papæ esset Vicarius Sedis Apostolicæ in finibus Regni Clodovei, ut patet ex Epistola Hormisdæ. Trajectensem Episcopatum erexit Wilebrodus primus Frisiorum Episcopus, sed auctore Pontifice, tamquam Legatus scilicet Sergii I. Papæ, ex Sigeberto ad annum Christi DCXCVII.

IX. Sed quid opus aliis exemplis est in re, quam passim legere est apud Ecclesiasticæ historiæ Scriptores, ex quibus satis liquet superque, in Episcopatuum & Metropoleon erectionibus summam auctoritatem fuisse penes Romanos Pontifices, tametsi complures historici rerum executioni plerumque soli animum, calamumque advertentes, ad Imperatores omnia referant, propterea quod eorum maxime potestas, liberalitasque enitescebat in extruendis, locupletandisque novis Ecclesiis, ut scite admodum laudatus Thomassinus observat. Porro illud vehementer stupendum, quod tum Patres Chalcedonenses, tum Patres Trullani, Imperatoribus assentantes totam Episcopatus, & Metropoleos instituendi facultatem ita illis attribuere, ut illam potestatem Episcopis, & Conciliis penitus eripuerint. Constat id quidem ex Canone XVII. Chalcedonensis, & Canone XXXVIII. Trullano, cui succinens Græcus Zonaras, sic in suo ad illum Scholio scribit: *Ut seu novæ Urbi Episcopatus appellationem, seu Metropolitani fastigii honorem Imperator indulserit, eodem prorsus ordine, ac jure Ecclesiasticis quoque legibus habenda esse censeatur*.

X. Idipsum affirmat tum in laudatum Canonem Chalcedonensem, tum in Trullanum Alexius Aristinus, *Si Imperator*, inquit, *de novo Urbem exstruxit, vel imposterum extruet, non contendet pro illa vicinus Episcopus, & sub Parochiam suam trahere illam studebit, sed civiles, & publicos typos sequetur. Illius scilicet Provinciæ, vel Parochiæ Episcopus illam sub se habebit, sub qua illa disposita est, & facta obnoxia*. Civiles, & publici typi, quorum meminit noster Canon, seu dispositiones civiles, & publicæ, uti habetur in Canone XVII. Chalcedonensi, sunt, uti exponit Lupus, tabulæ Romanum Imperium in suas Provincias, civitates, castra, territoria dividentes, vulgo dictæ Notitia Imperii, atque ita facta per Principem nova civitas habet Episcopum, isque non viciniorem, a cujus Throno divulsus est, Episcopum habebit in Metropolitam, sed illum qui secundum laudatos est veras, & antiquus Metropolita ipsius Provinciæ; prior autem Episcopus nihil retinet in illam juris.

XI. Sed hisce omissis, mirum illud videri debet, quod Græcus Balsamon in Scholio ad Canonem Carthaginensem minus probet tantam in Imperatores Græcorum assentatorum inertiam, ubi ita ait: *Adjiciunt, quod Imperator nec Canonibus, nec legibus tenetur; & ideo est in ejus potestate Episcopatus in Metropoles erigere, & a suis Metropolitanis alienare, & de novo Episcopos, & Metropolitanos constituere, & jubere Episcopis in alienis Diœcesibus sacrificare, præter sententiam Episcoporum illius regionis, & alia ejusmodi Episcopalia jura exercere*. Sed nec omittendum, quod idem tradit, generalibus ipsis apud Græcos Conciliis cautum fuisse, ne quidquam istiusmodi moliri possint Episcopi absque Imperatoris auctoritate: *Fieri Episcopos de novo in Parochiis sine Regio mandato non permittitur, etiamsi millies consenserit, qui eam habet Episcopus. Synodice enim constitutum est, ut nec ipsa magna Synodus sine jussu Regio possit novare Episcopos*. Ubi nota, apud Græcos fuisse Imperatorem, saltem ex illorum sententia, supra sacros Canones, veluti Romanum Pontificem Maximum.

XII. Tandem notandum & illud hic censeo, quod sicut olim priscis primis quinque seculis non potuit Imperator sua auctoritate Episcopatum erigere, ita nec etiam auferre. Etenim de Juliano Imperatore, qui Majumam civitatis jure privaverat, ut illam in antiquam Gazensium potestatem reduceret, ita scribit Sozomenus Lib. V. Cap. III. *Ex eo tempore Gaza, & Majuma Magistratus civiles, belli duces, Respublica communis est; solo Ecclesiæ statu, & gubernatione duæ videntur hoc tempore Civitates distinctæ. Nam utraque seorsum suum habet Episcopum, suum Clerum, distinctos agrorum fines, quibus Altaria ad utrumque Episcopatum spectantia distinguuntur. Quidam nostro tempore Gazæ Episcopus, Episcopo Majumæ defuncto laboravit, ut uterque Clerus sibi subjiceretur. Non enim fas est, inquit, ut uni Urbi duo præficiantur Episcopi*. At nihil obtinuit, ut idem testatur Auctor. Etiam Sancto Basilio, eodem teste Sozomeno, Cap. IV. offensus memoratus impius Imperator Julianus Cæsaream Cappadociæ Metropolim *ex numero Civitatum delevit, & Cæsarie nomine privavit*. Mansit tamen illic non tantum Episcopatus, sed & Primatus totius Ponticæ Diœceseos, ut scite advertit doctissimus Lupus in laudatum Canonem XVII. Concilii Chalcedonensis. Sed ejusmodi exempla frequenter occurrunt in Ecclesiastica Historia. Quamvis autem Græci adeo Imperatoribus assentati sint, ut divinarum æque ac humanarum rerum potestate eos investire non erubuerint, nusquam tamen eisdem Ecclesiasticam Hierarchiam ex arbitrio confundere Ecclesia permisit, vigilantia præsertim, ac fortitudine Romanorum Pontificum.

CANON XXXIX.

Cum frater, & comminister noster Joannes Insulæ Cypri Præsul una cum suo populo in Hellesponticam provinciam, & propter barbaricas incursiones, & ut a gentilium servitute liberarentur, & Christianissimæ potentiæ sceptris pure subjicerentur, a prædicta Insula emigraverit, clementis Dei providentia, & pii, Deique amantis Imperatoris nostri labore, constituimus, ut citra ullam innovationem serventur, quæ a divinis Patribus, qui Ephesi primum convenerant, prædicti Viri Throno privilegia concessa sunt, ut nova Justinianopolis Constantinopoleos jus habeat, & qui in ea constituitur, pius, ac

ac religiosissimus Episcopus, præsit omnibus Hellesponticorum Provinciæ Episcopis, & a suis Episcopis eligatur ex antiqua consuetudine. Mores enim qui sunt in unaquaque Ecclesia, divini etiam nostri Patres servandos censuerunt, Cyzicenorum Civitatis Episcopo Præsuli dictæ Justinianopoleos subjecto existente, ad imitationem reliquorum omnium Episcoporum, qui subsunt prædicto Dei amantissimo Præsuli Joanni, a quo, cum usus postulaverit, etiam ipsius Cyzicenorum Civitatis Episcopus ordinabitur.

COMMENTARIUS.

I. SAnxerat jam olim Imperator Justinianus, ut Cypriorum Metropolis, cui nomen erat *Constantia*, seu *Constantina*, suo deinceps nomine, *Justinianopolis nova* diceretur, quia scilicet destructam penitus restauravit, ornavitque multis privilegiis; errat enim Nicephorus Callixtus, ubi Lib. XVI. *Historiæ*, Cap. XXXVII. & alibi, ita vocatam a Justiniano I. eam urbem ait, in Augustæ suæ Theodoræ apud Cyprios natæ honorem. Sed hæc obiter; ut autem ad rem nostri hujus Canonis deveniamus, jam ante Justinianum Ephesina Synodus Oecumenica III. de Ecclesia Cypriorum Decretum ediderat, quod nos Tomo I. suo loco explicuimus, ut nimirum nec Antiochenus, nec ullus quivis Episcopus in Insula Cypro aliquam vel Metropoliticam auctoritatem exerceret, sed ut omnia negotia ibi emergentia a Constantiæ Metropolita, & Synodo Provinciæ definirentur.

II. Subacta deinde a Sarracenis Insula, & coacto Joanne ejus Metropolita una cum suo populo in Hellespontum migrare, duo in ejus gratiam præsenti Canone, curante Imperatore Justiniano juniore, decreta sunt. Primum, ut omnino illæsum servaretur, quod ipsi Ecclesiæ Cypriorum ab Ephesinis Patribus aut donatum fuerat, aut confirmatum, ne scilicet esset Patriarchæ Antiocheno obnoxia, sed primatu, & autocephalia gauderet sua. Alterum, ut Hellesponti Episcopi omnes una cum suo Metropolita, qui erat Cyzicenorum Antistes, ei subjicerentur; Voluit porro Imperator Joanni Episcopo gratificari, cujus tanta fuerat erga Romanum Imperium studii constantia, *ut una cum suo populo in Hellesponticam Provinciam, & propter barbaricas incursiones, & ut a gentilium servitute liberarentur, & Christianissimæ potentiæ sceptris pure subjicerentur, a prædicta Insula emigraverit.*

III. Sed cum turpe sit, quempiam locupletari cum aliena jactura, certe non sine manifestissima injuria Patres Trullani eas prærogativas Cypriorum Metropolitæ asseruere, ut hospitalem provinciam, quæ ipsum peregrinum, atque exulantem receperat, eidem subjicerent, transfusis in illum suæ primæ sedis privilegiis, quam immunem ab Antiocheni Patriarchæ potestate Ephesina Synodus seu fecerat, seu declaraverat. Ea enim verba, *Ut nova Justinianopolis Constantinopoleos jus habeat*, hunc sensum habere possunt, ut Justinianopolis iisdem privilegiis gauderet, quibus Constantinopolis, hoc est, vetus Cypri Constantina, seu Constantia prædita erat. Quod si per Constantinopolim, velit quispiam, uti inter alios vult Lupus, Regiam Urbem intelligi, quæ olim Byzantium dicebatur, ea privilegiorum æqualitas intra duo illa cohibebitur, quæ jam noster Canon expressit: *Prærogativam igitur suam*, inquit ad hunc Canonem Zonaras, *Cypri Ecclesiis inviolatam servari hic Canon jubet, novamque Urbem, quæ Justinianopolis dicta, æquali cum Urbe Constantinopolitana jure esse decernit. Et quemadmodum Constantinopolitanæ Sedi Asiana Provincia, Pontica, Thraciaque subjecta, sic Hellespontica Justinianopolitanæ adjudicata, & in Episcopum Cyzicenum auctoritas (nam ipsa quoque Cyzicus in Hellesponto est) ejusdemque renunciandi facultas permissa.* Quibus verbis per Constantinopolim, cujus noster Canon meminit, non aliam quam Regiam Urbem intelligit.

IV. Permirum illud videri debet, quod cum nostra hæc Synodus Can. XXXVII. de Episcopis, qui ad eas ordinantur, & destinantur Urbes, a quibus ut recipiantur, nulla vi consequi possunt, statuat quidem, quod his in loco, ubi sedem figunt, nempe in aliquo suæ Diœceseos castro, quia in Civitate non possunt, jus suum exerceant, aut Urbem regendam alibi accipiant, qualem in hoc Canone habuit Episcopus Constantiæ, seu Constantinæ Cypri in Hellesponto, sua, his inquam, servetur in ordinibus celebrandis auctoritas, & plenissimus jurisdictionis usus, absque ullo tamen primatu in eam Ecclesiam, in quam se recipiunt; nunc Cyprio Episcopo tanta tribuatur potestas in Provinciam Hellesponti, quæ ipsum advenam, & peregrinum recipit. Sed admirari desino, ea enim est Græcorum erga Imperatores suos assentatio, ut, sicut alibi notatum est, eum supra Canones, ac jus omne habere non erubescant.

V. Est res plane lacrymis digna, quod hospites, & peregrini præsertim Ecclesiastici, ubi ad aliquem locum recipiuntur, & pro impensa sibi charitate debitores benefactoribus esse debuerant, contra Ecclesiasticam ordinationem, contra Sacerdotalem modestiam, contra sacrorum statuta Canonum, non vereantur omnem intentare lapidem, ut a suis sedibus possessores ablegent. Olim quidem cum Isauriæ Civitatis Episcopus una cum suo Clero, & sancti Martyris Donati corpore migrans in Insulam Corcyram, Cassiopi, in quo degebat exul, castrum veluti proprius Episcopus suæ niteretur subjicere potestati, fultus sacra circumscripti Mauritii Augusti jussione, intercessit quidem Asclysonus prædictæ Insulæ Episcopus, pro eoque S. Gregorius Magnus suam tulit sententiam, uti legere est in ejus Epistolis, II. III. & VIII. Lib. XII. Indictione VII. ejectis enim per barbaros Episcopis præstanda esse sola cum congruo sedis honore alimenta, nequaquam vero *Ecclesiastici Throni dignitatem dividendam*, jam antea idem æquissimus Pontifex ex Sardicensi Canone ad Illyrici Episcopos rescripserat.

VI. Tandem quod nostro Canone, & Justiniani II. auctoritate, seu potius violentia præceptum sit, *ut nova Justinianopolis Constantinopoleos jus habeat*, scilicet in Hellespontum, non mirum videri debet,

debet; cum constet, Patriarcham Constantinopolitanum nonnisi Principis violentia jam olim Primati Ephesino Hellespontum eripuisse. Ceterum monent Balsamon, Zonaras, & Aristenus, suo tempore, idest Seculo XI. & XII. quo ipsi floruerunt, nullam in Hellesponti regiones Urbesque Archiepiscopum Cypri habuisse potestatem; ejusque rationem hanc reddit Aristenus: *quod postquam Cyprus Gentilium manibus liberata fuit, quæ in Hellesponto erant Metropoles, ad Thronum Constantinopolitanum redierint*. Quibus ex verbis, tradit Vanespen in sua ad hunc Trullanum Canonem Nota, *hanc indulgentiam tantum fuisse temporalem, quandiu ipse Joannes, provincia sua a Barbaris occupata, in provincia Hellespontica pro fide quasi exulare debebat*.

VII. Sed errat profecto Vanespen, aliique omnes, qui hocce privilegium putant Joanni Episcopo personale. Ut enim rectissime observat doctissimus Lupus, contrarium evincunt ea Canonis verba: *Ut nova Justinianopolis Constantinopoleos jus habeat, & qui in ea constituitur pius, ac religiosissimus Episcopus, præsit omnibus Hellesponticorum Provinciæ Episcopis, & a suis Episcopis eligatur ex antiqua consuetudine*. Fuerunt hæc quidem phantasmata potius junioris Justiniani, quam privilegia, quæ etiam an re ipsa quandoque Justinianopolitanus Antistes usorpaverit, fatetur Zonaras, se haud posse facile affirmare. Certe constat, fuisse postmodum ea privilegia penitus eversa a Patriarchis Constantinopolitanis, qui etiam non solam Cyprum, sed & cunctas ipsas Sedes Patriarchales suæ potestati, seu potius iniquissimæ tyrannidi suæ subdidere.

C A N O N XL.

Quoniam Deo hærere per secessum ex vitæ strepitu, ac perturbatione valde est salutare, oportet, nos non sine examinatione eos, qui vitam Monasticam eligunt, non intempestive admittere, sed nobis a Patribus traditum terminum in eis quoque servare, ut vitæ secundum Deum professionem, ut jam firmam, & a scientia, ac judicio factam tunc admittamus, post rationis complementum. Qui ergo Monasticum jugum est subiturus, ne sit minor, quam decem annorum natus, ejus quoque rei examinatione in Præsulis arbitrio sita, an augeri tempus conducibilius existimet, ad introductionem & constitutionem in vita Monastica. Etsi enim Magnus Basilius in sacris suis Canonibus eam, quæ se sua sponte Deo offert, & virginitatem complectitur, si septimum decimum annum compleverit, in Virginum ordinem referendam esse statuit; sed tamen de Viduis, & Diaconissis, exemplum secuti, in dictum tempus, analogia, & proportione habita, eos, qui vitam Monasticam elegere, deduximus. In divino enim Apostolo scriptum est, sexaginta annorum Viduam in Ecclesia eligendam: sacri autem Canones quadraginta annorum Diaconissam ordinandam esse statuerunt, cum Dei Ecclesiam Dei gratia potentiorem, ac robustiorem evasisse, & ulterius procedere vidissent, fideliumque ad divinorum mandatorum observationem, firmitatem, ac stabilitatem. Quod quidem cum nos quoque optime intellexissemus, modo statuimus benedictionem gratiæ ei, qui certamina secundum Deum aggressutus est, veluti quoddam signaculum celeriter imprimentes, hinc eum ad non diu cunctandum, & tergiversandum inducentes, vel potius etiam ad boni electionem, & constitutionem incitantes.

C O M M E N T A R I U S.

I. Agit Canon de ætate monasticæ professioni præscripta, vocatque primum vitam monasticam *secessum ex vitæ strepitu ac perturbatione*; quia scilicet Monachus Latine, nil aliud Græce, quam solum significat. Unde S. Hieronymus in Epistola ad Paulinum, *Sin autem*, inquit, *cupis esse, quod diceris Monachus, idest, solus; quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Et in Epistola ad Heliodorum, *Interpretare*, ait, *vocabulum Monachi, hoc est, nomen tuum; quid facis in turba, qui solus es?* Idem insinuat Cassianus Collatione XVIII. Cap. V. sic dicens: *Qui paulatim tempore procedente segregati a credentium turbis, ab eo quod a conjugiis abstinerent, & a parentum se consortio, mundique istius conversatione secernerent, Monachi, sive Monazontes, singularis, ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt*. Hinc Eutyches hæresiarcha volens perfectum se Monachum ostendere, dixit ad S. Flaviani Legatos, qui illum ad Concilium vocabant, vivere se in Monasterio, quasi in sepulcro, uti legere est in Actione I. Concilii Chalcedonensis, & Tomo nostro I. Conciliorum, in Commentario ad Canonem IV. Chalcedonensem, ubi etiam adnotavimus fucum illum fuisse Eutychis, qui, ne

ad

ad Concilium pergeret, jactabat, vivere se in silentio absque ullo negotio, & perturbatione. Non enim solitudo sola, idest locus solitudinis Monachum facit, sed mens solitaria, & studiosa veræ Philosophiæ, uti recte admodum docet S. Joannes Chrysostomus in Psalmum CLX.

II. Fuse de Monastica disciplina, ejusque origine, ac variis capitibus egimus quidem in laudato ad Canonem IV. Chalcedonensem Commentario: ea hic nunc explicabimus, quæ hic noster Canon præscribit: *Oportet*, inquit, *non sine examinatione eos, qui vitam Monasticam eligant, non intempestive admittere*. Ne scilicet forte admittantur, qui carent recto proposito, & a Deo vocati non sunt, sollicite ac diligenter probanda est illorum vocatio, uti recte in antiquis Monachorum regulis cautum est, ac præsertim in S. Benedicti Regula Cap. LVIII. ubi ita inquit: *Noviter quis veniens ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus; sed, sicut ait Apostolus: Probate spiritus, si ex Deo sunt*. Vario enim spiritu homines agi solent in rebus sive amplectendis, sive fugiendis, sed non omnia instinctus, seu spiritus ex Deo est. Nonnunquam enim transfigurat se Angelus Satanæ in Angelum lucis; eamque ob causam optime monet Apostolus Joannes in Epistola 1. Cap. IV. cujus verba usurpavit S. Benedictus: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt*.

III. Vocationis spectandæ causa, qui se se offerebant Monasterio, jam olim in illud admitti non potuisse, priusquam per decem dies excubassent præ foribus Monasterii, patientiæ periculum facturi, tradit Cassianus de institutione Cœnobitarum, Cap. III. *Igitur ambiens quis intra Cœnobii recipi disciplinam, non ante prorsus admittitur, quam diebus decem, vel eo amplius, pro foribus excubans, judicium perseverantiæ, ac desiderii sui, pariterque humilitatis, ac patientiæ demonstraverit*. Idem Cap. XXXVI. ejusdem libri laudatus Auctor affirmat, sic inquiens: *In hac quoque humilitate, ac patientia, qua ut susciperis in Monasterio, decem diebus perseveras, non solummodo persistas, verum etiam proficias, atque succrescas*. Longe egregium est, quod scribit Collatione XX. Cap. I. de Abbate Pinufio de suo Monasterio ad Tabennense clam emigrante, nam ait, quod, *ne ullo habitus sui proderetur indicio, multis, ut illic moris est, diebus lacrymans, pro foribus excubavit, atque ad omnium genua provolutus, post eorum diuturna fastidia, tandem, ut susciperetur, obtinuit*.

IV. Rursus tametsi patientia decem dierum ad ostium Monasterii probatus esset, ibique, ut susciperetur, multas effunderet lacrymas, nondum tamen in Monasterium ipsum admittebatur, sed solum ei locus dabatur in cella hospitum, seniorisque Magisterio tradebatur, qui curam peregrinorum, & hospitum habebat, tandemque nonnisi post annum seniori alii tradebatur, qui decem junioribus instituendis præerat. Testem ejus disciplinæ habemus luculentissimum, memoratum Cassianum Lib. IV. *De institutione Cœnobitarum*, Cap. VII. cui concinit S. Benedictus in sua Regula Cap. LVIII. & Aquisgranensis Synodus anni DCCCXVII. Can. XXXIV. Ceterum ingressuris Monasterium, vocationis probandæ causa, ex eodem Benedicto, proponebatur via dura & aspera, qua itur ad Deum: *Prædicentur ei omnia dura, & aspera, per quæ itur ad Deum*. Advenientibus Novitiis ita durum, & asperum se se habebat S. Bernardus, ut eis proponeret foris dimittendum corpus, quod de sæculo attulerant. Sic enim in ejus vita Lib. I. Cap. IV. legimus: *Postmodum enim cum jam Clarevallis Abbas esset ordinatus, adventantibus Novitiis, & festinantibus ingredi, audire eum soliti sumus prædicantem, & dicentem*: Si ad ea quæ intus sunt, festinatis, hic foris dimittite corpora, quæ de sæculo attulistis.

V. In probanda vocatione expetentium vitam Monasticam spectanda quidem sunt multa ex antiquis ipsis Monachorum Regulis, de quibus fuse ac erudite disserit Benedictus Aeftenus, *Disquisitionum Monasticarum*, Lib. IV. Tractatu II. Disquisitione II. & eruditissimus Altaserra Lib. IV. *Originum rei Monasticæ*, Cap. II. Quod ætatem spectat, noster Canon Trullanus eum, qui decem modo annos natus sit, ad Monasticæ disciplinæ exercitationes, ac munia admittendum esse decernit. Ait, se contraxisse ætatem contra Canonem S. Basilii Magni, qui in professura virginitatem requirit, ut septimum decimum annum compleverit, quia scilicet humana infirmitas ad divina mandata, atque consilia adimplenda jam per Dei gratiam evaserit firmior, & robustior. Tum simile exemplum ex Canone XV. Concilii Chalcedonensis de Diaconissis profert, cujus Decreto ætas sexaginta annorum ab Apostolo in Diaconissa requisita, ob eandem rationem, quod nempe aucta fidei constantia, altiores quoque divini obsequii amor in humanis pectoribus radices egisset, ad annos quadraginta redacta est. Sed hæc ratio dubia est, & ut verbis utar eruditi Lupi in suo ad hunc Trullanum Canonem Scholio, *an subsistat, est longæ indaginis*.

VI. Illud plane constat, Tridentinam Synodum Sessione XXV. *De regularibus*, Cap. XV. haudquaquam existimasse eam decem annorum ætatem satis maturam, & idoneam alligandi homines Monasticæ professioni, ubi ita statuit: *In quacunque Religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus*. Quin & ipse noster Canon Trullanus fat evidenter innuit, decem annorum ætatem non semper esse sufficientem, ut quis ad professionem Monasticam censeatur maturus idoneusque, dum ait, ejus quoque rei examinationem in Præsulis arbitrio sitam esse, *an augeri tempus conducibilius existimet*. Id quod jam ante docuerat Lib. III. *De Virginibus*, S. Ambrosius, sic dicens: *Ajunt etiam plerique maturioris ætatis Virgines esse velandas; neque ego abnuo, Sacerdotalis esse cautionis debere, ut non temere puella veletur. Spectet plane, spectet ætatem Sacerdos, sed fidei, vel pudoris. Spectet maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis*. Et paulo post: *Denique non virtutem ætatis appendicem dicimus, sed virtutis ætatem*.

VII. Si veterem disciplinam inspiciamus, addubitari nequit, quin olim potius pueri, quam provectioris ætatis homines ad monasteria reciperentur, quia scilicet tenerior ætas facilius componitur ad disciplinam, uti mollior cera impressum facile

facile recipit characterem. Hinc Maearium jam ætate seniorem, teste Palladio in Historia Lausiaca Cap. xx. vix recipit Pachomius Abbas quasi impatientem disciplinæ: *Non potes*, inquit, *deinceps fieri Monachus, qui sis tam provectus ætate, non potes te exercere: sunt fratres, qui se exercent a juventute, & laborem tolerant*. Eodem teste Palladio in ipsa Lausiaca Historia Cap. xxviii. Paulum Simplicium ætate jam sexagenarium post tridui decubationem ad ostium ejus cellulæ fractus ejus impatientia vix admisit Antonius, sic illum alloquens: *Senex sexagenarius non potes hic fieri Monachus*. Cum tandem, ut alios omittam, Pinufius Abbas olim relicto suo Monasterio, assumpta sæculari veste ad Tabennense Monasterium migrasset, non sine multo despectu admissum illum demum fuisse propter ætatis senium, testatur quidem Cassianus Lib. iv. *De institutione Cœnobitarum*, Cap. iii.

VIII. Errat ergo Lutherus, quum in Libro *De votis Monasticis*, perperam ait, non oportere viros admittere ad vota Monastica nisi post annos LXX. vel LXXX. Frustra etiam Confessio Augustana Hæreticorum, Articulo xxvii. conqueritur, quod pueri permittantur fieri religiosi. Teste Spondano ad annum MDXXXV. Num. xvi. Henricus VIII. Angliæ Rex post suam ab Ecclesia defectionem, ubi se detestando flagitio caput esse promulgavit Ecclesiæ Anglicanæ, inter alia sua scelera omnes eorum professiones rescidit, qui necdum annum vigesimum quartum attigerant, reliquis discedendi copiam fecit. Sunt hi quidem contra Monasticum institutum astus hæreticorum. Quid enim portento similius dici potest, quam illud paradoxum Lutheri? Quam multi ante illam ætatem moriuntur? Ubinam in Conciliis est constitutum, ut ad amplectendum Monasticam professionem expectari debeat septuagesimus, vel octogesimus annus? Omnes passim videmus aliis vitæ statibus ante istam ætatem implicatos, plerosque Matrimonio innexos. Senes fere esse ineptos ad Religionis tyrocinium, & ad Monasticæ vitæ austeritates, jam ex testimonio antiquorum Patrum probavimus. Est sane indignum, omniumque absurdissimum, quod hæretici vellent, florem scilicet juventutis, Mundo, & Carni, senectutis vero fæcem Deo consecrari.

IX. Sed delirent, uti volunt, hæretici: licere vel pueros ad Religionem admitti, & variis facræ Scripturæ locis sancti Patres, atque Doctores Ecclesiæ docent, inter quos S. Basilius Regularum fusius disputatarum Interrogatione xv. ita scribit: *Cum Dominus dicat*, Sinite parvulos venire ad me. *Et Apostolus eum laudet, qui ab infantia sacras literas didicisset; idemque alio in loco præcipiat, educandos esse filios in disciplina, & correptione Domini, prorsus ad eos, qui ad nos accedant, admittendos, nullum non ætatis tempus idoneum esse judicamus, vel ipsius adeo teneræ, atque ineuntis, ut videlicet, qui orbati parentibus sint, eos nostraque sponte ipsi assumamus, & exemplo Job parentes pupillorum simus. Qui autem sub parentibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos multis adhibitis testibus recipiamus, ut non demus occasionem iis, qui volunt occasionem, sed obtrectatoribus nostris maledicendi causa omnis hoc etiam in parte præcisa sit*. Ubi nota, hujus instituti auctorem esse S. Basilium, ut pueri in Monasteria admitterentur, ita tamen, ut parente destituti, solo admittentis arbitrio; qui vero Patrem haberent, ab ipso oblati, coram multis testibus, ut nimirum omnis occasio obtrectationis calumniæque tolleretur, ad monasteria ipsa reciperentur.

X. Solemnem fuisse hanc liberorum oblationem manu involuta palla Altaris, addiscimus ex Regula S. Benedicti Cap. lix. ubi ita ait: *Siquis forte de nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer in minoritate est, parentes ejus faciant petitionem, & manum pueri involvant in palla Altaris, & sic eum offerant*. Hoc argumento ajebat Lamberti pater, professionem filii nullam esse, quod absque patris oblatione, & Abbatis benedictione effectus esset Monachus, ut refertur in Can. *Præsens*, Causa xx. Quæstione iii. qui est Nicolai I. ad Episcopos Galliæ: *Neque ego pater pallio Altaris indutum illum obtuli*. Eodem argumento professionem Roberti nepotis apud Cluniacenses, quod petitio pro eo non fuisset facta a parentibus, nec oblatus fuisset manu involuta palla Altaris, nullam, & irritam esse probabat Sanctus Abbas Bernardus in celebri sua Epistola i. ad ipsum Robertum.

XI. Meminit ejus oblationis iv. Synodus Toletana anni DCXXXIII. Can. xlviii. ubi ait: *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit*. Tum statim addit: *Quicquid horum fuerit, obligatum tenebit*. Et iterum: *Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressus*. Idipsum confirmant duæ aliæ Toletanæ Synodi, sexta nimirum anni DCXXXVIII. Can. vi. & decima anni DCLVI. Can. vi. addens, filium paterna devotione obligandum debere esse decem, sive, ut alii Codices habent, quatuordecim annis minorem, quod ea ætas plenum rationis usum præstet, adeoque nolit quemquam sine proprio arbitrio ad tantum totius vitæ onus obligari: *Parentibus sane filios suos religioni contradere non amplius, quam usque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterit esse. Postea vero, an cum voluntate parentum, an sua devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum, Religionis assumere cultum*.

XII. Duo hinc addiscimus. Primum est, licuisse Parentibus ante eam ætatem filios Religioni offerre, eosque ad eam obligare. Alterum vero, corrigi quidem primum secundæ Toletanæ Synodi Canonem, quo cautum est, ut hujusmodi pueri quos parentes obtulissent, *ubi octavum decimum ætatis suæ compleverint annum, coram totius Cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur*. Paulo post ait, his, quibus voluntas propria desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo sententiam non auferri. Scio equidem, quod notat Loaysa, loqui Canonem de iis, qui Clericatui offerebantur, sed referri etiam potest ad eos, qui Monasteriis oblati erant, cum eadem olim parentibus ad parvulos filios seu Clero, seu Instituto Monastico addicendos fuerit potestas. Ergo eam ætatem Synodus X. Toletana corrigit, quam Synodus II. præscripserat. Non esse autem a jure, usuque veterum alienam hujusmodi devotionem parentum, ex eo deducimus, quia jure Civili Pater potest vovere liberos, & filius familias sine auctoritate patris voto non obligatur. Lege II. §. ff. *De Pollicitationibus*.

XIII. Reliquum est, ut ea Canonis verba explicemus, quibus Monachorum professio *benedictio gratiæ* dicitur, & *velati quoddam signaculum*,

tum, quod professionem elicienti imprimitur. Notat Lupus, existimasse quidem Goffredum Abbatem Vindocinensem, aut certe graviter dubitasse, eam benedictionem, cujus Canon meminit, esse consecrationis speciem, manus impositionem, Sacramentum ex Apostolica traditione celebrandum, quod possit a solo Abbate, non a simplici Monacho imprimi, aut nullo pacto, aut casu iterari. Sed errat profecto Goffredus, non enim Sacramentum est Monastica professio, tametsi noster Canon eam appellet *benedictionem gratiæ*, & *veluti quoddam signaculum*. Est solum benedictio, & cæremonia quædam, qua quis totum se Deo, & Religioni dedicat, adhibitis variis orationibus, ac ritibus, quorum nonnulli, quod adhiberi solent in sacramento Baptismi, & Ordinis, occasionem dedere, ut ea professio Sacramentum censeretur. Habere ipsam professionem vim, & gratiam Baptismi, & secundum Baptisma nuncupari, constat ex S.Hieronymo, qui in Epistola ad Demetriadem ita scribit: *Nonne quia seculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu iniisti pactum cum adversario tuo, dicens ei: Renuntio tibi diabole, & seculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis. Serva fœdus, quod pepegisti*. Cui concinit inter alios S. Bernardus in Libro, *De præcepto & dispensatione*, ubi ita sub finem inquit: *Audire & hoc vultis a me, unde inter cetera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam; ut secundum baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem*.

XIV. Longum esset varia Monasticæ professionis charismata, variosque illius effectus hic recensere. Docent passim Scholastici, ingressu Religionis omnia peccata deleri; eaque est Angelici Doctoris sententia II. II. Quæstione CLXXXIX. Articulo III. ad III. & in IV. Sententiarum, Distinctione IV. Quæstione III. ad III. ubi hanc ejus rei rationem docet: *Quia cum profitens voluntatem suam cæteris rebus chariorem, in perpetuam Dei servitutem redigat, jam plenissime pro omnibus anteactæ vitæ satisfecisse censetur: utpote qui id dat, quod nihil majus dari poterat*. Atque ita Stephanus Papa V. Altulpho, qui uxorem propriam occiderat, publicam remittit pœnitentiam, si Monasterium ingredi, & humiliare se sub manu Abbatis voluerit; uti legere est apud Gratianum in Canone, *Admonere*, Causa XXXIII. Quæstione II. Ceterum professionis Monasticæ præcipuam, & singularem gratiam esse, quod benedictio professionis confert Spiritum Sanctum, tradit Cæsarius Lib. I. *De miraculis*, Cap. III. ubi hoc miraculum narrat: *Noverant multi Henricum Conversum de claustro Hemmenrode, Magistrum in Grangia, quæ vocatur Hart, qui testatus est Spiritum sanctum in specie columbæ super caput cujusdam Novitii descendisse, cum in Monachum benediceretur ab Abbate*. Qui cæremoniam Monasticæ professionis legerit tum apud Græcos, tum apud Latinos Scriptores, facile intelliget, varios in illa adhiberi ritus, qui in Sacramento Baptismi, & Ordinis usurpantur, eamque ob causam nonnulli professionem ipsam Monasticam Sacramentum esse putarunt.

CANON XLI.

Eos, qui in urbibus, vel in vicis in Clausuras volunt secedere, & sibi ipsis separatim attendere, prius quidem in Monasterium ingredi oportet, & anachoreticam, hoc est, ab aliis separatam, ac semotam vivendi rationem exercere, & spatio triennii ei, qui mansioni præest, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus, ut æquum est, implere; & ita hujus vitæ eligendæ institutum profitentes, & quod eam ex toto corde, sua sponte amplectuntur, ab ejus loci Præsule examinari: Deinde sic alio anno extra clausuram fortiter se gerere, ut scopus eorum evadat manifestior. Tunc enim plene, ac perfecte significabunt, quod non inanem gloriam captantes, sed propter ipsum revera pulchrum, ac honestum hoc silentium persequuntur. Post tanti autem temporis complementum, si in eodem eligendæ vitæ instituto permaneant, includi ipsos; & eis non amplius licere, quando voluerint, ex tali mansione egredi, præterquam si propter communem utilitatem, vel aliam necessitatem ad mortem urgentem, ad id trahantur; & ita cum benedictione ejus loci Episcopi. Qui autem sine his jam dictis causis, ex suis habitaculis exire aggrediuntur, primo quidem vel invitos dicta clausura coerceri, deinde jejuniis, & aliis afflictionibus ipsos curare, scientes, quemadmodum scriptum est, quod nemo, qui manum aratro immisit, & retro conversus est, aptus est regno Cælorum.

COMMENTARIUS.

I. Ubi semel fama celebrata est vita, & conversatio Monachorum, maxime Pauli, Antonii, Hilarionis, & aliorum complurium, qui seculo Christi III. & IV. floruerunt, ita placuit id vitæ genus, ut millia hominum in eremum, & solitudinem veluti agmine facto secesse-

cesserint, & in tantum auctus sit numerus, ut, quemadmodum observat, ac tradit eruditissimus Altaserra Lib. I. *Originum rei Monasticæ*, Cap. VI. Eremus nomen suum amiserit, & Monasteria in civitates conversa sint. Inde, ait, Monachos pro vario hominum ingenio, alios statim Eremum, & solitudinem petiisse, ante disciplinæ Monasticæ expertes, dictosque fuisse Eremitas: alios vero, qui horrorem vastæ solitudinis non ferebant, convenisse in unum, Cœnobia, seu Monasteria ædificasse, vocatosque iccirco Cœnobitas fuisse.

II. Duo hæc quidem Monachorum genera agnovit Justinianus in novella sua Constitutione V. Cap. III. & jam longe ante illum S. Augustinus Lib. *De moribus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXXI. ubi ita scribit: *Nihil de illis dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aqua contenti desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest.* Eadem duo Monachorum genera laudant Severus Sulpitius Dialogo II. *De Monachis Orientalibus*, Cassianus Lib. V. *De institutione Cœnobitarum*, Cap. XXXVI. S. Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Basilii, & alii passim Patres, inter quos S. Hieronymus in Epistola ad Eustochium, *De custodia Virginitatis*, post laudatu duo illa genera Monachorum, alterius meminit, quod Remoboch dicebatur, Monachorum genus deterrimum, atque neglectum: *Hi bini, vel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitratu, ac ditione viventes, & de eo quod laboraverint, in medium partes conferunt, ut habeant alimenta communia; habitant autem quamplurimi in urbibus, & castellis; & quasi ars sit sancta, non vita, quicquid vendiderint, majoris est pretii. Inter hos sæpe sunt jurgia &c.*

III. Egimus nos de hisce Monachorum generibus nostro Tomo I. Conciliorum in Canonem IV. Chalcedonensem. Quod Anachoretas spectat, de quibus noster Canon in præsenti agit, teste S. Hieronymo loco laudato, erant ii, qui soli per deserta habitabant, & ab eo, quod procul ab hominibus recesserant, eo nomine appellabantur. Cassianus Collatione XVIII. Cap. IV. Anachoretas dicit, *qui prius in Cœnobiis instituti, jamque in actuali conversatione solitudinis elegere secreta*: Justinianus in laudata Novella V. Cap. III. eos *discedentes*, sive *belichastas*, idest, *quiescentes*, vocari ait, *tanquam a communione ad meliora exceptos*; hoc est, a vita communi separatos, solitarie in silentio, & contemplatione viventes. Porro Anachoretæ, ac Eremitæ quamvis apud Veteres, promiscua passim acciperentur, ac præsertim apud S. Benedictum in sua Regula Cap. I. est tamen nonnihil inter ipsos discriminis. Eremitæ proprie sunt, qui statim a seculo migrant ad solitudinem. Anachoretæ, qui post diutinam in Monasterio exercitationem, studio majoris perfectionis de licentia Abbatis secedunt in Eremum, sic dicti a verbo Græco ἀναχωρέω, quod Latine idem est, ac *secedo*. Alii cum S. Petro Damiani Opusculo XV. Cap. III. hanc differentiam statuunt inter Eremitas, & Anachoretas, quasi Anachoretæ sint, qui per silvas vagantur incertis sedibus; Eremitæ vero, qui certas sedes habent in cellulis: *Eremitarum ordo*, ait S. Petrus Damiani, *bipartitus est, quorum videlicet alii cellulas incolunt; alii passim per Eremi deserta gradientes, certas ædes habere contemnunt; sed qui per Eremum spatiando discurrunt, Anachoretæ; qui vero cellulis contenti sunt, usitato vocabulo Eremitæ dicuntur, quibus nimirum nomen commune factum est speciale.*

IV. Quoniam vero qui se ex communi vitæ consuetudine ad Anachoreticum institutum subito transferunt, cellolæque angustiis inclusi, ipsi sibi facti vivendi duces, ac magistri, nullo Rectore degunt, periculoso seipsos negotio haud dubie committere prisci Patres existimavere, iccirco cautum ab iis fuit, ne Monachus quispiam in solitudinem secedere, & Anachoreta fieri possit, nisi post plures annos in Cœnobio transactos, debellataque ibi vitia omnia. Testis hujus disciplinæ veteris luculentissimus est S. Hieronymus, qui in Epistola ad Rusticum Monachum, quem docet, quomodo vitam Monacho dignam instituere debeat, & quam tutius sit in Monasterio cum aliis, quam in solitudine illam traducere, ita scribit: *De ludo Monasteriorum hujusmodi volumus egredi milites, quos Eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent; quos nec esuries aliquando, nec saturitas superavit; qui paupertate lætantur; quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est.* Fuse ostendit, periculosam rem esse in solitudine degere, affertque exemplum, quod ait se in Ægypto vidisse: *Græcus adolescens erat in Cœnobio, qui nulla abstinentia, nulla operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem Pater Monasterii hac arte servavit. Imperat cuidam viro gravi, ut jurgiis, atque conviciis insectaretur hominem, & post irrogatam injuriam primus veniret ad querimoniam. Vocati testes pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium: nullus alius credere veritati: solus Pater defensionem suam callide opponere, ne abundantiori tristitia absorberetur frater. Quid multa? Ita annus ductus est: quo expleto interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret, Papæ, inquit, vivere mihi non licet, & fornicari liceat.* Hoc exemplo docet Hieronymus, quam tutius sit in Monasterio degere, quam in Eremo solum; nam ait, si solus adolescens ille fuisset, neminem illi adfuisse adjutorem, quo carnis flammam superare valuisset.

V. Hujusmodi exempla afferri possent complura, quibus edocti antiqui Patres, in ea omnes fuere sententia, ut ii dumtaxat in solitudinem secederent; qui diu in Cœnobiis suam in debellandis vitiis operam navassent: *Porro*, inquit Cassianus Lib. VIII. Institutionum, Cap. VIII. *Eremum perfectos, omnique vitio purgatos oportet expetere, & excoctis ad purum in congregatione fratrum, vitiis, non pusillanimitatis profugio, sed divinæ contemplationis obtentu, & desiderio intuitus sublimioris intrare, qui nonnisi in solitudine a perfectis solummodo poterit apprehendi.* Pergit, ejusque rei hanc rationem affert: *Quæcumque enim vitia in Eremum detulerimus, operta in nobis, non abolita sentientur.* Et mox: *Solitudo namque sicut novit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, & intuitu sincerissimo spiritualium sacramentorum scientiam revelare; ita eorum, qui minus emendati sunt, vitia non solum servare, verum etiam exaggerare consuevit, tundiuque sibi quis patiens videtur, & hu-*

& humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio. Docet hæc eadem Cassianus tum alibi, tum Collatione XIX. Cap. X. ubi postquam dixit, solere nonnullos ita diuturno silentio solitudinis efferari, ut prorsus hominum consortia perhorrescant, & eum vel paululum a secreti sui solitudine, interveniente Fratrum visitatione, discesserint, notabili mentis angore, & evidentibus pusillanimitatis indiciis æstuare, ita mox subjungit: *Quod vel maxime his evenire consuevit, qui non perfecte in Cœnobiis instituti, nec excoctis prioribus vitiis ad solitariam se vitam immatura desiderio transtulerunt.*

VI. Concinit Sancto Hieronymo, & Cassiano S. Benedictus in sua Regula Cap. I. ubi diserte ait, anachoreticam vitam non esse permittendam nisi iis, qui in Cœnobitica antea diu essent exercitati: *Secundum genus*, inquit, *est Anachoretarum, idest Eremitarum; horum, qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare; & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu, vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare.* Sexto eodem, quo S. Benedictus, sæculo floruit & S. Sabbas plurium & Monasteriorum, & Laurarum conditor ipse & Parens, patere cuiquam Lauras non patiebatur, nisi diutissime in Monasteriis exercitato. Sic enim de eo scribit auctor ipsius vitæ Cyrillus apud Surium die V. Decembris: *Nulli imberbi licebat Lauram ingredi. Cum autem vidisset hic divinus Pater eum, qui renunciaverat, & regulam Monasticæ institutionis didicisse, & recte mentem suum posse custodire, & a mente sua expulisse omnem rerum mundanarum memoriam, ei præbebat cellam in Laura, si corpus haberet infirmum; si vero esset fortis, & robustus, ei jubebat cellam ædificare.* Differebat Laura a Monasterio, quod ut ait laudatus Cyrillus, in Cœnobiis illi vivebant, qui vitam exercebant communem: in Lauris vero, qui a congressione separatam & quietam.

VII. Cautum sane ex nostro Canone illud est, sine prævia examinatione Episcopi haudquaquam posse quempiam in Monasterium admitti, sive in Eremum secedere. Quod late persequitur Provincialis Synodus Constantinopolitana, quæ appellatur prima & secunda, Can. II. & longe ante ipsam Nicæna Synodus I. Canone XV. ex Arabico, sic inquiens: *Siquis Laicus ingredi voluerit in aliquem Monachorum ordinem sine licentia Episcopi, in cujus jurisdictione, & potestate est, gradu, quem recepit, movendus, & in religionem ne suscipiatur.* Tum eam rationem subjicit, cur laico non liceat Monasticam vitam profiteri sine licentia, & examine Episcopi, ne forte laicus iste, uxorem, aut filios, aut alios similes, quibus auxilium præstare debet, habeat: *Hoc autem*, inquit, *iccirco statuitur, ut dignoscatur, an impedimentum habeat aliquod, ut est Uxor, liberi, mater, aut ejusmodi.* Cui rei accedit Concilium Gangrense, Can. XV. ubi parentes, & filii, qui religiosæ vitæ ducendæ prætextu liberos, vel parentes suos relinquunt in sæculo, eosque non alunt, anathemate percelluntur. Sed eam rem definiit postea Justinianus in Novella sua CXXIII. Capite XXXII. apud Julianum Antecessorem Constitutione CXV. Cap. CDLXXXV. ubi ita ait: *Si mulier, vel vir ad solitariam vitam transierit, & liberos non habeat, res ejus Monasterio competant, in quo intravit. Si autem talis persona liberos habeat, liceat ei substantiam suam liberis distribuere, sic tamen, ut nulli eorum legitimam portionem diminuat, & sibi retineat unius filii partem ad Monasterium scilicet perventuram. Quod, si antequam divideret inter liberos suos propriam substantiam, in Monasterio decesserit, sola legitima portio liberis ejus deferatur.*

VIII. Sed hisce omissis, ut expositionem nostri Canonis prosequamur, siquis interroget, quot annis in Cœnobiis exerceri oportebat, antequam ad Eremi quis solitudinem secederet; Canon noster Trullanus, si quem aliquid ejusmodi animo agitare contingat, Cœnobium prius ingredi, ibique se tribus annis Majorum imperio obsequentem præbere jubet, ut eo pacto Anachoreticæ disciplinæ præceptis imbutus, ac in exercitatione parendi multum, diuque versatus, remotum illud ab hominum societate vitæ genus ex animo se amplecti velle demonstret. Tum ejus mentem ipse quoque loci Antistes exploret, unius quaque anni præterea spatium probandæ magis constantiæ extra cellæ septa exigat: *Prius quidem in Monasterium ingredi oportet, & Anachoreticam, hoc est, ab aliis separatam, ac semotam vivendi rationem exercere, & spatio triennii ei, qui mansioni præest, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus, ut æquum est, implere, & ita hujus vitæ eligendæ institutum profitentes, & quod eam ex toto corde sua sponte amplectuntur, ab ejus loci Præsule examinari.* Statimque subjicit: *Deinde sic alio anno extra clausuram fortiter se gerere, ut scopus eorum evadat manifestior.*

IX. Ergo quadriennio toto multis modis probari prius, & accedente Episcopi examine, ac judicio ex præscripto nostri Canonis, oportebat Monachos, qui Anachoreticam vitam, & solitariam amplecti cupiebant. Sed hanc Trullanam definitionem laxiorem esse, ut sunt pleraque alia, quæ in Trullanis Canonibus continentur, notat inter alios Possevinus Lib. V. suæ Bibliothecæ, Cap. LVII. Etenim S. Isidorus Episcopus Hispalensis Lib. II. *De divinis Officiis*, Cap. XV. de iisdem agens Anachoretis, ait nonnisi post annos triginta in Cœnobio exactos debere quempiam ad solitudinem secedere: *Sed isti examinatione Cœnobiorum probati in omnibus disciplinis Monasterii per triginta annos, ad hanc contemplationem per obedientiam eliguntur.* Possevinus loco laudato verba Isidori recitans, pro triginta annis, legit viginti, sed quicquid de ea varia lectione sit, nonnisi post triginta annos in Cœnobio transactos se in Eremum secessisse, ait Abbas Joannes apud Cassianum Collatione XIX. Cap. III. *Anachoreticam disciplinam, quam me deseruisse miramini, non solum non respuo, nec refuto, sed tota potius veneratione complector, atque suscipio. In qua post triginta annos, quos in Cœnobii Congregatione transegeram, ita alios viginti explesse me gaudeo, ut inter illos, qui eam vel mediocriter appetebant, non usquequaque segnitiæ denotarer.* In laudata eadem Collatione Cap. II. hoc Joannis exemplo permotus Cassianus seipsum damnat, quod vix biennium demoratus in Bethlehemitico Cœnobio, in Eremum evolasset.

X. Fateor variam fuisse eam temporis disciplinam, quo quis antequam ad Eremum secederet, in Monasterio exerceri debebat. Semper tamen severior fuit, quam illa a Canone Trullano præ-

præscriptu. Etenim teste Cyrillo apud laudatum Surium, S. Sabbas solidum decennium habitavit apud Theoctistum, nec ad Anachoretarum Lauram prius admissus fuit, quam totam Monasticam persequutus esset vitæ institutionem, quæ in Cœnobio servabatur, & ostendisset eam, quæ exigebatur, absolutionem. Synodus Venetica anni CDLXV. Can. VII. tametsi nullum præscribat tempus, edicit tamen de Monachis loquens, *ne eis ad solitarias cellulas liceat a Congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores*. Eadem verba legere est in Concilio Agathensi anni DVI. Can. XXXVIII. Etiamnum post emerita justa stipendia idipsum possunt Religiosi Mendicantes ex Cap. unico, *De excessibus Prælatorum* in VI. & Cap. penultimo, *De verborum significationibus*, ibidem. Ut autem alios omittam, quos recenset Aeftenus *Disquisitionum Monasticarum*, Lib. III. Tractatu II. Disquisitione IV. Carmelitarum Ordo, cum ex primævu sua institutione Eremiticus sit, & hunc spiritum foveant Fratres Carmelitæ Discalceati, constituerunt in unaquaque Provincia Monasterium unum Eremiticum in solitudine aliqua situm, in quo perfectionis augendæ gratia commorentur ii, quos idoneos judicaverint Superiores, uti videre est in eorum Constitutionibus, ubi plurima ad Eremiticam vitam idonea præscribuntur. De simili Conventu agunt etiam Constitutiones Carmelitarum antiquæ Observantiæ ab Urbano Papa VIII. anno MDCXXXVI. confirmatæ. Habent vero tam hi, quam illi præter Claustrum Eremi etiam separatas aliquot cellulas, in quibus ad tempus Anacoreticam vitam ducunt.

XI. Quæ, & quot essent Eremorum antiquarum asperitates, non facile est persequi; alii secreta solitudinis petentes, cellas, seu tuguria construebant, in quibus orationi, & lectioni, & cœlestium contemplationi assidui operam dabant, ut inter alios Antonius, & Hilarion: *Extructa deinceps brevi cellula, quæ usque hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudo pedum quinque .... ut sepulcrum potius, quam domum crederes &c.* Verba sunt S. Hieronymi, qui in vita S. Hilarionis, eum in modum cellam ipsius describit; tum vero de cellula S. Antonii loquens, ita inquit: *Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quam homo dormiens extendi poterat.* Fuisse alios, qui cellarum vice monumentis mortuorum se includerent, constat ex Actione IV. Concilii Chalcedonensis: *Theodorus in monumentis habitat. Ipsius in monumentis habitat ..., Paulus Bithynus habitat solitarie in monumento.* Antiquius Chalcedonensi Synodo fuit haud dubie hoc genus exercitationis; memoratum enim S. Antonium sub initio suæ conversionis quandoque secessisse in sepulchra, testatur quidem in ejus vita S. Athanasius. Alios rursus habitasse in speluncis, & specubus, testis est Evagrius Lib. I. Cap. XXI. his verbis: *Quorum alii, ut est apud Apostolum, in speluncis, & cavernis vitam assidue degunt, unaque cum bestiis habitant, & in quibusdam occultis, & ignotis terræ latibulis, Deo precationes adhibent.* Alii tandem cœlo tantum pro tecto usi, per deserta vagabantur, incertis sedibus, herbarum radicibus vescentes, de quibus ita scribit Severus Sulpitius Dialogo I. agens de Monachis Orientalibus: *Habitant plerique in Eremo sine ullis tabernaculis, quos Anachoretas vocant: vivunt herbarum radicibus, nullo unquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur, quas nox coegerit, sedes habent.* Idipsum & alii narrant.

XII. Quod difficillima, & plena omnis asperitatis Anachoretarum vita esset, tametsi noster Canon edicat, eis, qui virtutis exercendæ desiderio ad Eremum secedunt, ereptam sibi penitus esse potestatem ex statiuncula sua amplius egrediendi, æquum nihilominus censuit, posse quidem Eremum deseri, si forte necessaria causa, vel aliquid in publica totius regionis commoda profuturum curandi, vel periculum, ex quo mors fortasse impendat, declinandi, exire ab Eremo compellat: *Et eis non amplius licere, quando voluerint, ex tali mansione egredi, præterquam si propter communem utilitatem, vel aliam necessitatem ad mortem urgentem, ad id trahantur, & ita cum benedictione ejus loci Episcopi.* Porro non licere ab Eremo ad Cœnobium redire, docet etiam S. Petrus Damiani Lib. VI. Epistola XXII. ad Damianum nepotem, itemque Lib. VII. Epistola XIX. ad Blancam, & in Libro de suæ Congregationis institutis, ubi addit hæc S. Romualdi verba: *Tale propemodum est ex Eremo ad Monasterium reverti, quale de Monasteriali ordine ad seculum asportari.* Ratio ejus rei nulla egregior afferri potest, quam illa a nostro Canone ex Christi oraculo tradita: *Quod nemo qui manum aratro immisit, & retro conversus est, aptus est regno Cælorum.*

XIII. Communis utilitas, cujus gratia possunt Anachoretæ ab Eremo discedere; est quidem, si ex iis quispiam in Abbatem eligeretur, atque ita ad Monasterium revocari docet S. Ivo in Epistola CLXIV. ad Gaufredum Reclusum. Ita etiam ab Angelo e spelunca evocatum S. Pachomium testatur Sozomenus Lib. III. *Historiæ*, Cap. XIII. Omnium urgentissima evocandi ex Eremo Anachoretas causa fuit haud dubie illa, quæ impulit S. Basilium ex Monacho Episcopum Cæsariensem, qui nempe ex solitudine Viros sanctissimos, doctissimosque in suam transtulit Diœcesim, ut Arianis subrepentibus opponerentur; sic enim de eo Socrates Lib. IV. Cap. XXI. inquit: *Cum magnopere extimesceret, ne nova Arianorum doctrina per Provincias Ponti serperet, summa cum celeritate ad eas partes proficiscitur, ibi Monasteria constituens &c.* Sed ut omittam alias utilitates communes, & publicas, quæ variæ esse possunt, recte etiam Canon permittit, ut causa gravis ægritudinis, possit Anachoreta solitudinem deserere, & reverti ad Monasterium, ut in eo curetur. Hinc, ut in vita S. Sabæ legitur, cum Aphrodisius XXX. annos in Laura transegisset, mortis suæ præscius petiit ab eodem S. Saba, *ut sibi liceat descendere ad Cœnobium.* Sic & Barnabas Anachoreta, cum pes ejus ob infixam ex arundine festucam esset læsus, coactus est ascendere ad Monasterium Turrium, sibique unam cellam accipere, ut in Prato spirituali habetur, Cap. X. Erat sane opus iis hac benignitate, nam in Eremo nullus erat Medicorum, aut Medicinarum usus, ut insinuat Diadochus, *De perfectione spirituali*, Cap. LIII. & Macarius Aegyptius Sermone XLVIII.

XIV. Præter causas hasce, quarum meminit Canon, quasque nos jam explicuimus, fuerunt vel olim Viri sanctissimi, qui post annos triginta in Cœnobio exactos, ac viginti deinde in solitudine, Monasterium repetierint, ut majorem adipiscerentur perfectionem. Unus ex iis fuit quidem Joannes Abbas ille sanctissimus, cujus responsio, cur Eremum reliquisset, ubi viginti annos commoratus fuerat, apud Cassianum Collatione

tione XXI. Cap. III. ea doctrinæ summa est, carnalium rerum sollicitudinem elidi prorsus non posse, nisi in religiosorum hominum contubernio, & congressu, tutissimumque esse humiliori potius acquiescere gradui, quam non sine periculo in culmen sublimius eniti: *Sed quia degustata ejus* (idest Anachoreticæ disciplinæ) *puritas solicitudine interdum carnalium rerum interpolata sordebat, recurrere ad Cœnobium, commodius visum est, ut & promptior arrepti planioris propositi consummatio sequeretur, & minus esset de præsumptæ sublimioris professionis difficultate periculum. Melius enim est, devotum in minoribus, quam indevotum in majoribus professionibus inveniri.* Docet idem Joannes apud ipsum Cassianum laudata Collatione XIX. Cap. IX. omnibus perfectionis æmulatoribus certandum esse, ut virtutes, ac dotes duplicis hujus generis sibi comparent, Cœnobitarum, & Anachoretarum: *Pura est ergo, & paucissimis dono Dei concessa perfectio. Is etenim vere, & non ex parte perfectus est, qui & in Eremo squalorem solitudinis, & in Cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat.* Tum ait, eam tenuisse viam sanctissimum Abbatem Moysen, atque Paphnutium, duosque Macarios, qui contemplationem actione, actionem contemplatione pulcherrime interpungentes, nunc in solitudine degebant, ut orationi incumberent, nunc inde emergebant, ut proximorum salutem procurarent.

XV. Cautum est tandem ex Concilio Agathensi anni DVI. Can. XXXVIII. ut quæ Anachoretis separatæ permittebantur cellulæ, ambitu Monasterii cingerentur, essentque ipsi sub Abbatis potestate: *Intra eadem Monasterii septa manentes, tamen sub Abbatis potestate, separatas haberi cellulas permittantur.* Fuit hæc & veterum Patrum mos, ut interdum non longe a Cœnobiis Lauras quasdam, sive Eremiticas cellulas conderent, ut alternatim a Cœnobio solitudinem, a solitudine Cœnobium repetere possent. Id genus fuisse Monasterium viri incliti Gerasimi Abbatis, cui conjuncta erat Laura septuaginta cellularum, testatur antiquus Scriptor vitæ Sancti Euthymii Abatis, qui obiit anno CDLXV. apud Surium, die XX. Januarii, Cap. LVII. ubi Monasterium illud, & Lauram ita delineat: *Hic ergo magnus Gerasimus, qui Jordanis solitudinis civis fuit, simul & Patronus, cum maximam illic Lauram, quæ non pauciores, quam septuaginta Anachoretas habebat, construxisset, & præterea Cœnobium in medio ejus optime collocasset; curabat, ut qui introducebantur quidem Monachi, manerent in Cœnobio, & vitam Monasticam exercerent. Qui autem crebris, & longis se laboribus exercuerant, & ad perfectionis mensuras jam pervenerant, eos in iis, quæ vocantur, cellis, collocans sub hac jubebat vivere regula, ut quinque dies hebdomadæ unusquisque in sua cella sileret, nihil gustans quod esset esculentum, nisi panem, & aquam, & dactylos; Sabatho autem, & Dominica venientes in Ecclesiam, cum participarint sanctificata, cocto uterentur in Cœnobio, & sumerent parum vini.*

XVI. Commendat & Cassianus quatuor Abbates, quibus & septem ultimas Collationes inscribit, quod non solum *Cœnobialem professionem Monachos expetere, verum etiam Anachoreticam sitire sublimitatem* provocaverint: *& quod non longe a Cœnobiis suis secedentes, Anachoretarum* gestirent *sectari disciplinam*. Hac de re S. Basilium laudat S. Gregorius Nazianzenus Oratione XX. in ejus laudem, quod vitam solitariam, & communem, maxime discrepantes inter se conciliavit, extructis Asceteriis Virginum, & Monasteriis non longe a vulgo remotis. Laudat quoque Climacus Joannem Monachorum Præsidem, ejusque discipulos ab exacta obedientia, & ait: *Erat quoque eidem laudando viro & Laura subjecta, ex quo Cœnobio Præsul ille omnibus numeris absolutas ad solitudinis quietem perfectiores deducebat.* Præparasse videtur jam olim & noster Cassiodorus Vivariensibus Cœnobitis in Castelli montibus, Eremi secessum, ut ipsemet insinuat, Lib. Divinarum lectionum, Cap. XXIX. Tandem Anachoretarum institutum in Italia renovans S. Romualdus anno CMLXXIV. ubicumque loci opportunitas se offerebat, non longe a Monasterio Eremum quoque condebat, ut testis est Auctor *Historiæ Camaldulensium*, Lib. I. Cap. V. Ceterum tametsi multis nominibus Eremi Cœnobiis a plerisque Patribus, ac præsertim a S. Petro Damiani Lib. VI. Epistola XII. præferantur, sunt tamen & alii complures, qui ista illis præponunt, præsertim quod solitudo, & vita Anachoretica plena periculis sit, eamque ob causam, inclusos, idest Anachoretas passa non est Francfordiensis Synodus ullos, nisi illos diu probassent, ipsique inclusissent Episcopi, vel Abbates. Sic enim inquit Can. XII. *Ut reclusi non fiant, nisi quos ante Episcopus Provinciæ, atque Abbas comprobaverint, & secundum eorum dispositionem in reclusionis loco ingrediantur.* Idipsum & aliæ quoque Synodi statuunt, quas hic recensere supervacaneum est.

C A N O N XLII.

Eos qui dicuntur Eremitæ, qui quidem nigris vestibus induti, & capite comati Urbes obeunt, & cum viris secularibus, ac mulieribus versantur, & propriæ professioni faciunt injuriam, statuimus, si elegerint quidem tonsis comis, reliquorum Monachorum amictum suscipere, eos in Monasterio constitui, & inter fratres referri. Quod si hoc non elegerint, ex Urbibus expelli, & solitudines habitare, ex quibus sibi etiam denominationes confixere.

COMMENTARIUS.

I. SUperiori Commentario abunde jam dictum, & qui sint Eremitæ, idest Anachoretæ, & quot eorum genera; eos nunc Canon Anachoretas perstringit, qui nigro amictu induti, comaque nequaquam detonsa, sed in pectus humerosque defluente Urbes pervolitabant, & eum

& cum laicis, viris pariter, ac feminis non fine injuria Monasticæ professionis, ac instituti assidue versabantur. Tum jubet, hujusmodi homines detonsa coma in Monasteria deduci, ibique eum Monachis degentes eadem vitæ munia obire, conditionem vero si recusent, omnino ex urbibus extrudi, ac in deserta loca, unde Eremitarum sibi falsum nomen adsciverant, relegari.

II. Joannes Cassianus Collatione XVIII. ubi Cap. IV. tria duntaxat Monachorum genera, quæ antiquiora erant, descripsit, Cap. VIII. quartum addit, innomine ex Anachoretarum genere suborturn, quod genus convenienti vocabulo Gyrovagos appellat quidem in sua Regula Cap. 1. S. Benedictus, quod scilicet in circuitu ambulent, & in gyrum sæpe vertantur. Hosce S. Augustinus in Psalmum CXXXII. vocabat *Circumcelliones*, quia, ut idem ait, *circa cellas vagantur; solent enim ire huc, atque illuc, & facere quæ nostis, & quæ illi norunt*. Ex quibus perspicue patet, non recte S. Isidorum Lib. II. *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XV. Circumcelliones a Gyrovagis distinguere, nam quod de illis Augustinus dixit, quod circum cellas vagentur, hoc & de Gyrovagis S. Benedictus in memorata Regula Cap. 1. affirmavit.

III. Adversus hujusmodi Circumcellionum mores, ac habitum corporis jam olim acriter invecti sunt Patres. S. Basilius in suis Monasticis Constitutionibus Cap. IX. eorum inconstantiam, atque intemperantiam ita sugillat: *Illi etiam devitandi sunt, qui instabiles identidem locum demutant, modo ad hos, modo ad illos fratres se conferunt, & irrequieto ocii impetu se in circumlustrandis assidue Monasteriis occupant, & per simulationem spiritualis charitatis, sarnis libidinibus obsequantur; quorum in animis nihil firmitatis, nihil solidi, nihil quod disciplinæ conveniat Ordinis, nihil denique prudentiæ inest, aut gravitatis: contraque summa curiositas, morum perversitas, levitas, inconsideranti, dolus, hypocrisis, mendacit, & veteratoriæ orationis pulcerrima ostentatio in his redundat: hi enim, & lingua rudes, & ventre intemperantes sunt*. Legendum integrum caput, quod totum est in hujusmodi hominibus infectandis.

IV. Intarim inter Patres Græcos audire præstat Isidorum Pelusiotam, Lib. 1. Epistola XLI. ubi Philippum Monachum Gyrovagum, quem lepori ex cubili in cubile subinde migranti comparat, acrius hunc in modum increpat: *Loca subinde commutans, pinguiorem potius, at videtur, mensam, quam firmiorem, ac solidiorem eruditionem, quærens: ac tibi, ni fallor, istud contingat, ut omnibus terræ recessibus, eum hujusmodi ventre, atque animi instituto peragratis, Euripus quidem sis, omni nidoris ciborum vento circumactus ac perpetua instabilitate laborans*. Monachum ipsum gyrovagum Euripo ideo similem facit, est enim ille fretum, idest mare angustum inter Aulidem Bœotiæ portum, & Euboeam insulam, quod unius diei, & noctis spatio septies recurrit eo impetu, ut navigia repugnantibus ventis plena secum rapiat, uti passim ex Lexicis constat.

V. Neque in Oriente solum, sed & in Occidente fuisse hujusmodi Circumcelliones, qui huc, illuc circumcursabant, promissam barbam, hirsutos capillos, pullam, ac laceram vestem, quasi totidem linguas circumferentes, quibus pinguiorem stipem a simplicibus laicis, ac præsertim a mulieribus extorquerent, testatur S. Augustinus In Libro, *De opere Monachorum*, Cap. XXXI. ubi ita illos depingit: *Nam & hoc quo pertinet, quæso, tam aperte contra Apostoli præcepta comari, an ita vacandum est, ut nec tonsores operentur; aut quia Evangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint: vereor in hoc vitio plura dicere propter quosdom crinitos Fratres, quorum præter hoc, multa, & pene omnia veneramur*. Tum statim Monachos Gyrovagos carpens subjicit: *Illi enim venalem circumferentes hypocrisim, timent, ne vilior habeatur tonsa sanctitas, quam comata, ut videlicet, qui eos videt, antiquos illos, quos legimus, cogitet Samuelem, & cæteros, qui non tondebantur*. Graves hypocritæ illi inter novellos Africæ Monachos de tonso, & adversus Apostoli præceptum in Epistola ad Corinthios, comato virili capite lites excitarant, eosque iccirco Sanctus Doctor refellit.

VI. Quam insignis fuerit ejusmodi Circumcellionum Africanorum hypocrisis, egregie idem Augustinus exponit in laudato Libro, *De opere Monachorum*, Cap. XXVIII. ubi varias eorum artes ad decipiendos simplices enarrat, dicens: *Tam multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit* (diabolus) *circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant: alii fimbrias, & phylacteria sua magnificant: alii parentes, vel consanguineos suos in illa, vel illa regione, se audisse vivere, & ad eos pergere mentiuntur; & ab omnibus petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretiam sanctitatis*. Augustino adjungimus S. Hieronymum, qui in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, monet eam, ut homines fugiat, gyrovagos scilicet, circumcellionesque, *quibus feminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nudi in patientia frigoris pedes*. Idem in Epistola ad Rusticum eosdem describens homines, ait, *nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa, a mulieribus non posse discedere*. Pallio, & promissa barba Monachum fieri negat Isidorus Pelusiota Lib. 1. Epistola CXXII.

VII. Quod vestes nigras spectat, quibus Canon ait indutos fuisse Eremitas, addubitari nequit, quin omnium veterum Monachorum habitus nigri fuerit coloris. Candido amictu primus suos Camaldulenses induit S. Romualdus longe ante quam Cistercienses habitum mutarent, cum quibus gravem admodum disputationem suscepit S. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, uti videre est Lib. IV. Epistola XVII. ubi veterum Patrum auctoritate, & exemplis nigrum colorem defendit, camque postremo addit rationem, quam olim innuit S. Hieronymus in Epistola ad Marcum Presbyterum Celidensem, quod scilicet Monachi vestis sit *tunica pœnitentis*. Verba autem Petri Cluniacensis eam in rem hæc sunt: *Nam, ut quod sentio, fatear, visum est, ut mihi videtur, magnis Patribus illis nigrum hunc, de quo agitur, colorem, magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis luctui convenire*. Legenda integra Epistola, qua nihil potest afferri luculentius, itemque inter recentiores Scriptores Benedictus Aestenus *Disquisitionum Monasticarum*, Lib. V. Tractatu VI. Disquisitione II. ubi ad probandum, cur niger potissimum habitus a Benedictinis assumtus sit, varia affert Patrum tam Græcorum, tum Latinorum veterum testimonia, & exempla.

VIII. Quam-

VIII. Quamquam vero inter Cluniacenses, qui nigro, & Cistercienses, qui albo utebantur colore, diu disputatum sit, aliis alios carpentibus, recte scribit Petrus Blesensis Epistola xcvii. ad Abbatem de Eresham: *Christus divisus non est, sive in alba, sive in palla veste, in omni professione, & ordine, in omni gente, quicumque operatur voluntatem Domini, acceptus est illi. Inter album, & nigrum habitum non distinguit ille, apud quem non est distinctio Judæi, & Græci. Attendit Dominus mentem, non vestem; merita, non colorem.* Et infra: *Apud sponsam Christi non est absurda varietas, cum ipsa circumamicta varietatibus scribatur. Ipsa varietas uniformitatis causa est; nam in cithara ex diversitate chordarum fit uniformis modulatio ad concentum.* Laudat eam varietatem Robertus Abbas Montensis in Sigeberti Gemblacensis Appendice ad annum MCXXXI. *Erat*, inquit, *circa hæc tempora pulcra, & decora facies Ecclesiæ, diversorum Ordinum, ac professionum circumdata varietate, dum hinc Præmonstratenses, hinc Cistercienses, inde Cluniacenses Monachi, tum & diversi habitus, ac professionis Sanctimoniales.* Aderant & Grandimontenses, & Carthusienses, iisque accesserunt tandem varii Fratrum Mendicantium Ordines.

IX. Porro compescendis erronibus hisce Eremitis hypocritis, qui exteriori habitu, simulataque sanctitate, domos simplicium devorabant, carnisque libidinibus obsequebantur, merito Canon noster statuit, eos vel in communibus Monasteriis una cum aliis Monachis profiteri, vel ad solitudinem compelli, ut reipsa exequantur, quod nomine præseferunt. Certe Concilium Toletanum VII. anni MDCXLVI. Can. V. præcipit, ipsos Gyrovagos, quin & Eremitas quoque in solitudine degentes, *ab his abjici cellulis, atque locis, in quibus aut feruntur vagi, aut tenentur inclusi; atque ab Episcopis, sive Rectoribus Monasteriorum, ex quorum congregatione fuerant, vel in quorum vicinitate consistunt, in Monasteriis omnimodo deputentur.* Concilium Veneticum anni CDLXV. Can. VI. verberibus mulctandos ait Monachos, qui sine commendatitiis Episcopi literis vagarentur: *Quos si verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri.*

X. Sunt & alii Canones, quibus in sequioribus Synodis Gyrovagi, & Circumcelliones Monachi, atque Eremitæ variis pœnis mulctantur. Testatur nihilominus Balsamon ex hoc hominum genere sua ætate fuisse nonnullos, *qui dicerent, se Dei jussu ex solitudine in civitates venisse, ut futura quædam prædicarent, & simplicioribus quædam impudenter pollicentur, lucri, & mercimonii gratia.* Utinam nec hodie similes homines reperirentur, ex quibus tamen nonnullos videmus huc illuc per Urbes, ac Domos discurrere, numeros ludi sortis, vulgo *lotto* mulieribus dare, eoque prætextu dici nequit, quot mendacia vomunt, quotque mulieres incautas corrumpant. Utinam observarentur, quæ circa hujusmodi hominum genus, quos etiam vulgo Eremitas dicimus, præsens Canon præscribit, majorique cautela, & maturiori examine præcedenti ad Eremiticam vitam probi nonnisi homines admitterentur. Plura de eorum statu in Concilio suo Romano anni MDCCXXV. statuit quidem Benedictus XIII. Pontifex Maximus ad Titulum XXII. & in ejusdem Concilii Appendice. Utinam & hæc servarentur ab Episcopis, quibus illorum cura commissa est.

C A N O N XLIII.

Licet omni Christiano vitam exercitatricem eligere, & rerum ad vitam pertinentium deposita tempestate, Monasterium ingredi, & habitu Monachi tonderi, in quacumque prolapsione deprehensus fuerit. Salvator enim noster Deus inquit: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Tamquam ergo Monachali vitæ agendæ instituto in pœnitentia nobis vitam describente, ei, qui ad illud germane, & sincere accedit, acquiescimus, ac favemus: nec ulli ei mores impedimentum afferent, quominus proprium scopum adimpleat.

COMMENTARIUS.

I. Confirmat hic Canon, id quod unanimi consensu Patres tradidere, vitam nempe Monasticam esse pœnitentiæ vitam, juxta laud S. Hieronymi effatum, quod inter alios recenset Gratianus in Can. III. Causa XVI. Quæstione I. *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum.* Ad hoc etiam prodesse Monasteria, quod sint loca pœnitentiæ, & vivorum quasi purgatoria, & peccatorum ergastula, docet idem S. Hieronymus in Epistola ad Damasum, ubi ita inquit: *Pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam juncto Barbariæ fine disterminat.* Id quod etiam in Epistola ad Augustinum affirmat, dicens: *Ego in parvo tugurio cum Monachis, idest cum peccatoribus meis, de magnis statuere non audeo.*

II. Hinc quod Monasteria loca pœnitentiæ essent, & ex Patrum, ac Theologorum sententia, uti dictum est in Commentario ad Canonem XL. assumtione status Monastici haud secus, atque Baptismo omnia peccata remitterentur, mos olim fuit, ut in Monasteria ipsa pœnitentes, seu Clerici, seu Laici etiam Principes detruderentur. Ex Concilio Agathensi anni DVI. Can. L. illud cautum fuit, ut *si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit, ab officii honore depositus, in Monasterium detrudatur, & ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.* Concilium Aurelianense III. anni DXVXVIII. Can. VII. de adulteriis Clericorum id observandum statuit, *ut siquis adulterasse aut confessus fuerit, aut convictus, depositus ab officio,*

com-

communione concessa, in Monasterio, toto vitæ suæ tempore retrudatur. Concilium Toletanum IV. anni DCXXXIII. Can. XLV. jubet, ut *Clerici, qui in quacumque seditione arma volentes sumserint, reperti, amisso ordinis sui gradu, in Monasterium pœnitentiæ tradantur*.

III. Hac pœna detrusionis in Monasterium damnatos pœnitentes plurimos ex Ordine Ecclesiastico referunt passim antiquæ Synodi, ac præsertim Literæ Maximorum Pontificum, a quibus ut plurimum genus hoc pœnitentiæ solebat indici. Hinc cum Presbyter quidam Diacono oculum eruisset, scripsit ad Ruffinum Episcopum Gelasius Papa, apud Gratianum in Canone, *Si Evangelica*, Distinctione LV. *Bene fraternitas tua fecit ab officio eum Presbyterii removeri. Hoc tamen solicitudinis tuæ sit, ut locum ei pœnitentiæ constituas, & in aliquo eum Monasterio retrudas, laica tantum sibi communione concessa*. Sic Episcopus non residens a S. Gregorio Magno reclusus in Monasterium fuit, ut legere est Lib. V. Epistola XXIII. quam etiam refert Gratianus in Can. *Pervenit*, VII. Quæstione I. Sic & Contumeliosus Regensis Episcopus ob adulterium submotus Episcopatu a Joanne II. Papa relegatus in Monasterium fuit, ex ipsius Joannis Epistola ad Cæsarium Arelatensem Tomo I. Conciliorum Galliæ, ubi ita scribit: *Sed te ordinante in Monasterio dirigatur, ut ibi delictorum memor, in pœnitentia lacrymas effundere non omittat*. Ita quoque & Stephanus II. qui floruit post medium seculum VIII. consultus de Presbytero, qui non rite baptizavit, depositum ab ordine sub districta pœnitentia mittendum in Monasterium respondit, uti habetur Tomo II. ipsorum Conciliorum Galliæ. Sed & Stephanus IV. Pontifex Maximus, qui Seculo IX. floruit, uti in ejus vita legitur, illos quidem, qui in ejus caput conjuraverant, vita donatos in Monasteriis abdidit: *Quos salvos conservare cupiens, Monachos facere præcepit*. Stephani Papæ V. exemplum Astulpho, qui uxorem propriam occiderat publicam pœnitentiam remittentis, si Monasterium ingredi, & humiliare se sub manu Abbatis voluisset, attulimus jam nos superius in Commentario ad Canonem quadragesimum.

IV. Viguisse id pœnitentiæ genus etiam longe post annum Christi millesimum, exemplum habemus Gregorii cognomento Burdini pseudo-Pontificis, qui anno MCXXI. a Sutrinis Callisto II. traditus in Canense Monasterium detrusus est, teste Orderico Vitali Lib. XI. ad annum MCXX. & Sigonio Lib. II. *Historiæ Bononiensis*. Concilium Lateranense III. Alexandro III. Pontifice Maximo anno MCLXXIX. habitum Can. XI. Clericos sodomiæ fœdatos jubet ad pœnitentiam agendam in Monasterium detrudendos. Idem ipse Pontifex sceleris vindex acerrimus, Clericos conscios nefariæ cædis S. Thomæ Cantuariensis Episcopi depositos in districto claustro Monachorum, vel Canonicorum Regularium recludi jubet, ita scribens Bartholomæo Exoniensi Episcopo: *Insuper autem Clerici ipsi in districto claustro Monachorum, vel Canonicorum Regularium, si fieri potest, sunt recludendi; ita quidem quod usque ad septennium debeant ab introitu Ecclesiarum arceri*. Relatam habes hanc Alexandri Epistolam in Cap. *Sicut dignum* IV. *De homicidio*. Sed notanda sunt ea verba Pontificis, *si fieri potest*, quia scilicet Monachi ea ætate ægre ferebant Clericos criminosos in Monasteria tanquam in insulam relegari, vixque damnatos in Monasteria admittebant; eaque Monachorum repugnantia causa fuit, cur hæc pœna in usu esse desiit, in ejusque locum triremes successere non sine magna totius Ecclesiastici ordinis injuria.

V. Deplorat id quidem inter alia uberrimis lacrymis religiosissimus S. R. E. Cardinalis Bellarminus in aurea opella, *De gemitu columbæ*, conatusque est Pontifex Maximus Benedictus XIII. inter alia egregia sui pastoralis muneris facinora, tantum ordinis Ecclesiastici dedecus eliminare, ubi aliquando statuit, ne Clerici, aliique religiosi homines ob sua ipsorum crimina triremibus damnarentur. Posset nostro hoc ævo Carceris loco Monasterium haberi, in quod criminosi Clerici detruderentur, ubi & pœnitentiam agerent, & coercitionem etiam virgarum, uti cum damnatis triremibus fieri assolet, subirent. Est enim celebre in ea re exemplum, quod affert Thomas Cantipratenus Lib. I. Cap. XVII. occorritque anno MCCXLII. *Cum in Theutoniæ partibus*, inquit, *circa annum Domini MCCXLII. adolescens quidam nobilis in lubricitate corporis excessisset, a senibus Concanonicis, & Decano ab ingressu Ecclesiæ arctatus est, & intra septa Monasterii, quasi pro agenda pœnitentia, in loco ad hoc deputato reclusus; qui humiliter valde pœnam suscipiens, flagellabatur interim a Decano, & gravibus conviciis culpabatur*. Virgarum coercitio, ut alibi dicemus, erat una e pœnis, quas Monachi delinquentes subibant.

VI. Sed ut veterem disciplinam prosequamur, sciendum & illud est, Clericos lapsos, ex sententia S. Gregorii Papæ, ubi pœnitentiæ causa in Monasteria relegabantur, suas quoque res oportuisse ad Monasteria ipsa afferre, ne locis, quibus traditi erant, onerosi essent. Sic enim ille Lib. I. Epistola XLII. ad Petrum Subdiaconum scribit: *De lapsis Sacerdotibus, vel quolibet ex Clero observare te volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis, sed pauperrima regularia Monasteria require, quæ secundum Deum vivere sciunt, & in eisdem Monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade; & res lapsorum in eo loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur; quatenus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant, qui de correctione eorum solicitudinem gerunt*. Mandat tum Pontifex, ut si Clerici ipsi parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur, ita tamen, ut eorum stipendia, qui in pœnitentiam dati fuerint, eos sufficienter debeant procurare. Tum tandem ita concludit: *Siqui vero ex familia Ecclesiastica Sacerdotes, vel Levitæ, vel Monachi, vel Clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum Ecclesiastico juri non subtrahi, ad usum tamen suum accipiant, unde ad pœnitentiam subsistant, ne, si nudentur, locis, in quibus dati fuerint, sint onerosi*. Hactenus Pontifex, cujus Epistolam legere est etiam apud Gratianum in Canone, *De lapsis*, Causa XVI. Quæstione VI.

VII. Produnt & illud prisci Scriptores Ecclesiastici, quod aliquando etiam Episcopi, vel Clerici depositi, solatii, & alimoniæ causa Monasterio tradebantur. Hac quidem de causa, ut testis est Joannes Diaconus in Vita Sancti Gregorii Magni Pontificis Maximi Lib. IV. Cap. XCIV. Thetgaudus Trevirensis Episcopus olim cum Gunterio Coloniensi Episcopo a Nicolao I. Pontifice Maximo depositus ab Adriano II. Pontifice itidem Maximo

ximo in Monasterio S. Andreæ in Urbe a laudato S. Gregorio Papa constructo mansionem accepit: *Alio quoque tempore Thetgaudus quondam Treverensis Episcopus, qui cum Gunterio Agrippinæ Coloniæ Episcopo, a reverendæ memoriæ Nicolao fuerat Sacerdotali privatus officio, liberalitate Adriani Pontificis in eodem Monasterio mansionem suscepit*. Fuit, uti jam dictum est, mos olim servatus, ut vel inferiores Clerici ob crimina sua nonnisi in Monasteria detruderentur; hodie hæc disciplina invaluit, ut vel Episcopi, quinimo etiam S. R. E. Cardinales ad pœnam pro delictis subeundam carcere damnentur. Ut enim alia exempla omittam, testatur Bzovius in Annalibus Pontificatus S. Pii V. Pontificem ipsum carceris loco Cardinalem Montium in Arcem Sancti Angeli relegasse, quod nimis delicate viveret.

VIII. Neque vero Clerici solum, verum & laici ipsi criminosi, mos olim fuit, ut in Monasteria ad pœnitentiam agendam relegarentur. Hac pœna in hæreticos resipiscentes usi sunt inter alios quidem priscos Romanos Pontifices, Siricius, & Anastasius, quorum primus statuisse dicitur ab Anastasio Bibliothecario, ut *siquis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaretur, nisi tantum relegatione Monasterii diebus vitæ suæ teneretur obnoxius*. Idipsum de Anastasio Pontifice idem Auctor testatur, sic inquiens: *Multos Cataphrigas in Urbe invenit, quos exilio in Monasteriis relegavit*. Alia id genus exempla passim invenies in Ecclesiastica historia, ut non mirum videri debeat, si ea benignitas, qua in hæreticos usa olim fuit Ecclesia, erga ceteros minus criminosos, quos suorum criminum pœniteret, servata etiam antiquitus fuerit, ut nimirum in Monasteriis ad pœnitentiam agendam recluderentur.

IX. Rursus cum ob publica enormiaque delicta pœnitentes ad ea loca detrudebantur, & Superiorum auctoritate mutarent habitum, non erat is alius, nisi habitus ipse Religionis, prorsusque similis Monachorum vesti, apud quos recludebantur. Fuit hæc autem disciplina apud Hispanos adeo antiqua, ut in Barcinonensi Concilio anni DXL. præscribatur quidem, *ut pœnitentes raso capite habitu religionis amicti, omne tempus vitæ suæ jejuniis, atque obsecrationibus impendant*. Idipsum expresse edicit Concilium Toletanum IV. anni DCXXXIII. Can. LIV. his verbis: *Quicumque ex secularibus accipientes pœnitentiam, totonderunt se, & rursus prævaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur*. Toletana itidem VI. Synodus anni DCXXXVIII. Can. VII. statuit, *ut hi, quos sub religioso habitu pœnitentiæ professio pro venia peccatorum ad manum Sacerdotis adduxit . . . . si post hæc, comam nutrientes, vel vestimenta secularia sumentes, ad id, quod reliquerant, redierint, ab Episcopo Civitatis comprehensi, rursus legibus pœnitentiæ in Monasteriis subdantur inviti*. Constat & ex Concilio Toletano XII. anni DCLXXXI. Can. II. esse pœnitentem, idem esse, atque habitum Religionis, & tonsuram deferre.

X. Quod tandem Principes plurimi aut a seipsis, mortem ut effugerent, aut ab aliis, quasi gratiæ loco, & mortem hac pœna commutantibus, attonsi, atque habitu Monastico in Monasteria ad pœnitentiam pro criminibus suis agendam detruderentur, innumeris pene ostendi potest exemplis. Narrat Gregorius Turonensis Lib. I. Cap. XIV. Merovæum Chilperici Regis filium ob incestum connubium Brunichildis, a Patre tonsurari jussum, posteaque Presbyterum ordinatum, inclusum fuisse in Monasterio: *Cum a Patre in custodia retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur, & ad Monasterium Cenomannicum, quod vocatur Anisola, dirigitur, ut ibi Sacerdotali erudiretur regula*. Pipinus quoque cum in Parentem optimum Carolum Magnum conjurasset, eamque ob causam in Conventu generali anno DCCXCIII. Ratisponæ habito cum conjuratis omnibus morte damnatus esset, ex peculiari gratia factum est, ut in Clericatum, & in Monasterium contruderetur: Sic enim legimus apud Duchesne Tom. II. *Historiæ Francorum*, Pag. 38. *Universus populus judicavit, ut vita privarentur, & ita de aliquibus impletum est. Nam de Pipino filio suo, quia voluit Rex, ut occideretur, judicaverunt Franci, ut ad servitutem eum inclinare debuisset. Et ita factum est, & misit jam Clericum in Monasterium*. Auctor est Eginardus, optasse Pipinum ipsum eam gratiam, ut hac occasione, posset pœnitentiam serio agere: *Detonsum in Cœnobio Prumiæ, religiosæ vitæ jamque volentem vacare permittit*. Ea porro erat ejus rei ratio, quod minus tunc distingueretur tonsura Clericalis a tonsura Monastica: cumque persæpe Clerici, uti dictum est, pœnitentiam acturi in Monasteria amandarentur, facile persuasum fuit, posse in eisdem Monasteriis laicos quoque pœnitentiæ laboribus defungi.

XI. Hisce exemplis referta abunde erat Germania, & Francia. Perhibet vetus Chronicum apud laudatum Duchesne Tomo II. *Historiæ Francorum*, Pag. 6. Thassilonem Ducem Bavariæ ingeminatæ perfidiæ, & perduellionis sæpius reum, attonsum demum fuisse, & in Gemmeticense Cœnobium inclusum: *Invitus jussus est comam capitis sui deponere*. Et paulo post: *Clericus effectus est, & exinde exiliatus est ad Cœnobium, quod appellatur Gemeticum. Duo quoque filii ejus tonsurati, atque exiliati sunt*. Ea verba, *Clericus effectus est*, perspicue de Monastica professione capienda sunt. Sed audiamus locupletiorem alium ejus Historiæ testem apud citatum Duchesne, ubi ad annum DCCLXXXVIII. rem ita narrat: *Dominus Carolus congregans Synodum apud Villam Ingelhaim... dum omnes una voce acclamarent, capitali eum ferire sententia, Carolus piissimus Rex motus misericordia ob amorem Dei, & quia consanguineus ejus erat, obtinuit ab ipsis Dei, & suis fidelibus, ut non moreretur, & interrogatus a clementissimo Rege Thassilo, quid agere voluisset; ille vero postulavit, ut licentiam haberet sibi tonsurandi, & in Monasterio introeundi, & pro tantis peccatis pœnitentiam agendi, & ut suam salvaret animam. Similiter & filius ejus Theodo dijudicatus est, & tonsuratus, & in Monasterio missus*.

XII. Hinc manifeste illa existunt. I. non coactos fuisse ad Clericatum, vitamque Monasticam capessendam, nisi eos, qui cogi se volebant, seu qui Clericatum morti volentes, lubentesque præponebant; scribit enim de ipso Thessalone Eginardus, quod *mutato habitu in Monasterium missus est, ubi tam religiose vixit, quam lubens intravit*. II. vetustissimæ disciplinæ has fuisse quasdam veluti reliquias, morti temporali præripi reos, ut pœnitentiæ laboribus immorerentur. III. priscæ quoque disciplinæ id fuisse, ut pœni-

tentia in Cœnubio quupiam perageretur. IV. Tunsuram & Clericatum plerumque de Monastica professione intelligi. V. eam pœnam, seu gratiam ut plurimum eum consilio Episcoporum fuisse inflictam, vel concessam. Ut enim alia loca omittam, quibus ea res magis, magisque ostendatur, constat ex Concilio Suessionensi II. anni DCCCLIII. Can. III. Carolum Calvum, cum Pipinum nepotem suum Clericali Tonsura coostrinxit, habituque Monastico indui eum jussit, quod in Aquitania res novaret, usum fuisse consilio Episcoporum, qui eam pœnitentiæ formam ejus & natalibus, & sceleribus consentaneam fore existimarunt: *Consilio Reverendissimorum Pontificum, & Procerum attonsus, & in habitu Monastico ad Monasterium S. Medardi custodiendus, & docendus deductus est.* Ceterum licet ut plurimum ea in re consiliom Episcoporum adhiberetur, haud dubium est, quin Reges ea pœna usi aliquando fuerint, non modo in laicos, sed in Episcopos ipsos, & Clericos ob crimen perduellionis, ut inter alios Guntranus Rex Francorum in Salonium Ebredunensem, & Sagittarium Vapinensem Episcopos, teste S. Gregorio Turonensi, Lib. v. Cap. XXI. ubi ita scribit: *His auditis Rex commotus valde, tam equos, quam pueros, vel quæcumque habere potuerant, abstulit, ipsosque in Monasteriis a se longiori accessu dimotis, in quibus pœnitentiam agerent, includi præcepit.*

XIII. Ex dictis hucusque eum illud constet, nemini ex criminum anteriorum causa occlusum in Monasteria fuisse ingressum, utinam qui hodie ad vitam Monasticam, sive regularem recipiunt adolescentes multis criminibus, & carnalibus passionibus unustos, atque implicatos, eos tanquam ad statum pœnitentiæ reciperent, nec passim exiguo ab emissa professione tempore elapso, ad sacros Ordines, quasi ab omni jam vitiorum illorum colluvie purgatos protruderent non sine horrenda sacrorum Ordinum, & præcipue Sacerdotii profanatione. Non minus enim quoque hodie, quam olim, observandum est monitum S. Gregorii Papæ datum Candido Episcopo, Lib. v. Epistula XXVII. qua edicitur, ut in assumendis e Monachis ad Presbyteratum, *præ omnibus esset solicitus, ut vitam actusque eorum, qui in hoc sunt officio constituendi, subtiliter debeat inquirere, & tunc eos, si digni fuerint, ordinare.* Servandam hanc hodieque disciplinam, his adhærens, quæ Sancti Patres enixe Episcopis etiam de Monachorum ordinatione inculcaverant, statuit quidem Tridentina Synodus Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. VII. ita inquiens; *Ut Episcopus Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet.* Tum statim addit, quæ nostram rem spectant: *Volens insuper, ut nec Regulares sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.* Sed de his vide quæ diximus nostro I. Tomo Commentariorum in primam Partem Romani Pontificalis.

C A N O N XLIV.

Monachus fornicationis convictus, vel qui ad Matrimonii communionem, vitæque societatem uxorem duxit, fornicatorum pœnis secundum Canones subjicietur.

COMMENTARIUS.

I. QUi castitatis emissa prufessione fidem promissi postea fallerent, eos quidem Chalcedonensis Synodus Canone XVI. communione privatos, ac iis quidem hominibus elementiæ aliquid impertiendæ, lungiusculæque animadversionis moram contrahendi, vel etiam, si res tulerit, augendi potestatem Episcopo defert. De Monachorum cœlibatu, aliisque scitu dignis multa jam diximus nos in Commentario ad Canonem ipsum XVI. Chalcedonensem, tum etiam alibi frequenter. Hic Canon, siquis Monachus eum muliere deprehensus fuerit, sibive feminam matrimonio copularit, mulctam, ait, fornicatoribus constitutam persolvat. Quod ei pœnæ subjiciatur Monachus, qui crimen illud patrarat, ait Balsamon, *est ut clementissimum amplectendum ac recipiendum*. Quæ autem pœna in hujusmodi fornicatores constituta sit, exponit Aristenus his plane verbis: *Fornicatorum pœna est septem annorum juxta* LIX. *Canonem Basilii Magni: duos namque annos deflet, duos audit, duos substernitur, unum cum fidelibus consistit, & octavo ad communionem admittitur.* Fuse de hisce antiquis Pœnitentium gradibus egimus quoque nos nostro I. Tomo Conciliorum in Appendice ad Canonem undecimum Concilii I. Nicæni; ne ergo iterum actum agamus, curiosum lecturem ad eum locum remittimus. Hodie cum Canonicæ pœnæ omnino fere desierint, Monachus qui uxorem duceret, atrociorem pœnam subiret.

C A N O N XLV.

Quoniam intelleximus, in nonnullis Mulierum Monasteriis, Mulieres, quæ sacro illo amictu sunt induendæ, prius sericis, & omnis generis vestibus, præterea autem & mundis auro, & gemmis variatis, ab iis, qui illas ducunt, exornari, & sic ad Altare accedentes, exui tanto opum apparatu, & statim in illis fieri habitus benedictionem, illasque nigro amictu indui; statuimus, ne hoc deinceps fiat. Neque enim fas est, ut quæ jam propria vo-

voluntate omnem vitæ jucunditatem deposuit, & eam, quæ est secundum Deum, vitæ agendæ rationem amplexa est; firmisque, ac stabilibus rationibus eam confirmavit, & ita ad Monasterium accessit, per eum, qui interit, ac fluit, mundum, quorum jam oblita erat, memoriam revocet; & ex eo anceps reddatur, & ejus anima perturbetur, instar exundantium fluctuum, hucque, & illuc versantium: ut nec nonnumquam lacrymam emittens, cordis per corpus compunctionem ostendat; sed etsi exigua aliqua, ut est consentaneum, lacryma exilierit, non magis propter affectionem, quam habent propter exercitatorium certamen, quam propterea quod mundum, & mundana relinquant, ea a videntibus profluxisse videtur.

COMMENTARIUS.

I. Mulieres antequam tondeantur, Christoque paupertatis, ac modestiæ amatori in Monasterio se dedicent, vel eo ipso die, quo Monastico habitu indui volunt, splendido sericarum, ac secularium vestium apparatu, auroque, ac gemmis conspicuas ad Altare sistendi, ibique illa ornatus inanitate exutis, Monastica indumenta de more benedicta tribuendi consuetudinem hic Canon damnat, idque imposterum fieri omnino vetat. Nam quæ mulier, inquit, omnibus hujus seculi rebus a se sponte abdicatis, religiosumque vivendi institutum sequuta ad Monasterium accesserat, hæc ubi se se fluxo, & caduco ornatu comtam, atque excultam videt, vulgaris vitæ profanæque voluptatis iterum reviviscente memoria, commovetur animo, ac perturbatur, terrenarumque suavitatum identidem subeunte recordatione, quasi fluctibus vicissim ingruentibus absorbetur: tam insigni quidem malo, ut ipsi ne lacrymas quidem, divinitus immissi doloris testes, tunc temporis profundere liceat. Nam etsi aliquis etiam, inquit, fletus existat, dubiæ tamen adhuc intuentibus lacrymæ illæ, & suspectæ sunt, quas nimirum plerique vitæ solutioris, ac earum, quibus carituram se animadverterit, voluptatum desiderio expressas esse arbitrantur.

II. Notat hæc quidem *Zonaras* in ipsum Canonem; testatur autem Balsamon, suo tempore in more adhuc fuisse, ut tonsuram, vestemque religiosam induendæ sanctimoniales, paulo ante longe magnificentissimis indumentis ornarentur. Invehitur tum in eum abusum, aitque obtemperatum minime Canoni ipsi Trullano fuisse, quod nullis in delinquentes sævisset pœnis; verum luculenter idem mox subjicit, ubi nil pœnarum decernunt Canones, ab Episcopo decerni debere. Pravam hanc consuetudinem tametsi hoc Canone improbatam etiamnum hodie, conniventibus iis qui præsunt, & qui illam emendare possent, in multis Mulierum Monasteriis superesse compertum est. Utinam penitus eliminetur, multo magis alia, ducendi ipsas mulieres, quæ Christo se dicaturæ sunt, multis ante ingressum religionis diebus per loca Urbis insigniora, & per theatra, ut nimirum videantur, & videant, salutent, & salutentur. Sunt hæc plane contra modestiam, quam in vultu, incessu, habitu, præseferre Virgines debent, præsertim quæ vitæ Monasticæ daturæ sunt nomen: *Nusquam in plateis, ubi turpium, flagitiosorumque hominum conflari cœtus consuevit, sacra Virgo cernatur, sed captata congrua processionis hora, talem se, & habitu, & incessu, & toto corporis motu exhibebit, ut qui illi forte obvii fuerint, ac si vivum Dei simulacrum aspicientes, facie ad reverentiam, atque admirationem sanctitatis inclinent; honestæque virtutis admoniti, mentem pudicam, & sobriam deferant.* Verba sunt S. Basilii in Libro, *De virginitate*, cui concinit S. Chrysostomus in Sermone de regularium feminarum habitatione cum viris, sic inquiens: *Virgo cum in publicum se recipit, oportet, ut omnis philosophiæ specimen præseferat, & omnes in stuporem convertat, sicut Angelus, si nunc e Cælo descenderet, & sicut Cherubim aliquis, si in terris appareret, omnes homines in stuporem converteret: sic & Virginem omnes, qui eam vident, adducere in admirationem, & stuporem suæ sanctimoniæ oportet.*

III. Omitto alia, quæ hic dici possent, illud haudquaquam dissimulans, quod Canon noster initio insinuat, Moniales tunc nigris vestibus uti, & vestes ipsas benedici solitas, antequam iis induerentur, ante Altare Sponso Virginum, Christo modestiæ amatori se libabant, ubi pro illarum, atque omnium salute quotidie libabatur: *Intelleximus, in nonnullis Mulierum Monasteriis, Mulieres, quæ sacro illo amictu sunt induendæ, prius sericis, & omnis generis vestibus, præterea autem & mundis auro, & gemmis variatis ab iis, qui illas ducunt, exornari, & sic ad Altare accedentes, exui tanto opum apparatu, & statim in illis fieri habitus benedictionem, illasque nigro amictu indui.* Porro vestes omnium veterum Monachorum, atque Monialium, fuisse nigri coloris, jam alibi a nobis non uno in loco dictum est, præsertim vero supra in Canonum XLIII; ut autem hic aliqua exempla, ac testimonia Patrum referam, quæ Moniales spectant, diserte scribit in Epistola sua CXCIX. ad Ecdiciam S. Augustinus, *vestes nigellas esse Monachæ indumentum.* Idipsum testatur S. Hieronymus in Epistola ad Gaudentium de Pacatulæ infantulæ educatione agens, ubi ita scribit: *Solent quædam cum futuram Virginem spoponderint, pulla tunica eam induere, & furvo operire pallio &c.* Hinc de Blesilla Monasticam disciplinam adgressa ita in Epistola sua de Blesillæ ægrotatione inter alia inquit: *Pulla tunica cum humi jacuerit, minus sordidatur.* Et de S. Asella in Epistola de ejus laudibus ad Marcellam, inquit, professam fuisse virginitatem, & religionem fuscioribus vestibus indutam: *Tunicam fusciorem, quam a matre impetrare non poterat, induta, pio negotiationis auspicio, se repente Domino consecravit,*

cravit, ut intelligeret universa cognatio, non posse aliud ei extorqueri, quæ jam seculum damnasset in vestibus. Scite autem notat Hieronymus in Epistola, *De vitando suspecto contubernio*, si vitæ sanctimonia, morumque innocentia non respondet huic, & vesti, & professioni, nihil vilem, ac nigrum habitum prodesse. Damnavit & Chrysostomus Homilia VIII. in Epistolam ad Timotheum, affectatas in veste vili, ac simplici elegantias, meritoque illas objurgat, quæ nigrum pallium sibi imponebant, *ut sub nigro colore facies decentior videatur, & gratior*.

IV. Apud Græcos jam olim suscepturas vitam Monasticam usas fuisse vestibus nigri coloris, liquido constat ex S. Athanasio, qui in regulis de virginitate servanda, & de meditatione ad Virginem Religionem ingredientem, ita inter alia scribit: *Materia tuarum vestium ne sit pretiosa. Indumentum tuum fuscum sit*. Hinc Zonaras in Constantino Leonis filio ait: *Claudit Monasterio uxorem Mariam Constantinus, & tonderi jubet, & huic circumponi vestes pullas*. Ardore libidinis abdicata, & Monasterio inclusa Maria legitima conjuge ex falso prætextu, quasi vitæ ipsius esset insidiata Theodotem cubicularium ducens uxorem, Augustam coronavit anno DCCXCV. ut testatur Baronius. Sed & in Michaele Rangabi idem Zonaras refert, quod *Theophanonem Stauracii conjugem Monacham factam, & nigra indutam stola, donavit multa pecunio*. Hujusmodi exempla, quibus docemur, atri coloris vestibus usas tum apud Græcos, tum etiam Latinos fuisse Moniales, ac Monachos, passim invenies in Annalibus sacris, & apud Scriptores Ecclesiasticos.

V. Quibus olim ritibus ante Altare Monachi æque, ac Moniales Monastico habitu induerentur, fuse explicant duo Euchologii Officia, quorum alterum parvi, alterum magni & angelici habitus dicitur. Extant in iis Officiis variæ precum, ac benedictionum formulæ, quibus Monasticæ vestes initiari solent. Egregiæ sunt in ipsa Officia Notæ eruditissimi Jacobi Goar, quas, si ei collibuerit, Monasticorum rituum studiosus adire potest, ac legere. Certe ob varias illius prærogativas magni semper habita fuit vestis Monastica, adeo ut sanctus Anastasius Martyr, ac Monachus, teste Auctore ejus vitæ apud Surium die XXII. Januarii, cum in ipsa Martyrii passione pronus humi cecidisset, & continuis clavæ ictibus verberaretur, hanc solum ab inimicis gratiam petierit, ut exuere liceret venerandum Monachorum amictum, & nudis verberaretur carnibus, *ne is*, inquiens, *una cum meis membris probro afficiatur*. S. Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ, ingenue fatetur: *Si Dominus ei optionem daret multo magis se electurum tunicam Pauli cum meritis ejus, quam Regum purpuram cum regnis suis*.

VI. Justinianus tandem Imperator tanti religiosum Monachorum, ac Monialium habitum æstimavit, ut in novella sua Constitutione CXXIII. severioribus pœnis mulctandos illos decreverit, qui in vita seculari conversantes, eo, vel illi simili, in scenis, vel in aliis seculi pompis uterentur, aut probro aliquo habitum ipsum afficerent: *Omnibus*, inquit, *generaliter in vita seculari conversantibus, & maxime theatralia exercentibus viris, ac mulieribus, nec non & prostantibus interdicimus, uti schemate Monachi, aut Monastriæ, aut Ascetriæ, aut cujuscumque personæ hujusmodi imitari schema: scientibus universis præsumentibus, aut uti schemate, aut imitari, aut illudere in quocumque Ecclesiastica disciplina, quia & corporalia supplicia sustinebunt, & exilio tradentur: providentibus huic rei non solum locorum Episcopis, & qui sub eis sunt, Clericis, sed etiam militaribus, civilibusque judicibus, & quæ sub eis sunt, officiis, & locorum defensoribus*. Utinam hujusmodi lex servaretur, sunt enim non pauci, qui alicubi bacchanalium tempore habitum ipsum gestare, sive aliam ei similem vestem deferre personati non erubescunt, ut alios omittam, qui in theatris ipso eodem Monastico habitu uti, vel ei simili non verentur, hæreticorum more in Catholicæ Religionis opprobrium.

CANON XLVI.

Quæ vitam exercitatoriam eligunt, & in Monasteriis sunt constitutæ, ne omnino progrediantur. Siqua autem inexorabilis necessitas ad hoc trahit, cum benedictione, & permissione ejus, quæ præest, hoc agant; tuncque non solæ per se, sed cum aliquibus vetulis, & quæ in Monasterio primæ sint, cum mandato ejus, quæ Præfecta est. Eis autem omnino extra cubare non licet. Sed & viri, qui vitam Monasticam persequuntur, & ipsi cum benedictione ejus, cui regimen creditum est, procedant. Quamobrem, qui transgrediuntur id, quod est nunc a nobis decretum, sive sint viri, sive mulieres, convenientibus pœnis subjiciantur.

COMMENTARIUS.

I. PRohibet primum Canon, ne Claustris unquam suis Moniales egrediantur, nisi eas inexorabilis necessitas cogat, & ne tum quidem, nisi Præfectæ, seu Abbatissæ facultate impetrata, & *cum aliquibus vetulis, & quæ in Monasterio primæ sunt*, idest ætate grandiores, & moribus præ ceteris probatæ. Quod clausuram monialium spectat, quoniam per multa Christi secula, earum, quæ in Monasteriis erant, aliquæ licet claustris nunquam efferrent pedem, aliæ nullo ejusmodi vinculo constringebantur, ut tradit Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. XLV. sive, ut ait eruditus Thiers, quod non semper, nec ubique eadem fuerit circa Clausuram sacrarum Virginum disciplina, neque aliqua generalis Ecclesiæ lex omnibus indifferenter Monialibus

libus clausuram perpetuam imponens edita fuerit ante Bonifacium VIII. qui sub finem seculi XIII. & initium XIV. Pontificatum gessit, ipse quidem Pontifex peculiari edita Constitutione, quæ incipit, *Periculoso*, legiturque in Cap. unico, *De statu regularium*, in VI. clausuram universim imposuit, quia scilicet quædam Moniales honestatis laxatis habenis, & monachali modestia, sexusque verecundia, impudenter abjectis, extra sua Monasteria per habitacula secularium personarum discurrebant in illius, cui suam integritatem sponte devoverant, gravem offensam, religionis opprobrium, & scandalum plurimorum.

II. Bonifacii VIII. Constitutionem, quæ, uti dictum est, incipit, *Periculoso*, & relata est in Cap. unico, *De statu regularium*, in VI. renovans Synodus Tridentina Sessione XXV. *De Regularibus*, Cap. V. universis Episcopis sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcapit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero, Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Monialium, ubi violata esset, diligenter restitui, & ubi inviolata, conservari maxime procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quod auxilium ut præbeatur, omnes Christianos Principes eadem sancta Synodus hortatur, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda omnibus Magistratibus injungit.

III. Si veterem disciplinam spectemus, ubi circa Seculum IV. cœperunt construi Virginum Monasteria, cœpit quoque eis egressus e Monasterio, saltem extra urgentem necessitatem, & citra Superioris licentiam interdici. S. Basilius in Sermone, *De institutione Monachorum*, inter alias præcepta, seu regulas illis traditas, ita quidem mandat: *Egredi vero extra Monasterium, præterquam ubi statutis temporibus necessitas postulaverit, nemini licitum est*. Ne vero quis autumet, hæc ad solos Monachos spectare, ita statim subjicit: *Verum quoniam non virorum modo conventus sunt, sed etiam Virginum, cætera quidem omnia, quæcumque hactenus præcepta tradidimus, æque utrisque communia sunto. Unum tamen illud scire convenit, longe accuratiorem, majoremque in feminarum vita, quam in virorum disciplinam requiri, veluti voluntariæ paupertatis virtutem, quietem, atque silentium, obedientiam, studium in sorores, cautionem in publicum prodeundi, diligentem, quibuscum colloquium sit, animadversionem, parem inter ipsas mutuo benevolentiam, & illud, quod nulla seorsim apud eas conventicula sint. In his enim omnibus in Virginum vita accurandis majore quodam multo opus est studio*.

IV. Constat ex hoc prolixo S. Basilii testimonio, quam solicite ipse vigilantissimus Præsul clausuram Monasterii Virginibus commendaverit. Viguisse autem eam Seculo IV. disciplinam, liquet ex vita S. Euphrasiæ, quæ eo tempore vixit in Monasterio Virginum Thebaidis, de quibus apud Bollandum ad diem XIII. Martii in ipsa S. Euphrasiæ Vita ita legitur: *Nulla earum januam exibat. Erat autem janitrix, per quam responsa omnia fiebant matura*. Cum ex sepultura Monialium id consequeratur, ut vel ipsæ extra Claustra prodirent, vel in earum claustra penetrarent Monachi, neque inde labes aliquando orietur, vetuit novella sua Constitutione CXXXIII. Cap. III. Imperator Justinianus, ne deinceps vel in Monachorum Conventibus Moniales, vel in Conventibus Monialium Monachi sepelirentur. Sed quid secularium Principum Leges quærimus, cum in Conciliis suis, & in suis ad Virgines Regulis id frequenter Episcopi constituerint, ne Virgines unquam e Monasteriis egrederentur. Ut autem alios omittam, ita inquit in sua Regula ad Virgines Cap. I. S. Cæsarius Episcopus Arelatensis, qui sexto Christi seculo floruit: *Si qua relictis parentibus suis seculo renuntiare, & sanctum ovile voluerit introire, ut spiritualium luporum fauces, Deo adjuvante, possit evadere, usque ad mortem suam de Monasterio non egrediatur*.

V. Quamquam vero varii afferri possent Canones, quibus prohibentur Moniales suo egredi claustro, opus nihilominus fuit Bonifacii VIII. Constitutione, qua omnes ad clausuram obligarentur, cum nulla de ea re Lex esset universalia ante ipsum Pontificem. Forte quod memorata Constitutio a nonnullis, frivolis, ut sæpe accidit, interpretationibus negligeretur, eam laudata Synodus Tridentina innovavit, inter alia mandans, ut *nemini sanctimonialium liceat post professionem exire a Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda, indultis quibuscunque, & privilegiis non obstantibus*. Decretum hoc novo suo vigore muniit S. Pius V. peculiari sua Constitutione, quæ incipit, *Cura Pastoralis*. Dum enim dubitari potuisset, an Tridentina Synodus suo Decreto comprehenderet Monasteria illa Monialium, in quibus Clausura nunquam fuerat recepta, & quæ ex sua Regula, aut institutione ad clausuram minime adstringerentur, declaravit Pius, universas, & singulas Moniales, præsentes, atque futuras, cujuscunque Religionis, Ordinis, vel Militiarum, etiam Hierosolymitanæ sint, vel quæ jam receptæ sint, vel inposterum in quibusdam Monasteriis, sive Domibus recipientur, & tacite, vel expresse Religionem professæ, etiamsi Conversæ, aut quocunque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis, vel fundationibus earum regulæ ad Clausuram non teneantur, nec unquam in earum Monasteriis, seu Domibus etiam ab immemorabili tempore ea servata fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis, seu Domibus debere de cetero permanere clausura juxta formam dictæ Constitutionis Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit, *Periculoso*, in sacro Concilio Tridentino approbatam, & innovatam, quam ait auctoritate sua etiam approbare, & innovare.

VI. Rursus cum ex laudato Synodi Tridentinæ Decreto non exprimatur, quæ sit legitima causa, ob quam Episcopi permissu possit aliquando Monialis e Monasterio egredi, eaque judicio Episcopi videatur permitti, memoratus Pontifex Pius nulla occasione, nullove alio prætextu egressum permittit, *nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ*. Ante Pium V. Synodus Moguntina anni MDXLIX. jam causas ipsas probaverat, ubi Monialibus egressum e Monasterio permisit, si fuerint inevitabili necessitate compulsæ, *quæ tali morbo infectæ, unde ex contagione aliis periculum immineat*. Id quod etiam placuit Cameracensi Synodo anni MDL. ubi inter causas concedendi egressum ipsum e Monasterio, recenset *morbum, quo cum aliis absque gravi periculo*

riculo commorari non possit. Quod incendium spectat, stupendum est exemplum Monialium Marcinensium, quod Petrus Cluniacensis in Lib. *De miraculis*, Cap. XXII. narrat, noluisse scilicet ipsas in Monasterii sui incendio, ex ejus septis egredi, quantumvis eas moneret, & hortaretur Pontificius Legatus Hugo Archiepiscopus Lugdunensis, ut Claustro egrederentur, quo cederent incendio, & saluti suæ consulerent. Addit, pervicisse ex adverso illas, ut ipsemet preces, & totam Christi, cujus Vicarius erat, auctoritatem interponeret, ut flammarum vortices cohiberentur; sicque illis ipse, ipsi flammæ obtemperarunt, tandemque divinitus compressæ sunt. Ceterum scite monet Barbosa, aliique Auctores, non obstante restrictione Pii V. Pontificis, posse Moniales e Monasterio egredi, non modo *ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ*, ut declaravit Pius, verum etiam ex aliis causis similibus, aut urgentioribus in laudata Pontificis Constitutione nominatim minime expressis, ut exempli gratia, tempore belli, cum periculum immineat invasionis Militum, aliarumque calamitatum complurium, quæ ex bello solent oriri.

VII. Hanc invasionis hostium causam probavit jam olim Concilium Vernense anni DCCLV. Can. VI. ubi primum constituit, *ut nulla Abbatissa duo Monasteria præsumat habere, nec extra Monasterium licentiam habeat exire, nisi hostilitate cogente*. Addit mox aliam causam, ob quam cum licentia Episcopi egredi semel in anno e Monasterio possit, cum scilicet Rex illam vocaverit: *Sed Domnus Rex, quando aliquam de ipsis Abbatissis ad se venire jusserit, semel in anno, per consensum Episcopi, in cujus parochia est, ut tunc ad eum aliqua veniat ex sua jussione, si necessitas fuerit; & alibi omnino non debeat, nec per villas, nec per alia loca demorari, nisi tantum, quam celerius potuerit ambulare, & reverti*. Dignum plane notatu est, quod statim subjungit: jubet enim, ut Abbatissa, quam Rex vocavit, *se ante non moveat de suo Monasterio, quam suum missum ad Domnum Regem transmittat; &, si jusserit Rex venire, veniat: sin autem, in Monasterio permaneat*. Ubi nota, I. pro Abbatissis exeundi causam unicam recenseri illa verbis *hostilitate cogente*. II. si quæ alia obvenisset causa, nonnisi jubente Rege, & consentiente Episcopo facultatem exeundi concedi. III. celeriter peracto negotio, Monasterium reverti oportuisse.

VIII. Quod reliquas Sanctimoniales spectat, prohibentur & ipsæ ex eodem Concilii Vernensis Canone egredi claustro, & correptioni subjici jubentur Episcoporum in ipso Monasterio, ubi deliquerant, si quæ in aliquod crimen lapsæ essent: *Similiter nec illæ Monachæ extra Monasterium exire debeant. Quod si aliqua in aliquem lapsum ceciderit, infra Monasterium per consilium Episcopi pœnitentiam agat*. Tum ut pretextum illum exeundi præcidat: *&, si necesse est*, inquit, *de earum necessitate ad Domnum Regem, vel ad Synodum aliquid suggerere, earum Præpositi, vel missi hoc debeant facere, & qualia munera ad Palatium dare voluerint, per missos suos ea dirigant*. Mandat deinde, ut si tenuitas rerum videatur officere strictiori observantiæ Regulæ, & clausuræ, non ipsæ mulieres ob eam causam e Monasterio egrediantur, ut Episcoporum interpellatione, earum egestas largitate aliqua Principum sublevetur: *Et si aliqua Monasteria sunt, quæ earum ordinem propter paupertatem adimplere non possunt: hoc Episcopus Regi innotescat, ut in sua Eleemosyna hoc emendari faciat*.

IX. Sed nec omittenda postrema Canonis verba, quæ sic habent: *Et si tales feminæ velatæ ad præsens ibi congregatæ inveniantur, quæ regulariter vivere non velint, nec ad hoc dignæ sunt, ut cum illis aliis habitent, Episcopus, vel Abbatissa, prævideant locum aptum, ubi separatim cum custodia in pulsatorio habitare debeant, vel operari manibus, quod ipsa Abbatissa eis jusserit, interim quod probatæ dignæ sint, ut in congregatione recipiantur*. Omnes ait irregulariter viventes in Pulsatorio recludendas, donec ad meliorem frugem reversæ, in Congregationem tandem admitti promererentur. Erat autem Pulsatorium locus Novitiis destinatus, in quo instituerentur, antequam professionis Monasticæ vota emitterent: *Ad Monasterium venientes secundum regularem Ordinem primo in pulsatorio probentur, & sic recipiantur*. Verba sunt Concilii Aquisgranensis anni DCCLXXXIX. Can. LXXI.

X. Cautum jam illud ex nostro Trullano Canone fuerat, ut, *si qua inexorabilis necessitas*, exeundi e Monasterio Monialibus incideret, cum benedictione, & permissione ejus, quæ præest, hoc agerent, honesto aliquarum vetularum, quæ moribus præ ceteris probatæ sint, comitatu septæ, & ne extra Monasterium pernoctare possent. Hac hodieque cautione opus est in plurimis Monasteriis præsertim Belgii, ubi teste Vanespen in sua ad hunc nostrum Canonem Nota, Decretum Concilii Tridentini tametsi saluberrimum non ubique in Belgio hactenus executioni demandatum est. Ait vero laudatus Auctor Parte I. *Juris Ecclesiastici universi*, Tit. XXX. Cap. IV. Num. XXV. eam cautionem circa Moniales infirmis curandis ex fundatione, aut instituto deputatas observatam cupientes Patres Synodi II. Provincialis Cameracensis ita statuisse Tit. *De Regularibus*, Cap. XVII. *Religiosæ vero etiam mendicantes, quæ ægrotorum curam ab immemorabili tempore, atque adeo ex fundatione agunt, solæ nunquam emittantur ad ægrotos, nec juniores, quantum fieri potest, sed eæ, quæ Matris, seu Præfectæ judicio probabuntur*. Est res plena periculi, & quantacunque adhibeatur cautio, cautionem omnem periculum vincet. Celebre itaque est S. Hieronymi Monitum, quod ad Demetriadem scribens, pro sacris Virginibus tradidit, quæ juxta morem illius temporis, clausuræ vinculo alligatæ omnes minime erant: *Quæ vivunt*, inquit, *in Monasterio, & quarum simul magnus est numerus, nunquam solæ, nunquam sine matre procedant. De agmine columbarum crebro accipiter unam separat, quam statim invadat, & laceret, cujus carnibus, & cruore saturetur. Morbidæ oves suum relinquunt gregem, & luporum faucibus devorantur*.

XI. Quantum ad alteram nostri Canonis partem, jubet, ut Monachi quoque *urgente necessitate & ipsi cum benedictione ejus, cui regimen creditum est, procedant*. Quam enixe solitudinem Monachis Patres tanquam summopere utilem, ac pene necessariam inculcaverint, uno consensu clamant eorum Regulæ. S. Benedictus in Regula sua Cap. LXVI. Monasterium, si fieri potest ita construi mandat, ut omnia necessaria, idest, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra Monasterium exerceantur: *Ut non sit*, ait, *necessitas Monachis evagandi foras, quia om-*

omnino non expedit animabus eorum. Notum, ac celebre est illud Eugenii Papæ apud Gratianum Can. VIII. Causa XVI. Quæstione I. *Monachus claustra suo sit contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine Monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit.* Sed quid alia congero, cum jam alibi frequenter de ea re loquuti simus, & si quispiam plura desideret, præter eruditas Hugonis Menardi Notas ad Cap. LXXI. Concordiæ Regularum legere possit de ea Monachorum solitudine, & a seculo separatione late discurrentem Abbatem Trappensem in Tractatu, *De sanctitate vitæ Monasticæ*, Cap. XVI.

XII. Ad benedictionem Præfecti quod attinet accipiendam a Monacho foras egressuro, antiquus est & laudabilis mos, ut nunquam Monachus sine benedictione, vel oratione sui Rectoris foras progrederetur, ut hac veluti clypeo circumvallatus mundi pericula, & dæmonum tela declinare possit. Occurrit is ritus quamfrequentissime in sacris Scripturis, ab iisque haud dubie suam ducit originem. Certe Tobias, ut in ejus Libro Cap. V. habetur, filium suum Raphaeli commendans, utrique bene precatus est, dicens: *Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus ejus comitetur vobiscum.* Raguel quoque, ut ex laudato Libro constat, Cap. X. Tobiam dimissurus, hac oratione usus est: *Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes.* David tandem, ut alios omittam, ipsam benedictionem diserte docet munimen esse abeunti, ac redeunti, ubi ita inquit in Psalmo CXX. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Hoc laudati Psalmi versiculo tutatus est sanctum & vetustum hunc ritum B. Eustachius Abbas Luxoviensis Columbani discipulus in Concilio Matesconensi adversus Agrestium quendam, ejusdem ritus damnatorem, ut scribit Jonas Scotus in vita memorati Eustachii apud Surium die XXIX. Martii. Quanti autem hunc morem Veteres fecerint, ex eo addiscere licet, quod antiquus Auctor pœnarum inter opera S. Basilii eam etiam recenseat: *Siquis egreditur a Monasterio non accepta benedictione, aut non dimissus a Patre, & Præfecto Monasterii, sit excommunicatus.*

XIII. Neque vero solum ubi Monasterio egrediebantur, sed etiam ubi ad illud redibant, paterna benedictione, & oratione muniri Monachos jussit in Regula sua S. Benedictus Cap. LXVII. sic dicens: *Dirigendi fratres in via, omnium Fratrum, vel Abbatis orationi se commendent, & semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium fiat. Revertentes autem de via fratres, ipso die, quo redeunt, per omnes Canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo Oratorii, ab omnibus petant orationem propter excessus.* Legem hanc accurate ac diligenter fuisse servatam docet S. Gregorius Lib. II. Dialogorum, Cap. XII. ait enim, fratres quosdam egressos, ubi ad cellam rediissent, benedictionem Patris sui Benedicti petiisse. Meminit ejusdem ritus S. Isidorus Hispalensis in sua Regula Cap. XXIII. sic inquiens: *Quando Fratres foras proficiscuntur, vel redeunt, congregatis omnibus in Ecclesia, benedictionem accipiant.* Quod idem videtur cum eo, quod sancivit S. Benedictus, ad cujus imitationem ait Nigronus ad Regulam XLVI. Societatis, recentiores Ordines similia constituisse, laudatque Canonicos Regulares S. Salvatoris, Clericos Regulares sancti Pauli, Carmelitas Discalceatos, ac alios, qui exituros, & redituros jubent coram Sacramento, vel alio ad id designato loco breviter orare, ut Deus illorum exitum, introitumque custodiat, & benedictionem flexis genibus poscere.

XIV. Hunc eundem ritum orandi paululum, & petendæ flexo genu benedictionis servant diligentissime Canonici Regulares Lateranenses, Fratres Minimi Civis mei S. Francisci de Paula, & inter alios Clerici Regulares, de quibus ita cautum est Parte II. Constitutionum, Cap. IX. *Cum erit egrediendum domo, impetrata licentia cum assignato sibi comite, petita fixo in terram genu benedictione, brevi oratione facta, & monito Ostiario quisque egrediatur: ambo modestiam, & morum gravitatem præseferentes una semper incedant. Cum domum redierint, rursus orent, & benedictionem pari modo petant.* Sane mos ille, ut Religiosi non sine socio procedant, tametsi hodie passim, si paucos excipias, negligatur, est certe antiquissimus, ejusque Auctorem habemus Christum Dominum, discipulos non solos, sed binos mittentem, uti habetur Lucæ Cap. X. Sic teste eodem Luca Cap. XXII. ad parandam cœnam, & ad visendum sepulcrum, ut ait Joannes Cap. XX. & ad Samariæ civitatem, uti legitur in Actis Apostolicis, Cap. VIII. Petrus, & Joannes, hoc est, duo simul abierunt. Titum ad hoc comitem peregrinationis sibi ordinatum ait Paulus in Epistola I. ad Corinthios Cap. VIII. ne sine testimonio Sanctorum sibi videretur accipere stipes fidelium, quæ erant distribuenda egentibus.

XV. A Christo, & ab Apostolis transiit haud dubie hujusmodi institutum ad Monachos, ut scilicet procedentes cum socio, haberent testes morum, custodes, & adjutores. Hinc teste Ruffino, *De Vitis Patrum*, Lib. II. Cap. XXXI. ubi beatus Antonius Monacho permisit, ut sororem suam inviseret, *tunc assumpsit secum alium Monachum, & perrexit ad locum, & domum sororis suæ.* Tradunt hanc disciplinam passim quotquot Monasticas Regulas ediderunt: ut autem Græcos Patres, Basilium, Pachomium, aliosque plurimos omittam, S. Augustinus in Regula Cap. X. ita inquit: *Quando proceditis, simul ambulate.* S. Isidorus in sua Regula Cap. XXV. jubet, ut *dum pro Monasterii aliqua necessitate diriguntur, duo Fratres spirituales, ac probatissimi eligantur.* Eadem disciplina usos esse Benedictinos ex præscripto eorum sancti Parentis, pluribus docet Haeftenus, *Disquisitionum Monasticarum*, Lib. II. Tractatu IV. *Disquisitione I.* ubi etiam scite observat, eam rem omnium pene Ordinum consensu receptam esse, & consuetudine observatam. Ceterum viguisse olim ipsam disciplinam etiam inter Clericos, liquet ex Concilio Turonensi II. Can. XX. *Quotiescunque*, inquit, *Archipresbyter, seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet.*

XVI. Esse autem plane absurdum, ac etiam pœna dignum, quod Monachi soli procedant, docet nos S. Gregorius, qui Libro X. Epistola XXI. Constantium Monachum a Fratribus in Abbatem expetitum hac causa repulit, quod, ut ait, *solus pergere sine aliquo Fratrum suorum præsumpsit: ex qua ejus actione cognoscimus, quia qui sine teste ambulat, recte non vivat.* S. Thomas Aquinas, uti habetur in Dominicano Chronico Lib. III. Cap. XXXVII. Religiosum, qui solus procederet, voca-

bat

bat diabolum solitarium. Et, ut docet S. Bonaventora in suo Speculo, *non est tutum, aut decens Religiosis, quos congruit bines ire, alterum ab altero longius separari, talisque separatio eis in periculum, & occurrentibus cedit in scandalum.* Ubi nota, etiam cum Monachi bini procederent, non debere alterum ab altero longius separari; hoc autem quod ait S. Doctor de periculo, & scandalo, maxime illud vitandum esse, ubi femineus adeundus est sexus, tradit quidem Thomas Cantipratanus Lib. II. *Apum*, Cap. II. sic inquiens: *Nec socius socium debet deserere, maxime in colloquio mulieris, nisi alter alterum videat colloquentem.* Defectu observationis hujus disciplinæ ait ipse Cantipratanus, se ultra triginta annos, Episcoporum plurium vices in excipiendis confessionibus obeuntem, de sacris hominibus, qui soli mitterentur, vel soli alicui hærerent, audivisse ait *horrenda mala, horrenda scandala, horrenda pericula.* Nec suscipiendas putat excusationes eorum, qui *servos*, ut ait, *vel garsiones seculares pro sociis* assignari existimant sufficere; itemque eorum, qui allegant expensas duplo auctiores, si socius assignetur abeunti, vel hærenti extra Religiosam domum. Servos enim seculares inquit ineptos esse ad finem e socii assignatione præscripta quæsitum; sumptus autem nulli posse melius collocari, quam in re tanti momenti, unde salus sacrorum hominum, & nitor, ac bona fama totius Cœtus dependet.

XVII. Ergo concludit Cantipratanus, occasione præsertim feminei sexus necessarium esse socium sacro cuivis homini, sive Clerico regolari, sive Monacho. Comitem autem non ab eo, qui exire voluerit, eligendum, sed a Præposito assignandum, expresse jubet in Regula sua S. Augustinus, dicens: *Ille, qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus Præpositus jusserit, ire debet.* Idipsum & aliæ SS. Parentum religiosorum Ordinum Regulæ alumnis suis passim inculcant, quos tamen solos hoc illuc discurrere solosque hanc & illam feminarum domum intrare, pii omnes non immerito dolent, & Præsulum negligentiam sugillant, qui abusui minime occurrunt.

C A N O N XLVII.

Neque mulier in virorum Monasterio, neque in Vir in mulierum dormiat. Extra offendiculum enim & scandalum fideles esse oportet, & ad id quod decorum, & honestum, Deoque gratum, vitam suam componere. Siquis autem hoc fecerit, sive sit Clericus, sive Laicus, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. Offensiones omnes, & scandala evitare, neque vel ex aliis sibi peccandi occasiones quærere, vel aliis ipsi præbere, omnes quidem Christiani homines, sed ex omnibus tamen præcipue Monachi hoc Canone, aliisque pene innumeris jubentur. Si enim sola aditio domorum sacrorum hominum mulieribus vetita est, & vice versa, aditio sola domorum, in quibus degunt Virgines Deo consacratæ, prohibita est Monachis, & quidem ad consulendum honestati, & præcidendas turpes suspiciones, ac pericula, jam longe magis prohiberi debuit, ut *neque mulier in virorum Monasterio, neque vir in mulierum dormiat.* Quod si in Monasteriis mulierum viri, aut contra feminæ in Monasteriis virorum pernoctent, in eo tum ipsorum, qui id faciunt, tum aliorum quoque offensionem aliquam intercedere necesse est, ut scite notat ad hunc Canonem Zonaras, ubi etiam hanc rationem subjicit: *Fervet siquidem flamma cupiditatis in medullis, vixque remota per nos incendii pabulo debilitata mitescit. Quod si etiam nutrimenta ipsimet ingeramus, invalescet vehementius, nosque nullo negotio fœni stipulæve instar absumet.* Et iterum: *Quid porro ad cupiditatis in homine flammam excitandam muliere vehementius? Quid vicissim, ut inflammetur hoc igne mulier, homine periculosius? Erunt igitur tum sibi invicem, qui in Monasteriis degunt, offensionis causa, tum aliis quoque, quicunque aut muliebri in diversorio virili, aut virorum in muliebrem ulcerio pernoctationem animadverterint. Suspiciosi etenim sunt plerique homines, quique offensionis, & calumnia occasiones undique aucupentur. Eam rem igitur a recti specie quippe alienam Patres hoc constitutione damnant, quique constitutioni non paruerint; segregatione multari jubent.* Hactenus Zonaras, quo nihil luculentius afferri potest, præsertim cum nos jam quamfrequentissime, ubi se se dedit occasio, differuerimus de ea sacrorum hominum obligatione, vitandi scilicet suspiciones, ac ramusculos omnes, præcidendique pericula, quæ ex alterius sexus frequentatione oriri solent non sine animarum pernicie.

II. Forte quispiam hic urgeat exempla multarum sanctarum mulierum, quæ sexum ementitæ virilem inter Monachos habitarunt, pleræque ad annos multos, nec paucæ per totam vitam, & nonnisi post mortem, cum ad tumolationem lavarentur, aut componerentur, mulieres deprehensæ. Extant pene innumera id genus exempla apud Baronium, Metaphrastem, Surium, aliosque Scriptores. De S. Eugenia Philippi Augustalis filia, narrat die xxv. Decembris Metaphrastes, & ex eo Baronius ad annum CCIV. quod nuptias fugiens, inter Monachos delituerit, dicta in Monachatu Eugenius. Idipsum legitur de Euphrosina dicta Smaragdo, de qua late idem Metaphrastes differit die xxv. Septembris; & de Marina Marinus nominata, uti videre est in ejus Actis, apud laudatum Auctorem die xi. Septembris. Notum est piis, & eruditis viris, atque in Lectione versatis Actorum SS. Mulierum, quid fecerit Theodora Alexandrina, quid Pelagia Antiochena latens sub Pelagii nomine inter Monachos? Quid Papula apud Gregorium Turonensem in Libro *De Gloria Confessorum*, Cap. xvi. quid Antonina, quid Anastasia patricia, Susanna, Athanasia, Anna matro-

matrona, Glaphyra, Jachelina Comitis Apuliæ forore, Hildegundis, eui Josephi nomen inditum, Apollinaeis, quæ Dorotheus appellata, Anonyma apud Mosehum in Prato spirituali Cap. cLxx.

III. Omitto alia exempla, quæ afferri pussent, quæ tamen minime convellunt, quæ de Ecclesiæ, & sanctorum Pateum, ae facrarum Synodorum sententia, & deeectis constituta sunt circa sacrorum hominum, & mulierum contubernium: *Neque enim*, ut scitu docet clarissimus Raynaudus in celebri sua Dissectatione, *De sobria alterius sexus frequentatione per sacros & religiosos homines*, Cap. xv. Num. II. in fine, *neque enim*, inquit, *nostrum est ponere legem Spiritui Sancto, qui extraordinario impulsu sanctas illas mulieres permovit, ut velleat cum viris rem plane ignorantibus habitare. Nec erat adeo operosum, sexum ementiri, quia ob exquisite tersum lævorem genarum per assiduam rasuram, imponebant oculis non adeo curiose spectantium. Alias autem pro Eunuchis habebantur. Neque tamen adigimur, omnia plane in hoc genere facta, tamquam a Spiritu Sancto profecta, rata habere.* Probat id quidem auctoritate S. Hieeonymi, qui in Epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis, intee ineptias feminarum pietatem ementientium, quas egregie conterit, hanc minime omisit, ubi ita inquit: *Aliæ virili habitu, veste mutata, erubescunt esse, quod natæ sunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas.* Eodem loco habet hujusmodi mulieres, quo mox Monachos, quibus feminei contra Apostolum crines, & hircorum barba. Itaque, ut recte concludit Raynaudus, feminam ementientem sexum suum, & virili habitu indutam S. Hieronymus aveesatur; tantumque abest, ut eam mutationem velut a Spiritu Sancto profectam ratam esse velit; etiamsi verum est, aliquando mulieres extraordinario Spiritus Sancti impulsu, ad assumendum Monasticum intee viros habitum induetas fuisse.

IV. Observatione vero dignum est, quod idem Auctoe mox notat, nunquam scilicet Spiritum Sanctum propulisse Viros quantumvis Eunuchos, ut inter feminas profiterentur. Satan vero fuit, qui androgynum, prævalente virili sexu, in sacrum Virginum sodalitium admitti, & professionem emittere curavit, ingenti sodalitii illius clade, ut legere est apud Comitolum; cujus tamen resolutio nullo pacto probari potest, quatenus statuit, illum androgynum, in quo uterque sexus par esset, aut muliebris superasset, in parthenone relinquendum; eum autem, in quo viri natura, & sexus magis valuisset, in virorum contubernio reliquam vitam traducere. Hoc minime admitti posse, sat docent strages, quas nemo non videt, ab altero sexu, quo item androgynus potitur, in alterutro coetu sacro esse timendas. Vetante modestia reticeo varia exempla, quæ Gaspar Bahuinus in Opere, *De Hermaphroditis*, collegit. Issoeli sane apud Arvernos sub annum MCDLXXVIII. regnante Ludovico XI. ut in ejus rebus gestis scribit Guagninus, Monachus androgynus prægnans evasit, cum pro viro esset professus. Feminarum autem, idest habitarum pro feminis, eum essent semimares, plerasque prolem de aliis mulieribus suscepisse, testatur idem Bahuinus, apud quem hæc legi malo, quam chartis hisce ea describere.

C A N O N XLVIII.

Uxor ejus, quæ ad Episcopalem dignitatem promovetur, communi sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, Monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehatur.

COMMENTARIUS.

I. Quod hic statuitur de uxore illius, qui ad Episcopatum promotus est, ut communi consensu prius separata, Monasterium ingredi debeat, jam explicuimus supra in Commentario ad Canonem XII. Hunc Canonem jam pridem receptum fuisse ab Ecclesia Romana, observat Lupus, & probat auctoritate Alexandri Papæ III. qui ad Strigoniensem, & Colocensem Episcopos, Hungarorum Metropolitas scribens, ita ait: *Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Extat hoc Alexandri Decretum in Cap. V. *De conversione Conjugatorum*; ubi etiam Cap. VI. ad eosdem scribens, sic habet: *Fraternitati vestræ auctoritate Apostolica prohibemus, ne uxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem, vel vitam assumat.* Rationem ejus rei hanc reddit: *Quod si in quibuslibet Ecclesiasticis gradibus provideuter, solerterque curandum est, ut in domo Dei nil sit inordinatum, nihilque præposterum, multo magis laborandum est, ut in ejus promotione, qui super omnes gradus constituitur, ne erretur.* Desunt hæc quidem verba in Collectione a Gregorio IX. approbata, sed restituta in sua Decretalium editione a Viro clarissimo Antonio Contio, & ab aliis doctis Viris.

II. Quod spectat illa nostri Canonis verba, *& Episcopi providentia fruatur*, notat scite admodum Zonaras, ita esse accipienda, *nisi mulieri scilicet ex domestica ipsius copia, opportuna vitæ subsidia suppeditari queant.* Tum vero hæc addit: *Si namque Episcopo ipsi, ne sui quidem commodi causa quicquam ex Episcopatus sui proventibus, præterquam in necessarios usus, idque nisi domesticis facultatibus destituto insumere concessum est, quanto minus illi ad uxoris relictæ subsidium derivare aliquid ex Ecclesiæ bonis; si mulieri vitæ opportunitates aliunde suppeditentur, licebit?* Ubi obiter nota, quod aliis in locis fuse explicuimus variis Patrum, & Canonum testimoniis, etiam

ex sententia Zonaræ illicitum esse Episcopo, & consequenter aliis Beneficiariis, vivere ex bonis Ecclesiæ, dum ex suo patrimonio sibi sufficit. Hisce autem omissis, notandum est, quod tandem Canon decernit, oxorem Episcopi, si etiam morum gravitate, vitæque instituto dignam sa honore Diaconatus exhibuerit, ad eum quoque gradum evehi posse: *Si autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehatur*. Sane inter alias Mulieres, quæ Deo olim consecrabantur, quæque castitatem perpetuam profitebantur, fuerunt jam olim Viduæ, quæ Ecclesiæ ministerio addieebantur, ac deinceps ab universa Ecclesia dictæ sunt Diaconissæ, de quibus fuse nos egimus nostro 1, Tomo Conciliorum ad Canonem xv. Chalcedonensem.

CANON XLIX.

Hunc sacrum etiam Canonem renovantes, decernimus, ut quæ Episcopali voluntate semel consecrata fuerint Monasteria, semper Monasteria maneant, & res, quæ ad ipsa pertinent, Monasterio serventur, & ea non possint esse amplius secularia habitacula, nec ab ullo ex omnibus secularibus tradi hominibus. Sed etiamsi hoc hucusque factum est, hoc nequaquam servandum decernimus; eos autem, qui deinceps hoc facere aggrediuntur, Canonum pœnis subjici.

COMMENTARIUS.

I. Putant Zonaras, Balsamon, & alii plures in suis ad hunc Canonem Notis, ipso Canone renovari dumtaxat Canonem xxiv. Concilii Oecumenici Chalcedonensis; ego nihilominus plora indicari arbitror. Certum est, Chalcedonensem Canonem id prosequi his verbis: *Quæ semel ex voluntate Episcopi dedicata sunt Monasteria, perpetuo manere Monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, Monasterio reservari, nec posse ea ultra fieri secularia habitacula*. Plura autem nostro hoc Canone contineri, nemo est, qui non videat. Ea inquit, non debere ab ullo seculari possideri; quamquam enim Monasteria in secularia habitacula converterentur, ut antea testata est Chalcedonensis Synodus, nihilominus sub potestate Episcopi permanere poterant, ut scite observat eruditus Joannes Filesacus in opella sua *De sacrilegio laico*.

II. Notat & illud laudatus Auctor, quod ubi postea collabente Ecclesiæ Orientalis dignitate, & majestate, Græcorum Primoribus inter se de Imperio ambitiosissime, & mutuis quidem Imperatorum cædibus, dissidentibus, in secularium, seu Laicorum potestatem venerunt Monasteria, eaque tamquam propria ipsi sibi vendicarunt. Hoc ait, fuisse laici aliquo pacto sacrilegii exordium in Oriente sub Heraclio, Justiniano Constantini Pogonati filio, sub quo Synodus in Trullo habita est; nec dubium subdit, quin abusu, qui pridem invaluerat, & damnatus est aliqua ex parte a Concilio Chalcedonensi, apertam fuisse ad sacrilegam impietatem, quæ postea sequuta est, fenestram, adeo ut apud ipsos Orientales, uti constat ex Concilio Niceno II. Cap. xiii. non Monasteria modo, sed etiam Episcopatus Laici usurparint. Sed cum de sacrilegiis hisce, quæ deplorant, ac damnant tum in præsenti Canone Patres Trullani, tum in Can. xiii. Patres Concilii II. Niceni, abunde disseruerimus in laudatum Canonem xxiv. Chalcedonensem, multa ibi curiosus lector inveniet.

CANON L.

Nullum omnium sive Clericum, sive Laicum ab hoc deinceps tempore alea ludere. Siquis autem hoc deinceps facere deprehensus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si laicus segregetur.

COMMENTARIUS.

I. Ludum aleæ a Græcis in otio Trojani belli a quodam milite Alea nomine inventum, & ab illo eo nomine nuncupatum, tradit S. Isidorus Lib. xviii. *Etymologiarum*, Cap. xxxi. Perantiquum esse Aleæ usum, & apud varias nationes usitatum, Auctor est Justinianus in Lege *Alearum*, Cod. *De Aleatoribus*. Infectos eo vitio a nascente Christiana Religione ad nostra hæc usque tempora Laicos æque ac Clericos homines, etiam illos, qui cæteris exemplo esse deberent, dolent passim sacræ Synodi, quæ licet variis Canonibus pœnisque constitutis conatæ sint abusui occurrere, viget nihilominus adhuc, & serpit, altasque adeo radices egit, ut nullum malo remedium superesse videatur.

II. Antequam hic congeram Canones, qui aleam damnant, notandum censeo, quod ubi noster Canon Trullanus excommunicatione innodavit laicos, & depositione Clericos, si qui ludo huic vacarent, innovavit quidem Apostolicos Canones, quadragesimum secundum, & quadragesimum tertium, qui easdem jam longe ante intentarant penas Clericis, Laicisque eadem damnabilis ludi voluptate deturpatis: *Episcopus*, inquit, Canon xlii. *vel Presbyter, vel Diaconus aleis, & ebrietatibus vacans, vel cesset, vel deponatur*. Et mox

mox alius sequens Canon XLIII. *Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor similia faciens, vel cesset, vel segregetur. Itidem & Laicus.* Ubi nota I. Laicos æque, ac Clericos, imo Episcopos ipsos eo vitio primis Christi seculis fuisse infectos. II. solos Episcopos, Presbyteros, & Diaconus Aleatores, depositione mulctari, ceteros vero Clericos, ac Laicos reliquos, qui ludo aleæ vacarent, excommunicatione puniri, cum alias Clerici omnes, cujuscumque gradus sint, nostro hoc Canone Trullano deponantur, si alea ludant.

III. Sed ut primum de Clericis agamus, Canones quidem confirmat Justinianus, ubi Clericos tam majores, quam minores alea ludere, aleæque interesse prohibet, pœna in ipsos constituta, qui luderent, aut quomodocumque conventibus iis, ac locis, ubi ludo vacatur, præsentes essent, suspensionis ad triennium, & detrusionis in Monasterium ad pœnitentiam. Sic enim ait in Lege XVII. Cod. *De Episcopis, & Clericis*, & in Novella sua sua Constitutione CXXIII. Cap. X. *Interdicimus sanctissimis Episcopis, & Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & Lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet Ordinis venerabilis Collegii, aut schematis constitutis, ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut ad quodlibet spectaculum spectandi gratia venire. Siquis autem ex his in hoc deliquerit, jubemus hunc tribus annis a venerabili ministerio prohiberi, & in Monasterium redigi.* Idem ipse Imperator Lege XXXIV. Cod. *De Episcopali audientia*, ubi eosdem carpit Diaconos, Presbyteros, atque Episcopos, ita inter alia inquit: *Polluunt suas manus, & oculos, & aures, sic damnatis, & prohibitis ludis.* In Nomocanonem Photii Tit. IX. Cap. XVII. congestæ sunt Novellæ omnes Justiniani, quibus triennio suspenduntur, beneficio privantur, pœnitentiæ addicuntur, intentata etiam ni resipiscant, degradatione, Episcopi, Clericique aleatores, eorumque socii, & participes, qui ludis hisce vacarent. Ejusmodi pœnæ sunt, quibus non leves culpæ, sed enormia certe crimina puniri solent.

IV. Eandem ob rationem, quod nimirum aleæ voluptate, ac ludicris seculi sensus fascinari, & corda infici possint, Concilium Turonense III. anni DCCCXIII. Can. III. mandat, ut Episcopi omnium generum illecebras, ac turpes jocos refugiant: *Quia*, inquit, *per aurium, oculorumque illecebras, vitiorum turba ad animum ingredi solet.* Et Canone mox sequenti, Sacerdotibus ait non expedire, *scenicaribus, & turpibus quibusque interesse jocis.* Concinunt & aliæ Synodi, inter quas Synodus IV. Oecumenica Lateranensis anni MCCXV. Can. VI. ait: *Clerici ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Idem jam paulo ante vetuerat Synodus Parisiensis anni MCCXII. Parte IV. Cap. IV. ubi ita inquit: *Omnes ludos ad talos, & aleas eis firmiter interdicimus.* Albigensis anni MCCLIV. Can. XLVIII. ægreferens, quod *Clerici in sacris Ordinibus constituti, & qui beneficiis Ecclesiasticis sustentantur, ad aleas, & taxillos ludant*, ait se contra ipsos antiquorum Canonum pœnas innovare: *Statuimus, antiquos Canones innovando &c.* Et ut alias omittam Synodos, Tridentina Oecumenica, Sessione XXII. Cap. I. *De reformatione*, omnia rursus Decreta innovanda, ac sub eisdem, aut gravioribus pœnis arbitrio Ordinarii adversus Clericos Aleatores observanda decrevit, sic dicens: *Quæ alias a summis Pontificibus, & a sacris Conciliis, de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus .... copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem inposterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur.*

V. Cum ergo antiquas Pontificum, ac Synodorum leges, ac pœnas in aleatores Clericos Synodus Tridentina innovet, jam dubitari nequit, quin eo Decreto innovatus sit Canon noster Trullanus, quo cautum est, ut aleator Clericus deponatur, qui nimirum non relaxandi animi causa brevissimo quodam temporis intervallo ludit, sed qui noctes fere integras, ut fieri assolet a quibusdam in familiarum ruinam, & dispendium, ludit; qui occasionem jurgiis, perjuriis, blasphemiis præbet; qui proventus Ecclesiæ in aleam disperdit, aliaque agit ludendo, quæ ab honesta animi relaxatione sunt penitus aliena. Itaque in omni ludo, ut licite fiat attendendum est, quod docet Angelicus Doctor II. II. Quæstione CLXVIII. Articulo II. *ut congruat personæ, & tempori, & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinetur.*

VI. Quod aleatores laicos spectat, celebris, ac pervetustus est Canon LXXIX. Concilii Illiberritani, ita inquiens: *Siquis fidelis alea, idest, tabula luserit, placuit eum abstinere; & si emendatus cessaverit, post annum poterit communioni reconciliari.* De talis, quibus ludere nefas videbatur, quod speciem quandam idololatriæ committeret, qui eos jactaret, Canonem hunc intelligendum autumat Clarissimus Albaspinæus. Deorum enim Gentilium effigies pro numeris habebant, iisque invocabantur, ut felicissimus eveniret jactus. Est sane is ludus sortis, quem sancti Patres æque, atque Auctores profani improbant, ob ingentia damna, quæ ex aleæ usu emergunt, quorumque nonnulla innuit Juvenalis Satyra I. ubi morem sui ævi Romanum versibus hisce describit:

Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit sinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.
Prælia quanta illic dispensatore videbis
Armigero? simplexne furor sestertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere servo?

VII. Plura alia, quæ ex hujusmodi ludo emergunt crimina, ac damna congessit Ovidius Libro III. *De arte amandi*; sed iis omissis, legi possunt quæ in detestationem aleæ scribunt passim Theologi, & Canonici Jurisconsulti. Quot crimina ludus aleæ vehat, exponit non tam cultis, quam religiosis versibus Cardinalis Hostiensis in Summa ad Titulum, *De excessibus Prælatorum*, itemque in suo Commentario contra ludum aleæ Angelus Roccha Ordinis S. Augustini, & Pontificii sacrarii Sacrista. Viget tamen ludus, in diesque radices agit, neque enim sola recreandi animi causa alea ludunt, magni, ac parvi homines, sed acti cupiditate expoliandi proximos suos, quos & ad paupertatem redigunt. Et ut magis magisque doleas vicem nostrorum temporum, jam hodie plerique Patres familias non modo nobiles, sed & infimæ plebis homines, non quidem Fidei, vel literarum, morumve proborum, sed primum aleæ rudimenta pueros suos, ac puellas edocendos curant.

CANON LI.

Omnino prohibet hæc sancta, & universalis Synodus, eos qui dicuntur Mimos, & eorum spectacula; deinde venationum quoque spectationes, atque in scena saltationes fieri. Siquis autem præsentem Canonem contemserit, & se alicui eorum, quæ sunt vetita, dederit, si sit quidem Clericus, deponatur; si vero laicus, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. QUas venationes Canon hic vetet, luculenter exponit Zonaras in suo ad hunc Canonem Scholio, ita scribens: *Venationum vero spectacula, quæ hic prohibentur, non ea intelligenda sunt, cum feræ canum ministerio, aut alia simili ratione capiuntur. Nec enim spectaculi vicem, sed actionis potius cujusdam ea res obtinet. Verum in magnis Urbibus feræ bestiæ, leones nimirum, ursique alebantur, quæ quidem cum statis temporibus producerentur in theatrum, ibique, vel cum tauris, vel etiam cum hominibus, aut captivis, aut rei capitalis damnatis committerentur, plures ea aspectu oblectari soliti sunt. Ea igitur spectacula*, subdit laudatus Zonaras, *quippe sævitiæ astantium argumenta, qui aliena clade ad suas ipsi voluptates abuterentur, edi vetat.* Invecti sunt olim in ejusmodi spectacula, peculiaribus de ea re turpi editis libris, Tertullianus, S. Cyprianus, & alii Patres passim, inter quos S. Augustinus spectaculis & ipse aliquando delectatus, ut idem testatur Lib. III. *Confessionum*, Cap. II.

II. Quamquam vero Constantinus Magnus postquam Fidei Christianæ nomen dedit, Lege sua ad Maximum Præfectum Prætorio, estque I, in Codice Theodosiano, ad Titulum, *De gladiatoribus*, tolli jusserit cruenta gladiatorum spectacula, & quos solitum esset in punitionem scelerum, ejusmodi pœnis subjicere, eos ad metalla magis damnari; scite nihilominus observat Baronius ad annum CCCXXV. ipsum gladiatorium ludum haud valuisse, nisi post longa tempora penitus aboleri. Abolitus sane fuit Romæ ab Honorio Augusto, cum, ut testatur Theodoretus Lib. x. *Historiæ*, Cap. I. & Nicephorus Lib. VII. Cap. XLVI. sanctissimum Monachum Telemachum jam contra ipsos ludos declamantem, populus Romanus, qui eisdem delectabatur, temere lapidasset. Sustulit ergo ludos illos Honorius, tametsi anno CDIV. ut scribit Baronius, eosdem Romæ exhiberi aliquando permiserit, ad quos etiam, ut testatur Prudentius Lib. II. adversus Symmacum, Vestales Virgines prodire cum pompa solitæ erant.

III. Restitutis iterum, atque iterum abolitis gladiatoriis ludis, & a Cæsareis æque, ac Canonicis Legibus omnino damnatis, quod scilicet cruenti ut plurimum ii essent, & qui illos spectarent, aliena clade ad suas ipsi voluptates, ut utar laudati Zonaræ verbis, abuterentur; eadem ratione coacti sunt Pontifices, ac Synodi publica quædam certamina damnare, in quibus ad pompam, & virium ostentationem soliti erant post annum Christi millesimum Equites se se mutuo lanceis, & hastis petere. Dictæ sunt hæ ludicræ pugnæ torneamenta, extatque de iis Libro v. Decretalium Titulus XIII. qui inscribitur, *De torneamentis*, ubi Cap. I. relatus est Canon XX. Concilii IV. Oecumenici Lateranensis, quo cautum est, ut qui pugnandi animo ad torneamenta accedit, in eisque occiditur, Ecclesiastica sepultura careat: *Quod siquis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.* Sed de his plura Deo dante dicemus Tomo III. hujus Operis, Concilium ipsum Lateranense explicaturi.

IV. Descendo itaque ad alteram nostri Canonis partem; cum enim in prima non modo Clericos, sed Laicos ipsos cohibuisset conspectu ipso venationum publicarum, quæ in Amphitheatris edebantur; saltationes deinde damnat, quæ in scenis exhiberi solitæ erant; & sive a viris, incomposito, ac turpi motu inter saltandum lascivientibus, sive a feminis ad luxum, & libidinem spectatores provocantibus exercerentur, sublatas illas esse decernit, pœna in Clericos depositionis, & excommunicationis in Laicos constituta, siquis ad ea quæ hic vetita sunt, animum adjunxerit; *Siquis autem præsentem Canonem contemserit, & se alicui eorum, quæ sunt vetita dederit, si sit quidem Clericus, deponatur; si laicus, segregetur.* Enormitas pœnæ enormitatem quidem sceleris prodit, & si vel conspectu ipso saltationum arcentur Clerici, quanto magis si ipsi saltarent, & choreas agerent. Sed de his alias.

V. Extat in pervetusto Ecclesiæ Africanæ Codice Canon LX. quo saltationes vetantur, utpote quæ famulentur licentiæ, & impudicitiæ, quamquam fuco illo pietatis obducerentur colendorum festis diebus Sanctorum: *Quibus diebus etiam, quod pudoris est, dicere, saltationes scelerotissimas per vicos, atque plateas exerceant; ut matronalis honor, & innumerabilium feminarum pudor, devote venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientium appetatur, ut etiam ipsius sanctæ Religionis pene fugiatur accessus.* Alludit ad Canonem hunc S. Augustinus, ubi Lib. III. contra Parmenianum, Cap. ulimo scribit: *Notum est omnibus, nugaces, & turpes saltationes solere ab Episcopis compesci*; additque mox, malle Episcopos addici se flammis a persecutoribus, quam ad has cogi saltationes. Adversus ipsas statuit & illud laudatus Canon, ut nempe lex Imperialis, & auxilium brachii regalis postuletur.

VI. Ad easdem eliminandas saltationes, quibus in Sanctorum venerationem Christiani quidam homines in Hispania vacabant, auctoritatem etiam regiam interponendam sibi duxerunt Patres Concilii VII. Toletani, anno DLXXXIX. Can. XXIII. *Exterminanda est omnino irreligiosa consuetudo, quam vulgus per solemnitates, agere consuevit; ut populi, qui debent officia divina attendere, saltationibus, & turpibus invigilent canticis;*

tiels; non solum sibi nocentes, sed & religiosorum officiis perstrepentes. Hoc enim, ut ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum, & Judicum, a Concilio sancte curæ committatur. Ex hoc pravo abusu manasse videtur hodiernus mos apud Hispanos, quo in solemnioribus Processionibus, & Festis præire solent personati homines tripudiis, & saltationibus prorsus inconditis plebem, ac præcipue exteros ad risum potius, quam ad pietatem moventes. Idem pessime actitatum aliquando in Gallia, testatur Constitutio Childeberti Regis, quam refert Auctor Delectus Actorum Ecclesiæ universalis in nota ad Canonem ipsum XXIII. Toletanum, ubi etiam inquit, hujusmodi festa a S. Gregorio Nazianzeno, & a S. Basilio vocari quidem *infesta*.

VII. Vix Patres invenies, qui hujusmodi saltationes non carpant. Ut alios omittam, Augustino Ambrosium adjungimus, qui Lib. II. *De pœnitentia*, Cap. VI. verba illa sacræ Paginæ exponens, *Cantavimus vobis, & non saltastis*; diserte ait, longe aliam ac diversam fuisse choream, quam præmonstrabat mystica illa Davidis ante aram saltatio, a choreis, ac saltationibus, quæ suo ævo agebantur: *Cavendum, ne quis vulgari sermonis hujus deceptus interpretatione, putet nobis saltationis lubricæ histrionicos motus, & scenæ deliramenta mandari, hæc etiam in adolescentula ætate vitiosa sunt. Sed saltationem eam mandavit, qua saltavit David ante Arcam Domini. Totum enim decet, quicquid defertur Religioni, ut nullum obsequium, quod proficiat ad cultum, & observantiam Christi, erubescamus. Non ergo illa deliciarum, comesque luxuriæ prædicatur saltatio, sed saltatio spiritualis, fidei socia, gratiæ comes.* Notanda sunt illa præsertim S. Doctoris verba: *Hæc etiam in adolescentula ætate vitiosa sunt.* Ad quæ scite observat Lupus, qui ipsa in suo ad hunc Trullanum Canonem Scholio retulit, *hodiernos latinæ linguæ professores, adolescentulorum saltus tamquam præcipuum ornamentum scenis suis intrudentes, graviter impingere in Regulas Christianas.*

VIII. Sed ne hunc hodiernum abusum, qui in Seminariis, & Collegiis passim grassatur, in quibus nobiles adolescentuli ad pietatem, & literas addiscendas educantur, videamur nostro ingenio refellere, audire etiam præstat eruditissimum Thomassinum, qui Parte III. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. XLII. Num. XI. agens de choreis ingenuorum impuberum, dum literariis ludis vacant, minime probat, quod non pauci, & Clerici, & Regulares non satis forsan perpensis his Ecclesiæ sanctissimis Legibus, publicos etiam nunc ludos exhiberi curent, per ingenuos, nobilesque adolescentulos, quibus & choreæ, & spectacula quædam intertexuntur. Omnino ait sibi quidem esse persuasissimum, integram & illibatam constare innoxiæ huic juventuti suam & animi & corporis pudicitiam inter has oblectationes; sed addit, quod etsi non excutitur, concutitur nonnunquam pudor, & castimonia, & ultra ætatem gliscit nonnunquam nequitia. Aurea sunt quæ mox subnectit, sic plane declamans: *Denique quorsum artus intaminatos hactenus fingere, & frangere ad eos modos, motusque, quibus non eadem forsan imbuebit semper innocentia? Si saltationes, & balationes toties a Sanctis Patribus, & a Conciliis proscriptæ sunt: cur ad eas, ad earum saltem præludia ducet erunt quodammodo, qui duces, qui magistri sunt ad pietatem? An satis innoxia possunt esse noxiæ artis, & voluntatis tyrocinia qualiacunque?* Ita ille, sed & nos de hujusmodi saltationibus etiam alibi, ubi se scilicet occasio dederit, eas enim passim Concilia damnant.

CANON LII.

In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annunciationis die, fiat sacrum Præsanctificatorum ministerium.

COMMENTARIUS.

I. Missa Præsanctificatorum antiquissima est apud Græcos, ejusque originem ab Apostolis repetunt: *Hoc sacrum ministerium*, inquit Michael Patriarcha Constantinopolitanus, *una cum prædicatione ipsa Apostolorum originem habuit, & una cum Quadragesimali jejunii institutione.* Idipsum docet Symeon Thessalonicensis Episcopus in Responsis ad Gabrielem Metropolitam Pentapolitanum, Responsione LVI. ita inquiens: *Præsanctificatorum Missa ab antiquo tempore, & ex Apostolorum successoribus originem habet, ut preces ipsæ testantur. Traditionem ipsam vere Apostolicam credimus.* Ut ut ea opinio sit, meminit ejus ritus Laodicena Synodus anno CCCXIV. habita, Can. XLIX. quo statuit, ne Quadragesimæ tempore sacer panis, idest sacrificium Missæ, nisi Sabbatis, & Dominicis diebus offeratur: *Quod non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & solis Dominicis.* Sunt qui de Eulogiis, non de Sacrificio Canonem ipsum exponere malunt, conjicientes, ideo in Quadragesima Eulogias panis prohiberi, ne per earum comestionem solvatur jejunii rigor, exceptis Dominicis, & Sabbatis, quibus apud Græcos jejunium vacat; sed intelligendum esse locum de pane Eucharistico, luculenter ostendit inter alios eruditus Cabassutius in sua Nota ad recitatum Canonem XLIX. Laodicenum.

II. Præsanctificatorum ritum jam longe ante institutum confirmat quidem noster Canon Trullanus, additque Sabbatis, ac diebus Dominicis, quibus solis in Quadragesima celebrari Sacrificium potest, Festum Annuntiationis Deiparæ: cum alias ex laudato Canone XLIX. Laodiceno soli Sabbatorum, & Dominicarum dies exciperentur, & ex sequenti Laodiceno Canone LI. expresse cautum esset, ne in Quadragesima Sanctorum solemnia, præterquam in Sabbatis, & Dominicis celebrarentur: *Quod non oportet in Quadragesima Martyrum Natales peragere, sed Sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis, & Dominicis.* Auctore Beletho, de divinis Officiis, Cap. IV. *Natalis, vel Natale, & Natalitium vocatur Sanctorum ex hoc seculo commigratio, quia, ut seculo,*

culo, *& mundo moriuntur*, *ita tunc Cælo nascuntur*. Ita etiam eam vocem explicant alii Auctores passim de divinis Officiis agentes, imo antiqui Ecclesiæ Patres, inter quos S.Augustinus Sermone x. de Sanctis: *Digne*, inquit, *Natalem istorum colimus*, *quos beatius æternæ vitæ mundus edidit*, *quam mundo maternorum viscerum partus effudit*. Sed & Paulinus Natali III. S. Felicis ita cecinit:

Venit festa dies rals, *celeberrima terris*,
Natalem Felicis agens, *qua corpore terris*
Occidit, *& Christo superis est natus in astris*,
Cælestem nactus sine sanguine Martyr honorem.

III. Sed hæc obiter; quod autem ritum Præsanctificatorum spectat, servat hodieque illum Orientalis Ecclesia, Occidentalia vero eo nunquam utitur, aut usa est, nisi feria sexta, & Sabbato sancto Majoris Hebdomadæ. Id quidem testatur Innocentius I. Pontifex Maximus in Epistola I. Cap. IV. ubi ita ait: *Constat Apostolos biduo illo*, *& in mœrore fuisse*, *& propter metum Judæorum se occultasse*. *Quod utique non dubium*, *in tantum eos jejunasse biduo memorato*, *ut traditio Eccl. sia habeat*, *isto biduo Sacramenta penitus non celebrari*. Qua ratione a Sacris faciendis, Sabbato sancto abstineat Romana Ecclesia (quæ enim ea die Missa dicitur, Paschatis noctem prævenit) & quomodo Parasceve magna præsanctificatis utatur, docent Rituum Ecclesiasticorum expositores, Alcuinus, Amalarius, & alii.

IV. Apud Græcos Præsanctificatorum ritus in Quadregesima, referente Bona Cardinale, hic est. Die Dominica præter illius diei oblationem quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad Sabbatum. Tum singulis diebus sub vesperam conveniunt in Ecclesia, & in ipso Vespertinarum precum officio Sacramentum antea consecratum proponunt, & sumunt, præmissis Psalmis gradualibus, & recitatis quibusdam Canticis, Lectionibus, & Orationibus, quæ legi possunt in Euchologio ad Titulum, qui inscribitur, *Officium de Mysteriis ante consecratis sanctæ Quadragesimæ*: quia vero panem antea consecratum, & sanctificatum sumunt, ideo hoc officium Præsanctificatorum, sive ante consecratorum vocant, quo in sola Quadragesima, non in aliis jejuniis utuntur, quia, ut ait Theodorus Balsamon in Scholio ad nostrum hunc Canonem Trullanum, hoc jejunium præcipuum est, magisque solemne, & a Domino institutum.

V. Lubet ad majorem Tyronum eruditionem paulo fusius ritum exponere, quo Græci Præsanctificatorum Missam celebrant, est enim hujusmodi. Presbyter die Dominico panem accipit, & dividit in tot particulas, quot sunt subsequentes dies, quibus hæc Missa debet celebrari, easque consecrat una cum illis, quas ea die debet absumere; deinde infundit de vino consecrato super particulas, easque in Ciborio asservat. Ad statutam horam, nempe ad horam nonam, qua Missa Præsantificatorum dicitur, Diaconus cum solemnitate defert super caput suum a parvo Altari ad majus pyxidem, in qua est particula hostiæ consecratæ; & Presbyter tenet in manibus Calicem plenum vino, cui mixta est aqua non consecrata, sed tantum benedicta. Presbyter ad Altare accedens post simplicem orationem, per quam petit, ut dignus fiat sanctorum Mysteriorum participatione, consecratum panem immittit in vinum ad illud sanctificandum, vel, ut alii dicunt, ad consecrandum, statimque semetipsum communicat, & adstantes. Hinc vides, celebrasse Græcos Missam Præsanctificatorum sub utroque Sacramenti elemento. Id quod pluribus ostendit Christianus Lupus in suo ad hunc Canonem Trullanum Scholio.

VI. Siquis autem roget, cur Græci in Quadragesima Præsanctificatis uterentur, rationem hanc reddit eruditissimus Goar in suis ad laudatum Præsanctificatorum Officium Notis, quod scilicet, *Quadragesimalis jejunii observantiam firmissimo legum Apostolicarum imperio stabilitam*, *tantum*, *plati Græci antiqui*, *ab ea temere violanda tantopere sibi cautum esse voluerunt*, *ut etiam quidam religioso dicam*, *an superstitioso cultu ducti*, *sancta communionis elementa*, *ne vim jejunio inferrent*, *Quadragesimæ tempore suscipere sint veriti*. Fuisse olim jejunium Ecclesiasticum incompatibile cum perceptione Eucharistiæ, docet etiam Joannes Cardinalis Bona, *Rerum Liturgicarum*, Lib. I, Cap. XXI. Num. VI. ubi ait eam moris illius assignari rationem, quia rigor pœnitentiæ, & jejunii mœstitia gaudium illud, & animi exultationem excludebat, quam fideles ex Sacrificio, & Eucharistiæ communione percipiebant, quæ salutis nostræ pignus est, & resurrectionis fiducia.

VII. Sed audiamus Zonaram, qui in sua hujus Trullani Canonis expositione rem ipsam ita dilucidat: *Jejuniorum tempora mœrori potissimum dicata*, *expiandisque intimo animi dolore cujusque criminibus constituta sunt*. *Deo porro sacrificare*, *festivæ celebritatis est*; *ea vero celebritas*, *hilaritatis*, *atque lætitiæ*. *At quo pacto mœrori quispiam*, *ac lacrymis indulgere*, *idemque simul exultare lætitia*, *& triumphare gaudio*? *Proinde aliis quidem quadragenarii jejunii diebus celebrari ex Præsanctificatis sacra mysteria consuevere*, *neque ullus tunc quidem sacrificii incruenti usus admittitur*, *sed eorum*, *quæ jam consecrata semel*, *atque Altari admota sunt*, *oblatio iteratur*. *Sabbatis vero*, *ac Dominicis diebus*, *per quos exerceri jejunia Leges haud sivere*, *& Sacrificium offerre*, *& undique suis partibus absolutum liturgiæ munus exhibere concessum est*. Idem mox ait, anniversaria quoque die Annunciationis Virginis licere decretum esse, ut eam diem, qua nempe nostræ salutis exordia, primaque incolumitatis fundamenta inchoata sunt, veneremur, solemnique totius populi conventu pompaque celebremus.

VIII. Eandem ob causam ait prohibuisse Laodicenam Synodum Can. LI. ne festivitates Martyrum præterquam in Sabbatis, ac Dominicis diebus celebrentur: *habet siquidem ea quoque commemoratio jucunditatem & lætitiam*: *jejunii vero dies*, *omni abdicata remissione*, *mœrore*, *ac luctu transigi par est*. Itaque veteris Ecclesiæ ritu Festum agere, & non jejunare connexa invicem erant, ac propterea Orientalis Ecclesia, quæ solam Festivitatem Annunciationis Deiparæ in Quadragesima celebrat, ea die nequaquam jejunat. Sed & Patres Concilii X. Toletani anni DCLVI. Can. I, Festum ipsum Annunciationis ad diem XVIII. Decembris transferentes, qua adhuc in Hispania solemniter agitur sub nomine Expectationis partus B. Virginis, ea ratione permoti sunt, quod interdum in Quadragesima, vel Paschate occurreret, *in quibus nihil de Sanctorum solemnitatibus fieri ex antiquitate regulari cautum est*, *convenit celebrari*. Tum, ne viderentur id sine exemplo instituisse, addunt: *In multis namque Ecclesiis a nobis*,

nobis, & spatio remotis, & terris, hic mos agnoscitur retineri.

IX. Tametsi autem diu Hispani ex Toletani x. Concilii Decreto, Annunciationis Festum sub nomine Expectationis Partus die XVIII. Decembris celebrarent, multis nihilominus ab hinc seculis, ut morem gererent Romanæ Ecclesiæ ceterarum omnium principi, utramque retinent solemnitatem, alteram octavo ante Natalem Domini die, alteram octavo Kal. Aprilis, ut videre est apud Bollandum ad diem XXV. Martii, & Thomassinum, *De dierum Festorum celebratione*, Lib. II. Cap. XII. Ceterum testis est Glaber Rodulphus Lib. III. Cap. III. circa annum millesimum Episcopos Galliæ, & Italiæ plures congregasse Synodos, in eisque dictum fuisse, ut transferretur Festum Annunciationis a die XXV. Martii, quæ sæpius incidit in Quadragesimam ad diem XVIII. Decembris, ut fiebat in Hispania, eo fine, ne impedirentur jejuniorum dies, vel ne Festa celebrarentur in Quadragesima: *Ferebatur enim a quibusdam, eandem videlicet Annunciationem Dominicam more Hispanorum quinto decimo Kalendarum Januariarum die irreprehensibiliter posse celebrari.*

X. Illud ergo constat ex laudata Synodo Toletana, diu apud Latinos etiam servatum morem, ne Sanctorum Officia, ac Festa in Quadragesima celebrarentur. Testatur id quidem Radulphus Tangrensis Decanus, qui floruit labente Seculo XIV. in Libro, *De Canonum observantia*, Cap. XVI. ubi postquam adnotavit, Laodicenam Synodum Quadragesimæ diebus solemnium celebratione cunctis interdixisse, & Toletanam a Quadragesima in Adventum Annunciationem traduxisse, animadvertit, solemnes Ecclesiæ preces in Adventu adhibitas spectare Annunciationem Deiparæ: Mediolani diem hunc salutatæ Virginis, Dominico ante Nativitatem Christi die celebrari, ac nulla Quadragesimæ tempore solemnia coli, & iccirco diebus aliis agi solemnitates Sanctorum, Ambrosii, Gregorii, & Benedicti; at quum consequentibus annis iterum Annunciatio in Quadragesima peracta fuerit ab Ecclesia Romana, alios dies Festos pariter celebratos tunc fuisse, præter unum S. Ambrosio dicatum; quæ a reliquis Ecclesiis Romanam sequutis probata sunt. Hæc ejus verba: *Sancti Patres in Toletano Concilio constituerunt, ut Annunciatio S. Mariæ de Quadragesima in XV. Kalendas Januarii transferretur, ubi annuatim solemniter, & convenienter ante Natale Domini posset celebrari. Utpote quum omnia illius temporis officia de eadem resonent Annunciatione, ut in Ambrosiana servatur Ecclesia, in quo eadem Annunciatio solemnissima agitur in Dominica ante Nativitatem Domini. Et præterea in Ambrosiano Officio nullum Festum in Quadragesima servatur, prout dicta Concilia statuerunt. Et propterea antiquitus Festa Gregorii, & Ambrosii ad dies ordinationis eorum transferebantur, Gregorius scilicet ad diem tertium Novembris, & Ambrosius ad octavam Andreæ, & Benedictus ad diem translationis suæ in Julio. Sed postea Annunciatione in Romana Ecclesia ad locum suum redeunte, similiter alii apud suos redierunt. Et exinde retenta est translatio Benedicti. Ambrosius tamen apud Romanos & Mediolanenses remanet in octava.*

XI. Idipsum tradunt & alii Auctores, qui post annum Christi millesimum de divinis Officiis scripserunt. Apud Joannem Abrincensem ejus Urbis Episcopum, tum Archiepiscopum Rotomagensem, XI. Seculo degentem legitur quidem, quod ætate sua nullum fiebat Festum per totam Quadragesimam, sed in Dominica tantum commemoratio eorum fiebat, quæ inciderant in hebdomadam. Micrologus etiam ejusdem Seculi XI. Auctor Canonem refert Concilii Laodiceni, a quo prohibetur commemoratio SS. Martyrum in Quadragesima, & Concilii Toletani Canonem, a quo Annunciatio ponitur ante Natale, ne celebretur in Quadragesima, atque Romæ a Septuagesima usque ad Pascha non celebrari, nisi Festum Purificationis, Cathedræ S. Petri, & Annunciationis, & si quando occurreret Festum, de quo faciendum esset Officium, totum Officium fieri consuevisse de Festo, & Missam dici post Tertiam cum commemoratione Feriæ in Laudibus, & Vesperis, & Missam de Feria post Nonam. Joannes tandem Belethus, qui XII. vel XIII. vivebat seculo, affirmat, quod ætate sua Lugduni, sicut Mediolani nullum celebrabatur Festum *tempore Passionis*, & si quando occurrebat, fiebat tantum commemoratio, Tempus Passionis, cujus Belethus meminit, ait Grancolas in Breviarium Romanum Cap. XLII. intelligendum esse de toto tempore Quadragesimæ, testemque affert Radulphum, qui ait: *In Officio Ambrosiano nullum Festum in quadragesima.*

XII. Teste memorato Grancolasio, Monachi in Occidente mutarunt hunc usum, atque Festa invexerunt etiam in Quadragesimam, tum jejunii, tum laboris laxandi causa Festis diebus. Certe Lanfrancus in suis statutis Cap. I. sectione XXIII. asserit, quod si die Cinerum occurrat Festum XII. Lectionum, in diem crastinum transferatur: *Si in capite Jejunii Festivitas duodecim Lectionum evenerit, non celebratur ipsa die, sed differtur in crastinum.* Tum ait in ipsis duodecim Lectionum Festis in Quadragesima occurrentibus duas dici Missas, unam de Festo, alteram de Feria: *Utraque Missa ad majus Altare celebratur.* In consuetudinibus Cisterciensium signata est prima Missa de Festo: *Primo Missam de jejunio, postea Missas de Festo.* Radulphus Tangrensis scribit, ævo suo consuevisse Missam de Festo dici post Tertiam, & Missam de jejunio post Nonam, eumque viguisse usum Romæ, & Coloniæ: *Ut diebus jejuniorum Missa de Festo ad Tertiam dicatur, & de jejunio ad Nonam, ita & Romæ, & Coloniæ.* Per istas duas Missas servari creditum est, & quicquid Festo, & quicquid jejunio deberetur. At vero apud Cluniacenses in novo Breviario antiquus restitutus est usus de nullo Festo commemorationem faciendi in Quadragesima; præveniendi præterea, & anticipandi Festa occurrentia in mense Februario, & transferendi post Pascha, Festa, quæ in mensem Martii, aut Aprilis inciderent, excepto Festo Annunciationis. S. Benedictus in mensem Julium, & Gregorius in Septembrem, dedicatio Ecclesiæ, si in Quadragesima occurrat, transfertur post Pascha.

XIII. Sed ut ad morem Græcorum regrediar, qui, uti dictum est, in Quadragesima exceptis Sabbatis, ac Dominicis, Festoque Annunciationis Deiparæ, Præsanctificatis utuntur, irrito plane conatu Romanam Ecclesiam calumniatur Nicetas Pectoratus in Studii apud Constantinopolitanos Monasterio Monachus, ac Presbyter, quod antiquos Canones, & jejunii legem transgrediatur, quotidie in Quadragesima celebrans, idque hora ter-

tertia, ut falso supponit. Siquidam eo ævo, quo ipse vivebat, idest, anno circiter ML. adhuc vigebat mos vespere celebrandi, nec ullus extat legitimus Canon, quo Sacrificium in iis diebus prohibeatur. Trullanus enim, a quo Missa Præsanctificatorum præcipitur, ab Ecclesia reprobatus fuit; & Laodicenus, ad quem ejus originem nonnulli referunt, non fuit quidem Canon Concilii universalis. Pluribus adversus Nicetam invehitur Umbertus Sylvæ Candidæ Episcopus Cardinalis, licet non semper apposite, uti post eruditissimum Goar, observat doctissimus Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXI. Num. VI. Porro cum, Nicetas ipse violati jejunii Latinos ante horam Nonam celebrantes accusaret, quia scilicet Græci falsa quadam persuasione, ne dicam superstitione decepti, Eucharistiæ perceptione violari jejunium putabant, ita adversus illum memoratus Umbertus scripsit: *O perfide stercorianista, qui putas fideli participatione corporis, & sanguinis Domini, Quadragesimalia, atque Evangelica solvi jejunia, omnino credens cælestem escam, velut terrenam, per aqualiculi fetidam, & sordidam egestionem in secessum emitti.* Ignorabat Schismaticus jejunii naturalis, & Ecclesiastici discrimen, Latinisque imponebat, quasi e Missa ad mensam, Græcorum more, transilirent.

XIV. Eo errore imbutos esse Armenos testatur Vincentius Episcopus Bellovacensis, sic de iis scribens: *Armenii per totam Quadragesimam non celebrant, nisi die Sabbati, vel Dominica, quia dicunt, hominem jejunium frangere, quoties celebrat. Propter hanc etiam causam in festis feriis non celebrant, ne scilicet jejunium frangant. Diebus autem, quibus carnes comedunt, celebrant, quia tunc non jejunant.* In eundem ipsum errorem lapsos fuisse aliquando nonnullos etiam Latinos in Africa, indicat in Libro suo, *De oratione*, Tertullianus, Cap. XIV. ita inquiens: *Stationum diebus non putant plerique Sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si & ad Aram Dei steteris? Accepto corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio Sacrificii, & executio officii.* Cujus sententiæ, uti Bona laudatus explicat, hic sensus est. Licet sumtio Eucharistiæ jejunio non obsit, si tamen hic te scrupulus angit, potes & jejunium servare, & Sacrificio interesse, accepto corpore Domini, & non manducato, sed reservato in horam Nonam. Tunc enim Eucharistia manu accipi consueverat, & domum deferri, ac ibidem sumi, ut alibi diximus.

XV. Quamquam vero Græci, ne jejunium solvant, Festa minime in Quadragesima celebrent, & Sacrificiis abstineant excepto Festo Annunciationis ex præscripto Trullani Canonis, in quo & jejunium solvunt, & Festum celebrant; observat nihilominus Cardinalis Umbertus adversus Nicetam scribens, jejunasse quidem Latinos in Quadragesima, Festis diebus in eadem occurrentibus, etiam die ipso Annuntiationis Deiparæ: *Nec jejunia*, inquit, *resolvimus in celebratione Missæ, aut in aliquo Natalitio Martyrum, sed nec in Annunciatione Beatæ Mariæ.* Porro alius videtur fuisse Monachorum mos; legitur namque in Capitulo generali Abbatum Galliæ anni DCCCXVII. Cap. XLVI. remitti jejunium quocumque die occurrerent Festa Patronorum: *Plenum officium agatur, & bis reficiatur.* Sed & S. Petrus Damiani, qui floruit Seculo XI. in Regula sua, ubi Monachis magnum jejunium in Adventu, & Quadragesima præscribit, eosdem a jejunio absolvit in tribus solemnibus Festis, S. Andreæ, S. Benedicti, & Annunciationis B. Virginis.

XVI. Tandem ut de origine ipsius salutatæ Virginis Festo nonnihil dicamus, ait Thomassinus Lib. II. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. XII. *nullum superesse antiquius monumentum, quod minime vacillet, Canone Trullano, ut vocatur, Synodi, a Græcis adscriptæ Oecumenicis Conciliis. Synodus illa*, inquit, *Constantinopoli celebrata anno DCXCII. edixit, ne Sacrum Missæ perfectum perageretur Quadragesimæ tempore, nisi Dominicis quibusque diebus, Sabbatis, & in solemniis salutatæ ab Angelis Deiparæ.* Puto equidem, antiquissimam esse Festi illius celebrationem, de illa enim non modo facit mentionem laudatum superius Concilium Toletanum X. quod anno DCLVI. celebratum est, Can. I. quem ad annum ipsum, laudat Cardinalis Baronius, sed & antiqui Missarum Codices, & prisci Ecclesiæ Patres, qui de ipsa Deiparæ Virginis Annuntiatione sermones etiam, edidere, præsertim vero S. Gregorius Thaumaturgus, qui medio seculo Christi tertio vixit.

XVII. Sed audiamus quid de hoc Sanctissimæ Annunciationis Festo scripserunt ad diem XXV. Martii Bollandiani: *Festum hoc solemne*, ajunt, *in tanta antiquitate eminet, ut liceat pie meditari, originem ejus debere adscribi gratissimo affectui Deiparæ Virginis, quæ singulari veneratione, ac devotissimo cultu quotannis recolere solita fuerit divinum beneficium hoc die sibi, & toti generi humano præstitum, quod Verbum Dei in suo Virginali utero caro factum est, & ipso Annunciationi Angelicæ assensum præbens, Mater Dei est constituta. Hanc piissimæ gratitudinis consuetudinem in Sanctissima Deipara intuiti Apostoli, debitam agnoverunt obligationem, & venerabili imitatione observarunt, & ubique terrarum observari debere sanxerunt. Certæ secundum regulam a S. Augustino*, De Batismo contra Donatistas, Lib. II. Cap. XXIV. *propositam*: Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum recte creditur. Posthæc ipsi quoque Bollandiani antiquitatem Festi hujus Annunciationis Deiparæ ex Homilia probant, & Sermonibus S. Gregorii Thaumaturgi.

XVIII. Sed ut alia hic adnotem, quæ ad Festum, atque Officium ipsum Annunciationis B. Virginis attinent, sciendum I. est, si ejusmodi Festum in Dominica Quadragesimæ occurrat, non fieri Officium de Annunciatione, nisi in Ecclesiis ad honorem Annunciatæ Deiparæ dicatis, ex Decreto Sac. Rit. Congr. in Ulyxiponen. I. Septemb. MDCXII. II. Si in feriam V. Cœnæ Domini incidat, servandum esse præceptum vacandi ab operibus servilibus, & audiendi Sacrum. III. Si in feria VI. Parasceves, vel in Sabbato sancto occurrat, transferenda esse & Officium, & Festum ex aliis ejusdem Sac. Congr. Decretis apud Cl. Meratum. Plura de hoc Festo, sicut & de aliis, quæ per annum occurrunt, ad Christianæ Reipublicæ commodum scripsit peculiaribus Libris Religiosissimus æque, ac Doctissimus Prosper Lambertinus S. R. E. Cardinalis, nunc BENEDICTUS XIV. P. M. quem Catholicæ Fidei incremento, ac bonorum artium præsidio, nobis Deus sospitem servet quamdiutissime.

CA-

CANON LIII.

Quoniam ſpiritualis neceſſitudo, ſeu affinitas, corporum conjunctione major eſt, in nonnullis autem locis cognovimus, quoſdam, qui ex ſancto, & ſalutari baptiſmate infantes ſuſcipiunt, poſtea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere: ſtatuimus, ut in poſterum nihil fiat ejuſmodi. Si qui autem poſt præſentem Canonem hoc facere deprehenſi fuerint, ii quidem primo ab hoc illicito Matrimonio deſiſtant, deinde & fornicatorum pœnis ſubjiciantur.

COMMENTARIUS.

I. AD imitationem, & exemplum cognationis legalis, quæ oritur ex adoptione, qua qui liberos naturales non habet, alienum ſibi in filium adoptat, comparatam eſſe cognationem ſpiritualem, & impedimentum Matrimonii ex ipſa profluens, docet nos Nicolaus I. Pontifex Maximus in ſua ad Conſulta Bulgarorum Epiſtola Cap. II. ubi ita ſcribit: *Ita diligere debet homo eum, qui ſe ſuſcipit ex ſacro fonte, ſicut Patrem. Quinimo quanto præſtantior eſt ſpiritus carne, quod illud ſpiritale eſt patrocinium, & ſecundum Deum adoptio, tanto magis ſpiritalis pater in omnibus eſt a ſpiritali filio diligendus.* Et paulo poſt: *Nulla inter eos, & filios eorum conſanguinitas eſt, quoniam ſpiritus ea, quæ ſanguinis ſunt, neſcit;* Caro enim, *ſecundum Apoſtolum*, concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, hæc enim invicem adverſantur. *Eſt tamen alia inter eos gratuita, & ſancta communio, quæ non eſt dicenda conſanguinitas, ſed potius habenda ſpiritalis proximitas. Unde inter eos non arbitramur, eſſe quodlibet poſſe conjugale connubium; quandoquidem nec inter eos, qui adoptione filii ſunt, venerandæ Romanæ Leges Matrimonia contrahi permittunt.*

II. Pergit memoratus Pontifex, & tanquam conſequens ex iis, quæ hactenus dixit, ita infert: *Si ergo inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet ſe contubernio ceſſare, quos per cæleſte ſacramentum regeneratio ſancti Spiritus vincit? Longe igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus eſſet, elegit, prudentiuſque ab alterna corporis commixtione ſecernimur, quoniam Spiritus ſanctus ſua nos charitate coadunavit, quam ſi vel carnalis neceſſitudo, vel invicem nos mutabile ejuſdam corruptibilis hominis arbitrium copulaſſet.* Extat hoc Nicolai I. reſponſum in Decreto Gratiani, Can. 1. Cauſa XXX. Quæſtione III. ex eoque clare intelligitur, Pontificem cognationem legalem, & inde ortum impedimentum in confirmationem cognationis ſpiritualis, & impedimenti ex ipſa provenientis aſſumſiſſe.

III. Quamvis autem in id omnes conveniant, nec naturali jure, nec divino, ſed eccleſiaſtico tantum, cognatione ſpirituali dirimi matrimonium, difficile tamen eſt definire, quandonam primum hujuſmodi impedimentum cœperit. Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione X. Quæſtione VII. Cap. IV. Articulo III. §. IV. rem altius ducens, ait, *cognationem ſpiritualem fuiſſe matrimonii impedimentum ante finem ſeculi quarti*; probatque ex eo, quod Julius, & Innocentius I. de caſu ad illud impedimentum pertinente conſulti fuerint ipſo quarto Eccleſiæ ſeculo. Facti illius teſtem affert Epiſtolam Deus-dedit Papæ ad Gordanum Hiſpalenſem Epiſcopum, ubi ita ſcribit; *Pervenit ad nos Diaconus veſter, ſanctitatis veſtræ epiſtolam deferens, quod quidam viri, & mulieres præterito Sabbato Paſchali, præ magno populorum incurſu, neſcientes, proprios filios ſuſcepiſſent ex lavacro ſancto. Cupis ergo ſcire, ſi pro tali accidenti ratione debeant viri ac mulieres ad propriam uſum redire, an non. Nos vero mœſti ex hac re, inquiſivimus priorum Patrum noſtrorum dicta: invenimus autem in Archivis hujus Apoſtolicæ Sedis, jam talia contigiſſe in Eccleſiis Iſauriæ, Epheſiorum, ſimulque Hieroſolymæ, aliarumque Civitatum, Epiſcopis etiam earum civitatum ab hac Apoſtolica Sede volentibus ſcire, utrum viri ac mulieres redirent ad proprium thorum. Beatæ memoriæ ſanctiſſimi Patres, Julius, Innocentius, & Cæleſtinus, cum Epiſcoporum plurimorum, & Sacerdotum conſenſu, in Eccleſia beati Apoſtolorum Principis prohibentes talia præſcripſerunt, & confirmaverunt, ut nullo modo jam ſe in conjugium reciperent mulieres ac viri, quicumque alia ratione ſuſceperunt natos proprios, ſed ſeparent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium inoleſcat.*

IV. Sed hoc monumentum vacillat, deceptuſque eſt Jueninus, quemadmodum & olim Cardinalis Baronius, ubi exiſtimavit, eam Epiſtolam ad Gordianum Epiſcopum Hiſpalenſem ſcriptam, genuinum eſſe Deus-dedit Pontificis fœtum. Suppoſititiam eſſe plura demonſtrant. Primum, quod inſcribatur Gordiano Hiſpalenſi Epiſcopo, cum conſtet, S. Iſidorum ab anno Chriſti DC. ad DCXXXVI. quo, teſte Redempto ejus Clerico, ſive Archidiacono, obiit, Hiſpalenſem Eccleſiam rexiſſe, ideoque nullum, ſedente Deusdedit, Gordianum extitiſſe Pontificem in ea Eccleſia. Secundo, Auctor Epiſtolæ, Iſauriam Orientis Provinciam, cujus olim Metropolis fuit Seleucia, civitatem abſurdiſſime vocat. Tertio, Julii, Innocentii, & Cæleſtini Decreta comminiſcitur, cum nihil ab ipſis Pontificibus de ea re ſtatutum fuiſſe reperiatur. Denique, cum hæc Epiſtola uxoribus, quæ filios ex baptiſmo ſuſcepere permittat, ut expleto anno dotales tabulas recipiant, novumque matrimonium contrahant, Chriſti legi adverſatur, conjuges, quos Deus conjunxit, ſeparare prohibentis, ſive matrimonii vin-

vinculum dirimere. Certe memoratus Pontifex S. Gregorii decessoris sui sententiam non ignorasset, qui Lib. IX. Epistola XXXIX. ad Theoctistam ita scribit: *Si enim dicunt, religionis causa conjugia debere dissolvi, sciendum est, quod etsi hoc lex humana concessit, lex divina tamen prohibuit. Per se enim veritas dicit*: Quæ Deus conjunxit, homo non separet. *Quæ etiam ait*: Non licet dimittere uxorem, excepta causa fornicationis. *Quis ergo huic cælesti Legislatori contradicat?*

V. Observat hæc Pagius in Vita Deus-dedit Pontificis; in eo autem & ipse decipitur, quod, ubi notavit, nihil de eo impedimento fuisse a Julio, Innocentio, & Cælestino, statutum, subdit: *Imo nec spiritualem cognationem impedimentum fuisse matrimonii circa medium octavi seculi, colligitur ex Epistolis S. Bonifacii Moguntini Archiepiscopi*. Manifestum est enim ex nostro hoc Trullano Canone, jam septimo seculo notam fuisse cognationem ipsam spiritualem, & impedimentum matrimonii ex illa profluens. Sed & longe ante hunc Canonem meminit ejus impedimenti Seculo VI. Justinianus Imperator in Lege XXVI. Cod. *De nuptiis*, ubi *ea persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda, declaratur, quam aliquis, sive alumna sit, sive non, a sacra suscepit baptismate*. Tum eam rationem subjungit: *Cum nihil aliud sic ducere potest paternam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.*

VI. Est & ille inter alios spurius Canon, quem Gratianus in laudata Causa, & Quæstione, Zachariæ, & Deus-dedit Pontificibus tribuit, ubi edicitur, quod *non oportet filiam suam, quam de sacro fonte susceperit, filio suo in matrimonium tradere, quia in divina sententia germani esse intelliguntur*. Hujus Canonis auctoritate tametsi aliquando usus Cælestinus III. ad Titulum, *De cognatione spirituali*, in secunda compilatione Decretalium apud Antonium Augustinum, responderit, hujusmodi matrimonium esse dirimendum, licet ambo triginta annis pariter sine quæstione mansissent, quia diuturnitas temporis non minuit, sed auget peccata; rectissime tamen advertit Cujacius ad ipsum Decretalium Titulum, nusquam id reperiri in Lege divina, sed reperiri quidem in veteri Lege Longobardorum, Lib. II. Tit. VIII. ne susceptus audeat filiam susceptoris uxorem ducere, *quia spirituales germani esse noscuntur*. Sed & Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. II. nullam certe divinam Legem, quæ impedimentum hoc induxisset, aut ad certas personas extendisset, agnovit, ubi illud contra jam pridem stabilitam disciplinam in multis restrinxit, eo quod, uti ait, *doceret experientia propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonium, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur*.

VII. Si vetus Canonicum jus inspiciamus, in multas certe, & longas ambages cognationem spiritualem, & fere ad superstitionem usque produxit. Vetitum est itaque Decretalium jure Matrimonium consistere inter filiam susceptoris, & susceptum, & rursus inter ejusdem filiam, & susceptum, ita ut etiam contractum dirimatur; Cap. I. III. & VI. *De cognatione spirituali*. Ea etiam cognatio impedimento est, quo minus uxor susceptoris, mortuo marito, in matrimonium jure possit convenire cum patre naturali suscepti. Cap. IV. Tit. eodem. Ita inter Patrem suscepti, & susceptricem, sive matrinam interdicuntur nuptiæ, Cap. VI. ibidem. Olim etiam Matrimonium quod consisteret, diremtum fuit, si pater, vel mater ex fonte baptismatis filium proprium suscepissent quocunque casu, ex Can. III. Causa XXX. Quæstione I. & ita dimittendæ uxoris legitimæ causa ea fuit Chilperico Franciæ Regi, ut Annales Francorum docent, quod filiam suam amicitiæ conjugalis commune pignus ex sacro Fonte illa levasset. Ejus impedimenti longior quæstio est, quam ut vel longo Commentario comprehendi possit; videri potest apud Theologos, qui juxta jus antiquum tres cognationis spiritualis species explicant, paternitatem scilicet, compaternitatem, & fraternitatem.

VIII. Illud ergo notandum superest, Synodum ipsam Tridentinam, remotis veteris juris ambagibus, ad certos terminos spiritualem cognationem, & impedimentum ex illa proveniens coarctare volentem, statuisse quidem, *ut unus tantum, sive vir, sive mulier juxta sacrorum Canonum institutam, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem spiritualis cognatio contrahatur*. Hoc Decretum hodie ubique receptum est, ideoque contra dispositionem veterum Canonum, & Textum in Cap. I. *De cognatione spirituali*, valet hodie Matrimonium contractum inter filiam suscipientis, & baptisatum; inter susceptorem, & susceptricem; inter baptisatum, vel susceptum, & suscipientis conjugem. Quod & expresse declaravit Pius V. in sua Constitutione XIV. quæ incipit, *Ad Romanum*. Inde etiam consequens est, nihil obstare, quo minus duo conjuges levent eumdem de fonte: sed si alter conjugum propriam utriusque prolem levaret, vel etiam baptizaret, cognationem hanc contraheret cum altero, quæ conjugii usum impediret, saltem donec Ordinarius dispensasset. Excepto casu necessitatis, juxta Responsum Joannis VIII. in Can. VII. Causa XXX. Quæstione I. Quod tamen in fornicario, qui propriam prolem in necessitate baptizaret, non procedere, ait Fagnanus ad Titulum, *De cognatione spirituali*, Cap. II.

IX. Tandem quæ de cognatione contrahenda in Baptismo decrevit Synodus Tridentina, eadem prorsus servari jubet in ea cognatione, quæ ex confirmatione oritur, ut scilicet hæc *confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*. An per hac postremam clausulam censeatur sublatus Catechismus seu cognatio quædam spiritualis nata ex catechizatione Baptismi, affirmant passim Scriptores, videri potest tamen Gutierez in Tractatu *De Matrimonio*, Capite LXXXIV. per totum. Atque hæc satis sint pro explicatione præsentis hujus Canonis Trullani; siquis autem plura desiderat, Theologos adeat præsertim illos, quos Casuistas vocant. Ceterum summa nostri Canonis est. Qui commatres olim suas, viro postea orbatas in matrimonii societatem accepere, ab illarum commercio, eo quod contra leges initum est, fœdere dissoluto sejungi, utrumque vero conjugem pœnis scortatorum teneri Canon decernit.

CA-

CANON LIV.

Cum divina Scriptura nos aperte doceat: *Non ingredieris ad omnem consanguineam carnis tuæ ad revelandam ejus turpitudinem*, divinus Basilius nonnullas prohibitas nuptias in suis Canonibus enumeravit, multis silentio præteritis, & his utrisque nobis utilitatem attulit. Turpium enim nominum multitudine evitata, ne verbis orationem pollueret, generalibus nominibus impuritates complexus est, per quas Legibus vetitas nuptias nobis in summa ostendit. Quoniam autem propter ejusmodi silentium, & quod non discerni posset illicitarum nuptiarum prohibitio, se ipsam natura confundit: Nobis visum est ea paulo apertius exponere, ab hoc deinceps tempore decernentes, ut, qui cum patrui sui filia matrimonii societatem coierit, ut pater, & filius, qui cum matre, & filia, vel cum duabus puellis sororibus pater, & filius, vel cum duobus fratribus mater, & filia, vel fratres duo cum duabus sororibus, in septennii Canonem incidant, iis procul dubio separatis a nefario contubernio.

COMMENTARIUS.

I. Canonem hunc explicans Zonaras, ait, quod cum de magno Basilio quæsitum esset, an marito defunctæ uxoris sororem sibi matrimonio jungendi facultas esset, ille vero negasset licere; tum adversus eos, qui secus opinabantur scribens, sententiam suam pro ea, qua mire valebat ingenii præstantia confirmavit. Inde vero cum nuptiarum genera quædam legibus interdicta sigillatim commemorasset, reliqua deinde uno impuritatis vocabulo complexus est. Atque hæc quidem sic a memorato S. Patre constituta, in ejusdem Epistola Canonica ad Amphilochium explicata reperiuntur. Cum ejus itaque Canonibus quidam utentes, quæcumque in eis nuptiæ inter damnatas nequaquam enumeratæ fuerant, easdem quasi concessas usurpare ipsi niterentur, violataque naturæ lege, cum propinquis coirent; iccirco Patres Trullani sanctum Doctorem defendunt, illumque ajunt ea ratione adductum multa silentio involvisse, ne scilicet dum damnati conjugii genera universa prosequeretur, orationem suam verborum turpitudine inquinaret, ac iccirco generatim omnia voluisse uno impuritatis nomine indicare.

II. Hisce in Basilii defensionem dictis, singulos deinde vetitarum nuptiarum modos Patres ipsi Trullani percensent, ac ejusmodi quidem conjugia omnino dissolvi ajunt, ea vero qui attentarint, septennii Canone puniri jubent: *In septennii Canonem incidant.* Idest canonicæ septem annorum pœnitentiæ subjiciantur: ut nimirum ii, juxta Patrum sanctionem, cujus in Epistola ipsa Canonica meminit S. Basilius Can. LXXV. *anno defleant, biennio audiant, triennio substernantur, septimo cum fidelibus consistant; & ita oblatione digni habeantur, si cum lacrymis pœnitentiam egerint.* Erant hi olim Canonicæ pœnitentiæ gradus, quibus varia olim crimina expiabantur; de iisque videri potest noster I. Tomus Conciliorum in Appendice ad Canonem XI. Concilii I. Niceni, in quo varia scitu digna, quibus vetus Ecclesiæ disciplina circa pœnitentes illustratur, curiosus Lector reperiet. Quod vero cognationis impedimentum spectat, de eo hic agere supersedeo, quod opportunius de ipso acturi, Deo dante, simus Tomo nostro III. Conciliorum in Commentario ad Canonem quinquagesimum Concilii IV. Oecumenici Lateranensis.

CANON LV.

Quoniam intelleximus, in Romanorum civitatibus, in sanctis Quadragesimæ jejuniis in ejus Sabbatis jejunare, præter Ecclesiasticam traditam observationem: Sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcusse vires habeat Canon, qui dicit: Siquis Clericus inventus fuerit in sancto die Dominico, vel Sabbato jejunare, præter unum, & solum, deponatur; sin autem laicus, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. Canon, quem hic Trullani Patres inculcant, quemque etiam ab Ecclesia Romana servari præcipiunt, est Canon LXV. vulgo Apostolorum. Editum ab Apostolis ipsis eum Canonem fuisse supponunt, ideoque consuetudinem Romanæ Ecclesiæ jejunandi die Sab-

bati acrius quam oportuit, damnant. Græci qui nullum non movent lapidem, ut Ecclesiæ Romanæ consuetudines carpant, dici nequit, quot injuriis Latinos affecerint, quod ejus disciplinæ tenaces, suæ privatæ constitutioni, contra Apostolicum Canonem, inhærentes, non solum in sanctæ Quadragesimæ Sabbatis, sed & in reliquis omnibus jejunium servent. Ut autem alios omittam, hæc habet Zonaras in suo ad hunc Trullanum Canonem Commentariolo: *Latinorum hoc peccatum emendare Synodus conata est: verum in sua pertinacia hactenus permansere nugatores, hodieque permanent. Neque vero aut antiquos Canones audiunt, qui omne in Sabbato jejunium, uno excepto nempe magni Sabbati die, vetitum esse voluere, aut hujus quoque moventur auctoritate*. Hactenus ille.

II. Sed re vera nugatores sunt Patres Trullani, & quicumque hoc sibi assumunt, Zonaras, Balsamon, aliique tum prisci, tum recentiores Græci Schismatici, ut matrem omnium Ecclesiarum, & caput, Romanam Ecclesiam reprehendant. Antiquissima enim, eaque sanctissima consuetudo Occidentalis Ecclesiæ jejunium Sabbati tenuit, tenetque hodie ob præclarissimam rationem, quam docet Innocentius I. Pontifex Maximus in Epistola I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, sic dicens: *Sabbato jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat, Nam si diem Dominicam ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam, atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo, illo & in mærore fuisse, & propter metum Judæorum se se occulisse*. Et iterum: *Non ergo nos negamus, sexta feria jejunandum, sed dicimus, & Sabbato hoc agendum; quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel his, qui Christum secuti sunt, indixerunt*.

III. Ante Innocentium eandem rationem S. Silvestrum Pontificem Maximum Græcis quærentibus a Latinis, cur Sabbato jejunarent, respondisse refert Eusebius in illius vita his verbis: *Cum omnis Dominicus dies colendus sit in gaudium Christianorum, ergo omnis dies Sabbati deputandus est sepulturæ ad execrationem Judæorum: omnes enim Discipuli die Sabbati fletum habuerunt sepultum suspirantes, & Judæis epulantibus lætitia inerat, Apostolis autem jejunantibus tristitia imperabat. Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura, si volumus cum eisdem de resurrectione Domini gaudere*. Non Latinorum modo, sed & Græcorum Testimonio constat, ob eam rationem tristitiæ discipulorum, & sepulturæ Christi Domini servatum die Sabbati jejunium. Eam quippe se audivisse a quibusdam Latinis sui ævi testatur Theodorus Balsamon in Commentario ad hunc Canonem, dicens: *Ego autem vidi quosdam Latinos, qui cum propterea reprehenderentur* (quod scilicet Sabbato jejunarent) *unam quoqua excusationem afferebant: ad sanctum Domini, & servatoris nostri Jesu Christi sepulcrum aditionem, & ea gratia ex longa consuetudine invaluisse, servatumque esse jejunium*. Quare S. Silvestri Acta apud Metaphrastem, quæ habent, ipsum Pontificem jejunium Sabbati sustulisse, a Græcis recentioribus depravata hinc liquet; præsertim vero cum Nicolaus I. Pontifex Maximus in Epistola LXX. ad Episcopos Gallicanos diserte scribat, S. Silvestrum Papam in Ecclesia Romana jejunium Sabbati primum instituisse: *De jejunio Sabbati tempore S. Silvestri Confessoris Christi, satis discussum est, & disputatum, atque, ut celebraretur, per omnia definitum, nullusque post hæc ausu temerario contra istud statutum venire, aut saltem mutire præsumsit*: Hinc ubi de Innocentio I. Liber Pontificalis ait, *constituit Sabbato jejunium celebrari*, illud *constituit*, idem est ac *confirmavit*. Primus enim, uti dictum est, jejunium Sabbati instituit S. Silvester.

IV. Fuerunt jam olim qui dicerent, S. Petrum, qui certaturus die Dominico cum Simone Mago, die Sabbati jejunavit, eam deinde diem ob victoriam ab illo reportatam inposterum jejunio celebrandam constituisse; sed ejus historiæ veritatem suspectam facit S. Augustinus in Epistola LXXXVI. ad Casulanum Presbyterum ita scribens: *Est quidem hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quod Apostolus Petrus cum Simone die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem Urbis Ecclesia jejunaverit, & consequuta tam prospero, gloriosoque successu, eundem morem tenuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ*. Falsam esse hanc opinionem, tametsi plurimi illam Augustini ævo tenerent, constat ex laudato superius Innocentii I. testimonio, qui cum vellet jejunium Sabbati constabilire, diversa ab hac ratione usus est, illamque minime omisisset, si certam, veramque habuisset.

V. Ratio potissima illa est, quam ex laudata Innocentii ad Decentium Epistola tradit etiam in ejus Vita Liber Pontificalis, sic dicens: *Quia Sabbato Dominus in sepulcro positus est, & discipuli jejunarunt*. Eandem certe rationem spectarunt & Græci, ac præsertim Patres Trullani, ubi Sabbato sancto jejunandum, jusserunt; non ergo mirum si commemorationem ipsam sepulturæ Christi Domini, & tristitiæ Apostolorum ex veteri disciplina, non unico dumtaxat per annum, sed uno per omnem hebdomadam die Romana Ecclesia jejunio celebrandam duxerit. Argumentum est memorati Innocentii Papæ, qui in ipsa ad Decentium Epistola, inter alia sic inquit: *Quod si aliqui putant, semel atque uno Sabbato jejunandum, ergo & Dominica, & sexta Feria semel erit in Pascha celebranda. Si autem Dominicæ diei, & sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementia est bidui agere consuetudinem prætermisso Sabbato, cum non disparem habeat causam, a sexta videlicet Feria, in qua Dominus passus est, quando & ad inferos fuit, ut tertia die resurgens redderet lætitiam post biduanam tristitiam præcedentem*.

VI. Neque his obstat Canon vulgo Apostolorum sexagesimus quintus a Patribus Trullanis relatus, quo jejunium Sabbati per annum vetatur, excepto illo, quod Paschatis solemnitatem præcedit: esse enim Canonem illum omnino spurium, & Apostolis falso suppositum, luculenter docet Augustinus in Epistola sua ad Casulanum Presbyterum dicens: *Ego in Evangelicis, & Apostolicis literis video præceptum esse jejunium: quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum*

non

non invenio definitum. Si itaque Apostoli Decretum illud edidissent, Augustinus certe, qui Apostolorum ætati vicinior fuit, & primitivæ Ecclesiæ non leges tantum, sed & traditiones non scriptas investigare, & perpetuo usu conservare nixus est, eam minime prætermisisset. Id etiam Silvester Papa, quem supra laudavimus non omissurus certe fuisset, nec Innocentius, & alii, qui de jejunio Sabbati leges tulerunt, vel latas confirmarunt.

VII. Idipsum conjici potest ex S. Hieronymo, qui Orientalis Ecclesiæ, ubi diu commoratus fuerat, mores apprime callebat; consultus enim a Lucinio Hispano an liceret Sabbato jejunare, ut in Hispania tunc decreto Canonis XXVI. Illiberritani, ut observat Mendoza, non constitutum modo, sed & moribus receptum erat, nil aliud respondit, quam rem esse adiaphoram, & idcirco populorum, ac locorum consuetudines observandas: *De Sabbato, quod quæris, utrum jejunandum sit, & de Eucharistia, num accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia, & Hispania observare perhibentur, scripsit quidem & Hippolytus vir disertissimus, & carptim diversi Scriptores e variis Auctoribus edidere; sed ego illud te breviter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ita observandas, ut a majoribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subverti. Atque utinam omni tempore jejunare possimus. Unaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta Majorum Leges Apostolicas arbitretur*. Eandem doctrinam circa hujusmodi jejunium Sabbati tradunt inter alios duo celeberrimi Latinæ Ecclesiæ Doctores, & Patres, Ambrosius, & Augustinus, quorum testimonia mox referemus.

VIII. Nunc videamus quæso, an ea disciplina jejunandi Sabbatum, quæ teste Hieronymo in Hispaniis vigebat, ex Canone XXVI. Illiberritano constet, qui ait: *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die jejuniorum superpositiones celebrentur*. Contendunt nonnulli, eo Canone prohiberi potius, quam præcipi; estque ejus sententiæ Lupus in suo ad hunc Canonem Trullanum Scholio, ubi post recitata varia Patrum veterum loca, quibus Sabbati jejunium damnatur, ait: *Consonat vetusta Synodus Eliberina &c.* Puto equidem, labi Lupum, alia enim est Canonis intelligentia, quam tradit doctissimus Aurilianensis Episcopus Gabriel Albaspinæus, qui Canonem ipsum Illiberritanum exponens, ita inquit: *Sabbati dies, uno excepto, immunes olim ab omni jejunio, & tanquam festos antiquitus agebant, & num etiam in Græcia mos ille perduret, quem Hispaniæ Patres post Romam primos omnium antiquasse, verisimile est ex hoc Canone, & Feriæ quartæ jejunia, & stationes in Sabbatum transtulisse*. Tum illam Canonis vocem explicans, *superpositiones*, ait: *Hoc est imponere jejunia, quæ solita non essent observari*.

IX. Præcipit ergo Canon jejunium Sabbati, non vero vetat, ut quidam frustra opinati sunt, præsertim cum, uti observat Ferdinandus Mendoza, ad aliquid quidem statuendum, non autem prohibendum, simili loquendi formula eosdem Illiberritanos Patres usos fuisse, ex alio Canone luculentissime appareat. Ut enim constituerent uno die ab omnibus diem Pentecostes celebrandum, Canone XLIII. hæc verba adhibuerunt: *Pravam institutionem emendari placuit, juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus: quod qui non fecerit, quasi novam hæresim induxisset, notetur*. Simile est quod hic ipsi decernunt; quasi clarius duxissent, errorem tolli, si Sabbati jejunii superpositionem celebremus, quod antea quidem non fecissent: vel pravam institutionem emendari, si cuncti diei Pentecostes una non egerint festivitatem. Jejunium autem Sabbati ideo jejunii superpositionem vocasse Patres Hispanos laudatus Auctor autumat, quod soliti essent olim sexta Feria jejunare; illudque jejunium cum ad Sabbatum extendere placuisset, ideo jejunii superpositionem vocasse.

X. Non me latet, diversam fuisse a Romana Ecclesia Orientalis circa jejunium Sabbati consuetudinem, ob aliam scilicet rationem, in detestationem certe hæreticorum, Simonis Magi, Saturnini, Menandri, Cerdonis, & aliorum complurium, quod Deum Hebræorum orbis conditorem, & Legis auctorem malum esse, Christumque ad eum destruendum venisse dicerent; atque adeo, quod Deus ille quievisset die septima, & in ejus honorem Judæi Sabbatum colerent, ipsi contra in ejus contumeliam ea die jejunare elegissent. Ea inquam de causa, ut constat ex S. Irenæo Lib. I. Cap. XX. & ex S. Epiphanio Hæresi XXI. & seqq. Orthodoxi Orientales non solum a Sabbati jejunio temperarunt, sed etiam in majorem eorumdem hæreticorum detestationem eum diem Festum agere, sacrosque conventus perinde ac ipsa die Dominica habere voluerunt, non quidem Judaice sicut Ebionitæ, sed pie ac religiose, ut Deum Patrem omnium, Creatorem Cæli, & Terræ solemni cultu venerarentur, quem hæretici execrabantur. Fuse hæc narrant Baronius ad annum Christi LVII. Loaysa, & Gonzalez in laudatum Canonem Illiberritanum, & alii eruditi Auctores plurimi apud eosdem.

XI. Cum ergo vitandarum hæreseon causa suam Græci retineant consuetudinem non jejunandi Sabbatum, jam facile explicari potest Canon Apostolicus LXV. dato quod genuinus sit, & non a Græcis falso suppositus. Idem dicimus & de S. Ignatii Martyris testimonio, quem in Epistola ad Philippenses ajunt scripsisse, Christi esse interfectorem, qui Dominicam, aut Sabbatum jejunaverit, præter Sabbatum Paschæ; nam præterquam ficta, & supposita est Epistola illa, uti eruditi notarunt, etiamsi vera esset, alio certe respexit Ignatius; confodit enim ea sententia Hæreticos Marcionitas, qui eo tempore jejunabant Sabbato & Dominica in opprobrium Dei Judæorum, quod septimo die requievisset ab omni opere quod patrarat, ut S. Epiphanius testatus est, dicens: *Sabbatum vero jejunant ob hanc causam, quoniam Dei*, inquiunt, *Judæorum est requies, qui mundum fecit, & septima die quievit*. Atque huc referri potest, quod ait S. Maximus in Scholiis ad Libros S. Dionysii, ubi ita ait: *Si Dionysius aliquando tradit diversa ab his, quæ in Ecclesia cernuntur, non est mirandum, sed credendum potius, illorum temporum statui congruisse*.

XII. Utriusque Ecclesiæ consuetudinem quod fidei non repugnet, recte observari, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti, præter Hieronymum superius a nobis allatum docet etiam ex sententia S. Ambrosii Augustinus, in suos ad Casulanum Presbyterum literis, sic inquiens: *Indicabo quid mihi de hoc requirenti responde-*

sponderit venerandus Ambrosius, a quo baptizatus sum, Mediolanensis Episcopus. Nam cum in eadem Civitate mater mea mecum esset, & nobis adhuc Catechumenis parum ista curantibus, illa solicitudinem gereret, utrum secundum morem nostræ Civitatis sibi esset Sabbato jejunandum, an Ecclesiæ Mediolanensis more prandendum, ut hac eam cunctatione liberarem, interrogavi hoc supradictum hominem Dei. At ille: Quid possum, *inquit*, hinc docere amplius, quam ipse facio? *Ubi ego putaveram, nihil eum ista responsione præcepisse, nisi ut Sabbato pranderemus: hoc ipsum facere sciebam; sed ille sequutus adjecit:* Quando hic sum, non jejuno Sabbato; & ad quamcumque Ecclesiam veneritis, *inquit*, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere. *Hoc responsum retuli ad matrem, eique suffecit, nec dubitavit esse obediendum. Hoc etiam nos sequuti sumus. Sed quoniam contingit, maxime in Africa, ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesiæ alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes, mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est. Quapropter si consilio meo præsertim quia in hac plus forte quam satis fuit te petente, ac urgente, locutus sum, libenter acquiescis: Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine ullo scrupulo, vel disceptatione sectare.*

XIII. Plura ex hoc prolixo Augustini testimonio addiscimus, præsertim vero illud, in ipsa etiam Latina Ecclesia variam fuisse de omittendo, vel celebrando jejunio Sabbati disciplinam. Teste enim S. Doctore, jejunabatur Sabbato Romæ, non autem Mediolani; contingebatque *maxime in Africa, ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesiæ alios haberent Sabbato prandentes, alios jejunantes*. In Hispania relaxatum saltem alicubi jejunium Sabbati non modo constat ex Hieronymi Epistola ad Lucinium Bæticum, qui de ea re S. Doctorem consulerat, verum etiam ex Regula S. Francisci, Cap. v. ubi ait: *Sabbata, vel Dominicis diebus ad vesperum una potio adjiciatur*. Idem dicendum de Gallia, uti patet ex Synodo Agathensi anni DVI. Can. XII. & IV. Aurelianensi anni DXLI. Can. II. ubi cum mandent in Quadragesimá etiam Sabbatum jejunandum, satis innuunt, aliis extra Quadragesimam Sabbatis minime Gallos jejunasse. Agathensis Canon ita quidem inquit: *Placuit etiam, ut omnes Ecclesiæ filii, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbato Sacerdotali ordinatione, & districtionis comminatione jejunent*. Canonis vero Aurelianensis hæc sunt verba: *Hoc etiam decernimus observandum, ut Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur*. Et paulo post: *Sed neque per Sabbata absque infirmitate quisquam solvat Quadragesimæ jejunium, nisi tantum die Dominico prandeat: quod sic fieri specialiter Patrum statuta sanxerunt*.

XIV. Etiam apud Græcos, qui tantopere Apostolicum Canonem LXV. quo jejunium diei Dominicæ, & Sabbati districte vetatur, adversus Latinos tamquam ab Apostolis editum exaltant, ne prædicant, consuevisse nonnullos jejunare Sabbato, ob eamque disciplinam laudari eos potius, quam sugillari, tradit quidem Græcus Balsamon in suo ad ipsum Canonem Apostolicum Commentario, ubi notat, eo Canone nequaquam condemnari, *qui propter exercitationem nonnunquam jejunant etiam his diebus*. Sed, ut alios omittam Scriptores Græcos, Theorianus cognomento Philosophus in Epistola ad Sacerdotes de jejunio Sabbati, diserte ait, variam utriusque Ecclesiæ consuetudinem, quod Fidei non repugnet, recte observari: *Neque Latinorum*, inquit, *Ecclesiastica consuetudo, neque nostra* (idest) *Græcorum; quidquam, quod honesto fine, aut decentia careat, accipit, aut tenet; quin potius utriusque consuetudinis divinum propositum, & mens est. Prudentibus ergo recte omnia; contra vero imprudentibus omnia sunt pericula, & ruinæ*. In hoc recte quidem ille, nisi paulo post a rectæ sententiæ tramite deflexisset. Ait enim Canonem hunc LV. Synodi Sextæ Constantinopolitanæ in Trullo, qui Ecclesiæ Romanæ consuetudinem jejunandi Sabbato temere improbat, & non jejunare jubet, a Vigilio Pontifice Romano fuisse approbatum; cum constet integro seculo, & fere dimidio Vigilium Trullanam Synodum præcessisse. Obiit enim ille anno DLV. cum alias Trullana Synodus nonnisi anno DCXCII. celebrata fuerit.

XV. Porro constat ex hactenus dictis, utriusque Ecclesiæ consuetudinem, ac rationem in celebrando, vel in omittendo jejunio Sabbati esse laudabilem; Ecclesia enim diversis sub uno dogmate ritibus ornata est, velut regina circumamicta varietatibus, ideoque merito clamat Augustinus: *Nequaquam de regiæ vestis varietate litigandum, ne ipsius Reginæ, ubi unam fidem etiam de ipsa requie retinemus, interiora membra vexemus*. Commendat his verbis Augustinus rationem illam Græcorum, ob quam Sabbatum non jejunabant, ut significarent scilicet requiem sempiternæ beatitudinis, quæ illo die per Dei ab omni opere suo requiem, & cessationem significata est. Ait autem, nequaquam de regiæ vestis varietate litigandum, ne ipsius reginæ interiora membra vexemus, ut nimirum manducans, non manducantem non spernat, & non manducans, manducantem non judicet, sed inoffensam fraternitatis societatem servemus: *Custodita scilicet eorum, inter quos vivimus, inoffensa societate*. Utinam hæc intelligerent nonnullæ nostri temporis Scholæ, quæ adeo suas sententias propugnant, ut conculcata Christiana charitate, eos qui illis adversantur, injuriis impetant, & plusquam si essent Romana Apostolorum Principis Cathedra, quos volunt, hæresis damnant.

C A N O N LVI.

Similiter accepimus, & in Armeniorum regione, & in aliis locis, in Sabbatis, & Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam ova, & caseum comedere. Visum est ergo & hoc, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat, & abstineat, sicut ab omni mactabili, sic ab ovis, & caseo, quæ quidem sunt fructus, &

fœtus

fœtus eorum, a quibus abſtinemus. Si autem hoc non ſervaverint, ſi ſint quidem Clerici, deponantur; ſin autem Laici, ſegregentur.

COMMENTARIUS.

I. OStendit luculenter hic Canon, veteres Græcos licet in Quadrageſimæ diebus Dominicis, & Sabbatis non jejunarent, non modo a carnibus abſtinuiſſe, ſed & credidiſſe etiam abſtinentiam a carnibus inferre neceſſario abſtinentiam ab iis omnibus, quæ ſementinam ex carne trahunt originem. Theodorus Balſamon in Canonem LXIX. vulgo Apoſtolorum cum præmonuiſſet, xerophagiis, ideſt cibis ſiccioribus jejunandam tum eſſe Quadrageſimam, tum quartam quamque, ſextamque feriam, ubi indulgentiam Canonis illius interpretatur de jejunio propter morbum, & imbecillitatem corporalem ſolvendo, ait quidem, ægrotantibus piſcibus veſci permitti, nunquam vero carnibus etſi vita periclitentur, niſi quartis, ſextiſque feriis inter Paſcha, & Pentecoſten, Sabbatiſque, & Dominicis Quadrageſimæ: *Hi enim, ſi per piſces jejunium ſervant, eis venia datur. Per carnem autem non ſolvet quis quemcumque quartum diem Paraſceven, exceptis Paſchalibus, & aliis conceſſis, etiamſi extremum ſpiritum agat.*

II. Itaque nonniſi autumni fructibus, & iis, quæ eſſent ſanguinis expertia, modo ne eſſent fœtus, ac fructus eorum, a quibus abſtinendum erat, uti licebat, & uno nomine xerophagiæ ſolummodo conceſſæ erant Græcis, quemadmodum expreſſum eſt Canone Laodiceno L. ex verſione Herveti: *Oportet totam Quadrageſimam jejunare aridis veſcentes.* Ubi nota, jejunia Quadrageſimæ omnia xerophagiis ſacra fuiſſe, quas tamen aliqui ad ſolam majorem hebdomadam contrahebant, teſte S. Epiphanio, qui in compendio Doctrinæ Catholicæ, & Hæreſi LXXV. Hebdomadam Paſchatis, ut vocat, ideſt Majore, xerophagias dumtaxat uſitatas eſſe ſuo tempore, ideſt Seculo IV. pronunciat, quo loco xerophagias ipſas, ſive ſiccorum eſum, nihil aliud eſſe dicit, quam panem, ſalem, & aquam. At non ita ſentiebat Balſamon, qui floruit Seculo XII. nullos enim alios Quadrageſimæ dies xerophagiis ſubducit, niſi Sabbata, & Dominicas. His diebus abſtinuiſſe Græcos ab eſu carnis, ex Theophilo Patriarcha Alexandrino conſtat, qui objecta difficultate de vigilia Epiphaniæ in die Dominica occurrente, qua jejunari vetant Canones, reſpondit ipſe a carnium eſu tunc abſtinendum, & aliquid dactylorum eſitari poſſe. Xerophagias interpretatur Tertullianus in libro adverſus Pſychicos his verbis: *Siccantes cibum ab omni carne, & omni juruleutia, & uvidioribus quibuſque pomis, ne quid vinoſitatis, vel edamus, vel potemus.*

III. Etiam apud Latinos viguiſſe olim morem, ut pœnitentes in ſatisfactionem ſuorum criminum, xerophagiis ſiccorum cibis veſcerentur, teſtes habemus luculentiſſimos, Burchardum Epiſcopum Wormatienſem, Lib. XVII. XIX. & XX. & Ivonem Epiſcopum Carnutenſem Parte XV. Cap. CXCVIII. apud quos qui plurium annorum pœnitentiam acturi erant, primo quidem anno pro criminis gravitate eam victus rationem in agenda pœnitentia inibant, ut ſolummodo pane, ſale, & aqua uterentur. Secundo anno hanc jejunandi formam ſervabant, ut alios dies, ideſt ſecundam, & quartam feriam in unaquaque hebdomada jejunarent uſque ad veſperam, & tunc reficerentur *de ſicco cibo*, ideſt pane, & leguminibus ſiccis, ſed coctis, aut pomis, aut oleribus crudis. Sed quid ultra progredior, cum S. Hieronymus in Epiſtola ad Lætam, legumina, raro etiam piſciculos, & parum vini concedat infirmis. Jejunium quoque in abſtinentia carnis, & vini conſtituit ſanctus Auguſtinus Lib. III. contra Fauſtum, dicens: *Si Quadrageſima ſine vino, & carnibus, ne ſuperſtitioſe, ſed divina lege ſervatur.* S. Baſilius Homilia I. *De jejunio*, carnes etiam, & vinum vetat, hortaturque homines ad legumina, & aquam juxta primum uſum ante diluvium.

IV. Quod Armenos ſpectat, quos Canon noſter ſugillat, ita inter alia ſcribit S. Monachus Nicon in fragmento de peſſima Armeniorum religione: *Comedunt & in Sabbatis, & in Dominicis ſanctæ Quadrageſimæ, ova, caſeum, & butyrum: & in primis eorum univerſalis Epiſcopus. Et eſt apud eos Canon qui dicit: Siquis butyrum, caſeum, & ovum, vino, & oleo non æquivalere exiſtimet, anathema ſit.* Damnat hunc Armeniorum abuſum Nicephorus Callixtus Lib. XVIII. *Hiſtoriæ*, Cap. LIII. Olim cum nonniſi aridis veſcerentur, ab Eccleſia Romana hanc indulgentiam accepere, ut in Feſto Annunciationis, ſi in Quadrageſima occurreret, oleo, & piſcibus uti poſſent: *Nos a ſancta Romana*, ait Gregorius Patriarcha Siſenſis in Epiſtola ad Haytonem Regem apud Clementem Galanum, *ritus varios acceptos habemus, tametſi non item piſces, & oleum in Quadrageſima comedimus, excepto Annunciationis Feſto.* A Romana Eccleſia acceperunt & Sabbati jejunium, illudque ſervarunt uſque ad Joannem Oznienſem nequiſſimum Patriarcham, de quo antiqua Armeniorum hiſtoria ita habet: *Patriarcha iſte decrevit in Quadrageſimæ Sabbatis jejunium eſſe frangendum, quemadmodum in Dominicis.* Et infra: *Præterea ſtatuit piſces, oleum, & vinum eſſe in eodem ordine computanda tempore jejunii cum lacte, caſeo, & ovis.*

V. Oleo, & piſcibus uſa ſemper eſt Romana Eccleſia, hinc cum Photius ſchiſmatis auctor contra ipſam Eccleſiam Romanam opponeret, quod in Quadrageſima caſeo, & ovis veſceremur, reſpondit Nicolaus I. Pontifex Maximus: *Calumnia eſt: cum in Italia nunquam in uſu fuerit. Trans montes tamen id ex magna cauſa alicubi apparet eſſe conceſſum.* Certe variarum Eccleſiarum etiam apud Latinos ipſos varia olim per Quadrageſimam fuit abſtinentia. In quibuſdam locis abſtinebant quidem a lacte, butyro, caſeo, & ovis perfectæ tantum virtutis viri. Narrat enim de Cedda in Anglia Epiſcopo, qui VII. ſeculo floruit Venerabilis Beda Lib. III. *Hiſtoriæ Anglorum*, Cap. XXIII, quod in Quadrageſima unum tantum ovum cum modico lacte ad veſperam comedebat: *Ad veſperam juxta morem protelatum jejunium, niſi panis permodicum, & unum ovum gallinaceum, cum parvo lacte aqua mixto percipiebat.* Floruit VIII. Seculo Thedulphus in Gallia Aurelianenſis

lianensis Episcopus, aitque in suo Capitulari ad Parochos, Cap. XL. quod is, *qui ovis, caseo, piscibus, & vino abstinere potest, magnæ virtutis est*. Tum statim addit: *Qui vero his, aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere abstinere non potest, utatur; tantum, ut ieiunium usque ad vesperam celebret, & vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat. A caseo vero, lacte, butyro, & ovis abstinere, & non ieiunare a vino, dementissimum est, & omni ratione semotum. Vini enim ebrietas, & luxuria prohibita sunt, non lac, & ova. Non enim ait Apostolus: Nolite comedere lac & ova, sed*: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.

VI. Multa sunt, quæ in hoc Theodulphi testimonio studiosus Lector observet. Nobis interim lubet eam disciplinam aliarum Ecclesiarum, & seculorum insequentium usibus confirmare. Ergo Æneas Parisiensis in Tractatu contra Græcos Seculo IX, exarato Cap. CLXXXIV. refert, quod in Germania abstinentia ab ovis, & lacte in Quadragesima, erat voluntaria, & a religiosis viris tantummodo servata: *Germania a lactis, butyri, & casei, & ovorum esu per totam Quadragesimam non abstinet; excepto, quem spontanea attrahit voluntas*. Testatur autem Grancolas in Breviarium Romanum Cap. XXXVIII. Rotomagensem turrim, in qua extat Campana, cui nomen Georgius Amburiensis, appellari butyri turrim, eo quod constructa fuerit a fidelibus, quibus venia data fuerat comedendi butyrum in Quadragesima, quod erat prohibitum. Eodem teste Auctore Parisiis singulæ urbis, & suburbiorum Parochiæ adhuc processionem agunt ad Cathedralem in Dominica Quinquagesimæ ad impetrandam veniam vescendi lacticiniis in Quadragesima: *Pro indulgentia vescendi lacte, & butyro tempore Quadragesimali*. In qua indulgentia caseus non comprehenditur, fit enim tantum mentio de lacte, & butyro.

VII. Si Urbem Romam excipias, itemque Regnum Neapolis, & alias quasdam Italiæ Provincias, vix Regnum aliud, vel provinciam invenies, in quo Fideles in Quadragesima, ova, & lacticinia non edant, ex indulgentia scilicet Romani Pontificis, quem etiam Romæ aliquando, ac præsertim anno quo hæc scribebamus MDCCXLII. ob penuriam olei, aliamve causam permisisse fidelibus vidimus, ut in Quadragesima ovis, & lacticiniis vescerentur. Ceterum antiquam esse Romanæ Ecclesiæ disciplinam, ut cibis hisce abstinerent Fideles, constat sane non modo ex laudato superius Nicolai I. testimonio calumniam Photii refellentis, sed ex S. Gregorio Magno, cujus locum affert in suo Decreto Gratianus in Can. *Denique*, Distinctione V. ubi inter alia ita inquit Pontifex: *Par autem est, ut nos, qui his diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt originem carnis, ieiunemus; a lacte videlicet, caseo, & ovis*. Hinc rectissime quidem Stephanus Poncherius Episcopus Parisiensis in statutis suis anni MDIII. juxta sacrorum Canonum Decreta commendat abstinentiam a carnibus, lacte, caseo, & ovis in Quadragesima: *Hortor*, inquit, *& moneo vos Quadragesimam congrue ieiunare, & veluti censuerunt sacri Canones, a carnibus, lacte, caseo, butyro, & ovis abstinere*.

VIII. Jam non defuerunt nostra hac temporum fece Casuistæ molles, & laxioris thoracis, qui inter alia suarum opinionum portenta hanc etiam docerent, quam alioqui Alexander Papa VIII. una cum aliis Decreto suo damnavit, die XVIII. Martii anno MDCLXVI. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget*. Doctum æque, ac uberem in hanc, & alias laxiorum Casuistarum propositiones a Pontificibus Romanis confixas tractatum in tria volumina distinctum scripsit novissime insignis Theologus Pius-Thomas Milante inclyti Ordinis Prædicatorum aliis etiam operibus editis celeber. Sane causa epidemiæ solent Romani Pontifices in Urbe, ac ejus districtu ex peculiari dispensatione ovorum, atque lacticiniorum esum concedere in Quadragesima, exceptis primis quatuor diebus, tota sancta, ac majore hebdomada, feriis præterea sextis, ac Sabbatis, cum obligatione tamen jejunandi. Id quod etiam hoc anno MDCCXLIII. factum est, & quidem etiam cum Sabbatorum relaxatione, & Feriæ V. primæ hebdomadæ, causa communium infirmitatum, ex quibus multa hominum millia mortem oppetiere.

C A N O N LVII.

Quod in Altare lac, & mel offerre non oportet.

COMMENTARIUS.

I. Quod ad Altare mel & lac offerre non oporteat, hoc quoque tertio vulgo Apostolorum Canone vetitum est, in quo cum melle, cum lacte, hujus generis alia quædam præterea recensentur. Sic autem inquit ex versione Herveti: *Siquis Episcopus, vel Presbyter, præter Domini de sacrificio ordinationem, alia quædam ad Altare attulerit, mel, vel lac, aut pro vino siceram, vel confecta, vel aves, vel aliqua animalia, vel legumina præter ordinationem, deponatur, præterquam nova legumina tempore opportuno*. Et iterum ita mox subjicit: *Ne liceat autem aliquid aliud ad Altare offerre; quam oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationis*. Ubi nota I. ea verba, *præter ordinationem Domini*, alludere quidem ad panem, & vinum, quæ sola, ut Sacrificii materiam Christus instituit. II. morem fuisse antiquum, ut lac, mel, & id genus alia, intra Sacrificium ad ipsum Altare una cum pane, & vino offerrentur, & ibidem a Sacerdote benedicerentur. III. cœpisse inde imperitos quosdam Episcopos, Presbyterosque Eucharisticam ipsam consecrationem illis impartiri, & loco panis, & vini in Sacrificio subrogare, vel pani ipsi, ac vino miscere, uti jam alibi ostensum est.

II. Hunc errorem multis jam olim in locis grassantem conatæ sunt quidem proscribere variæ Syn-

Synodi, inter quas Antisiodorensis in Galliis habita anno DLXXVIII. Can. VIII. ait: *Non licet in Altario Sacrificio divino mellitum, quod mulsum appellant, nec ullum aliud poculum, extra vinum cum aqua mixtum, offerre: quia ad grande reatum, & peccatum pertinet Presbytero illi, quicumque aliud populum, extra vinum in consecrationem sanguinis Christi offerre præsumseris.* Id ipsum vetant aliæ Synodi complures, constatque ex Epistola Joannis Diaconi ad Senarium nono Sceulo scriptam, lac, & mel ea ætate a multis fuisse immissum in Calicem; hocque ita præstitum; ut significaretur, quod qui participes sunt Corporis, & Sanguinis Christi, terram fluentem lacte, & melle, seu terram repromissionis accepissent. Extat hæc Epistola apud Mabillonium Tomo I. Musæi Italiei Parte II. Fol. 75. quam eruditi nonnulli spuriam censent, quia scilicet eo seculo mos Ille in usu non esset.

III. Quicquid sit, ut alias omittam Synodos, quæ abusum proscripsere offerendi in Sacrificio lac, & mel, labente Seculo VII. nostra hæc Trullana Canone XXVIII. uti superius dictum est, illos damnavit, qui & vinum, & uvam eadem benedictione sanctificabant, & populo tamquam duplicem sacrati Calicis speciem impertiebant; mandans, seorsim benedici, & populo non tamquam Eucharistiam, sed veluti primitias viritim distribui. Pravum abusum damnarat jam ante memoratam Synodum Trullanam Bracarensis tertia Synodus anni DCLXXV. Can. II. cujus Decretum Julio I. Romano Pontifici frustra adscripsit Gratiaous, in Canone, *Cum omne*, De consecratione, Distinctione II. Ut ut ea res fit, fuse explicuimus nos ipsum Bracarensem Canonem in Commentario nostro ad Canonem XXVIII. Trullanum; extatque In pervetusto Africanæ Ecclesiæ Codice Canon XXXVII. qui postquam edixit, *Ut in sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum*; ita statim subjicit: *Primitiæ vero, sea mel, & lac, quod uno die solemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in Altari offeratur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominico corporis, & sanguinis distinguantur, nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis, & frumentis.*

IV. Plura sunt, quæ & hic observemus, ao primo quidem, quod superius notatum est, non modo in Oriente, sed & in Occidente, ac præsertim In Africa tribus primis seculis pessimum errorem Inolevisse consecrandi mel, & lac loco materiæ sanctæ Eucharistiæ. Mandat enim Canon, nihil amplius offerendum in Sacrificio, consecrandumque, nisi panem, & vinum aqua mixtum, juxta Christi Domini institutionem. II. Consuevisse antiquitus mel, & lac recens baptizatis impertirI, per *infantes* enim intelligit Canon Neophitos, sive recenter baptizatos, de quibus & hodie canit Ecclesia In die octava Paschæ: *Quasi modo geniti infantes*. III. oblatum quidem fuisse lac, & mel ad Altare, sed habuisse *propriam benedictionem, at a sacramento corporis, & sanguinis Domini* distinguerentur. IV. præcipi oe amplius in primitiis offeratur, quam de uvis, & frumentis, quia scilicet de iis fit vinum, & panis, proprium nostri sacrificii elementum; tametsi aliquando liceat & alios fructus ad Altare offerrI, etiam post ipsum Canonem Africanum, uti alibI a nobis ex veterum testimonio notatum est.

V. Porro pervetustus fuit Ecclesiæ ritus, ut præter sacram corporis, & sanguinis Christi communionem, lac, & mel recens baptizatis gustandum porrigeretur. Testis ejus ritus locupletissimus est quidem Tertullianus io Libro, *De corona militis*, Cap. III. ubi de baptismi ritibus disserens, ita inquit: *Ter mergitamur, inde suscepti lactis, & mellis societatem prægustamus.* Et in Libro I. adversus Marcionem ritus ipsos exponens, ait: *Sed ille quidem, usque nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos ungit; nec mellis, ac lactis societatem, qua suos infantat; nec panem, quo ipse corpus suum repræsentat.* Eandem disciplinam ex antiqua traditione in Ecclesiis servatam seculo, quo ipse floruit IV. docet S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, ubi sic loquitur: *Multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observant, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt; velut in lavacro ter caput mergitare: deinde egressos lactis, & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem.* Alibi idem S. Doctor scribens in Isaiæ Caput LV. non lactis, & mellis, sed vini, & lactis meminit; nam explicans illa verba, quibus jubemur emere vinum, & lac, ita scribit: *Quod vinum miscait & sapientia in cratere suo, omnes stultos secali, mundique sapientiam non habentes provocant ad bibendum; & ut non solum vinum emamus, sed & lac, quod significat innocentiam parvulorum. Qui mos, ac typus in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christum vinum, laeque tribuatur.* De hoc lacte scribi ait a S. Paulo Apostolo: *Lac vobis potum dedi*; & a S. Petro Principe Apostolorum illud, quod hodieque usurpat Ecclesia io Introitu Missæ Dominicæ in Albis, ita dictum, quod ea die vestes albas deponerent Baptizati, quas lo Baptismo Paschatis induerant: *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.*

VI. Eundem ritum laudant Inter alios Græcos Patres pervetustus Scriptor Origenes, & S. Clemens Alexandrious. Viguisse jam ab initio usum ipsum apud Jacobitas, auctor est Macharius Episcopus Mempheos a Vanslebio citatus, qui anno DCCLVI. florebat. In Occidente perseverasse eundem ritum ad usque medium seculum nonum, constat ex laudata superius Joannis Diaconi ad Senarium Epistola, cujus inter alios meminit eruditus Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XV. Num. XVI. Perseverat etiamnum ea disciplina apud Æthiopes, nam in ordine Baptismi, qui secundum usum ipsorum In Tomo VI. Bibliothecæ Patrum editos est, Neophytorum communioni hæc subjiciuntur: *Diaconus deinde dat eis lac, & mel, & dicit*: Lac, & mel immaculatum in regenerationem. *Sacerdos autem dicit*; Lac & mel immaculatum in regenerationem per Jesum Christum, Amen.

VII. Ex hactenus dictis illud plane constat, habuisse cum ritum tres rationes. Prima, quam docet Tertullianus, ad infantiæ, qua suos Christus infantat, significationem, idest, ut scite Lupus explicat, ad significandum, nos ex inveteratis dierum malorum peccatoribus per sacrosanctum Jesu Christi Baptisma, ac perceptam istic plenissimam omnium peccatorum remissionem, esse transmutatos in iosantes innocentissimos unios diei. Altera, quam S. Clemens Alexandrinus, & Joannes Diaconus tradidere, ostendit, sacra Baptismatis unda ablutos pervenisse in terram fluentem lac, &

mel;

mel; idest in sanctam Catholicam, & Apostolicam Jeso Christi Ecclesiam, veram terram promissionis. Tertia tamdem est illa, quam post memoratum Tertullianum docet etiam S. Hieronymus, ad significandam scilicet concordiam, & societatem, quam nempe per Sacramentum baptismi inimus cum Christo Jesu Domino nostro, abrenunciantes Satanæ, & omnibus operibus ejus.

CANON LVIII.

Nemo eorum, qui sunt in ordine Laicorum, divina sibi mysteria impertiat præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono. Qui autem tale quid ausus fuerit, ut præter ea, quæ sunt constituta, faciens, una septimana segregetur, & ex eo doceatur, non amplius sapere, quam sapere oportet.

COMMENTARIUS.

I. Sancta tractare, eaque ceteris impertiri, ii qui sacris initiati sunt, soli debent. Episcopi scilicet, & Presbyteri, quos postquam Apostolus in Epistola 1. ad Corinthios Cap. IV. ministros Christi appellavit, eosdem statim appellavit dispensatores Mysteriorum Dei: *Sic nos*, inquit, *existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*. Licet autem eo nomine quæque sacramenta intelligantur, præcipue tamen Eucharistia intelligitur, cum inter ea principem teneat locum. Eam vero fuisse antiquam Ecclesiæ disciplinam, ut Eucharistiam fideles de manu Sacerdotum acciperent, testatus est Tertullianus in Libro, *De corona militis*, Cap. III. ubi ita inquit: *Eucharistiæ sacramentum nec de aliorum manu, quam de præsidentium sumimus*. Præsidebant tantum Christianorum cœtibus Episcopi, ac Presbyteri, non vero Diaconi, ut frustra in suo ad hunc Canonem Scholio Tertulliani locum interpretatus est Lupus.

II. Quamquam vero ordinarii Eucharistiæ dispensandæ ministri soli Episcopi, & Presbyteri essent, quia scilicet ipsi soli jure divino eam conficiunt; non inficior tamen, quin extraordinario jure etiam Diaconi olim in Ecclesia tum Latina, tum Græca Eucharistiam distribuerent. Est enim constans Patrum traditio, quam superius in nostro ad Canonem XVI. Commentario ostendimus, Diaconos, quos Can. VI. Actorum Apostoli elegerunt, electos quidem ab ipsis fuisse, ut non communibus solum mensis, sed etiam sacris ministrarent. Hinc inter alia Diaconorum munia illud quoque sanctæ Synodi, ac Patres percensent, quod Corpus æque, ac Christi Sanguinem fidelibus traderent. Plura ea in re Patrum, ac Canonum loca a nobis jam allata fuere tum 1. Tomo Romani Pontificalis, ad Titulum *De ordinatione Diaconi*, tum 1. Tomo Conciliorum, in Commentario Canonis XVIII. Concilii 1. Nicæni.

III. Hic illud notandum superest, in utraque Ecclesia, Latina nimirum, & Græca Diaconorum potestatem nequaquam parem fuisse in Eucharistiam fidelibus distribuendam. Nam I. ut post Thomassinum observat Jueninus, in Ecclesia Græca Diaconi solemniter, & in publicis Synaxibus solebant illam porrigere; uti ex S. Justino constat, qui in secunda sua pro Christianis Apologia inquit: *Posteaquam & is, qui præest, gratias egit, & populus omnis benedixit, ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendam panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt, perferunt*. In Ecclesia vero Latina eam publicis in conventibus minime dispensabant, nam ait superius laudatus Tertullianus, Eucharistiæ sacramentum non de aliorum manu, quam de Præsidentium sumi, idest, de manu Episcoporum, aut Presbyterorum, qui soli Christianorum cœtibus præsidebant.

IV. Præterea apud Orientales, uti ex memorato Justino, & Canone XVIII. Nicæno colligitur, Diaconi etiam, ubi Presbyteri aderant, Eucharistiam Subdiaconis, minoribus Clericis, & Laicis tradebant. Apud Latinos autem non, nisi cum Episcopi, & Presbyteri abessent, aut impediti essent, vel si ab eis licentiam, vel permissum haberent: *Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*. Verba sunt Canonis XXXVIII. Concilii IV. Carthaginensis anni CCCXCVIII. Cui concinit Synodus II. Arelatensis anni CDLII. Can. XV. ubi ait, *Diaconus corpus Christi, præsente Presbytero, tradere non præsumat*. Si scilicet ab eo jussus non esset; uti liquet ex laudato Canone Carthaginensi. Quod autem Episcopis, Presbyterisve absentibus, ea potestate fruerentur Diaconi, ut Eucharistiam populo ministrarent, docet nos S. Gelasius Papa in Epistola sua IX. ad Episcopos Lucaniæ, & Brutiorum, sic inquiens: *Sacri corporis prærogationem sub conspectu Pontificis, seu Presbyteri, nisi his absentibus, Diaconi jus non habeant exercendi*.

V. Si veterem Ecclesiæ disciplinam inspiciamus, certe constat, etiam inferiores Clericos Eucharistiam aliquando distribuisse, præsertim cum persecutio in Christianos sæviret; eratque munus Acolythorum absentibus Presbyteris, & Diaconis, Eucharistiam ipsam fidelibus elargiri. Sic enim legimus de sanctissimo Tharsitio Acolytho in Martyrologiis Bedæ, Adonis, Usuardi, & Romano ad diem XV. Augusti: *Romæ via Appia in Cæmeterio Callixti, Natale S. Tharsitii Acolythi, & Martyris, quem sacramenta corporis Domini deferentem pagani cum reperissent, cœperunt disquirere, quid gereret. Is indignum ratus margaritas porcis, hoc est, discussoribus prodere, ab eis tamdiu fustibus, & lapidibus mactatus est, donec spiritum exhalavit: & evolato ejus corpore, sacrilegi nihil sacramentorum Domini in ejus manibus, aut vestibus invenientes, eo relicto, fugerunt cum terrore*. Passus est Tharsitius octava persecutione, quam Valerianus, & Galienus Imperatores excitarunt.

VI. Licuit & olim Laicis causa persecutionum

num secum Eucharistiam deferre, & sibi ipsis privatim administrare, ut eo sacro cibo quotidie se contra tyrannos munirent. Eam consuetudinem supponit Tertullianus, cum Libro II. ad uxorem enumerans incommoda matrimonii viri gentilis cum muliere Christiana, Cap. v. & istud recenset: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciverit, panem non illum credit esse, qui dicitur.* Sed & post datam Ecclesiæ pacem, consuevisse in Oriente non modo Monachos in desertis degentes, sed & Laicos domi seipsos communicare, testis est S. Basilius in Epistola ad Cæsariam Patriciam: *Omnes*, inquit, *qui sunt in desertis Monachi, ubi non est Sacerdos, illic habentes communionem, ex se ipsi eam sumunt:* Tum de Laicis ita statim subjicit: *Alexandriæ autem, & in Ægypto, unusquisque ex Laicis, qui illic degunt, maxima ex parte communionem domi suæ.*

VII. Sequioribus seculis adeo apud Latinus invaluit abusus communionis domesticæ, quam Laicus quisque, & etiam femina sine ulla prorsus causa sibi ipsi præbebat, ut ad eum abrogandum Synodorum constitutionibus opus fuerit. Ex Concilio Cæsaraugustano anni CCCLXXXI. Can. III. anathemate percellitur, qui Eucharistiam in Ecclesia accipiens, eam ibidem non sumeret: *Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumsisse in Ecclesia, anathema sit.* Concilium Toletanum I. anni CD. Can. XIV. eum qui Eucharistiam acceptam non statim sumit, ut sacrilegum repellendum jubet: *Siquis autem acceptam a Sacerdote Eucharistiam non sumserit, ut sacrilegus propellatur.* Quantus fuerit ea in re abusus in Gallia, testis est Synodus VI. Parisiensis anni DCCCXXIX. Lib. I. Cap. XLV. ubi relatu quidem, ac visu didicisse ajunt, *in quibusdam provinciis, contra legem divinam canonicamque institutionem feminas sanctis Altaribus ultro se ingerere, sacrataque vasa impudenter contingere, & indumenta Sacerdotalia Presbyteris administrare, & quod his majus, indecentius, ineptiusque est, corpus, & sanguinem Domini populis porrigere, & alia quæque, quæ ipso dictu sunt turpia exercere.* Tum ita statuit: *Hoc ergo tam illicitum factum, quia ex toto a Religione Christiana abhorret, ne ulterius fiat, inhibendum est. Proinde unusquisque Episcoporum, solicite, sagaciterque provideat, ne in sua parochia tale quid fieri deinceps sinat.*

VIII. Quod Græcos spectat, constat ex nostro hoc Canone Trullano, solitos illus fuisse communionem sibi impertiri, eamque disciplinam minime illis vetari; id enim dumtaxat prohibet, ne Laicus *divina sibi mysteria impertiat, præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono.* Cum ergo exceptio firmet regulam, invictissime ex Canone ipso colligitur, Laicos, absentibus, Episcopo, Presbytero, vel Diacono sibi ipsis impertiri posse communionem, si nimirum urgeret necessitas. Licet autem multis ab hinc seculis Laici apud Græcos Eucharistiam privatas in domos non deferant, nec jam accipiant in manibus, ut olim fieri consuevit, constatque ex Canone CI. Trullano; nonnulli tamen, ac præsertim Monachi, licet in Ordine Laico consistentes, eam secum hodieque deferre solent, dum longius peregrinantur, imo & in locis, quæ Turcarum imperio subjacent, ad ægrotos latenter deferunt. Vide eruditum Petrum Arcudium Lib. III. *De sacramento Eucharistiæ.*

IX. Tandem ut hunc Commentarium absolvam, quamvis olim sæviente persecutione apud Latinos Laici ex dispensatione Ecclesiæ seipsos communicarent, hodie certe nefas Laicis esset quacumque ex causa, etiamsi mortis immineret periculum, sibi ipsi Eucharistiam præbere. Peculiaris sane fuit S. Pii V. Pontificis gratia, quam piæ Scotorum Reginæ Mariæ Stuart largitus fuit, ut, quod ab Elizabetha Anglorum Regina Catholicis infensissima in carcere detineretur, secum Eucharistiam servatam haberet, quam ajunt sibi ipsi fuisse largitam, antequam capite plecteretur. Ceterum ea hodie est Ecclesiæ praxis, ut Laici, tametsi cis periculum mortis immineat, ubi desunt ministri, sine speciali Romani Pontificis facultate, se ipsos communicare nequeant.

CANON LIX.

In Æde Oratoria, quæ est intra Domum, Baptismus nequaquam peragatur: sed qui illuminatione ab omnibus sordibus aliena digni habendi sunt, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Siquis autem quæ a nobis constituta sunt, non servare convictus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si autem Laicus, segregetur.

NOTA.

Prohibet Canon, ne Baptismus in privato Oratorio ministretur; quique id ausus fuerit, Clericum deponi, Laicum vero segregatione teneri jubet. Primo quoque & trigesimo Canone iidem jam Patres Trullani in Oratorio ipso privato sacra mysteria peragi, aut Baptismi latice quemquam ablui, nisi Episcopo annuente, prohibuere. Vide ergo quæ ibi scripsimus, ubi hunc quoque Canonem explicatum reperies.

CANON LX.

Cum clamet Apostolus, quod qui Domino adhæret, unus est spiritus, clarum est, quod qui etiam cum contrario init familiaritatem, ac consuetudinem, cum illo conjunctione unum fit. Eos ergo, qui se dæmone correptos simulant, & morum improbitate, eorum figuram, & habitum simu-

late præseferunt, visum est omni modo puniri, & hujusmodi afflictionibus, laboribusque eos subjici oportere, quibus iis, qui vere a dæmone correpti sunt, ut a dæmonis operatione liberentur, jure subjiciuntur.

COMMENTARIUS.

I. Fuerunt jam olim, hodieque sunt etiam homines quidam, qui cum a dæmone se correptus esse simularent, ea simulatione ad quæstum abutebantur. Id Canone vetitum est, ac ejusmodi impostores pœnis, & quidem gravioribus coercendos esse decretum. Eos quippe iisdem laboribus, & asperitatibus exerceri placet, quibus qui arreptitii revera sunt, dæmonis causa fatigantur. Nam illi, inquit, ob morum improbitatem, se in familiaritatem Cacodæmonis insinuantes, impuro spiritui intima conjunctione copulantur. Quam rem egregie magni Apostoli Pauli testimonio confirmat, *Qui Deo*, inquit, *adhæret, unus est spiritus*.

II. Exponit sic quidem nostrum hunc Canonem Zonaras, nihilque amplius dicit, quam habet Canon. Sciendum itaque pro ejus intelligentia est, ex veteri Ecclesiæ disciplina irregularium Catalogo inscriptos jam olim fuisse & energumenos: *Bene quidem*, ait Synodus XI. Toletana anni DCLXXV. Can. XIII. *majorum regalis definitum est, ut a dæmoniis, aliisque similibus passionibus irretitis, ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto, consensu rationis adhibito, id communiter definivimus, ut nulli de his qui aut in terram abrepti a dæmonibus illuduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare Altaribus, vel indiscussi se divinis ingerant sacramentis. Exceptis illis, qui variis corporum incommoditatibus dediti, in ejusmodi passionibus in terram approbantur elisi. Qui tamen & ipsi tandiu erunt officii sui ordine, & loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu dæmonum alieni*. Innovantur quoad Energumenorum irregularitatem antiqui Canones Lib. VII. Capitularium Caroli Magni, Cap. LI. *Dæmoniis, aliisque passionibus irretitis non licet ministeria sacra tractare*. Ita quoque apud Græcos; concedit tamen ipsis Energumenis Balsamon Eucharistiæ usum per ea, quibus respirare illis datur, intervalla, non autem Clericatum, nisi omnino purgati, & sani fuerint.

III. Perpetuam fuisse respectu suscipiendorum Ordinum contractam semel ab Energumenis irregularitatem, docet nos S.Gregorius Magnus in Canone, *Maritum*, Distinctione XXXIII. exemplumque de ea re habemus apud eundem Gregorium Lib. II. Dialogorum, Cap. XVI. ubi agit de juvene Clerico, quem dæmon corripuerat, quemque postea S. Benedictus liberavit, eum admonens, ne unquam accederet ad Ordines sacros: *Cui sanato præcipit, dicens: unde, & postbac carnem non comedas, & ad sacrum Ordinem nunquam accedere præsumas. Quacunque autem die ad sacrum Ordinem accedere præsumpseris, statim juri diaboli iterum manciparveris*. Obtemperavit aliquandiu Clericus, sed permoleste ferens postea quod juniores Clerici per ordinationem ipsi præferrentur, Episcopo ordinanti se se exhibuit, sed illico invasit eum spiritus nequam, quo ad extremam usque vitæ periodum afflictatus est.

IV. Cum ergo irregulares sint Energumeni, & ex nostro Trullano Canone ii, qui se Energumenos simulant, iisdem, ac veri, afflictionibus, laboribusque subjici oporteat, jam non modo irregulares fiunt, ob falsam sui ipsorum accusationem, atque confessionem ejus molestiæ, quæ irregularitatem parit, verum etiam tamquam veri Energumeni extra Ecclesiam in infimum pœnitentium gradum sub dio ejiciebantur. Arreptitiis quidam, seu iis qui immundis spiritibus agitantur, locus a fidelibus, Catechumenis, pœnitentibus procul semotus adsignatus erat, ubi dum lucidis intervallis fruerentur, orare possent. Ad eum locum Canon XVII. Ancyranus eos, qui rem cum bestiis habuere, abigit: *Eos qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leprosi sunt, vel fuerunt, jussit sancta Synodus inter hyemantes orare*. Per Hyemantes intelliguntur energumeni, nam ita veteres Latini illam vocem accepere, ut fatentur Zonaras, & Balsamon in Canonem ipsum Ancyranum XVII. licet eam significationem ipsi minime admittant.

V. Sane constat, dici quidem Energumenos *Hyemantes*; id enim perspicue ostendunt antiquæ Canonis illius versiones, ut est illa Fulgentii Ferrandi in Breviario Canonum, Can. CXLIX. his verbis: *Ut qui, sicut animalia vixerunt, inter Energumenos orent*. Itemque versio Dionysii Exigui, quæ ita habet: *Eos, qui irrationabiliter vixerint, & lepra injusti criminis alios polluerint, præcipit sancta Synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo*. Favet & illi explicationi Martinus Bracharensis, apud quem sic laudatus Ancyranus Canon legitur: *Quod si & hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum nec in exitu consequatur, oportet enim tales inter dæmoniosos ordinare*. Cui adde interpretationem Isiduri Mercatoris, apud quem ita Canon refertur: *Hoc eodem sane non solum leprosos crimine hujusmodi factos, sed & alios isto suo morbo replentes, placuit inter eos orare, qui tempestate jactantur, qui a nobis Energumeni appellantur*.

VI. Ratio itaque, cur dæmonisci dicantur hyemantes, hæc est, quia scilicet qui a dæmone torquentur, & ab immundo spiritu vexantur, tempestate quadam animi perculli videntur, oculos torquentes, spumam ore ejectantes, linguam exerentes, labia torquentes, cum fremitu ejulantes, cum horrore in terram cadentes, capillos vellentes, & multa alia, variis agitati suppliciis peragentes. Tempestatem, & hyemem dixerunt, tum Latini, tum Græci pro tumultu, & perturbatione animi. Ut enim alios omittam, conceptissimis verbis quævis etiam animi agitatio malignorum spirituum dicitur onus tempestatis a S. Basilio Homilia XII. in principium Proverbiorum: *Plures namque ab ipsa juventute multa congregantes, instantibus deinde malignorum spirituum incitamentis, tempestatis onus, artis gubernatione deficiente, ferre non valuerunt*.

VII. Cur vero peccatores, ut qui ineunt animalia, ponantur inter Hyemantes, seu Energumenos,

menos, hæc est, quia nimirum peccatores, & majoribus vitiis dediti, parum distare videntur ab Energumenis, ut recte infert S. Dionysius Areopagita, sive Auctor Libri, *De Ecclesiastica Hierarchia*, Cap. VII. ubi dicit, Energumenum esse non tantum eum, qui possidetur ab immundo spiritu, sed etiam eum, qui possidetur ab ingentibus vitiis, qui ideo non minus removeri debet a sacris, ac verus Energumenus. Ubi S. Maximus Scholiastes hæc addit: *Nota, eum in numerum Energumenorum adscribere etiam eos, qui corporis illecebris sine animi mutatione, & pœnitentia manent, velut scortatores, studiosos spectaculorum, & eos, qui similia tractant: eos enim, ut sunt libidinosi, magis a dæmone agitari, quam agitentur ii, qui in diaboli obsessionem incidunt.* Ab Isidoro Pelusiota Lib. III. Epistola CCCVIII. peccatum, ac scelus omne dicitur hyems, quo etiam nomine a S. Gregorio Nazianzeno vocatur infidelitas; explicans enim illa verba: *Facta sunt encænia Hierosolymis, & hyems erat*, vocat infidelitatem hyemem. Imo peccator ipse non tantum dicitur agitatus a diabolo, sed & vocatur diabolus, ut notat laudatus Isidorus Lib. I. Epistola CLXVII. & S. Basilius in Regulis brevioribus interrogatione CCLXVIII. ubi ita inquit: *Non solum peccator, sed ipsum etiam peccatum diabolus vocatur, ideoque Christus dicebat*, *Joannis VIII.* Vos ex patre diabolo estis.

VIII. Plura in Ancyranum Canonem XVII. videri possunt apud Jueninum in Opere, *De Sacramentis*, Dissertatione VI. *De Pœnitentia*, Quæstione VI. Cap. IV. Articulo III. §. I. & apud Joannem Dartis in Decretum Gratiani ad Distinctionem XXXIII. ubi varias enodat difficultates, refellitque inter alia Balsamonem, contendentem non posse per hyemantes intelligi dæmoniacos, quia scilicet Canon Ancyranus dicit, *orent inter hyemantes*, & dæmoniaci qui perpetuo insaniunt, non orant; qui vero non insaniunt perpetuo, participes fiunt sacrorum. Sed scite respondet laudatus Dartis, labi quidem Balsamonem, nam ait, in Canone ipso Ancyrano non dici hyemantes orare, sed, ut qui inierunt animalia orent inter hyemantes: quod consistere potest licet hyemantes non orent. Quare infirma est ratio Balsamonis.

CANON LXI.

Qui vatibus seipsos tradiderunt, vel iis, qui hecatontarchæ, seu centuriones dicuntur, vel aliis ejusmodi, ut ab illis discant, siquid sibi revelari velint, convenienter iis, quæ de ipsis a Patribus constituta sunt, sexennii Canoni subjiciuntur. Et ipsi autem eos quoque subjicii oportet, qui ursas, vel hujusmodi animalia ad ludum, & simpliciorum noxam circumferunt, & fortunam, ac fatum, & geneologiam, & quorundam ejusmodi verborum multitudinem ex fallaciæ, imposturæque nugis proferunt: eosque, qui nubium persecutores, & incantatores, & amuletorum præbitores, & vates appellantur. Eos autem, qui in iis persistunt, & non ab ejusmodi perniciosis, gentilibusque studiis avertuntur, & aufugiunt, Ecclesia omnino exturbandos decernimus, sicut & sacri Canones dicunt. Quæ enim est luci cum tenebris communicatio? ut ait Apostolus. Vel quæ fideli cum infideli pars est? Quæ autem Christo est cum Belial concordia, ac conventio?

COMMENTARIUS.

I. A Vaticinationibus, & præstigiis, & quocumque demum nomine appellentur ejusmodi alia, quibus Ethnici homines, & a fide alieni, Græcique quondam addicti fuerant, prorsus abstinere, neque his artibus ignota sibi vestigare fideles oportet. Ita enim sacræ Paginæ, Synodi, ac Patres Ecclesiæ passim docent, quibus adhærens Canon eum, qui tale quidpiam admiserit, segregari ad sex annos jubet. Quæ tamen de Laicis accipienda segregatio est, sacri namque Ordinis homines, ut scite notat Zonaras, depositione puniuntur. Nam quæ ob crimina segregatio Laicis irrogatur, eodem notante Zonara, ob ea initiati depositione mulctari solent: ac nisi postea resipuerint, ab Ecclesiæ corpore abscindi, hoc est, a toto fidelium cœtu eliminari jubentur.

II. Neque vero ea solum, quæ diximus, Canon fieri vetat, sed eos quoque, qui ursas, aliaque id genus animantia ad imperitorum oblectamentum noxamque circumducunt, iisdem pœnis obnoxios esse decernit. Suspensos enim de corporibus ferarum liquores, detractosque iisdem villos, pro amuletis contra morbos, & fascinationes mulierculis tradunt, illæque pretium quasi accepto necessario medicamento persolvunt, infantesque suos, veluti probato ad calamitates avertendas remedio, feræ tergo ut imponantur, rogant. Tum qui fortunæ, aut fati, aut genealogiæ nomen usurpaverint, quæ omnia profanæ superstitionis sunt, eos iisdem pœnis Canon mulctandos esse constituit: *Quæ*, enim ait Apostolus in Epistola II. ad Corinthios Cap. VI. *societas luci ad tenebras, aut quæ conventio Christi ad Belial?*

III. Hæc quidem edicit Canon, in quem multa sunt, quæ observemus, ac primo, eos damnari, qui divinatoriam artem exercentes consulunt, eisque se adjungunt. Est autem divinatio, superstitio, qua fit, ut dæmonum opera expresso, vel tacito pacto invocata, homines cognoscant res futuras, aut alioquin occultas. Ut enim docet S. Thomas Secunda Secundæ, Quæstione XCV. Articulo

ticulo II. *Omnis divinatio ex operatione dæmonum provenit, vel quia expresse dæmones invocantur ad futura manifestanda, vel quia dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate, de qua dicitur Psalmo* XXXIX. Non respexit in vanitates, & insanias falsas. *Vana autem inquisitio futurorum est, quando aliquis futurum prænoscere tentat, unde prænosci non potest.* Manifestum ergo, quod divinatio est species superstitionis, estque contra primum Decalogi præceptum, cum manifeste tribuat creaturæ, quod Dei proprium est, nempe ea nosse, quæ futura sunt, & quæcumque certas in natura causas non habent, sed ex hominum libero arbitrio, vel ex alia incerta, & mutabili causa pendent. Unde Dominus per Isaiam Cap. XLI. ait: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.*

IV. Hoc superstitionis genus expresse prohibet Dominus Levitici Cap. XIX. *Non declinetis*, inquit, *ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Eadem prohibitio habetur Cap. XVIII. Deuteronomii his verbis: *Non inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, & observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos, & quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus &c.* Sunt & aliæ Scripturæ, quibus hujus peccati gravitas indicatur, ut Exodi Cap. XXII. *Maleficos non patieris vivere.* Et Lib. I. Paralipomenon Cap. X. mortuus dicitur Saul propter iniquitates suas, & inter alia, quod pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino. Et Lib. IV. Regum Cap. I. graviter reprehenditur, ac morte punitur Rex Ochozias, quod de morbi eventu consuluisset Beelzebub Deum Accaron. Alia id genus exempla, ac testimonia passim in Scripturis invenies, generaliter autem ab Apostolo dictum est in Epistola I. ad Corinthios Cap. X. *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.*

V. Rursus triplex est divinationis genus. Primum fit manifesta, & expressa dæmonum invocatione, cum scilicet dæmon expresse invocatur, ut quidpiam hominibus occultum patefaciat; ejusque variæ sunt species. Prima est, *Præstigium, quo oculi hominum, vel aures præstringuntur, quando præstigiosis quibusdam apparitionibus ipsorum aspectui, vel auditui dæmon se ingerit ad prænunciandum futura, vel alia occulta manifestandum.* Altera est, *Divinatio somniorum*, cum dæmon phantasiam hominum immutans, ei somnia procurat, & phantasmata objicit eorum, quæ vult ipsi significari, aut aliter ipsi dormienti occulta patefacit. Tertia est, *Necromantia*, cum mortuorum apparitione, vel locutione dæmon futura prænunciat, sive quando quibusdam præcantationibus, adhibito sanguine, quasi suscitati mortui videntur divinare, & ad interrogata respondere. Quarta est, quæ fit per *pythones*, cum dæmon alicujus seu viri, seu feminæ corpus occupans, futura prænuntiat, seu occulta aperit. Quinta est *Geomantia*, cum dæmon in aliquo corpore terrestri, scilicet ligno, ferro, vel lapide polito, aut speculo, signa, vel figuras exhibet, ex quibus futura, vel occulta quævis noscuntur: ad eamque pertinet *Onychomantia*, quæ in ungue impolluti pueri oleo illito, & versus solem obverso, certis verbis prolatis occulta divinat. Sexta, *Hidromantia*, cum hujusmodi figuras exhibet in aqua. Septima, *Aeromantia*, cum illas in aere apparere facit. Octava, *Pyromantia*, cum in igne. Nona, *Aruspicium*, quando dæmon interrogatus respondet per signa quædam sensibilia, quæ in extis animalium occisorum, præsertim Idolis immolatorum ostendit.

VI. Divinationis alterum genus est, quo dæmon non quidem expresse invocatur, sed tamen ad cognoscendum occulta homo aliqua considerat in dispositionibus, & motibus rerum, quæ ad eam cognitionem nihil conducunt. Sunt & ejus variæ species, *Astrologia judiciaria*, qua ex consideratione situs, & motus syderum superstitiosus Mathematicus, sive Genethliacus, futura contingentia prænoscere conatur, & quasi certo futura prædicit. *Augurium*, sive *Auspicium*, cum ex gemitu, aut inspectione ovium, aut ex motibus, seu vocibus quorumcumque animalium, aut sternutationibus hominum, cognitio futurorum, aut rei cujuslibet occultæ quæritur; aut etiam ex verbis hominum longe alia intentione prolatis, quam qua illa detorqueat divinator, quod ab Ethnicis *Omen* vocabatur. *Dactylomantia*, quæ divinat annulis ad certam Cæli posituram constructis, vel incantatis, & super tripodem ad certa verba motis. *Coscinomantia*, quæ per cribri motum divinat, præmissis verbis conceptis, & prolatis eorum nominibus, de quibus suspicio est, eos furtum, vel aliud occultum crimen patrasse. *Chiromantia*, quæ ex lineis manuum occulta prædicit.

VII. Tertium denique divinationis genus, quod communi nomine dicitur *sortilegium*, est quando absque expressa dæmonis invocatione cognoscere quispiam tentat aliquod occultum ex aliquo opere, vel actione serio facta, nihil ad hoc conferente; sive protractione punctorum, quod pertinet ad artem *geomantiæ*; sive ex consideratione figurarum, quæ ex plumbo liquefacto, & in aquam projecto proveniunt, sive ex quibusdam schedulis scriptis, vel non scriptis in occulto repositis, vel etiam ex festucis inæqualibus propositis, cui major, vel minor obveniat; vel taxillorum projectione, quis plura puncta vertat, vel etiam dum consideratur, quid aperienti librum primo occurrat. Atque hæ sunt variæ divinationis, ac superstitionis species, quas passim tum Theologi recentiores, tum Patres Ecclesiæ ac Synodi recensent, ac damnant, celebresque sunt de iis omnibus, Augustini, & Isidori Hispalensis loci apud Gratianum Causa XXVI. Quæstione III. & IV. Vide Estium in Libri II. Distinctione VII. & in Libri III. Distinctionem XXXVII. Natalem Alexandrum *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis*, Libro IV. Articulo XIII. & alios.

VIII. Sed ut ea explicemus, quæ nostro hoc Canone habentur, jam longe ante Trullanam Synodum, Concilii Ancyrani anni CCCXIV. Canone XXIV. cautum fuit, ut *qui divinationes expetunt, & morem Gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.* Expiatio illa, quam habet Dionysii Exigui versio, ex Gentiani Herveti interpretatione dicitur medicamentorum inventio, seu lustratio; quinquennii autem pœna secundum gradus pœnitentiæ definitos, ita explicatur, ut tribus annis in eo maneant gradu, qui vocatur substratio, & duobus in conventu quidem fidelium con-

consistant; precatsonique simul vacent, sed sine oblatione, idest oblatione Eucharistica, seu Sacrificio: *Qui vaticinantur*, inquit, *& gentium consuetudines sequuntur, vel in suas ædes aliquos introducant, ad medicamentorum inventionem, vel lustrationem, in quinquennii Canonem incident, secundum gradus præfinitos, tres annos substrationis, & duos annos orationis sine oblatione.* Profert illum Canonem S. Basilius in Epistola ad Amphilochium, Can. LXXXIII. sed hujusmodi homines sexennii pœna puniendos esse decernit: *Qui vaticinantur*, ait, *& gentium consuetudinem sequuntur, & aliquos in ædes suas introducunt ad veneficiorum inventionem, & eorum expurgationem, cadant in Canonem sexennii, & postquam anno defleverint, & anno audierint, in tribus annis substrati, & anno cum fidelibus consistentes, sic admittantur.* Ubi nota quatuor pœnitentium gradus, fletum, auditionem, substrationem, & consistentiam, de quibus vide quæ diximus nos nostro I. Tomo Conciliorum in Appendice ad Canonem XI. Nicænum.

IX. Siquis autem roget, cur hic Basilius in ejusmodi homines sex annorum pœnitentiam constituat, cum alias ipsemet S. Doctor Can. LXV. & LXXII. decernat, ut ii tanquam homicidæ puniantur, scilicet, ut vel XX. annis instar voluntariorum homicidarum, vel X. annis instar involuntariorum, pœna plectantur, nam esse inter laudatos Canones differentiam docet Balsamon, quod Canon LXV. de ipsis opificibus, seu de magicis, & veneficiis decernit; similiter & LXXII. de iis, qui se tradunt vatibus, seu de iis, qui eadem cum illis sentiunt. Canon autem LXXXIII. de hominibus differit, qui eos, qui per errorem sequuti sunt, qui asserunt, se magica vincula, ac ægritudines solvere, & curare, non tamen a fide desciverunt: *Est itaque*, inquit Balsamon, *differentia eorum, qui per se exercent, eorumque qui se tradunt præstigiatoribus, ut fidem etiam negent: & eorum, qui ab orthodoxa fide non defecerunt, lapsi autem sunt, quod ad eos accesserunt. Et ideo illi quidem longiori tempore puniuntur, hi vero breviori.* Porro noster Canon Trullanus, ubi homines superstitiosos sexennii pœna mulctandos esse ait, sequutus est certe Magni Basilii Canonem LXXXIII. ubi totidem annorum pœna adversus eosdem constituta est.

X. Tanto execrando scelere, cum non modo mulierculæ, & laici homines vel primis Christi seculis ad decipiendos simplices, sed & sacri homines abuterentur, ita statuit Laodicena Synodus anni CCCXIV. Can. XXXVI. *Non oportet, eos, qui sunt sacrati, vel Clerici, esse magos, vel incantatores, vel mathematicos, vel astrologos, vel facere ea, quæ dicuntur amuleta, quæ quidem sunt ipsarum animarum vincula: eos autem, qui ferunt, ejici ex Ecclesia jussimus.* Concilium Veneticum in Gallia habitum anno CDLXV. Can. XVI. eique adhærens Agathense Concilium anni DVI. Can. XXXVIII. dolentes quod e Clericis non pauci studerent auguriis, & sub nomine fictæ religionis, divinationis scientiam profiterentur, & quarumcumque Scripturarum inspectione, futura promitterent, statuunt, ut *quicunque Clericus detectus fuerit hoc vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.* Concilium Aurelianense I. anni DXI. Can. XXX. idipsum edicit: *Siquis Clericus, Monachus, secularis, divinationem, vel auguria crediderit observanda, vel sortes, quas mentiuntur esse Sanctorum, quibuscumque putaverit intimandas, cum his, qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur.*

XI. Serpsit & in Hispaniam lues flagitiosissimæ superstitionis, qua non modo Presbyteros, & inferiores Clericos, sed & Episcopos ipsos infectos innuit Concilium IV. Toletanum anni DCXXXIII. Can. XXIX. ubi etiam ipsos deponi jubet, & in Monasterium detrudi ad agendam perpetuam pœnitentiam pro expiatione tam enormis sacrilegii: *Si Episcopus, aut Presbyter, sive Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum, magos, aut aruspices, aut ariolos, aut certe augures, vel sortilegos, vel eos, qui profitentur artem aliquam, aut aliquos eorum similia exercentes consulere fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, Monasterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegii luat.* Conatæ sunt & aliæ Synodi tum in Hispania, tum alibi celebratæ, huic enormi sceleri occurrere, vix tamen quidpiam profecerunt, cum constet, plures superstitiosos ritus nostro Trullano Canone expressos, iisque etiam pejores perniciosioresque non modo a mulierculis, sed & a viris, qui doctos se jactant, & a sacris hominibus hodieque frequentari.

XII. Esse munus Episcoporum contra sortilegos, atque divinatores pastorali custodia invigilare, & eos pro qualitate personarum non pœnis solum spiritualibus, sed corporalibus enercere, docet nos S. Gregorius Pontifex Maximus Lib. VII. Epistola LXVI. ad Januarium Episcopum, ita scribens: *Contra Idolorum cultores, vel aruspices, atque sortilegos, fraternitatem vestram vehementius pastorali hortamur invigilare custodia: quos tamen si emendare se a talibus, atque corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere zelo te volumus; & siquidem servi sunt, verberibus, cruciatibusque, quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare; si liberi, inclusione digna districtaque sunt in pœnitentiam redigendi.* Relatus est hic Gregorii locus a Gratiano in suum Decretum, Can. *Contra Idolorum*, Causa XXVI. Quæstione V. ex eoque Canone colligit Glossa, magiam, & sortilegium esse crimen Ecclesiasticum, idest cognitionem ejus criminis spectare ad Episcopum.

XIII. Eo jure jam ante S. Gregorium Papam usos fuisse Episcopos Galliarum, testis est S. Gregorius Episcopus Turonensis Lib. VII. Cap. XLIV. ubi loquens de muliere pythonissa, quæ futura præcinebat, unde multum quæstum domino suo quærebat, notionem ejus criminis habuisse ait Viridunensem Episcopum: *Fuit*, inquit, *tunc temporis mulier, quæ spiritum pythonis habens, multum præstabat Dominis divinando quæstum, eoque in gratia profecit, ut ab his libera facta, suis voluntatibus laxaretur. Siquis enim, aut furtum, aut aliquid mali perferret, statim hæc, quo fur abiit, cui tradidit, vel quid ex hoc fecerit, edicebat: sed cum Agerico Virdunensi Episcopo hæc nunciata fuissent, misit ad comprehendendum eam: qua adprehensa, & ad se adducta, juxta id, quod in Actibus legimus Apostolicis, cognovit in ea immundum spiritum esse pythonis &c.* Sub ea tempora a Ragnemodo Parisiensi Episcopo, ut testatur idem Gregorius Turonensis Lib. IX. Cap. VI. jussus est quidam impostor capi, & in vincula conjici: *Sacerdos vero intelligens eum seductorem, jussit eum recludi in cellulam, captus-*

que ab Archidiacono , & catenis vinctus , jussus est custodiri .

XIV. Anno tandem DCCCXLVII. ut alia exempla omittam, mulierem quandam pseudoprophetissam apud Moguntiam Synodali sententia flagellis publice cæsam, Pithoei Annales memorant: *Per idem tempus mulier quædam de Alamanniæ partibus nomine Thiota pseudoprophetissa Moguntiacum venit, quæ Salomonis Episcopi Parochiam suis vaticiniis non minime turbaverat. Hæc in præsentia Episcoporum apud S. Albanum deducta, & diligenter de suis assertionibus requisita, Presbyterum quendam sibi ea suggessisse, & se talia quæstus causa narrasse, professa est: quapropter Synodali iudicis publicis cæsa flagellis ministerium prædicationis, quod irrationabiliter arripuit, & sibi contra morem Ecclesiasticum vindicare præsumpsit, cum dedecore amisit, suisque vaticiniis tandem confusa finem imposuit.* Vide hæc & alia id genus exempla apud Altaserram Lib. IV. *De iurisdictione Ecclesiastica*, Cap. IV. ubi contra Fevretium ostendit, cognitionem de magis, & sortilegis spectare ad Episcopum, & ad Judices Ecclesiasticos.

XV. Duo sunt quæ in hisce exemplis observes. I. non modo Laicos, sed & Clericos turpis lucri gratia consuevisse homines simplices vaticiniis suis decipere, II. eorum vaticinia, sive remedia superstitiosa ægrotis exhibita, nullius fuisse momenti. Testantur id passim Scriptores, inter quos Arnulphus Lexoviensis Episcopus ad Papam Alexandrum II. scribens, de quibusdam Monachis impostoribus sui ævi expostulatur, qui, *ut miracula facere crederentur, & quibuslibet commentis, secularium personarum frequentes invitarent accessus, sanitatis remedia promittebant ei, qui se incantatæ ab eis, nescio quibus carminibus, aquæ, septies sustineret immergi.* Tum hoc exemplum subjicit: *Ægra itaque mulier aquæ glaciali frequenter immersa inter manus comprimentium Monachorum congelata decessit, dum vim algoris ægritudo non sustinet, & profana religio naturam potius irritat ad perniciem, quam Dei misericordiam ad salutem.* Alia id genus exempla occurrunt frequenter apud Scriptores, inter quos videri potest Balsamon in Canonum LXXXIII. Epistolæ S. Basilii ad Amphilochium.

XVI. Quamvis autem tum sacræ Paginæ, tum sacri Canones, tum S. Patres, tum Pontifices Maximi, tum tandem Principes ejusmodi superstitiones damnent, variisque pœnis homines superstitiosos coerceri mandent, sunt tamen hodieque non pauci, qui non modo superstitiosis remediis ad repellendos morbos utuntur, verum etiam eo procedunt audaciæ, ut minime vereantur etiam sacri homines quidam se divinatores jactare, numerosque ludi sortis præscire, qui ex urna aliquando sunt proditori. Certe sanctæ memoriæ Benedictus XIII. eam præsertim ob causam, quod nonnulli studium omne cogitationemque vanis sortiendi artibus intenderent, & mali dæmonis ope uterentur, ludum ipsum sortis gravibus propositis pœnis penitus interdixit, prout rem fusius narrat in Vita Benedicti XIII. doctissimus ac religiosissimus Alexander Borgia Archiepiscopus & Princeps Firmanus §. XLV. sic dicens.

XVII. Ludum sortium, seu urnæ, sæpius a Romanis Pontificibus interdictum, sed importunia populi precibus tandem utcunque permissum, tum ad sublevandas Apostolici Ærarii angustias, tum etiam ne illi, qui ejus cupidine tenebantur, ad externas provincias Reipublicæ damno, pecunias transmitterent, multi apud Pontificem accusabant; objecta enim spe lucri sæpius inani, at semper magna gliscebat, & augebatur in dies ludendi libido, quæ fere omne hominum genus, & loca cuncta Pontificiæ ditionis pervaserat, non sine domesticæ rei jactura. Benedictus gravibus, & sapientibus Viris mandavit, ut re penitus explorata dicerent, quid fieri præstaret. Illi referebant, plura esse, ex quibus ab omni specie mali hujusmodi ludus liberari vix poterat. Et quidem superiores Pontifices ante Innocentii XIII. tempora compluries diris pœnis lusores damnasse, a sacris quoque Canonibus ludos omnes vetari, ne ab Ecclesiasticis Viris exerceantur, in quibus casus, ac temeritas valent, prout in urnæ ludo maxime valere compertum est. Nullum in eo industriæ, nullum honestæ arti locum, nullum ludendi finem; non enim ad moderatam animi relaxationem, sed ad cupidinem lucri videri compositum. Hunc itaque ludum ex Pontificis Placito Romæ palam agi, ubi potior incolarum pars ex viris constat in sortem Domini vocatis: hunc in ditionis Pontificiæ provincias invehi etiam in remotas illas montanasque regiones, quæ severam adhuc & antiqui moris retinentes Italiam hactenus pernicium hanc ignoraverant, minime probandum fore. His accedebat, quod nonnulli inconcessam hominibus scientiam futurorum, quæ a nulla naturali, ac necessaria causa, sed a Dei tantum nutu, & libera actione pueri sortes extrahentis ex urna dependent, temere tentantes, non solum studium omne, cogitationemque vanis sortiendi artibus intendebant, sed quod humanis viribus assequi non poterant, tandem mali dæmonis ope, cui nec hujusmodi scientia concessa est, per nefas omne frustra impetrare conabantur. Et quamvis hæc aliaque plura mala non ex natura ludi, sed ex hominum malitia manarunt, illud certe ex ratione ludi sequebatur, quod sacræ leges solverentur, & quidquid ærario Principis, quidquid emolumenti conductoribus ludi obveniebat (quod sane ingens, & supra modum erat) cum subditorum detrimento conjungeretur. Pontifex his auditis, & ad sanctuarii pondus expensis, primo religiosis viris, tum Clero, & Populo, gravibus propositis pœnis, illum interdixit, parvi faciens ærarii sui jacturam, quæ cæteroquin ad quinquaginta & amplius aureorum millia quotannis erat, omnia posthabenda ratus, ne subditis suis ulla damni pateret occasio, aut in Christianæ disciplinæ sanctimonia, aut in re familiari; & cum ad compescendas institorum artes, lusorumque libidinem quælibet pœna, quæ pecunia redimi posset, vix valere videretur, addidit etiam gravissimas Ecclesiæ censuras, a quibus nemo (ni forte in mortis articulo constitutus) ab ullo Sacerdotum esset absolvendus, nisi a Romano Pontifice. Verumtamen cum vulgus hominum nitatur in vetitum semper, cupiatque negata, tantis adhibitis pœnis, adhuc ludendi libido non apud omnes extincta: idque vitio infirmitatis humanæ: atque inde factum est, ut Clemens XII. qui Benedictum in Pontificatu Romano excepit, ne per contemtum censurarum salus infirmorum prorsus desperaretur, hujusmodi ludi genus, aliis quoque urgentibus causis Romæ dumtaxat rursus agi permisit; alibi enim ne a Pontificis subditis agatur, immota manet Benedicti sententia, ut latius patet in suo Motu proprio.

CA-

C A N O N LXII.

Kalendas, quæ dicuntur, & vota, & Brumalia, quæ vocantur, & qui in primo Martii menſis die fit, conventum ex fidelium univerſitate omnino tolli volumus; ſed & publicas mulierum ſaltationes, multam noxam exitiumque afferentes; quin etiam eas, quæ nomine eorum, qui falſo apud Gentiles Dii nominati ſunt, vel nomine virorum, ac mulierum fiunt, ſaltationes, ac myſteria more antiquo, & a vita Chriſtianorum alieno, amandamus, & expellimus; ſtatuentes, ut nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, vel mulier veſte viro conveniente. Sed neque comicas, vel ſatyricas, vel tragicas perſonas induat; neque execrandi Bacchi nomen, uvam in torcularibus exprimentes invocent; neque vinum in doliis effundentes, riſum moveant, ignorantia, vel vanitate ea, quæ ab inſaniæ impoſtura procedunt, exercentes. Eos ergo, qui deinceps aliquid eorum, quæ ſcripta ſunt, aggrediuntur, ubi ad horum cognitionem pervenerint, ſi ſint quidem Clerici, deponi jubemus; ſi vero Laici, ſegregari.

C O M M E N T A R I U S.

I. KAlendæ, ſive Feſtum Kalendarum vocabantur publicæ illæ, ac ſuperſtitioſæ lætitiæ, quas Kalendis Januarii, quibus annus aperitur, exhibuere primum Gentiles, uſurpavere etiam poſtmodum Chriſtiani, & quas utrique indecoris choreis, mulierum, ac ferarum aſſumptis formis, ac veſtihus fœdabant. Ea porro ſuperſtitio adeo apud Chriſtianos invaluit, ut vix ab Eccleſia proſcribi potuerit, tametſi ſacræ Synodi, ſanctiſſimi Epiſcopi, ac Pontifices ad abuſum eliminandum vires ſuas omnes impenderent. Vehementiſſime in ejuſmodi Kalendarum ſpurcitias, ac fœditates invecti ſunt Patres, ac inter alios in Occidente S. Petrus Chryſologus Sermone CLV. S. Auguſtinus, S. Ambroſius, S. Maximus; in Oriente vero S. Joannes Chryſoſtomus, S. Aſterius, & alii complures, quos longum eſt hic recenſere.

II. Licet autem hi Patres, qui IV. & V. ſeculo floruerunt, conati ſint ipſarum Kalendarum impietates, & ludicras, profanaſque ſuperſtitiones omnino confodere, adeo nihilominus, VI. Chriſti Seculo vigebant, ut Concilium Antiſſiodorenſe, quod habitum eſt anno Chriſti DLXXVIII. Canone I. ita quidem ſtatuere coactum fuerit: *Non licet Kalendis Januarii vetula, aut cervolo facere, vel ſtrenas diabolicas obſervare; ſed in ipſa die ſic omnia beneficia tribuantur, ſicut & reliquis diebus.* Strenas diabolicas hic Patres vocant cultum, quem nonnulli adhuc Jano ex Gentilium imitatione impendebant. Per Cervolum autem intelligitur cervus, cujus pelle, & capite nonnulli amiciebantur, dum alii vetularum veſtem induti Bacchanalia referebant.

III. Is ut aboleretur abuſus, & effrenis libidinum, comeſſationum, ſtrenarum, aliorumque exceſſuum licentia, ac præterea ut profanæ quæ apud Ethnicos Kalendis Januarii invaluerant conſuetudines expiarentur, eam diem Patres noſtri jejunio, & pœnitentiæ dedicaverunt. Exulare jubens S. Auguſtinus quicquid impietatem tantam, quicquid otium, luxum, turpitudinem redolebat, cenſuit quidem, ut Chriſtianus populus ad eam expiandam conſuetudinem, eleemoſynas, jejunia, preces adhiberet. Sic enim inquit Sermone VII. in Appendice: *Acturus es celebrationem ſtrenarum, ſicut Paganus, luſurus alea, & inebriaturus te? Quomodo aliud credis, aliud ſperas, aliud amas? Dant illi ſtrenas, date vos eleemoſynas. Advocantur illi cantionibus luxuriarum, advocate vos ſermonibus Scripturarum. Currunt illi ad theatrum, vos ad Eccleſiam. Inebriantur illi, vos jejunate. Si hodie non poteſtis jejunare, ſaltem cum ſobrietate prandete.*

IV. Conſtat ex Concilio Turonenſi II. quod habitum fuit anno DLXVII. triduanum jam olim inſtitutum fuiſſe jejunium ad calcandam ſuperſtitionem, & prophanum cultum Kalendarum Januarii. Etenim Can. XVII. poſtquam dixit, inter Natalem Domini diem, & Epiphaniam Feſta quotidie celebrari, & prandere, ita ſtatim ſubjicit: *Excipitur triduum illud, quo ad calcandam Gentilium conſuetudinem, Patres noſtri ſtatuerunt, privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Eccleſiis pſallatur, & hora octava in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur.* Statuit ergo triduo Kalendis Januarii jejunari, & Miſſam tantum Circumciſionis hora octava celebrari. At vero in Miſſali Gothico duo ea die habebantur Miſſæ; altera quidem Circumciſionis, altera contra Idololatrias, quæ die illa patrabantur: *Ad prohibendum ab Idolis.* Duæ etiam in Gelaſiano habentur Miſſæ, & nonniſi poſtea ex duabus una tantum facta eſt ſub titulo Circumciſionis: *Ordo Miſſæ in circumciſione Domini*; in qua duplex habetur benedictio, altera ante communionem, altera poſt. Hæc ſpectabat ad Miſſam, quæ ad extirpandas Ethnicorum ſuperſtitiones dicebatur, eratque Miſſa Jejunii, in qua dicebantur benedictiones poſt communionem. Prima hujus Miſſæ Epiſtola eſt ex Cap. XLIV. Iſaiæ: *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus.* Altera eſt ex Epiſtola I. ad Corinthios Cap. X. *Fugite ab Idolorum cultura.* Evangelium eſt Circumciſionis.

V. Concilium IV. Toletanum anni DCXXXIII. Can. XI. nullam prorſus facit mentionem officii

Circumcisionis, ea die celebrandi, sed abstinentiam quidem præscribit, & *Alleluja* cantari vetat: *Kalendis Januariis, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, Alleluja non decantetur.* Et statim subdit: *In quibus etiam præter piscem, & olus, sicut in aliis quadraginta diebus* (idest Quadragesimæ) *a ceteris carnibus abstinetur, & a quibusdam nec vinum bibitur.* S. Isidorus Episcopus Hispalensis Lib. 1. *De officiis Ecclesiasticis*, Cap. xl. diserte ait, Ecclesiam Kalendis Januarii instituisse jejunium propter errorem Ethnicorum, qui Deum sibi fecerant antiquum Principem Ethnicum nomine Janum, unde Januarius mensis nomen sumpsit, eique hunc diem consecrarunt, spectaculis destinatum, corruptelæ, ac personarum libidini; Ecclesiam vero iccirco præcepisse jejunium, ut homines ex eo cognoscerent sceleris gravitatem, quod pro eorum culpa per omnes Ecclesias jejunii pœnitentia statuta fuisset: *Proinde ergo sancti Patres considerantes, maximam partem generis humani eodem die hujusmodi sacrilegiis, ac luxuriis insistere, statuerunt in universo mundo per omnes Ecclesias publicum ieiunium: per quod agnoscerent homines, in tantum se prave agere, ut pro eorum peccatis, necesse sit omnibus Ecclesiis ieiunare.*

VI. Varia superstitionum genera, quæ Kalendis Januarii passim habebantur, perstringit S. Petrus Chrysologus Ravennas Archiepiscopus Sermone clv. Larvam induebant quidam, & Numina consicta repræsentantes, agentesque, plurima quasi emota mente, & lymphati patrabant, quæ vel ludicra, vel honesta censebant, quamvis nullam idolorum rationem habere viderentur. Damnat pravum hunc morem Chrysologus, contenditque, non licere veri Dei cultoribus sine scelere in turpibus, & impiis hisce spectaculis se oblectare; diabolum ipsis imponere, dum eum irridere ipsi putant; Dei imaginem malorum dæmonum specie polluendam non esse; a Deo deficere eos, qui insignibus adversarii ipsius utuntur; cum monstris jocari, insanum esse, multo magis cum diabolo; denique eos, qui his gaudent, frui minime posse æternis, ac maximis Jesu Christi voluptatibus: *Nonne ipsi amiserunt imaginem Dei, similitudinem perdiderunt, Christi exuti sunt indumentum, qui se simulacrorum formis sacrilegis formaverunt? Errat homo, non sunt hæc ludicra, sed crimina. Quis de impietate ludit, de sacrilegio quis jocatur, piaculum quis dicit risum? Qui se Deum facit, Deo vero contradictor existit. Imaginem Dei portare noluit, qui Idoli voluerit portare personam. Qui iocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Nemo cum serpente securus ludit, nemo cum diabolo impune iocatur.*

VII. Eadem execrati sunt alii Ecclesiæ Patres, inter quos S. Maximus Taurinensis Episcopus Homilia habita in Kalendis Januarii, & S. Isidorus Hispalensis Episcopus Lib. 1. *De officiis*, Cap. xl. illud persequuntur sceleris genus, quod ab Ethnicis pariter acceptum inter Christianos serpebat; Mares muliebri amictu induti feminas repræsentabant, feminæ mares mutatis & ipsæ indumentis; utrique etiam aliquando sub ferarum belluarum specie apparebant: *Tunc enim miseri homines*, ait S. Isidorus, *& quod pejus est, etiam fideles, sumentes species monstruosas in ferarum habitu transformantur. Alii femineo gestu demutati, virilem vultum effeminant. Nonnulli etiam de fanatica adhuc consuetudine quibusdam ipsa die observationum auguriis prophanantur. Perstrepunt omnia saltantium pedibus, tripudiantium plausibus, & quod his turpius est nefas, nexis inter se utriusque sexus choris, inops animi, furens vino turma miscetur.* Hucusque S. Isidorus, ubi addit, institutum iccirco ab omni sub Cælo Ecclesia fuisse jejunium, de quo superius dictum est,

VIII. Nunc audiamus S. Maximum, qui in laudata sua ipsius Homilia ait primum, se præcedentium Patrum contra Kalendarum vanitates, ac superstitiones monita repetere. Tum vero subdit: *Non debet fidelis anima, quæ Angelorum consortia concupiscit, dæmoniorum lusibus delectari.* Et paulo post: *An non omnia, quæ a ministris dæmonum illis aguntur diebus, falsa sunt, & insana, cum vir virium suarum vigore mollito totum se frangit in feminam, tantoque illud ambitu, atque arte agit, quasi pœniteat illum, quod vir est?* Et iterum: *Numquid non universa ibi falsa sunt, & insana, cum se a Deo formati homines, aut in pecudes, aut in feras, aut in portenta transformant? Numquid non omnem excedit insaniam, cum decorem vultus humani, Dei specialiter manibus in omnem pulcritudinem figuratum, squalore sordium, & adulterina fœditate deturpant?* Legenda integra Homilia, qua sanctissimus Præsul pravam sui, & nostri ævi consuetudinem justo accensus zelo perstringit.

IX. Quamquam vero recitata hucusque Synodorum, & Patrum loca abunde nos docent, quantum scelus sit, mares muliebri amictu indutos feminas repræsentare, feminas vero mutatis & ipsas indumentis, mares; Jubet nihilominus alia in eum abusum, qui obique locorum hodie grassatur, præsertim dum bacchanalia aguntur, tum Patrum, tum Conciliorum sententias afferre, quæ præcepto Dei nituntur, Deuteronomii Cap. xxii. quod non cæremoniale tantum, sed etiam morale est: *Non induetur mulier veste virili; nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Quem locum expendens S. Cyprianus in Epistola lxi. ad Euchratium Episcopum, ita inquit: *Cum in Lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti ejusmodi judicentur, quanto majoris est criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes, & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere?* Esse dicit contra Dei institutum, *ut masculus frangatur in feminam, & sexus arte mutetur, & diabolo divinum plasma maculanti per corrupti, atque enervati corporis delicta placeatur.* Damnat S. Præsul non horum solummodo actores, sed & docentes, ac erudientes, *qui pro se uno solo plures succedaneos suggerunt.*

X. Præter Cyprianum Synodus Gangrensis Canone xiii. anathemate damnat mulieres, quæ continentiæ, & Religionis causa virilem habitum usurparent: *Si qua mulier*, inquit, *propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro solito muliebri amictu virilem sumit, anathema sit.* Editus est Canon adversus Eustatium Sebastenum Episcopum, ad cujus pessimam prædicationem, *varias mulieres præter consuetudinem, & sui sexus ornatum, hinc se justificari credentes virilem habitum suscepisse*, queritur Epistola Synodalis. Canon certe nititur laudato Dei præcepto, ad quod alludens Tertullianus jam longe ante Cyprianum, & Gangrensem Synodum, larvarum usum

usum suggillans, ita scribit in Libro, *De spectaculis*, Cap. XXIII. *Jam vero ipsum opus personarum quæro an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis suæ? Non amat falsum Auctor veritatis. Adulterium est apud illum quod fingitur*: Et paulo post: *Cæterum eam in Lege præscribit, maledictum esse, qui de mulieribus vestietur, quid de Pantomimo judicabit, qui etiam muliebribus curatur?* Idest voce, gestu, incessu accuratissime effeminatur.

XI. Præterea eundem Deuteronomii locum expendens S. Ambrosius in Epistola LXIX. ad Irenæum data, sic ad rem ait: *Incongruum est, quod ipsa etiam abhorret natura. Cur enim homo non vis videri esse, quod natus es? Cur alienam tibi assumis speciem? Cur mentiris feminam; vel tu femina virum? Suum unumquemque sexum induit natura indumentis*. Et paulo post: *Mendacium & in verbo turpe est, nedum in habitu. Denique in Templis, ubi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ. Illic assumere viros muliebrem vestem, gestumque femineum sacrum putatur*. Et infra: *Merito illic non servatur castimonia, ubi non tenetur sexus distinctio*. Idem docet S. Augustinus Lib. II. Soliloquiorum Cap. XVI. sic inquiens: *Credo jure infames, intestabilesque haberi, qui muliebri habitu se ostentant, quos nescio, utrum falsas mulieres, an falsos viros melius vocem. Veros tamen histriones, verosque infames, sine dubitatione possumus vocare; aut si latent, nec infame quidquam, nisi a turpi fama nominatur, veros nequam non sine veritate dicimus*. Augustino tandem adjungimus fidelissimum ejus discipulum, & Theologorum Principem Sanctum Thomam, qui Secunda Secundæ, Quæstione CLXIX. Articulo II. ad III. rem ita explanat: *Cultus exterior debet competere conditioni personæ secundum communem consuetudinem; & ideo de se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso, & præcipue hoc potest esse causa lasciviæ; & specialiter prohibetur in Lege; quia Gentiles talis mutatione habitus utebantur ad Idololatriæ superstitionem*.

XII. Ab Idololatris quondam, & a Gentilibus tam fœde peccabatur, nunc a Christi cultoribus, quod multo deterius est. Execrati sunt eum abusum & ipsi olim Gentiles, inter quos Quintilianus, Lib. V. Cap. IX. ait, signum esse mollis, & parum viri, si vir muliebrem vestem sumpserit. Et Seneca Epistola CXXII. *Non videtur tibi contra naturam vivere, qui commutavit cum feminis vestem*. Sane qui permutatis indumentis, vel sexum turpiter mentiuntur, vel sub ferarum belluarum specie, ut hodieque in Bacchanalibus fieri assolet, contendunt quidem, nec naturæ suæ pudore affici, nec Deum lædere, qui eximiam pulchritudinis suæ imaginem in humana mente, ac forma insculpsit. Verum sanctorum Patrum, & saniorum Theologorum argumentationes non propterea eludunt. Quum enim inepta Dionysiorum, sive Bacchanalium oblectamenta, non prophana tantum, & turpia sint, verum etiam impiæ superstitionis labe adspersa, jure in pejorem partem trahuntur, parvifaciendo quæ afferunt, ob consilii honestatem, quam prætexunt. Scite observat Thomassinus Lib. II. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. VIII. ita cum Pharisæis segessisse Christum Dominum, quum intuitus eorum flagitia simul, & cultum, quo necatos pridem Prophetas persequebatur, Lucæ Cap. I. ita illos perstrinxit: *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem occiderunt eos, vos autem ædificatis eorum sepulcra*. Adeo enim pravi, & detestabiles erant Pharisæorum mores, ut tum quoque, quum amplissima extruebant sepulcra sacris vatibus ab eorum majoribus capite damnatis, jure eis objici posset, non coli ab ipsis Prophetas, sed perennia exigi interfectorum monumenta ad memoriam illius facinoris sempiternam.

XIII. Jam non desunt, qui ob morum suorum pravitatem, Synodorum, & Patrum sententias minime assequentes, eos ajunt æstu disputationis abreptos larvas damnasse, cum cæteroqui larvas assumere Christianis illicitum esse, non modo constet ex supradictis Patrum testimoniis, sed & ex vitiis ipsis, quæ sub larvarum tegmine licentius committuntur; de quibus legi possunt Joannes Ludovicus Vives Lib. I. *De institutione Christianæ feminæ*, Tit. *De saltationibus*; & Polidorus Virgilius Lib. V. *De inventione rerum*, Cap. II. ubi apud Anglos capitale fuisse ait, siquis personas indueret; necnon Petrus Gregorius Tolosanus Lib. XXXIX. *Syntagmatis juris universalis*, Cap. XI. Num. I. & II. ubi & multis Tolosanæ Curiæ Senatusconsultis, larvarum venditionem, & usum etiam Bacchanalium diebus prohibitum fuisse refert. Sed quid alios memoro, quum celeberrimum omnium judicium hoc de larvarum usu ediderit S. Carolus in memoriali Libro Parte II. Cap. VI. *Maledicti, & execrandi larvarum usus, id præter alia impietatis, & depravationis habentes, quod antiquæ nostræ ruinæ, cujus Satanas serpentis formam induens, sic larvatus autor fuit, quasi memoria festiva agatur. Detestandi larvarum usus, quarum privilegio fas est cuilibet obscena, & impudica verba proferi, gestus, & actus omnimode impuras edere: impiæ larvæ honestatis oppugnatrices, gravitatis inimicæ, ruina piæ hujus vigilantiæ, cui foris, & intus Christianus tenetur indulgere*.

XIV. Non inficiur, quin certis casibus licitum sit mulieri præsertim virilem vestem assumere, uti egregie docet Angelicus Doctor in laudato superius loco, ubi postquam dixit, vitiosum esse quod mulier utatur veste virili, aut e converso; ita statim subjicit: *Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato, propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid hujusmodi*. Sic S. Antoninam Virginem Alexander, ac Theodoram item Virginem Didymus, commutatis vestibus, e lupanari liberavit, uti legimus in Martyrologio ad diem XXII. Aprilis, & ad III. Maji. Sic Eugeniam, Euphrosinam, Apollinarem refert Metaphrastes mutata veste sexum dissimulasse, ut apud viros Monasticam vitam profiterentur, cum in illarum patria Monasteria feminarum nulla essent; uti videre est apud Surium ad diem XXV. Decembris, & ad I. & V. Januarii. Sic ipse rursus Theodoram, & Pelagiam ad expiandum lapsum suum idem fecisse, ad diem XI. Septembris, & VIII. Octobris narrat.

XV. Celebre est, ut alia omittam, ea in re exemplum, quod narrat S. Ambrosius Lib. II. *De Virginibus*, Cap. IV. de quadam Antiochena Virgine, quam & ignotus miles ad eam liberandam in lupanar ingressus, ita alloquutus est: *Ne, quæso,*

quaso, paveat soror. Frater huc veni salvare animam, non perdere. Et mox: *Serva me, ut ipsa serveris. Quasi adulter ingressus, si vis, martyr egrediar. Vestimenta mutemus, conveniunt mihi tua, & mea tibi, sed utraque Christo. Tua vestis me verum militem faciet, mea te Virginem. Sume habitum, qui abscondat feminam; trade, qui consecret Martyrem. Induere chlamidem, quæ occultet membra Virginis, servetque pudorem. Sume pileum, quod tegat crines, abscondat ora &c.* Tum ait Ambrosius: *Quid plura? mutato habitu, evolat puella de laqueo.* Et paulo post: *Damnatus est pro Virgine, qui pro Virgine comprehensus est. Ita de lupanari non solum Virgo, sed etiam Martyres exierunt.* Hactenus sanctus Ambrosius, ex quo vides, urgenta necessitate, licera quidem alterius sexus veste uti, extra vero necessitatem letale esse peccatum, uti cum S. Thoma Theologorum Magistro saniores Theologi docent.

XVI. Hisce sic explicatis, nunc videamus cursim alia quædam, quæ in nostro Canone continentur. Vota, quorum in eo habetur mentio, festi erant dies Romanorum, tertio Nonas Januarii celebrari soliti, qui in Kalendario Bucheriano *Votorum nuncupatio* appellantur. Brumalia, uti ex eodem Kalendario constat, festi erant & ipsi dies, qui apud eosdem Romanos octavo Kalendas Decembris celebrabantur. De his mentionem facit Tertullianus in Libro, *De Idololatria*, Cap. XIV. ubi ait: *Saturnalia, & Januariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur.* Cælius Rhodiginus Lib. II. *Antiquarum lectionum*, Cap. XXV. ait, festum illud Brumalium in honorem Bacchi, quem veteres *Brumium* appellabant, a Romulo institutum fuisse. Alii probabilius a Bruma, seu hyeme suam ducere originem scribunt, quod ea tempestate hujusmodi Festum celebraretur. Ut ut vero sit ejus Festi origo, damnatur non modo a nostro Trullano Canone, & ab aliis passim Patribus; viguit tamen etiam octavo Christi seculo, & deinceps, tametsi Romana Synodus sub Zacharia Papa anno CDLXXIII. Can. IX. conata sit Festum illud, sicut & Kalendarum Januarii extirpare, ita inquiens: *Ut nullus Kalendas Januarias, & Bruma colere præsumserit, aut mensas cum dapibus in domibus præparare, aut per vicos, & plateas cantationes, & choros ducere, quod maxima iniquitas est coram Deo; anathema sit.* Vigent hodieque in Italia passim, dum vindemiæ aguntur, ejusmodi abusus, feminæque, ac præsertim puellæ per vicos, & plateas cantationes, & choros ducere passim cernuntur, magnisque clamoribus Liberi patris Orgia celebrare videntur, non sine Christiani populi scandalo, & pudicitiæ jactura.

XVII. Unum superest, quod adnotemus, nosterque Canon non obscure insinuat, Bacchum, aliosque falsos Deos a Christianis, nec per jocum, aut pravam consuetudinem, ac inde natam inadvertentiam esse nominandos, aut invocandos. Esse hoc omnino grande peccatum, probat Lupus in suo ad hunc Canonem Scholio ex celebri Tertulliani testimonio, qui in Libro, *De Idololatria*, Cap. XX. scribit: *Cum conversatio divinæ disciplinæ non factis tantum, verum etiam verbis periclitetur, meminisse debemus, esse in verbis quoque Idololatriæ incursum præcavendum. Etiam de consuetudinis vitio Deos nationum nominari Lex prohibet: non utique ne nomina eorum pronunciemus, sed ne Deos vocemus illos. Quod si Deos dicendum erit, adjiciendum est aliquid, quo appareat, quia non ego illos Deos dico.* Adjiciendum jubet is Auctor vocem, *Suos*, aut vocem, *Nationum*, axemplo Regii Prophetæ, qui in Psalmo ait: *Omnes Dii gentium dæmonia.* Paganorum Deorum nomina invocare rigidissime vetat Synodus IV. Aurelianensis anni DXLI. Can. XVI. & Joannem XII. Pontificem intrusum extrusit per Ottonem primum Imperatorem Romana Synodus, quod *in aleæ ludo, Jovis, Veneris, ceterorumque dæmoniorum auxilium poposcisset.* Utique ex prava consuetudine, quæ utinam hodie a sacris præsertim hominibus tollatur, sicut & illa, qua sacri homines plurimi instar infimæ plebis hominum pessime educatorum, ubi aliqua verba proferunt, frequentissime membrum hominis genitale non sine piarum aurium scandalo interserunt.

C A N O N LXIII.

Quæ a veritatis hostibus falso conficta sunt Martyrum historiæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent, in Ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi. Qui eas autem admittunt, vel tamquam in veris iis mentem adhibent, anathematizamus.

C O M M E N T A R I U S.

I. Recte admodum docet eruditissimus Theodoricus Ruinart Præfatione sua generali in acta Martyrum, §. I. Num. I. post sacras Scripturas, quas divini Spiritus afflatu editas nobis reliquerunt sancti Dei homines, nihil nobis sanctius, atque antiquius esse debere, quam primigenia, & genuina Martyrum Acta, quæ veneranda nobis antiquitas hactenus illibata servavit. Cum enim ex divinis literis, ac præsertim ex Evangelio Marci Cap. XIII. habeamus, eorum dicta, cum ad Præsides sisterentur superno instinctu pronunciata fuisse, fit, ut quæ in his Actis eorum ad Præsidum quæstiones responsa continentur, pro sacris oraculis merito habenda sint; nec sane minori religione eorum facta, præsertim vero Martyria accipienda sunt, ut quæ nonnisi Spiritus Sancti impulsu suscipi, nedum consummari potuerint.

II. Hinc eam fuisse olim Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem, ut eorum Martyrum, quorum festi dies anniversarii peragebantur, certamina, passiones, ac triumphi in conventibus publicis legerentur, patet ex Canone XLVI. pervetusti Codicis Africani, cujus verba hæc sunt: *Liceat etiam legi passiones Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.* Fidem de eo more in Africa scr-

ſervato iuculentiſſimam facit Auguſtinus in ſuis Sermonibus paſſim. Ut autem aliqua ejus teſtimonia afferam, in Sermone XII. *De ſanctis*, ita quidem inquit: *In Paſſionem, quæ nobis hodie recitata eſt, Fratres mei, evidenter oſtenditur Judex ferox, tortor cruentus, Martyr invictus* Et Sermone IX. *De tempore*, loquens de martyrio S. Vincentii, ait: *Magnum & multum mirandum ſpectaculum noſter animus cepit, nec inaniſſimam, & perniciosiſſimam, ſicut ſolet in theatris, quarumcumque nugarum, ſed plane utiliſſimam, & fructuoſiſſimam voluptatem oculis interioribus hauſimus, cum beati Vincentii glorioſa paſſio legeretur*. Multa alia Auguſtini loca affert eruditus Bernardinus Ferrarius Lib. I. *De ritu ſacrarum Eccleſiæ veteris concionum*, Cap. XIX. ubi oſtendit, ſanctorum Martyrum Paſſiones, cum anniverſarii eorum dies in Eccleſia celebrarentur, ante concionem fuiſſe publice in Eccleſia recitatas, ex eoque fonte manaſſe conſuetudinem recitandæ in choro quotidie ex Martyrologio lectionis.

III. Eundem fuiſſe ceterarum Eccleſiarum morem, fuſe oſtendit laudatus Ruinart Num. V. Quod enim Galliam ſpectat, patet ex Sermone XCV. S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, ubi conqueritur, quod cum iis, qui pedes dolerent, aut aliqua tenerentur infirmitate, conſilium dediſſet, ut quando, aut *Paſſiones prolixæ*, aut aliæ lectiones prolixiores legerentur, ſederent, aliquæ tamen *ex filiabus*, quamvis ſanæ idem præſtare tentaverint. Paſſionem Martyrum Agaunenſium *ex conſuetudinis debito* lectam fuiſſe, ait Avitus Vianneuſia in Gallia Epiſcopus in quodam ſuæ homiliæ fragmento, quod legere eſt apud eumdem Ruinart. Quantum vero attinet ad Hiſpaniæ Eccleſias, idem mos conſtat ex Braulionis Epiſcopi Cæſarauguſtani præfatione in vitam S. Æmiliani, quam ſe ſcripſiſſe ait, *ut poſſet in Miſſæ ejus celebratione quantocius legi*.

IV. Quænam fuerit ea in re conſuetudo Romanæ Eccleſiæ, edicit quidem S. Gelaſius I. Pontifex Maximus in prima ſua Romana Synodo anni CDXCV. ſic inquiens: *Romana Eccleſia ſuſcipit geſta ſanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant. Quis ita eſſe Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus ſuis perpeſſos, nec ſuis viribus, ſed gratia Dei, & adjutoris univerſa toleraſſe? Sed ideo ſecundum antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in ſancta Romana Eccleſia non leguntur, quia & eorum, qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur. Sicut cujuſdam Quirici, & Julitæ, ſicut Georgii, aliorumque hujuſmodi Paſſiones, quæ ab hæreticis perhibentur compoſitæ. Propter quod ne vel levis ſubſannandi oriretur occaſio, in Sancta Romana Eccleſia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Eccleſia omnes Martyres, & eorum glorioſos agones, qui Deo magis, quam hominibus, noti ſunt, omni devotione veneramur.* Acta Sanctorum Quirici, & Julitæ, qui paſſi ſunt circa annum Chriſti CCCV. vitiata fuiſſe a Manichæis, teſtatur Theodorus Epiſcopus Iconii in Epiſtola ſua, quam edidit doctiſſimus Combefiſius.

V. Hoc Gelaſii Decretum, quo edicitur Paſſiones, ac geſta Martyrum in Eccleſia Romana minime legi conſueviſſe, de ſola Lateranenſi Eccleſia, & de Martyrum Actis, quorum Auctores erant ignoti, intelligi debere; probat quidem Joannes Mabillonius in Diſquiſitione, de Curſu Gallicano §. I. ex Epiſtola Hadriani Papæ I. ad Carolum Magnum adverſus objecta, quæ contra VII. Oecumenicam Synodum intentabantur, ubi hæc habet: *Vitæ Patrum ſine probabilibus auctoribus minime in Eccleſia leguntur, Nam ab Orthodoxis titulatæ & ſuſcipiuntur, & leguntur*. Lectas etiam Sanctarum vitas Romæ, teſtatur antiquus ms. Codex, quem S. R. E. Cardinalis Thomaſius publici juris fecit; laudatque Grancolas, Commentarii Hiſtorici in Breviarium Romanum, Cap. XXXII. ubi habetur, quod, cum Acta Martyrum, & paſſiones in ipſorum tantum Eccleſiis, & Titulis legerentur, Hadrianus ipſe Papa primus in Eccleſia S. Petri legi curavit, *Paſſiones Sanctorum, vel geſta ipſorum uſque ad Hadriani tempora tantummodo ibi legebantur, ubi Eccleſia ipſius Sancti, vel Titulus erat. Ipſe vero a tempore ſuo recitari juſſit, & in Eccleſia S. Petri legendas eſſe conſtituit*.

VI. Conſtat quoque & illud ex antiquiſſimis Liturgiis, Mozarabica, Gallicana, & ipſo etiam Sacramentorum Libro S. Gregorii Papæ, præcipuas Martyrum actiones inter ipſas Miſſæ preces inſertas fuiſſe. Ibi enim Miſſæ conteſtationes, quas vulgo nunc præfationes appellamus, nihil aliud ſunt, quam Martyrum, de quibus Miſſa celebrabatur, præclare geſtorum expoſitio. Verum cum in ejuſmodi conteſtationibus, vel etiam in Actis genuinis, res geſtæ ſic ut plurimum referrentur, ut a populo facile non poſſent intelligi, conſueviſſe ait idem Ruinartius, Epiſcopos, de Martyrum quorum feſtivitas agebatur, præclare factis fuſius ad plebem pro audientium captu diſſerere, indeque natam occaſionem fuiſſe, quod Patres tot de Martyrum laudibus Homilias, & Sermones conſcriberent. Ceterum tametſi brevis quædam Actorum Martyrum in Præfatione repetitio fieret, lectio tamen ipſorum prolixior fiebat quidem ante Epiſtolam, & Evangelium; Actaque ipſa Miſſalibus libris, ſive Sacramentariis inſerta erant.

VII. Quoniam vero Marcionitæ, Montaniſtæ, Novatiani, aliique inſequentium temporum hæretici non ſolum Martyrum ſuorum catalogos contexuerunt mendaciis, & fabulis refertos, quibus quaſi eſcis homines ad infidelitatem traherent, verum etiam falſas noſtrorum Martyrum hiſtorias confinxere, ut Catholicam Fidem, & ſanctos quoque Dei Martyres ignominia afficerent, cautum eſt ex Concilio Milevitano anni CDXVI. Can. XII. ut quidquid in Eccleſia præter ſcripturam legendum eſſet a Concilio primum approbaretur: *Placuit etiam & illud, ut preces, vel orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſive præfationes, ſive commendationes, ſeu manus impoſitiones, ab omnibus celebrentur*. Et ſtatim deinde: *Nec aliæ omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ a prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum*. Ubi nota I. orationes publicas debuiſſe a Doctoribus primum comprobari, quam in uſu eas habere liceret. II. has voces, preces, orationes, Miſſas, Præfationes pro eadem re uſurpatas. III. per manuum impoſitionem intelligi benedictionem, quæ aut ad Miſſarum finem, aut ad communionem ab Epiſcopo in nomine Domini fiebat, ſub precationum quarumdam

dam formula; quam videre est in S. Gregorii Libro Sacramentorum, in Ordine antiquo Romano, & in priscis Pontificalibus. IV. denique, eam hodieque vigere disciplinam, ut nullæ in Missale, & Breviarium Rumanum inserantur, orationes, lectionesque Sanctorum, nisi prius visæ, & probatæ fuerint a Sacra Rituum Congregatione.

VIII. Eam cautelam, quam Synodus Milevitana præscribit, exigebat quidem hæreticorum malitia, qui falsa, & pervetusta aliquot Martyrum Acta confinxerant, sive etiam præpostera erga veros Christi Martyres aliquorum idiotarum devotio, qui multa falsa veris miscebant. Verum inter omnia mendacia illud, quo Deo, aut Sanctis ejus affinguntur falsæ virtutes, aut miracula, esse omnino perniciosissimum, merito docet in Libro contra Mendacium S. Augustinus Cap. XVII. Quam ea in re cautus fuerit ipse Augustinus, testatur idem S. Doctor Sermone XCIII. ubi ait, nihil de S. Stephano timendum esse, quod ejus Martyrii historia in Scriptura legeretur: *Cum aliorum Martyrum*, inquit, *gesta vix inveniamus, quæ in eorum solemnitatibus recitare possimus, hujus Passio in Canonico libro est*. Fuit sane abusus antiquus in aliquorum Sanctorum gratiam, falsa veris miscere, sed antiqua etiam majorum nostrorum diligentia fuit, ejusmodi impostores non impunitos relinquere. Hinc illum in Asiæ Presbyterum, qui S. Pauli Apostoli periodos finxit, fuisse a S. Joanne Apostolo degradatum, ex Tertulliano in Libro, *De baptismo*, Cap. XVII. tradit Sanctus Hieronymus in Libro, *De Viris illustribus*. Noster Canon Trullanus, quod VII. Seculo, quidam a fide alieni homines nonnulla plena absurditatis, & ineptiarum, quasi a Martyribus dicta, aut effecta fuissent, literis consignassent, ut in eo scilicet Fidei nostræ contemtus, & Sanctis Martyribus ignominia conciliaretur, eorum non modo lectione interdicit, sed flammis quoque aboleri jubet; qui ea vero nihilominus legerint, ac pro veris acceperint, anathemate puniendos esse decernit.

IX. Laudat in suo ad hunc Canonem Scholio Balsamon fidem, & diligentiam Simeonis Metaphrastæ, quod ex antiquioribus Sanctorum Vitis pleraque falsa, & commentitia eliminaverit, edito ea de re castigatiore libro. Sed non videtur is tantam mereri laudem, cum non pauca spuria, & ab antecessoribus conficta in suam constei congessisse Sanctorum historiam, spongia, lituraque digna, ut advertant eruditi, & passim Baronius admonet. Conati sunt quidem post Metaphrastem varii Auctores Sanctorum Acta colligere, omninmque amplissima collectio est illa, quam adornavit Joannes Bollandus, continuantque ejus successores Societatis Jesu Presbyteri. Verum suos & ea collectio nævos habet, multosque concitavit, ut contra ipsos scriberent. Optandum sane foret, ut recentiores saltem, qui Acta, & Vitas Sanctorum scribunt, veritatem in omnibus amplectantur, præsertim quod e Scriptoribus Ethnicis non pauci, aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundia, usque adeo a mendacio abhorruerint, *ut iam pudendum fortasse sit, historicos Gentium quondam veraciores fuisse, quam nostros*.

X. Observat id quidem religiosissimus æque, ac doctissimus Episcopus Canariensis ex Ordine Prædicatorum, & de universa Ecclesia optime meritus Melchior Canus Lib. XI. *De locis Theologicis*, Cap. VI. ubi inter alia ita ad rem inquit: *Dolenter hoc dico potius, quam contumeliose, multo a Laertio severius Vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis Vitas Sanctorum; longeque incorruptius, & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum & Confessorum. Illi enim in probis aut Philosophis, aut Principibus nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent, in improbis vero etiam colores virtutum produnt. Nostri autem plerique vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solum pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo Ecclesiæ Christi cum nihil utilitatis attulisse, tum incommodationis plurimum*. Et paulo inferius: *Certum est autem, qui ficte & fallaciter historiam Ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos, atque sinceros esse non posse, totamque eorum narrationem inventam esse, aut ad quæstum, aut ad errorem, quorum alterum fœdum est, alterum perniciosum*.

XI. Legendum plane memorati Libri integrum caput, sed non omittendum hic puto, quod præstantissimus Auctor longe inferius addit: *Quanto sapientius Evangelistæ faciunt, qui vel in ipsis Apostolis, quos eramus vitæ totius exemplum habituri, nec affectus naturæ imbecilliores, nec casus etiam graviores dissimulant. Divina hæc sapientia quidem Evangelistarum fuit, sed bonitas quoque, integritasque naturæ, ut nihil illis in scribenda historia deesset, quod in historiæ lege vel Ethnici requisiissent*. Ceterum postquam pius pariter, ac doctus S. R. E. Cardinalis Baronius Tomo X. in Appendice ad annum CCCII. sapientissime scripsit, quod *Romana Ecclesia non sicut Evangelium legere consuevit Sanctorum Acta*, sed liquit librandum Apostolica lance, *Omnia probate, quod bonum est tenete*, satis equidem mirari nequeo, plerosque inveniri ita adhærere narrationibus Vitarum Sanctorum, ut hæreticos pene eos esse autument, qui de aliquo miraculo, aut gesto in iis contento, certissimis ceteroqui monumentis nixi prudentissime dubitarent.

CANON LXIV.

Quod non oportet Laicum publice disputare, vel docere, docendi auctoritatem ex eo sibi vendicantem, sed ordini a Domino tradito cedere; & aurem iis, qui docendi gratiam acceperunt, aperire, & divina ab eis edoceri. In una enim Ecclesia diversa membra fecit Deus, ut est vox Apostoli. Quam aperte interpretans Gregorius Theologus eum, qui in iis est, ordinem commendat, dicens; *Hunc ordinem revereamur, Fratres, hunc servemus. Hic quidem sit auris, ille vero lingua; hic autem manus, hic vero ali-*

quid

quid aliud; hic quidem doceat, ille vero discat. Et paulo post: *Et discens in docilitate, & suppeditans in hilaritate, & ministrans in alacritate. Ne simus omnes lingua, quod est promptius; ne omnes Apostoli, ne omnes Prophetæ, ne omnes interpretemur.* Et post quædam: *Cur te Pastorem facis, cum sis ovis? Cur caput efficeris, cum sis pes? Cur Imperator esse conaris, cum relatus sis in numerum militum?* Et alibi: *Jubet sapientia, ne sis velox in sermonibus; ne cum sis pauper, una cum divite extendaris; ne quæras sapientibus esse sapientior.* Siquis autem præsentem Canonem labefactans deprehensus fuerit, quadraginta diebus segregetur,

COMMENTARIUS.

I. Populum Domini docere, & divina oracula interpretari, esse proprium Episcoporum munus, tradunt passim sacræ Synodi, & sancti Ecclesiæ Patres. Laicis omnibus interdictum esse publicas habere conciones, docet inter alios S. Leo Magnus Pontifex Maximus ad Maximum Antiochenum Episcopum, Cap. VI. sic dicens; *Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi ius docendi, & prædicandi audeat vendicare, sive sit ille Monachus, sive sit Laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur: quia etsi optandum est, ut omnes Ecclesiæ filii, quæ recta, & sana sunt, sapiant; non tamen permittendum est, ut quisquam extra Sacerdotalem ordinem constitutus, gradum Prædicatoris assumat: cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore, & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.* Idipsum repetit in Epistola LXIII, ad Theodoricum Episcopum Cyri, Cap. VI.

II. Resellit in utraque Epistola Pontifex Nestorianos, & Eutychianos Hæreticos, qui publice disputationem de Fide instituebant, & docendi sibi munus usurpabant, ut simplices ad suum errorem impellerent. De Eutychianorum, ac Monothelitarum, qui causam cogendæ Sextæ Synodi dedere, ad disputandum prorito, notatu quidem sunt digna, quæ in Libro, *De Dominica Incarnatione*, scribit Theodorus Presbyter Monasterii Rhaitensis: *Ita fortiter*, inquit, *& vigilanter Ecclesiam Dei Catholicam, & Apostolicam oppugnant, ut pueros suos, cum nondum expeditam habeant linguam, antequam eant ad Magistros, & prima elementa didicerunt, exacuere, & instruere curent, ut dicere, & audire possint pro defensione sui dogmatis, quod ipsi profitentur.* Tum vero hæc addit: *Nos vero ita desides sumus, & languentes, ut nec hoc ipsum studeamus scire, quæ istorum contra Ecclesiam sit controversia, & ex quibus initiis ipsorum adversum nos existit bellum, & qui sint eorum duces, a quibus cognominantur.* Certe etiam hic abusus apud nos Catholicos viget, cum enim hæreticorum pueri suos errores calleant, nostri vix prima fidei rudimenta sciant, tum propriorum parentum, tum Præsulum negligentia,

III. Porro quamvis Laici æque, ac Monachi, quia hi scilicet antiquitus & intra Laicorum ordinem censebantur, vetiti sint ex memorata S. Leonis ad Maximum Epistola, publice disputare, & concionari, tametsi eruditi sint, ac docti; quia, ut ait S. Hieronymus in Epistola ad Riparium Presbyterum: *Monachus non docendi, sed plangentis habet officium*; negari tamen non potest, quin eisdem liceat, si tamen sciant, privatim docere, aut disputare: *Privatim tamen interroganti*, inquit in nostrum Canonem Zonaras, *respondere, ac proposita ab eo quæstioni docendo satisfacere, sine fraude licet.* Cui concinit etiam Balsamon, qui in suo ad eundem Canonem Scholio ait: *Recte adjectum est illud*, publice; *siquis enim privatim de aliqua Decreti materia, vel de alia ad animæ utilitatem pertinente causa interrogetur, non prohibebitur id, quod sibi videtur, respondere.*

IV. Sed quod certe mirum videri potest, constat olim, etiam publice Laicos in Ecclesia docuisse, munusque Catechistarum gessisse, uti patet exemplo Origenis, qui Eusebio teste in Ecclesiastica Historia Lib. VI. annos octodecim dumtaxat natus, Alexandriæ instituendis Catechumenis præfectus est. Cum enim Catechistis non semel agendum esset cum Philosophis, aliisque profanæ scientiæ eruditis viris, ne Ecclesia aliquid injuriæ pateretur, si eorum argumentis, subtilioribusque sophismatis non valide responderetur, idcirco nulla ordinis, vel dignitatis habita ratione, Majores nostri curarunt, ut viri ingenio, & doctrina præstantes ad illud officium assumerentur, tametsi Laici essent.

CANON LXV.

Qui in noviluniis a quibusdam ante suas officinas, & domos accenduntur, rogos, supra quos etiam antiqua quadam consuetudine salire inepte, ac desilire solent, jubemus deinceps cessare. Quisquis ergo tale quid fecerit, si sit quidem Clericus, deponatur; sin autem Laicus, segregetur. In quarto enim Libro Regum scriptum est: *Et ædificavit Manasses Altare universæ militiæ Cæli in duobus atriis Domus Dei, & filios suos traduxit per ignem, sortibusque, & auguriis, auspiciisque usus est, & fecit ventriloquos, seu py-*

thones,

thenes, & divinatores multiplicavit, & ambulavit in eo, ut faceret malum coram Domino, ut eum ad iram provocaret.

COMMENTARIUS.

I. Novilunia dicebantur primi menſium dies, eratque mos apud Judæos, & Græcos, ut poſt Zonaram notavit Balſamon, Feſtum tum agere, & genuflectere, ut totum menſem feliciter tranſigerent. De quibus Deus quoque dixit jam olim per Prophetam ſuum: *Novilunia veſtra, & Sabbata odit anima mea.* Et per Apoſtolum Paulum in Epiſtola ad Galatas Cap. IV. ſic ajentem: *Dies obſervatis, & menſes, & tempus, & annos. Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Nempe, inquit S. Joannes Chryſoſtomus peculiari ſua, ac celebri Homilia in eos, qui Novilunia obſervant, *extremæ hoc eſt amentiæ, propter unum diem, ſi auſpicatus fuerit, per univerſum hoc expectare annum: neque amentiæ ſolum, ſed diabolicæ cujuſdam efficientiæ indicium eſt, non proprio ſtudio, & alacritati, ſed quibuſdam dierum circuitionibus vitam noſtram commendare. Dies enim bonus, & malus eſt, non ſua quadam, & propria natura, nihil enim dies a die differt, ſed noſtra, vel diligentia, vel ignavia, Si juſtitiam feceris, bonus tibi dies erit; ſi peccatum, malus, & ſupplicii plenus.* Idem confirmat S. Auguſtinus tum in Enchiridio Cap. LXIX. tum in Epiſtola CXIX. ad Januarium, tum denique in expoſitione Epiſtolæ ad Galatas, Cap. VI. ubi etiam refert ſententiam, unam eorum, qui de gentilibus, alteram eorum, qui de Judæis locum Apoſtoli interpretantur.

II. Ut ut ea ſententia ſit, Græcorum, Ethnicorumque conſuetudines a majoribus acceptas, ſuo etiam ævo teſtatur Zonaras, & Balſamon a nonnullis ſervatas fuiſſe, ut ſcilicet ante officinas, & ædes rogos incenderent, ſaltoque tranſilirent, per id exiſtimantes ea, quæ illis prius obtigiſſent mala comburi, foreque, ut in alia bona inciderent. Atque id quidem & fieri vetat hic Canon, & qui fecerit, Clerico depoſitionis, Laico vero ſegregationis pœnam injungit. Deinde etiam, ut hæc in antiqua quoque Lege vetita fuiſſe oſtendat, locum Libri IV. Regum protulit: *Et ædificavit Manaſſes altare univerſæ militiæ Cœli in duobus atriis domus Dei, & filios ſuos traduxit per ignem &c.* Quæ poſtrema verba tametſi Trullani Patres in hoc noſtro Canone ita videantur accipere, quaſi de igne, quem incenſum Manaſſes ſaltu ſuperare docuerit, intelligenda ſint; ſanctus tamen Cyrillus ſuis in Iſaiam Commentariis, traduxiſſe filios per ignem, hoc eſt, immolatos dæmonibus combuſſiſſe interpretatus eſt.

III. Præter ſuperſtitionem in hoc Canone damnatam, quæ eſt accenſio ignis in Noviluniis, viguit jam ante in Galliis alia ſuperſtitio, ſeu vana obſervatio ignis, quam conata eſt extirpare Synodus II. Arelatenſis anni CDLII. Can. XXIII. ubi ita edixit: *Si in alicujus Epiſcopi territorio infideles, aut faculas accendunt, aut arbores, fontes, vel ſaxa venerentur, ſi hoc eruere neglexerit, ſacrilegii reum ſe eſſe cognoſcat. Dominus, aut ordinator rei ipſius, ſi admonitus emendare noluerit, communione privetur.* Vigebant adhuc tunc temporis in Galliis reliquiæ rituum Ethnicorum, erantque ibidem *Pyroſcopi*, ſeu *Ignispicidæ*, qui faculas ita accendebant, ut in eas picem tritam ſpargentes ex emergentibus figuris vaticinarentur. Hinc ſi tædis accenſa flamma in unum coiret, res bene cedebat: ſi divideretur, & tricuſpis in altum ſurgeret, gloriam augurabatur; ſi varie hincinde ſpargeretur, ægro mortem, ſano morbum; ſi penitus extingueretur, periculum; ſi crepitaret, dirum quid portendebat.

III. Varia ejuſmodi ſuperſtitionum capita, quæ in Galliis ipſis vigebant anno DCCXLIII. damnavit quidem Concilium Liptinenſe eo anno celebratum, in eo Titulo, qui inſcribitur, *Indiculus ſuperſtitionum, & Paganiarum*, capite inſcripto, *De igne fricato de ligno, ideſt, Nodfir*. Plurimi ſane erant, qui ex ignis effectionibus, ex cinerum qualitate, & ignis figura in mucronem, aut in orbem efformata, ex ſcintillis inſperſa pice trita micantibus, ſeu ex earum colore, modo languido, modo vivido, ex ignis ſtrepitu, aut coloris gradu vaticinabantur. Hos porro ſacrilegos ignes Capitularia Caroli Magni, Lib. V. Cap. II. quemadmodum etiam Concilium Germanicum anni DCCXLII. Can. V. *Nedfratres* vocari ajunt, dum eam ſuperſtitionem damnant: *Decrevimus quoque, ut ſecundum Canones unuſquiſque Epiſcopus in ſua Parochia ſolicitudinem gerat .... ut populus Dei Paganias non faciat, ſed omnes ſpurcitias gentilitatis abjiciat, & reſpuat; ſive profana ſacrificia mortuorum .... ſive illos ſacrilegos ignes, quos Nedfratres vocant, ſive omnes quæcumque ſunt Paganorum obſervationes diligenter prohibeant.* Vide eam vocem apud eruditum Dufreſne in ſuo mediæ & infimæ Latinitatis Gloſſario. Omnes harum ſuperſtitionum reliquiæ jampridem extinctæ ſunt; reſtant tamen in quibuſdam Sanctorum Feſtis, publici ignes, quos licet adoleſcentes ſine ſuperſtitione ſaltu ſoliti ſint tranſilire, non vacant tamen periculo, dum eorum viſendi gratia concurrunt puellæ, finiturque ut plurimum ea lætitia ſi non homicidio, certe ebrietate, & luxuria.

CANON LXVI.

A ſancta Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis die uſque ad novam diem Dominicam tota ſeptimana vacare Fideles jugiter oportet Pſalmis, & Hymnis, & ſpiritualibus canticis in Chriſto gaudentes, Feſtumque celebrantes, & divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis Myſteriis jucunde, & laute fruentes. Sic enim cum Chriſto exaltabimur, &

una

una resurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum cursus, vel aliquod publicum fiat spectaculum.

COMMENTARIUS.

I. OMnium una est Scriptorum eruditorum sententia, Paschale Festum per octo continuos dies celebrare, aotiquam esse utriusque Ecclesiæ Græcæ, nempe, ac Latinæ consuetudinem. Concilium Matisconense II. anno Christi DLXXXV. habitum edicit quidem Can. II. oe quis sex diebus Pascha consequentibus, in opus aliquod servile incumbat, sed unice tam mane, quam meridie, & vespere, iu summi Dei Conditoris, atque Reparatoris nostri laudes, & gratiarum actiones: *Pascha itaque nostrum*, inquit, *in quo summus Sacerdos, & Pontifex pro nostris delictis immolatus est, debemus omnes festivissime colere, & sedulæ observationis sinceritate in omnibus venerari, ut illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere; sed omnes simul coadunati, hymnis Paschalibus indulgentes, perseverationis nostræ præsertim quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes Creatorem, & Regeneratorem nostrum vespere, mane, & meridie.*

II. Concinunt his & aliæ Synodi, inter quas Synodus Moguntina anni DCCCXIII. Can. XXXVI. jubet eadem ratione peragendos esse singulos Hebdomadæ Paschalis dies: *Festos dies in anno celebrare sancimus; hoc est, diem Dominicum Paschæ cum omni honore, & sobrietate venerari: simili modo totam hebdomadam illam observari decrevimus.* Synodus Meldensis anni DCCCXLV. Can. LXXVII. cessari jubet istos octo dies ab omni & quocunque opere servili, & quidem sub pœna excommunicationis, ut nimirum feriatus populus operam det precibus, & verbo Dei: *Dies quoque octo sacrosanctæ Paschalis festivitatis omnibus Christianis feriatos esse decernimus, ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, Gynecæo, Cæmentario, Pictoria, venatoria, Forensi, Mercatorio, Audientiali, ac sacramentis exigendis: quatenus eisdem diebus, tanto licentius, quanto liberius, omnibus Christianis sanctæ Resurrectionis laudibus, & sacrosanctæ prædicationi jugiter insistere liceat. Quod siquis temerare præsumserit, excommunicetur.* Ubi nota, I. prohiberi quidem a Patribus Meldensibus, in diebus Festis, venari, ac pingere, tametsi utrumque Casuistæ molles permittant. II. gynecæum opus dici forte telæ, aut lini, seu lanæ opificium, quod ea loca ubi mulieres opificium illud conficiebant, gynecæa vocarentur.

III. His obiter notatis, ut alia testimonia de Paschalis hebdomadæ diebus Festis proferam, Theodulphus Aurelianensis Episcopus, in suo ad Parochos suos Capitulari, Cap. XLI. postquam statuit, accedendum esse ad Eucharistiam quotidie a Cœna Domini ad Pascha, diserte ait, totam hedomadam ipsam Paschalem æquali religione esse colendam: *In Cæna Domini, & in Parasceve, in vigilia Paschæ, & in die Resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum: & ipsi dies Paschalis Hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.* In Parasceve communicare consuevisse olim Clerum ac Populum, constat ex Ordine antiquo Romano, quo teste post adorationem Crucis duo Sacerdotes ex iis, qui ad Altare astabant Episcopo, ibant ad Sacristiam, vel alium locum, ubi Christi Corpus in hesterna Missa consecratum reservaverant, acceptumque reponebant super Altare denudatum: tum Celebrans particulam Hostiæ consecratæ immittebat in Calicem, in quo vinum erat non consecratum, & nihil dicendo communicabat, & postea Clerus, pariter & Populus communicabant. Amalarius quoque Lib. I. Cap. XV. de Ordine Romano agens, se legisse ait, quod post salutationem, vel adorationem Crucis, duo Sacerdotes afferebant Corpus Domini, quod præcedenti die reservaverant, simulque Calicem cum vino non consecrato, quod tunc consecrabatur, ut Populus communicaret. In regula quoque Magistri, sicut etiam in antiquis Cluniacensium Consuetudinibus communio in Parasceve, & vigilia Paschatis præscribitur. Præscribitur pariter a Roberto Arbrissellensi in Regula pro Ordine Frontebraldensi, atque etiam servatur in Ecclesia Massiliensi S. Victoris, aliisque Ecclesiis, ut testatur Grancolas, Commentarii historici in Breviarium Romanum, Cap. LXIII.

Sed ut ad Canonem nostrum revertamur, & illam Ecclesiæ disciplinam persequamur, qua Paschalis hebdomadæ dies Festi erant, io Germania Concilii Engelheimensis anni CMXLIX. Canone XCVII. cautum est quidem, *ut Paschalis hebdomada festive tota celebretur; & in Pentecosten, secunda, tertia, & quarta feria, non minus quam dies Dominicus solemniter honoretur.* Hebdomada Pentecostes, sicut & Paschatis, tota olim festiva erat, uti fuse ostendit laudatus Grancolas Capite LXXIX. ideoque Canon Ingelheimensis Concilii ad quatuor dies coarctat. Seculo Christi XII. Paschales dies octo, festivos omnes fuisse, testis est Gratianus, qui ea ætate floruit, in Canone, *Pronunciandum*, De consecratione, Distinctione I. ubi inter dies a servili opere feriandos recenset *sanctum Pascha cum tota hebdomada*. Eamdem disciplinam viguisse etiam Seculo XIII. constat ex Gregorio IX. Pontifice Maximo in Cap. V. *De feriis*, ubi Paschatis diem cum septem sequentibus festivum esse affirmat. Obiit Gregorius IX. anno MCCXLI. Ceterum quod Ecclesiam Græcam spectat, certe Balsamon Antiochenus Patriarcha, quem Marcus Alexandrinus consuluerat, respondit, labente Seculo XII. tamquam unicum Festum diem agi totam hebdomadam Paschatis, qua etiam carnibus vesci vel ipsis quartis, sextisque feriis licitum erat: *Hebdomadæ autem Paschatis sine periculo carnibus vescemur in ejus feria quarta, & sexta. Nam pro uno die Dominico habetur hoc Festum.*

V. Apud nos Latinos Seculo tandem XIII. post Gregorii obitum is invaluit ubique fere locorum mos, ut tribus tantum diebus Pascha celebraretur; non enim omnes hodieque per Europam, imo & Belgium, ut testatur in suo ad hunc Canonem Scholio Lupus, ea in re Ecclesiæ concordant. Seculo Christi XI. Festa Paschatis ad tria redigi cœpta sunt in Germania; etenim Constantiensis Synodus, cui præerat Gebeardus Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus anno MXCIV. statuit,

ftatuit, ut tribus dumtaxat diebus, tam Pascha, quam Pentecoste celebraretur. Ita enim de ejus Synodi fanctione fcribit Bertholdus ejufdem Ecclefiæ Conftantienfis Presbyter: *Statuit, ut tam in hebdomada Pentecoftes, quam in hebdomada Pafchæ tres tantum dies feftivi celebrarentur. Nam ufque ad illud tempus Conftantienfis Epifcopus morem comprovincialium non eft fequutus; videlicet integram feptimanam in Pafcha, & unum tantum diem in Pentecofte obfervando, quamvis utræque feptimanæ ejufdem obfervantiæ effe debuerint, & quamvis alii Epifcopatus pene omnes prædictam conftitutionem jam ab antiquo tenuerint. Hæc, inquam, ipfe in proprio Epifcopatu, & ex Epifcopali auctoritate, & ex Apoftolica Legatione canonice potuit inftituere; nam Legatus fuit Apoftolicæ Sedis.* Ei tamen, tamquam antiqui Canonis, & moris everfori, graviter quofdam obmurmuraffe, notat memoratus Lupus ex Auguftanæ Ecclefiæ Chronico, ubi ad annum ipfum MXCIV. ea mutatio Feftorum recenfetur.

VI. Tot allata tum Patrum, tum Canonum teftimonia illud certe nos edocent, præcipuam fuiffe Ecclefiæ curam Pafchatis Feftum amplificare, tamquam omnium Feftorum maximum, magifque folemne; & quemadmodum Judæorum Pafcha per integram hebdomadam protrahebatur, ita Chriftianorum Feftis Pafchalibus colendis hebdomadam integram affignare. Quod fundamento nititur duarum folemnitatum, quas in Pafchate celebramus, nempe Myfterium Refurrectionis Chrifti, & Neophytorum Baptifmum; eaque potiffima ratio eft, cur octo dies Pafchatis, Fefti omnes haberentur, ob Neophytos fcilicet, feu recens baptizatos, qui ipfis quidem diebus quotidie in Ecclefiam convenientes, divinis inftructionibus exercebantur, ut Baptifmi gratia roborarentur: *Idcirco* (inquit S. Joannes Chryfoftomus Tomo v. in fua, *De Refurrectione*, Homilia) *continua quotidie doctrina perfruimini: ideirco feptem dierum fpatio confequenter collectam agimus, ac fpiritalem menfam vobis apponimus, ut noftra opera divinis eloquiis perfruamini, ut vos fingulis diebus inftruamus, atque adverfus diabolum armemus: nunc enim ferocius invadit; quanto majus eft donum, tanto etiam majus eft bellum.* Et infra: *Idcirco feptem confequentibus his diebus conelonum doctrinæ fruimini, ut in luctarum palæftra diligenter inftruamini.*

VII. Ait præterea S. Doctor, feptem hofce dies effe veluti Nuptiarum celebritatem, cui hoc idem Myfterium feptem concedit dies: *Alioquin autem etiam fpirituales funt nuptiæ ea quæ jam fiunt. In nuptiis autem ad feptem dies thalami proftant. Propterea nos quoque lege fanximus vobis, ut hic feptem dierum fpatio ad facros thalamos vos fiftatis.* Eam fane ob caufam fingulis diebus hebdomadæ Pafchalis Euangelia, & Miffæ propriæ, quæ Baptifmum fpectant, affignatæ funt, ut concio ad ipfos Baptifmo initiatos haberi poffit; fuiffe dies illos Pafchales catechefibus myftagogicis deputatos, quibus per hebdomadam exercerentur, qui jam per totam Quadragefimam ad accipiendum baptifmum inftructi fuerant, Myftagogicæ S. Cyrilli Hierofolymitani Catecheses nos docent, quas eruditiffimis Notis illuftratas legere eft apud Virum Clariffimum Antonium-Auguftinum Touttee, Presbyterum, & Monachum Benedictinum e Congregatione S. Mauri.

VIII. Eadem & apud Latinos fuit confuetudo, ex qua natæ fimiles eum ipfis Cyrilli Catechefibus argumenti conciones, S. Gaudentii Brixienfis Epifcopi ad Neophytos, S. Ambrofii Mediolanenfis Liber, *De Myfteriis*, S. Auguftini, & aliorum Sermones ad Infantes. Certe ipfe Auguftinus Libro I. *De fermone Domini in monte*, diferte ait, Feftis hifce diebus Pafchatis, Ecclefiæ liberos recens natos ali, educari, adolefcere, ac viribus inftrui: *Octavarum feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebramus.* Ipfum hodiernum Officium totum recens baptizatos refpicit, de eorumque nova regeneratione lætatur. Ipfa hebdomada Pafchalis in Sacramentario Gelafiano *Alba* dicitur, feu feriæ *in albis*, ficut etiam in Libro Sacramentorum S. Gregorii, propterea quod Baptizati veftem albam geftabant. Pro iis fiebant quotidie non modo Catechefes, uti dictum eft, fed & proceffiones, aliaque pietatis opera, quibus quotidie ceteri fideles vacabant. Atque hinc eft, quod abrogato propemodum veteri inftituto folemnis Baptifmi Pafchæ, & Pentecoftes, fublati quoque complures Fefti dies earum hebdomadarum fuere. Quapropter cum Seculo Chrifti XIII. folemnis ipfius Baptifmi difciplina evanuerit, ita quoque eodem feculo complures illi dies Fefti abrogati funt.

IX. Quum tandem nofter Canon præcipiat tota Pafchali hebdomada conveniendum effe in Ecclefiam, vacandumque Pfalmis, Hymnis, & fanctorum voluminum lectioni, aliifque pietatis operibus, merito per totam illam hebdomadam equorum curfus, & fpectacula publica exhiberi vetat: *Nequaquam ergo prædictis diebus equorum curfus, vel aliquod publicum fiat fpectaculum.* Jam olim antea Africani Patres, ut in Africanæ Ecclefiæ Codice, Can. LXI. legitur, conati funt fpectacula ipfa poblica extirpare, quod Fideles iis abrepti ab Ecclefia Feftis diebus, ac præfertim Pafchalibus abeffent: *Nec non,* inquiunt, *& illud petendum, ut fpectacula theatrorum, cæterorumque ludorum die Dominica, & ceteris religionis Chriftianæ diebus celeberrimis amoveantur; maxime quia fancti Pafchæ octavarum die populi ad Circum magis, quam ad Ecclefiam conveniunt, debere transferri devotionis eorum dies fiquando occurrerint.* Forte hæc Africanorum Epifcoporum expoftulatio caufam dedit Legi VII. Cod. *De Feriis*, ferendæ. Ceterum celeberrima eft in ea re Conftitutio ipfa Theodofii Imperatoris, in Lege V. Cod. Theodof. *De fpectaculis*, qua diebus Feftivis, & Pafchatis, etiam Judæis, & Gentilibus exhibitio fpectaculorum vetita eft, etiam fi in eos dies natalis dies Imperatoris incideret. Ut vel hinc intelligas, quam pravus fit noftri temporis mos, quo diebus Feftivis fpectacula publica, & Comœdiæ Dominicis, Feftifque diebus exhibentur, non modo contra Sacros Canones, fed & ipfas Imperatorum Leges.

CANON LXVII.

Divina nobis Scriptura mandavit, a fanguine, & fuffocato, & fornicatione abftinere. Eos ergo, qui propter lautum, & delicatum ventrem, cujufeumque

cumque animalis ſanguinem arte aliqua eſculentum condiunt, ac inſtruunt, atque ita illo veſcuntur, convenienter punimus. Siquis deinceps animalis ſanguinem quovis modo comedere aggrediatur, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſin autem Laicus, ſegregetur.

COMMENTARIUS.

I. A Sanguine, & ſuffocato, abſtinendum eſſe, Lex eſt a Deo prolata Cap. IX. Geneſeos: *Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis*. Ubi licet de ſolo ſuffocato mentio fiat, & non de ſanguine ſeorſim a carne, idem tamen fuiſſe videtur præceptum: dum enim Deus prohibuit eſum carnis cum ſanguine, cenſendus eſt etiam prohibuiſſe eſum ſanguinis ſeparati. Extat ſane expreſſa de ea re Lex Cap. XVII. Levitici, his verbis: *Omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem*. Conſtat ergo, abſtinentiam a ſanguine, licet Cap. IX. Geneſeos non videatur expreſſe præcepta, explicite tamen præceptam fuiſſe in laudato Levitici loco; ex quo ſequitur, vere in antiqua Lege præceptum Dei extitiſſe prohibens eſum ſanguinis, & ſuffocati.

II. Idem ipſum præceptum ab Apoſtolis in nova Lege inſtauratum fuiſſe, luculentiſſime patet ex Apoſtolicis Actis, Cap. XV. Cum enim circumciſionem fidelibus neceſſariam eſſe nonnulli aſſeverarent, convenere ſimul Apoſtoli, Concilium que Hieroſolymis celebrarunt cum Jacobo Apoſtolo ejus Urbis Epiſcopo, & conſilio de ea re habito, Fideles ab Idolothytis, ſanguine, ſuffocato, & fornicatione, nil eis præterea oneris imponentes, abſtinere juſſerunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & Nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacbrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, a quibus cuſtodientes vos bene agetis*. Hoc Synodale Decretum, quod extat in Epiſtola Synodica illius Concilii ad Fideles Antiochenæ Eccleſiæ, ſecum Antiochiam detulerunt Paulus, & Barnabas, Judas, & Silas, legendumque coram multitudine Fidelium Antiochenæ Eccleſiæ tradiderunt iis, apud quos controverſia orta fuerat.

III. Fuit autem, uti obſervat Baronius ad annum Chriſti LI. complurium antiquorum Patrum ſententia, præceptum de ſuffocato non edendo fuiſſe poſtmodum ſuperadditum, non vero ab Apoſtolis poſitum, quod hi ſolum abſtinendum a ſanguine juſſiſſent. Hinc Irenæus Lib. III. Cap. XII. eundem locum bis citans, ſemper ſuffocatum prætermittit, ejuſque loco addit præceptum de non faciendo alteri, quod quis ſibi fieri non vult. Hinc quoque Tertullianus in Libro, *De pudicitia*, Cap. XII. Cyprianus, & Pacianus eumdem locum abſque mentione ſuffocati citant; Ambroſius vero in Epiſtolam Pauli ad Galatas Cap. II. aſſerit, mandatum iſtud a Sophis Græcorum fuiſſe adjunctum. Hinc denique, ut idem notat Baronius ad annum Chriſti LI. Gaudentius Brixianus, & Auguſtinus affirmare videntur, ea verba adjecta eſſe per interpretationem præcepti de ſanguine.

IV. Ut ut ea opinio ſit, Græci ſemper eo modo legiſſe reperiuntur, prout etiam nunc habet communis editio Latinorum ejus loci Actuum Apoſtolorum. Quin etiam uſu receptum fuiſſe olim in Eccleſia, ut Fideles ab eſu ſanguinis, & ſuffocati abſtinerent, eamque diſciplinam non modo in Eccleſia Græca uſque ad hanc noſtram ætatem conſtanter, ſed & in Latina etiam Eccleſia ad decimum uſque, & ad undecimum ſeculum viguiſſe, docent nos plane tum ſacri Canones, tum ſancti Patres, tum vetuſti Scriptores Eccleſiaſtici, qui variis Eccleſiæ temporibus floruere. Ergo præter memoratum Decretum, quod extat Cap. XV. Actum Apoſtolorum, Canon LXIII. Apoſtolis vulgo adſcriptus ita ſtatuit: *Siquis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Sacerdotali Catalogo comederit carnes in ſanguine animæ ipſorum, vel quid a feris captum, vel morticinum, deponatur. Hoc enim lex prohibuit. Si autem ſit Laicus, ſegregetur.*

V. Ejus moris teſtis eſt S. Blandina Martyr, quæ annum Chriſti circiter CLXXIX. paſſa eſt. Ut enim Chriſtianos tueretur, qui arguebantur quod pueros necarent, & humanum ſanguinem comederent, Ethnicis reſpondit, a Chriſtiana Religione interdici quoque animantis cujuſquam ſanguinis eſum: *Multum erratis*, inquit apud Euſebium Lib. V. Cap. I. Ruffino Interprete, *o viri, quod putatis infantum viſceribus veſci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus utuntur*. Eadem ratione eamdem refellunt Ethnicorum calumniam S. Juſtinus, & Athenagoras in Apologiis ſuis, itemque in ſuo Apologetico Tertullianus Cap. IX. ita inquiens: *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis abſtinemus, ne quo modo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto*. Idipſum teſtatur Minutius Felix in ſuo Octavio, ſeu in Dialogo inter Chriſtianum Octavium, & Cæcilium Ethnicum, ſic dicens: *Nobis homicidium nec videre fas eſt, nec audire; tantumque ab humano ſanguine cavemur, ut nec pecorum ſanguinem in cibis noverimus*.

VI. Sunt hæc primorum trium ſeculorum monumenta. Quarto oriente Seculo Concilium Gangrenſe ſub S. Silveſtro Papa celebratum, Canone II. ex verſione Dionyſii Exigui ſtatuit, ut *ſiquis carnem edentem, præter ſanguinem, & Idolis immolatum, & ſuffocatum, cum religione, & fide condemnat, velut ſpem propter hujuſmodi perceptionem non habentem, anathema ſit*. Ejus diſciplinæ ſervatæ labente IV. Seculo, & V. exoriente, & quidem juxta memoratum Apoſtolorum Synodale Decretum, teſtis eſt S. Hieronymus in Commentario ad Cap. XLIV. Ezechielis, ubi ita inquit: *Omni generi electo, & Regali, & Sacerdotali, quod proprie ad Chriſtianos refertur, qui uncti ſunt oleo ſpirituali, hæc præcepta conveniunt, ut morticinum non comedant, tam de avibus, quam de pecoribus, cujus nequaquam ſanguis effuſus eſt, quod in Actibus Apoſtolorum dicitur ſuffocatum, & quæ neceſſario obſervanda, Apoſtolorum de Hieruſalem Epiſtola monet.* Eſt hæc Epiſtola Synodalis Hieroſolymitani Concilii, quod Apo-

Apostoli celebrarunt, ut superius dictum est.

VII. Sexto, & septimo Christi Seculo eadem disciplina confirmata est ex Concilio Arelatensi II. anni DXXXIII. & nostro Trullano anni DCXCII. Illud Can. xx. ita statuit: *Catholici, qui ad Idolorum cultum, non custodita ad integrum Baptismi gratia revertuntur, vel qui cibis Idolorum cultibus immolatis gustu illicitæ præsumtionis utuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi qui bestiarum morsibus extincta, vel quolibet morbo, aut casu suffocata, vescuntur.* Trullanum vero cum animantium sanguinem a nonnullis quadam arte condiri, atque ab eis esitari cognovisset, id fieri nostro hoc præsenti Canone vetuit, quique non paruerint, Clericos quidem depositione, Laicos vero segregatione mulctari jubet. Uterque Canon nititur quidem memorato Decreto Apostolorum, quod in Concilio Hierosolymitano editum fuit. Imo Trullanus ultra progrediens, pœnam innovat, quam in comedentes sanguinem, vel suffocatum Canon vulgo Apostolorum, quem superius laudavimus, irrogaverat.

VIII. Rursus VIII. Seculo Gregorius Papa III. qui Petri Cathedram anni DCCXXXI. ascendit, inter Canones pœnitentiales hunc recenset: *Suffocatum dicimus, quod sine sanguinis effusione perimitur, vel quod in laqueo necatur. Siquis a lupo, vel a cane, aut in laqueo suffocatum invenerit, nullatenus manducetur; nec sanguinem alicujus bestiæ quis manducare, aut bibere præsumat. Quod siquis fecerit, quadraginta dies pœniteat.* Vide Epistolam Zachariæ Papæ ad Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum, ubi non obscure ait, suffocatorum animantium, & sanguinis esum Christianis prohiberi. Idipsum edicit Concilium Wormatiense anni DCCCLXVII. Can. LXIV. *Animalia, quæ a lupis, seu a canibus lacerantur, non sunt comedenda, nec cervus, nec capra, si mortui inveniantur.* Tum postquam edixit, posse pisces manducari, quia alterius naturæ sunt, addit: *Aves vero, & alia animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda.* Morem decimi seculi exponit Burchardus Wormaciensis Episcopus Lib. XIX. Decretorum, ubi Cap. *De illicitis cibis*, ei qui morticina comederit, pœnitentia decem dierum in pane & aqua præscribitur. Testatur tandem Humbertus Episcopus Silvæ candidæ S. R. E. Cardinalis, Græcorum calumniam adversus Latinos refellens, suo ævo, idest anno millesimo, & quinquagesimo, eam apud ipsos Latinos retineri consuetudinem, ut a sanguine morticino, & suffocato abstinerent: *Antiquam consuetudinem, seu traditionem Majorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque suffocatum, & sanguinem abominamur, adeo ut sanguine, vel quocumque morticino, aut aquis, vel quavis negligentia humana suffocato apud nos aliquando vescentibus, absque extremo periculo vitæ hujus, pœnitentia gravis imponatur.*

IX. Hisce, aliisque plurimis, quæ afferri ea in re potuissent, testimoniis, moti non modo Græci, qui tenacissimi ejus moris sunt usque in hodiernam diem, verum etiam apud Latinos viri ceteroqui docti, & quod mirum videri debet, Grotius, Salmasius, Vossius, Blondellus, aliique Protestantes non pauci, credunt ad hanc usque diem Christianos ad ejus Legis observationem teneri. Sed audiendus præ omnibus est Augustinus, qui Lib. XXXII. contra Faustum Cap. XIII. Synodale Apostolorum Decretum exponens, diserte ait, illo Christianos non obligari: *Si hoc tunc Apostoli præceperunt, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur, elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, & observantibus nequaquam onerosam, in qua cum Israelitis etiam gentes propter angularem illum lapidem duos parietes in se condentem, aliquid communiter observarent.* Et paulo post: *Transacto vero illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumcisione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant: & ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, ut turdas, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est; aut leporem non edat, si manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? & qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a ceteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa sententia veritatis:* Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit: *nullam cibi naturam, quam societas admittit humana, sed quæ iniquitas committit, peccata condemnans.*

X. Ergo tametsi primi Christiani, quod instituissent Apostoli compaginationis causa, firmiter retinentes, a sanguinis esu, & suffocato laudabiliter abstinerent, ea postmodum cessante causa, jam non amplius obligantur. Hinc præceptum illud Apostolorum Augustini tempore in Africa saltem jam exoleverat, neque amplius ad illius observationem obligabat fideles, imo, ut idem in recitato loco testatur Augustinus, a ceteris irridebantur pauci illi, qui sanguinem edere & suffocatum formidarent. Quod si aliis in locis diu præceptum illud servatum fuit, & a sacris Conciliis iterum, atque iterum renovatum, id certe Apostolici culminis reverentia factum est, quod tamen tandem totius Occidentalis Ecclesiæ consensu est æque laudabiliter antiquatum, ut inter alios scite notat Cardinalis Baronius.

C A N O N LXVIII.

Nulli ex omnibus licere veteris, & novi Testamenti Librum, nec Sanctorum nostrorum Præconum, ac Doctorum corrumpere, vel conscindere, vel librorum cauponatoribus, vel iis, qui dicuntur unguentarii, vel alicui alii ex omnibus ad eum delendum tradere: nisi utique vel a tineis, vel ab aqua, vel ab aliquo alio modo redditus fuerit inutilis. Qui autem tale quid facere deinceps deprehensus fuerit, anno uno segregetur. Similiter & qui libros emit, si eos quidem ipse non ad suam utilitatem retineat, nec alteri ad

ejus

ejus beneficium, & ut ii permaneant, tradat, sed eos corrumpere aggressus fuerit, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. Veteris ac novi Testamenti divino Spiritu dictante conscriptos Libros, ac Sanctorum Patrum Codices, studiose conservari hic Canon jubet. Celebre est in ea re monitum S. Ephræm in Sermone, *De timore Dei*, ubi ita ait: *Librum ne projicias per negligentiam: sed studiose complicatum serva, atque custodi eum tamquam Domini esset*. Monet præterea S. Petrus Damiani Opusculo xv. Cap. xviii. ut unusquisque libros sanctos ita custodiat, ut numquam manum super literas teneat, numquam fumo nigrescere, vel ignis odorem sentire permittat. Soleter & alii cavent, ne liber relinquatur apertus, aut non complicatus, quod post laudatum Sanctum Ephræm, & Pachomium edicit S. Bonaventura in Speculo Disciplinæ ad Novitios Parte II. Cap. iv. ubi inter alia ait: *Indignus est libro, qui negligit custodire. Qui munditia gaudet, honestatis pulchritudine delectatur*. Hortatur denique Thomas a Kempis Opusculo xi. Cap. v. sic accipiendum librum in manibus ad legendum, sicut Simeon justus puerum Jesum in ulnas suas accepit ad portandum, & osculandum.

II. Quantum reverentiæ divinis Scripturæ libris, ac præsertim Codici sancti Euangelii exhibuerint olim fideles, fuse ostendimus in Opere nostro, *De Codice sancti Euangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*. Noster Canon quamvis segregatione unius anni eos mulctari decernat, qui sacros libros corrumpere, vel conscindere auderent, aut cauponatoribus, vel unguentariis tradere; ait tamen, eam pœnam minime incurri, si codices ipsi sic a tineis corrosi sint, vel superfusa aqua, aut alio modo ita consumpti, ut nullo amplius usui legentibus esse possint. Sed pace Trullanorum Patrum dixerim, eorum hanc definitionem non parum esse injuriosam sacris Codicibus, quos, si vetustate detriti sunt, igni potius absumendos, ac cineres in quibusdam locis sacris occultandos, quam sordido unguentariorum, & cauponum usui tradere omnino censendum est. Sic enim de reliqua Ecclesiæ inutili supellectile, quæ longe divinis, ac sacris libris inferior est, sacri Canones statuerunt: *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet, ea quæ in Sacrario fuerint, male tractari; sed incendio universa tradantur; cineres quoque in Baptisterio inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus coinquinentur*. Extat is Canon apud Gratianum in Can. *Altaris*, de consecratione, Distinctione i. Hinc jure ac merito Benedictus XIII. qui Ecclesiasticam disciplinam, & sacros Canones apprime colebat, concione sua, quam Romæ habuit in dedicatione cujusdam Ecclesiæ, inter alia de quibusdam Fratribus expostulavit, quod ligna Ecclesiæ pervetusta, ac pene consumta, quam ipse sumptibus suis refecerat, vendidissent, contra Canonem, qui apud eundem Gratianum legitur loco citato, estque hujusmodi: *Ligna Ecclesiæ dedicata non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus in laicorum opera non debent admitti*.

III. Si itaque de lignis Ecclesiæ inutilibus ita cautum est, longe melius, quam Trullani Patres, se gessit S. Carolus in Concilio Mediolanensi Provinciali II. Tit. II. Decreto xxi. ubi expresse cavit, ne libri sacri veteris æque, ac novi Testamenti, volumina item Sanctorum Patrum nostræ Fidei Interpretum, tum Scripta etiam Ecclesiastica, quibus & res, & verba divina consignata sunt, etsi temporis vetustate omnino consumpta, ad rerum tamen vilium, ac sordidarum usum ullo pacto converterentur, sed in ignem potius conjicerentur. Sane Liber Legis, uti jam notavimus in laudato Opere nostro, *De Codice sancti Euangelii &c*. Lib. iii. Cap. xix. qui in Synagoga asservatur, ubi consumptus fuerit, & vetustate detritus, ut vix legi possit, & præ diuturnitate deservire nequeat, tradit eruditissimus Aloysius Novarinus Clericus Regularis Lib. II. *Schediasmatum*, illum Hebræos terreo vasi includere, juxta aliquem doctum virum, qui diem suum obierit. Quamobrem culpanda videtur complurium sacrorum hominum impietas, qui sacras paginas, sanctorumque Patrum Libros, ac Missales Codices vetustate detritos cauponibus vendere non erubescunt.

IV. Is fere apud omnes Catholicos est sacrorum Librorum finis: at quæ sacris literis reverentia a Moscovitis exhibeatur, hæc apud illos lex significat, quam ex quodam Cyrillo refert Sigismundus apud eundem laudatum Novarinum loco citato: *Si forte lacerata papyrus, quæ aliquid sacrarum literarum continebat, in terram projecta fuerit, non liceat in eodem loco deambulare*. Quis igitur (recte ait Lucas Tudensis Libro II. *De altera vita*, Cap. xxi.) tanta insania ducitur, ut sacram videns Scripturam non simpliciter veneretur, & Euangelium Dei non adoret, & osculetur? Præclarum est exemplum S. Francisci, qui, uti ipsius Acta testantur apud memoratum Scriptorem, *si quando in terra aliquam reperiebat Scripturam, humiliter elevans, venerabatur eam, & in loco mundo ponebat, eo quod fortassis contineret scriptum nomen sanctum*. Hoc exemplo usus sum aliquando, ut Sacerdotem refellerem, qui ubi ventrem exoneraverat, abuti solitus erat ejus Libelli paginis, qui inscribitur *Ordo ad recitandum divinum Officium*. Nisi aliquos nimia simplicitas, vel summa ignorantia excuset, puto equidem, crimina ea esse, ac sacrilegia gravissimis pœnis punienda.

V. Quantam olim vel ipsi Gentiles sacris libris reverentiam exhiberent, ex eo addiscimus, quod illos illotis manibus contingere, piaculum existimarent. Tradit id quidem Plutarchus oratione II. *De esu carnium*, ubi ita inquit: *Et nos fortasse peccamus, quia hujusmodi libros attingimus non lustratis manibus, oculis, pedibus, auribus*. Pari religione prisci ævi fideles sacros Codices contrectare consuevisse, auctor est S. Joannes Chrysostomus Homilia iii. in Joannem.

CA-

CANON LXIX.

Nulli omnium liceat, qui quidem sit in Laicorum numero, intra septa sacri Altaris ingredi, nequaquam tamen ab eo prohibita Potestate, & Auctoritate Imperiali, quando quidem voluerit Creatori dona efferre, ex antiquissima inditione.

COMMENTARIUS.

I. ILlud initio hujus Commeotarii præmittendum censeo, quod juxta Græcarum Ecclesiarum vulgarem dispositionem, quam doctissimus Goar daseripsit, erat quidem vestibulum exterius. Tum intra Ecclesiam occurrebat oavis Ecclesiæ, cujus pars anterior pro Narthece cum medio pariete architecturæ membris ornato assumebatur. Erat in ejus medio porta speciosa cum duabus aliis minoribus, quibus in oavis ulteriorem partem intrabatur, & in qua Laici sedebant, relicta pro pœnitentibus parte versus portam anteriori. Inde in chorum intrabatur Cathedris einctum, & analogiis, seu pulpitis, ut caneretur, hinc, & inde muoitum. In hac chori parte Sanctuarii soleæ vieiniori posita erat Imperatoris sedes. Erat postea spatium, aotequam ad tabulatum accederetur; quo quidem tabulato claudebatur spatium, quod dicitur ἅγιον βῆμα, ubi erat Altare, & circum illud in testudinis modum sedebant, Episcopus, & universus Clerus, cum duabus ex utraque parte mensis, seu minoribus Altaribus. Scio equidem, non omnia Græcorum Templa ad hanc normam fuisse ordinata, & quæ in nostra Calabria, ubi multæ sunt Græcorum Ecclesiæ, aliqua ex parte ab hujus forma descripta discrepare; juvat tamen hæc adnotasse, ut facilius noster Canon intelligatur. Qui autem de veteri structura Ecclesiarum plura desiderat, legat Commentarium nostrum ad Titulum 1. Tom. II. Romani Pontificalis.

II. Si veterem disciplioam inspiciamus, semper Presbyterium, seu Altaris locus solis Sacerdotibus, ac Clericis destinatus fuit. Hinc Constantinus Magnus Imperator, quod Episcopalem sermonem stans io Ecclesia inter populum audierit, positumque istic ab Episcopis Regale solium nec bis rogatus sedere voluerit, laudat Eusebius Cæsariensis Episcopus in ejus vita Lib. III. Cap. XXXIII. *Cum ejus singulari erga Deum pietate adducti postularemus, ut de Servatoris monumento, & sepultura disputantes nos audire vellet, libentissime sane aures suas sermonibus nostris præbuit, & in ipsa Basilica magno auditorum cœtu circumfusus erectusque stans, communem cum reliquis audiendi operam exhibuit, cumque flagitaremus, ut Regali in solio, quod ibi sessionis causa positum erat, se reclinaret, minime cessit nostris precibus.* Et paulo post: *Rursus vero, ut sederet, deposcentibus nobis, sub tristi, & austero vultu respondit: Nefas esse institutis de Deo disputationibus negligentes aures præbere; sibi vero hoc esse in primis utile, præsertim cum pium sit, de divinis rebus erectos audire.* Ubi nota, non intra Altaris Cancellos, seu in Presbyterio, verum in atrio populi fuisse Constantino pientissimo Imperatori Solium Regale erectum, in quo tamen sedere noluit, quod divinarum rerum concionibus audiendis standum sibi esse potius censeret.

III. Forte viam deinde abusui aperuit S. Basilius Magnus, cum Valentem Imperatorem Arianum, quem ad Catholicam Ecclesiam reducere tentabat, in choro Clericorum retinuit, postquam munera sua Deo obtulerat. Sic enim de ea re scribit Theodoretus Lib. IV. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XVII. *Valens recta ad Templum se confert, & consueta dona Altari offert, Basilius autem eum intra sacra aulæa, ubi ipse sedebat, venire jubet &c.* Fuit hæc quidem Basilii indulgentia, jurisque relaxatio, ex qua & illud proficiscebatur, quod perfidissimi Ecclesiæ Catholicæ, ac Fidei adversarii oblationes admitterentur. Neque enim fas erat oblationes ab illis accipere, qui scelus aliquod publicum perpetrassent, oportebatque *Episcopum scire, quorum debeat oblationes accipere, & quorum non debeat.* Ita sane legere est apud pervetustum Auctorem Constitutionum Apostolicarum Lib. IV. Cap. VI. de eoque argumento fuse inter alios agit eruditissimus Franciscus Berlendi Clericus Regularis, in Opere Italice scripto, cujus Titulus latinitate donatus, est, *De oblationibus ad Altare tum priscis tum recentioribus*, §. III. Pag. 48. ubi etiam observat, eam fuisse quoque Ethnicorum antiquam consuetudinem, cujus meminit Virgilius Lib. VI. *Æneidos*, sic loquiens:

. . . . Procul, o procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.

IV. Constat sane & illud ex sacris Canonibus, ac sanctis Patribus, antiquissimum esse oblationum usum in Missa. Cum enim priscis seculis nulli essent fixi Ecclesiæ reditus, suppeditabant abunde fideles omnia ad victum necessaria, offerebantque iccirco quædam in Sacrificii usum, quædam vero in sacrorum Ministrorum commodum. Erant autem qui offerrent, primo Clerici, & quidem ad Altare, secundo Laici, sed extra Altaris cancellos. Privilegium fuit solius Imperatoris, qui licet Laicus esset, & extra Sacrarii septa sederet, poterat tamen dona, & oblationes ad Altare deferre. Hinc nemo nescit quam Episcopali auctoritate Theodosium Imperatorem Mediolani commorantem Choro Ecclesiæ Mediolanensis, ut decederet, S. Ambrosius adduxerit, postquam munus suum ad Altare obtulisset. Rem narrat in Ecclesiastica Historia Theodoretus, Lib. V. Cap. XVII. ubi etiam addit, quod cum Constantinopoli Theodosius idem vere Regiæ modestiæ specimen edere vellet, & Choro post factam oblationem decedere, instanti Nectario Episcopo Constantinopolitano, ut ne decederet, sed ibidem maneret, responderit, addidicisse se ab Ambrosio quid discriminis intersit inter Imperatorem, & Episcopum; unumque sibi videri Ambrosium vere Episcopum: *Hoc demum didici, quantum inter Imperatorem intersit, & Sacerdotem, & vix tandem reperi sincerum unum veritatis magistrum Ambrosium,*

quem

quem solum Episcoporum hoc dignum nomine cognovi.

V. Paulo explicatius eandem rem narrat Sozomenus Lib. I. *Ecclesiasticæ Historiæ*, Cap. XXV. aitque I. Ambrosium ita secum statuisse, quod adulatio, ordinisque perturbatio invexisset, id sibi emendandum esse, pristinoque ordini restituendum, ut ne Imperator quidem inter Clericos sederet. II. sedem ab eo Imperatoribus esse locatam ante cancellos, ut honorificentius, & propius ad Altare sederent, quam Laici, inferius tamen, remotiusque quam Clerus. III. hanc Ambrosii institutionem a Theodosio probatam, confirmatamque a successoribus, itaut suo etiam tempore observaretur. *Moris erat, ut Imperatores, dum sacris interessent, in Sacrario sederent, Majestatis ergo a populi consortio separati. Ambrosius autem considerans eam consuetudinem, vel ex assentatione, vel ex ordinis perturbatione esse natam, Imperatori in Ecclesia locum assignavit ante Sacrarii cancellos, itaut populum Imperator, Imperatorem Sacerdotes ordine sedis antecederent. Hanc autem optimam constitutionem Theodosius Imperator approbavit, & successores ejus corroboraverunt, ac nos eam ex eo tempore conservatam cernimus.* Porro Theodosius Junior in ea Lege, quam post Ephesinam Synodum promulgavit, de asylis, contestatur ipsemet, non adire se unquam ad ipsa Altaria, nisi ad oblationem, & statim abscedere: *Ad sacra Altaria munerum tantummodo offerendorum causa accedimus, & cum circumscriptum sacrorum aditum ingressi sumus, statim egredimur, nec quidquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus.*

VI. Eandem hanc disciplinam, quam aliquando Episcoporum assentatione vitiatam, restituit S. Ambrosius, & Imperatores exemplo, ac Lege edita roborarunt, confirmat etiam noster Canon Trullanus, quem perperam nonnulli Scriptores sugillant, quasi Imperatori concedat sedem in Sacrario habere. Quod quidem falsum est; non enim sinit, Imperatorem remorari in Sanctuario, sed ad oblationes tantum faciendas adire, & confestim exire, ut cuilibet Canonem ipsum legenti patet; postquam enim dixit, nulli omnium licere, qui quidem sit in Laicorum numero, intra septa sacri Altaris ingredi, ita statim subjicit: *Nequaquam tamen ab eo prohibita potestate, & auctoritate Imperiali, quando quidem voluerit Creatori dona afferre ex antiquissima traditione.* Itaque privilegium istud in eo solum consistit, quod cum ceteri Laici extra septa Altaris offerrent, Imperator propter eam, qua præditus est, supremæ potestatis amplitudinem, intra ipsa Altaris septa oblationem suam faceret, non autem ut ibidem sedem haberet, & una cum Clero moraretur. Innuit hæc quidem Zonaras in suo ad hunc Canonem Scholio, erratque certe Balsamon, qui privilegii hujus Imperialis causam referens ad unctionem Imperatorum, ait eos simul ipsa unctione inaugurari Imperio, & Clero. Verum neque unctio illa ad sacramentum pertinet, neque a Deo præcepta fuit, sicut unctio Regum Israel, sed tantum ab hominibus instituta, & quidem longe post privilegium, quo ipsi ex antiqua traditione gaudebant, intra sacrum Altare ingrediendi quando quidem suam faciebant oblationem.

VII. Certe insequentibus seculis tanta Imperatores Græci ambitione supra omnem sacrosanctæ Ecclesiæ dignitatem se extulerunt, ut intra Templum ea celsitudine Solium suum elevarent, ut Patriarchæ sedile ad eorum pedes collocaretur. Qua de re Innocentius Papa III. Constantinopolis Imperatorem, qui forte tunc temporis erat Alexius, aut Balduinus, acriter arguit in Epistola sua, quam legere est in Cap. *Solitæ*, VI. *De majoritate, & obedientia*, ubi post quam dixit, probavitque variis divinæ Scripturæ locis, Imperium non præesse, sed subesse Sacerdotio, ita eum monet: *Hæc autem si prudenter attenderet Imperatoria celsitudo, non faceret, aut permitteret, Constantinopolitanum Patriarcham, magnum quidem, & honorabile membrum Ecclesiæ, juxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere.* Puto equidem invaluisse jam longe ante Innocentii tempora hunc apud Græcos abusum; refert enim Nicetas Choniates in Andronico Comneno, hunc Imperatorem, qui electus fuerat anno MCLXXXIII. pro mercede sibi concessæ a Patriarcha indebitæ circa nuptiarum ex affinitate impedimentum dispensationis, permisisse, ut Cleri subsellia tollerentur altius, quatenus lateri ipsius Patriarcha quodammodo assideret, totaque Cleri series: verum post solemnem eo nomine habitam Imperatori gratiarum actionem, in qua Davidicum versum Andronico applicabant; *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum*; ipsum paulo post cum insigni Cleri totius pudore, ac derisione jussisse, ut ad pristinam mensuram Patriarchæ, Clerique sedilia rursus deprimerentur.

VIII. Is sane mos fere omnium Principum est revereri Pontifices, eisque sua exhibere obsequia, quousque ab eisdem privilegia obtineant, tum vero postea semper nova moliri, ut illos pariter & Ecclesiam vexent. Certe scribit Isidorus Pelusiota Lib. V. Epistola CCLXVIII. censores olim fuisse Episcopos terrenorum Principum, eisque terrori fuisse, ob Apostolicæ scilicet vitæ integritatem, & sanctimoniam, qua præditi erant, obscurata vero sanctitate, auctoritatem quoque vituisse; *Sacerdotii olim dignitas peccantes redarguebat Reges; nunc vero his subjecta est. Olim enim cum Evangelicam & Apostolicam ducerent vitam, qui sacris rite operabantur, merito regiæ dignitati erant terrori: nunc vero contra Regia Majestas Sacerdoti.* Tum addit, Reges Episcopatum quidem ipsum demirari, at recte eos despicere, quod tanto fastigio impares sunt, atque ita Episcopatus ipsius injuriam, & dehonestationem ulcisci: *Recte consulunt, aguntque Reges. Non enim Sacerdotium lædere propositum est eis, sed vindicare læsam dignitatem ab eis, qui non debite administrant.* Ceterum egregia est illa Facundi Hermaniensis in Africa Episcopi sententia Lib. XII. Cap. V. novos semper futuros in Ecclesia Theodosios, si novi Ambrosii reviviscerent; sed pusillo animo & ignavo Episcopos tum sibi, tum Principibus certum exitium creare: *Credendum est, quia si nunc Deus aliquem Ambrosium suscitaret, etiam Theodosius non deesset. Sed cum minor est exigendi fiducia, minor & reddendi devotio.*

IX. Hodie res eo devenit ob Episcoporum ignaviam, ut non modo Reges, ac magni Principes, sed & Barones ipsi in Sacrario sedem suam Solio Episcopi æqualem ambiant, de eoque abusu nonnihil diximus nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis Cap. V. Num. VIII. dicemusque etiam non pauca in Nostris ad Cæremoniale Episcoporum Commentariis Tomo I. Tit. XIII. §. XIV.

CA-

CANON LXX.

Ne liceat mulieribus in divini Sacrificii tempore loqui, sed ut vox est Apostoli Pauli, sileant: Non enim eis loqui permissum est, sed subjici, sicut dicit Lex: *Siquid autem volunt discere, domi proprios maritos interrogent.*

COMMENTARIUS.

I. Silentium feminis non solum quandiu sacra mysteria peraguntur, sed ubicumque Fideles convenerint, indicit Apostolus in Epistola I. ad Corinthios Cap. XIV. his verbis: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sicut & Lex dicit. Siquid autem volunt discere domi suos viros interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Rursus in Epistola I. ad Timotheum Cap. II. ait: *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Ad hæc Apostoli loca alludens Tertullianus in Libro *De velandis Virginibus*, Cap. IX. scribit: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacramentalis officii sortem sibi vendicare.*

II. Legis nomine Apostolica oracula hoc nostro Canone significari, tradit quidem in ipsum Canonem Zonaras, sed frustra, cum in laudato Epistolæ I. ad Corinthios loco Apostolus ipse affirmet, Lege præceptum esse mulieribus, ne in Ecclesia loquantur: *Non enim*, inquit, *permittitur eis loqui, sicut & Lex dicit.* Legem ergo confirmat Apostolus, non ipse primum illam constituit de silentio mulierum in Ecclesia. Sed ubi est in veteri Testamento ea Lex, cujus Apostolus meminit? S. Ambrosius ad Irenæum scribens, arbitrari se inquit, quod in Deuteronomio Cap. XXII. edicitur, ne vir femineam, mulier virilem induat vestem, id non tam de veste, quam de moribus dictum, vel de usibus nostris, atque actibus, quod nempe alius virum, alius feminam deceat actus.

III. Quam deforme autem virum facere opera muliebria, ejusmodi est doceri a femina, cujus revera est a viro edoceri. Eaque videtur germana ratio, cur referente Philippo Abbate Bonæ spei in Lib. *De continentia*, Cap. CX. femina docta, & docere valens, se vocaret *bonum Clericum*, non *bonam Clericam*; quia communicare doctrinam aliis, virile quid est, non femineum, atque adeo non modo mulieribus non licet in divini sacrificii tempore loqui, ut ait Canon, sed nec in Ecclesia, idest in publico fidelium conventu, ut jubet Apostolus. Ecclesia enim, in qua Apostolus ipse silentium mulieri indicit, non est Templum materiale, sed Ecclesia Dei vivi, toto Orbe diffusa, itaut nullibi mulier quantumvis docta & sancta congrue possit in doctrinæ communicationem incumbere respectu virorum. Sic enim decernit Synodus IV. Carthaginensis anni CCCXCVIII. Can. XCIX. *Mulier quamvis docta, viros in conventu docere non præsumat.*

IV. Sed ne domi quidem præsente viro, a quo cum omni subjectione debet discere, posse mulierem consentaneè ad Apostolum docere Religionem, scite inter alios observavit Petrus Faber Lib. III. Cap. XIV. tametsi existimet, nulla vetari lege mulieres docere alias literas alibi, quam in Ecclesia, si earum peritiam sint adeptæ; quod probat ex Hyppatia Alexandrina, quæ Platonicæ Plotini sectæ successione accepta, Philosophicas omnes lectiones exponebat. Sed etiam si verum esset, hoc non abhorrere a muliere, non esset tamen ad rem nostram, quia de sola divina doctrina, & sacrarum literarum, vel mysteriorum divinorum explanatione agimus. Eam provinciam mulieri detrahit Paulo teste Lex divina, imo eam molliori sexui negat conditio sua, cujus si meminerit, satis erit ad suffundendum eum rubore, ut Clemens Alexandrinus Lib. II. Pædagogi, Cap. II. admonuit, ex eoque notavit eruditissimus Raynaudus in Dissertatione, *De sobria alterius sexus frequentatione per sacros & religiosos homines*, Cap. XIII. §. IX. ex quo plura notatu hic digna ad exornandum, atque explicandum hunc Commentarium nostrum delibavimus.

V. Ergo ut status sui memor femina gradum suum humiliter teneat, vetatur docere; scite enim inter alios S. Paulinus Epistola IV. illud tractans, cur mulieres ab eodem Apostolo jubeantur velari, scribit: *Docere in Ecclesia prohibentur, ne exaltato spiritu, decreta sapientiæ audeant intueri, & scientia inflatæ dissiliant. Profecto enim valeat ad confusionem malorum, si videant mulierem sensus suos ignorantiæ specie per silentium tegere, disciplinam intellectus sui verecundo habitu confiteri; ut non audeat serpens tentandam rursus aggredi, desperatione capiendæ.* Nec omittenda S. Chrysostomi sententia ex variis ejus locis notata a Thoma Waldensi in Tomo, *De sacramentalibus*, Tit. VII. Cap. LIX. nempe, quod mulier semel attentaverit virum docere, & omnia subverterit, jussam iccirco esse non docere, sed discere.

VI. Sane hæreticorum mos fuit, mulieribus docendi munus una cum aliis Sacerdotii muniia concedere. Testatur id quidem Tertullianus, ubi in Libro, *De præscriptionibus*, Cap. XLI. mulieres ipsas ita sugillat: *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.* Et in Libro, *De baptismo*, Cap. XVII. ita Montanistas hæreticas carpit: *Petulantia mulierum, quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariet?* Eos præterea, qui ex fictitiis Apostoli Pauli, & Theclæ periodis a quodam in Asia Presbytero conscriptis, docendi, ac baptizandi facultatem feminis asserebant, graviter culpat, & addit: *Quam enim fidei proximum videretur, ut is docendi, & tingendi daret feminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit? Taceant, inquit, & domi maritos suos consulant.* Hæreticam, ac impudicam feminam, quæ doceret, baptizaret, Eucharistiam consecrare attentaret, signa promitteret,

aut

aut faceret, suo etiam tempore apud Cappadoces apparuisse refert, ac damnat in Epistola ad S. Cyprianum S. Firmilianus Archiepiscopus Cæsariensis, estque inter opera S. Cypriani Epistola LXXV.

VII. Præterea cum Seculo IV. Priscillianistæ hæretici Eustathianos in Gangrensi Concilio damnatos in propaganda impiorum dogmatum suorum expansione imitarentur, & mulieres perniciosæ doctrinæ tubas ad hoc officium assumerent, in ipsas, ut par erat, invecta est Synodus Cæsaraugustana anni CCCLXXXI. Can. I. ubi postquam edixit, ut *mulieres omnes Ecclesiæ Catholicæ, & fideles a virorum alienorum lectione, & cœtibus separentur*, ita statim subjicit: *Nec ad ipsas legentes aliæ, studio vel docendi, vel discendi conveniant, quoniam hoc Apostolus jubet*. Ubi nota, nec mulieribus licere alias mulieres erudire. Merito enim Licinium Augustum Christianorum hostem ridet Eusebius Lib. I. *De vita Constantini*, Cap. XLVI. quod legem tulerit jubentem, ne viri simul cum mulieribus in Ecclesiis essent, *neve denique Episcopi mulieribus sacra Dei eloquia explicarent, sed mulieres ipsæ alias mulieres, a quibus erudirentur, sibi deligerent*. Inter alios Pelagianorum errores, Lib. I. adversus ipsos scribens S. Hieronymus, Cap. IX. notat, quod Amazonom suarum gratiam captantes, assererent, *scientiam Legis etiam feminas habere debere*. Forte in eo etiam peccarunt Catholici, nam idem S. Doctor scribens ad Paulinum, expostulansque, solam tradendarum Scripturarum artem esse, quam sibi omnes passim vendicant, etiam garrulæ anus, addit: *Alii discunt, proh pudor! a feminis, quod viros doceant*.

VIII. Fuerunt haud dubie vel apud Ethnicos mulieres plurimæ, doctrina, & eruditione præstantes, a quibus tamen Ethnici ipsi abhorrebant quammaxime, inter quos Juvenalis Satyra VI. ita scripsit:

Non habeat Matrona, tibi quæ juncta recumbit
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.

Apud Euripidem quoque Hippolytus de eadem re sic loquitur.

Odi eruditam. Ne meæ unquam sit domi
Quæ plus sciat, quam mulierem scire expedit.
Namque eruditis ipsa majorem Cypris
Astutiam indit.

IX. De mulieribus in profana literatura pereruditis exempla prostant apud S. Clementem Alexandrinum, Lib. IV. *Stromatum*. Ex recentioribus Ludovicus Vives multarum doctarum mulierum exempla recenset Lib. I. *De Christiana muliere*, Cap. IV. Seculi elapsi initio antequam in Parthenonem Avenionensem S. Praxedis cooptaretur, Juliana quidem Morella theses Philosophicas, teste Raynaudo, ac Theologicas Lugduni & Avenione, astantibus plerisque Doctoribus propugnavit, eademque Græce, & Latine perita Testamenti novi Græcos Codices enarravit, & emissis quibusdam lucubrationibus nomen etiam suum illustravit. Actum est de ea publice ad Doctoratus gradum promovenda, nec difficulter evictum esset, inquit laudatus Raynaudus, nisi metus sannarum apud exteros, Academiæ Præsides a facto adeo insolito absterruisset. Patavii quoque cum ageretur de promovenda ad eumdem gradum Doctoratus Helenam Cornaram Piscopiam feminam ceteroqui doctissimam, consultus de ea re ab Episcopo ejus Urbis religiosissimus ac doctissimus Christianus Lupus, literis suis, quæ Romæ extant mss. in celebri Bibliotheca Angelica Ordinis Eremitarum S. Augustini, Episcopum monuit, rem esse omnino deformem, & ab Apostolica, & Patrum disciplina omnino alienam.

X. Fixum porro illud esse penitus debet, vetari mulieres alios docere, præsertim vero in Ecclesia; quocirca miratus sum Romæ, quod Festis Natalis Domini in Cœnobio Fratrum Minorum S. Francisci ad Ripam puella nobilis excelsiori loco stans, juxta Præsepe Christi Domini, quod eo tempore a Fratribus ipsis elegantissime fieri solitum est, de Christi nativitate concionem haberet, cujus partem una cum aliis multis viris æque, ac mulieribus, qui aderant, nonnisi cum stomacho audivi, tametsi & elegans esset oratio, & concionatoria arte recitaretur. Si in monasterio Virginum, & solæ affuissent mulieres, & Templi ostia nequaquam patuissent, concio illa allocutionis privatæ nomine purgari posset, eoque modo a labe purgari. At vero cum publice, Templo patente, & promiscue ad omnes a puella concio haberetur, quomodo non sit contra Apostolum, haud satis percipio. Adeo autem abhorruerunt Doctores a munere concionis publicæ per feminam obeundæ, ut Panormitanus in Cap. *Decernimus*, *De judiciis*, Num. XIV. & Angelus in Summa verbo, *Laicus*, Num. IV. merito rejiciant Glossam, quæ ad Canonem, *Adjicimus*, XVI. Quæstione I. & ad Canonem, *In sancta*, Distinctione XCII. censuerat, mulieri posse ab Ecclesia delegari facultatem prædicandi. Quod tamen laudati Doctores damnant tamquam Apostolo contrarium, & a sacris Canonibus prohibitum.

XI. Neque vero inficior, quin possint feminæ si scientia præditæ sint, sine Apostolici præcepti, & Canonum violatione, privatim, & per modum alloquutionis docere alias mulieres: *Privatim autem*, ait ad hunc nostrum Canonem Balsamon, *prudentiores interrogare de aliquibus animæ conducibilibus, novum non est*. In quam rem est elegans locus apud Origenem Homilia VI. in Isaiam, ubi illud Apostoli in Epistola I. ad Timotheum Cap. III. *Si Sanctorum pedes lavit*, de dotibus viduæ eligendæ in Præfectam pronunciatum exponens, ita inquit: *Si vis apertius audire, quomodo vidua lavat Sanctorum pedes, audi Paulum in alio loco constituentem viduis, & dicentem*: Bene docentes, ut pudicas efficiant adolescentulas lavantes sordes pedum juvencularum. *Et istæ viduæ dignæ sunt Ecclesiastico honore quæcumque sanctorum pedes lavant sermone spiritualis doctrinæ. Sanctorum vero, non masculorum, sed mulierum. Docere enim mulieri non permittit, neque principari viro. Vult esse mulieres bene docentes, ut ad castitatem suadeant, non adolescentes, sed adolescentulas. Indecens quippe est, ut mulier magistra viri fiat; sed ut castitatem suadeant adolescentulis, & amare viros, & liberos suos.*

XII. Sed hæc extra Ecclesiam, nam in Ecclesia, uti dictum est, mulieri non licet docere; imo Pipino Francorum Regi roganti, num Sanctimoniales possent ad Missarum solemnia, aut Sabbato Sancto publice Lectiones; Alleluja, aut Responsoria legere, vel cantare, Zacharias Pontifex respondit negative ex Decreto Gelasii Papæ, omne penitus virile in Ecclesia officium feminis rigidissime prohibentis. Ut ut sit, silentium, quod mulieribus S. Paulus in sacris locis, atque conventi-

ventibus imponit, revera de ſacra concione, ſive docendi munere intelligendum eſt. Quocirca ſub Carolo Magno Franci olim Epiſcopi inter alia ſeptimæ Synodo Oecumenicæ improperarunt, ajentes: *Mulier in Synodo docere non debet, sicut Irene in Synodo feciſſe legitur.* At recte obſervat in ſuo Scholio ad hunc Canonem Lupus, ſine fundamento reprehendi Synodum illam. Irene quippe nequaquam in Synodo docuit, ſed cum filio ſuo Conſtantino Synodo ipſi dumtaxat interfuit, quomodo in Chalcedonenſi cum marito Martiano Imperatore Pulcheria Auguſta.

CANON LXXI.

Eos, qui docentur Leges Civiles, Gentilium moribus uti non oportere, & neque in theatrum induci, neque eas, quæ dicuntur Cyliſtras peragere, vel præter uſum communem ſibi veſtes induere, nec quo tempore diſciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus perveniunt, vel, ut in ſumma dicam, in ejus doctrinæ dimidio. Siquis autem deinceps hoc facere auſus fuerit, ſegregetur.

COMMENTARIUS.

I. Conſuetudinis fuiſſe apud Græcos videtur, eos qui legum erant Civilium curriculum ingreſſuri, vel qui per mediam doctrinam proceſſerant, vel qui jam perfecti erant, cum magna quadam pompa, & ſumptuoſis inſuctis veſtibus in theatrum deducere, & ibi ethnico ritu Laurea Doctoratus donare. Quicumque ii fuerint ritus, tamquam a gentilitate profecti, nec Chriſtianis convenientes, hoc Canone abrogantur, quique illos ſervare deinceps auſi eſſent, ſegregari jubentur. Sane apud Photium ex Olympiodoro legitur, quanta cæremonia Sophiſtarum dignitas una cum Pallio Philoſophico concederetur. Inter alias Magiſterii notas, uti obſervat Author Delectus Canonum Eccleſiæ univerſæ, in ſua ad hunc Canonem Nota, corona imponebatur ab initiatore Myſta, Doctoriſque titulus collectis primum adſtantium ſuffragiis conferebatur. Quid autem ſit Cyliſtras peragere, non eſt ita facile explicare. Videtur quidem fuiſſe accepti Doctoratus notam, aut ex ſe indecoram, aut falſi Numinis alicujus nomine inſignitam, aut in cujus traditione Ritus ethnici, atque ſuperſtitioſi obſervarentur.

CANON LXXII.

Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque vero Orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed & ſiquid ejuſmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimare, & nefarium conjugium diſſolvi. Neque enim ea, quæ non ſunt miſcenda, miſceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum ſortem cum Chriſti parte conjungi oportet. Siquis autem ea, quæ a nobis decreta ſunt, tranſgreſſus fuerit, ſegregetur. Sin autem aliqui, qui adhuc ſunt infideles, & in Orthodoxorum gregem nondum relati ſunt, ſint inter ſe legitimo matrimonio conjuncti, deinde hic quidem eo quod eſt honeſtum electo ad lucem veritatis accurrerit, ille vero erroris vinculo detentus fuerit, nolens divinos radios fixis oculis intueri, fideli vero placeat cum infideli cohabitare, ne a ſe invicem ſeparentur. Ex divini enim Pauli ſententia, ſanctificatus eſt vir infidelis in muliere, & ſanctificata eſt mulier infidelis in viro.

NOTA.

Quæ in hunc Canonem dici poſſent, fuſe explicuimus noſtro I. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem XIV. Concilii Chalcedonenſis: ea qui legerit, aliam hujus Canonis explicationem minime deſiderabit.

CANON LXXIII.

Cum Crux nobis vivifica ſalutare oſtenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapſu ſalvati ſumus, eum, quem par eſt, honorem habeamus. Quamobrem, & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ a nonnullis in ſolo, ac pavi-

pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione, victoriæ nostræ trophæum injuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps Crucis signum in solo construunt, segregari decernimus.

COMMENTARIUS.

I. AB initio nascentis Ecclesiæ nedum Crucis signatione usos Christianos fuisse, sed & Crucis imaginem pinxisse, erexisse, & adorasse, jam alibi a nobis abunde probatum fuit. Fusissime de Cruce, & cultu, ac honore ei exhibito inter alios scripsit eruditissimus Jacobus Gretserus; qui cultus tanti olim habitus est, ut ne in agrorum confiniis quidquam auderet quis immutare, erecta Crucis figura, limitum, aut terminorum vice uterentur. Cruces item nonnulli curarunt ante Urbium portas locari, atque in privatis etiam prædiis erigi, in eorum defensionem, ac tutelam, eademque ratione instrumenta publica Crucis signo corroborabantur. Sed hæc supervacanea sunt, neque enim nostra mens est de gloria, virtute, an laudibus Crucis differere, sed strictim quæ ad nostrum Canonem pertinent explicare.

II. Ergo vivificæ Crucis imagini, ob eum, qui, per eam nos redemit, idest, non absolute, sed relative, ut ajunt, mente, & sermone, & sensu, adorationem tribuendam asserit Canon. Mente quidem illam veneramur, ait Zonaras, cum tacita meditatione, quam ingentia bona per illam ad nos devenerint, recolentes, tantæ Dei in nos beneficentiæ magnitudinem obstupescimus. Voce, cum illa eadem sermonibus usurpantes, quantum proinde nostro Salvatori debeamus, apud alios profitemur. Sensu vero, seu externa specie, cum eam aspicientes veneramur, atque inhærentes amplectimur. Itaque ob debitam Cruci venerationem, cum nonnulli studio forte amplius honestandæ Crucis, eam tum aliis locis omnibus, tum in pavimento quoque efformare soliti essent, atque ex eo victoriæ nostræ tropheum conculcatione incedentium injuria afficeretur, id fieri Canon vetat, Crucem a pavimento delendam jubet, eosque tandem qui deinceps in solo Crucem efformarent, segregari decernit.

III. Canon, ut ante nos scite observavit eruditus Lupus, confirmat quidem Theodosii, & Valentiniani Imperatorum Legem ad Eudoxium Prætorii Præfectum, quam Codici suo inseruit Justinianus, ad Titulum, *Nemini liceat signum Salvatoris &c.* estque his verbis concepta: *Cum sit nobis cura diligens per omnia superni Numinis religionem tueri, signum Salvatoris Christi, nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere, sed quodcumque reperitur, tolli, gravissima pœna mulctando eo, qui contrarium statutis nostris tentaverit, specialiter imperamus.* Desumpta Lex est ex egregia, atque admirabili pietate S. Helenæ Augustæ, de qua in Theodosii Imperatoris funebri encomio scribit S. Ambrosius, quod *metuebat calcare sacramentum salutis*; idest, terram, in qua jam constabat Christi Crucem latere.

IV. Celebre & illud est, quod de Tiberio II. Lib. v. Cap. XIX. scribit S. Gregorius Toronensis: *Deambulans per palatium vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua Crux Dominica erat sculpta, & ait*: Cruce tua Domine frontem nostram munimus, & pectora; & ecce eam sub pedibus conculcamus. *Et dicto citius jussit eam auferri.* Habuit suam pietas ipsa mercedem, ingentem enim thesaurum sub tabula illa marmorea, quam delere jussit, invenit. Porro ex laudato Gregorio Turonensi, & Paulo Diacono Lib. XIX. paulo aliter eam historiam refert Stephanus Duranti Libro I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. VI. ait enim Tiberium ipsum, cum vidisset in pavimento palatii tabulam marmoream, in qua Crucis signum sculptum erat, proteri, ac conculcari, religione motum jussisse eandem tabulam auferri, eaque remota, aliam inventam signum quoque Crucis habentem, atque hac iterum remota, ac deinde tertia, in qua eadem Crucis effigies impressa erat, ingentem thesaurum apparuisse.

V. Sed utcumque res illa acciderit, semper in eo nitet Tiberii pietas, quod consentanee ad memoratam Theodosii, ac Valentiniani Legem, sive potius ad debitum Cruci obsequium, Crucis signum deleri jusserit a tabula marmorea pavimento superposita. Hodie tametsi illustria hæc exempla habeamus, Legesque civiles, ac sacri Canones in eos graviter animadverti decernant, qui in solo ac pavimento Crucem efformant, non modo videmus passim in nostris Templis una cum gentilitiis sacrorum hominum insignibus sanctissimam Crucis effigiem, quam pedibus inviti calcamus, verum etiam in privatarum domorum angulis, ut inde arceantur mejentes.

CANON LXXIV.

Quod non oportet in Dominicis locis, vel Ecclesiis eas, quæ dicuntur agapas, idest charitates facere, & intus in æde comedere, & accubitus sternere. Qui autem hoc ausi fuerint, vel cessent, vel segregentur.

COMMENTARIUS.

I. MOris antiqui fuit, divinorum mysteriorum communione peracta, convivia cibarlis ditiorum liberalitate collatis, ac per eos tenuioribus quoque ad mensæ societatem admissis, celebrare. Meminit ejus consuetudinis Apostolus in I. ad Corinthios Cap. XI. eosque, quod privatim, aliis non expectatis epularentur, objurgat: *Unusquisque*, inquit, *suam cœnam*

cœnam præsumit ad manducandum ; & alius quidem esurit , alius autem ebrius est . Numquid domos non habetis ad manducandum , & bibendum , aut Ecclesiam Dei contemnitis , & confunditis eos, qui non habent ? Quia fuerit præcisa Corinthiorum abusus , incertum est, varia enim est de illo Patrum sententia, inter quos generatim , ac prudenter S. Augustinus in Epistola cxviii. ad Januarium , Cap. iv. inquit , reprehendi Corinthios ab Apostolo , quod mensis suis communibus divina sacramenta miscerent .

II. S. Eligius Noviomensis Episcopus Sermone xv. de Dominica in Cœna rem ita explicat : *Corinthii , qui per Pauli Apostoli prædicationem ad fidem venerant in hac die ad Ecclesiam deferre panem , & vinum , & dabant Sacerdoti ad consecrandum , expletisque mysteriis , unusquisque quod dederat , recipiebat . Sed & quidam illorum in foribus Templi præparabant sibi convivia in conspectu pauperum , nihilque horum eis expectantibus erogabant . Unde notat eos dicens , quod alius esurit , alius ebrius est .* Tum addit , idcirco subjungi & illud ab ipso Apostolo : *Numquid domos non habetis ad manducandum , & bibendum , aut Ecclesiam Dei contemnitis , & confunditis , eos qui non habent ?* Theodoretus in hunc Apostoli locum , Corinthios ab ipso accusari ait , quod quisque solus in Ecclesia suos sibi cibos manducaret . Alii teste Primasio Episcopo Uticensi asserunt , pravam apud Corinthios inolevisse consuetudinem , *Ecclesiam passim dehonestari conviviis , in quibus vescebantur ante Dominicam oblationem , quam post cœnam noctibus offerebant : cumque divites ebrii ad Eucharistiam venirent , vexabantur inopes fame .*

III. Quicumque fuerit ex hisce abusus , certe non damnat in ea Epistola Paulus convivia ipsa , quæ Agapæ dicebantur , sive charitates , quas in Ecclesia post sumptam Eucharistiam fieri solebant ad mutuam charitatem fovendam , & ad pauperes refocillandos , sed purgari solummodo , & corrigi mandat , uti scite observat doctissimus Lupus in suo ad hunc Canonem Scholio , ubi tametsi fuse , atque erudite de ea re differat , lubet nihilominus eandem rem ipsam clariori methodo exponere , ac primo quidem celeberrimum Tertulliani locum describere , quo prisca Agaparum disciplina luculentius uberiusque addiscatur .

IV. Ergo Tertullianus in suo Apologetico Cap. xxxix. Ita ait : (Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit : vocatur enim ἀγάπη , id quod est apud Græcos dilectio . Quantiscumque sumptibus constet , lucrum est pietatis nomine facere sumptum : siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus , non qua pene vos parasiti affectant , ad gloriam famulandæ libertatis , sub autoramento ventris inter contumelias saginandi , sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium . Si honesta causa est convivii , reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate , quid sit de religionis officio . Nihil utilitatis , nihil immodestiæ admittit . Non prius discumbitur , quam oratio ad Deum prægustetur . Editur quantum esurientes capiunt . Bibitur quantum pudicis est utile . Ita saturantur , ut qui meminerint , etiam per noctem adorandum Deum sibi esse . Ita fabulantur , ut qui sciant Dominum audire . Post aquam manualem , & lumina , ut quisque de Scripturis sanctis , vel de proprio ingenio potest , provocatur in medium Deo canere : hinc probatur , quomodo biberit . Æque oratio convivium dirimit . Inde disceditur non in catervas cæsionum , neque in classes discursationum , nec in eruptiones lasciviarum , sed ad eandem curam modestiæ , & pudicitiæ , ut qui non tam cœnam cœnarint , quam disciplinam .

V. Hactenus celaberrimus Tertulliani locus , cujus tametsi quot periodi , tot sunt priscæ de agapis disciplinæ capita , ex illo tamen illud potissimum addiscendum censeo , quod notat Albaspinæus , Agapes non modo matutinis horis , quia scilicet subsequebantur Eucharistiæ communionem , verum etiam aliquando celabrari solitas fuisse sub vesperam . Ut quid enim Tertullianus iis verbis , *Ut qui meminerint , etiam per noctem adorandum Deum sibi esse* , orationis nocturnæ meminisset , si cœna , de qua agebat , nocti proxima non fuisset ; quasi vero convivium , cui quis matutinis horis adfuerit , orationem nocturnam impedire valeat . Porro nec obstat , quod aliqui objicerent , Agapes nempe subsequutas fuisse Eucharistiæ sumptionem , quam quidem fideles ad noctem usque non differrent , fiebat enim in cœtibus antelucanis , ad quos conveniebant . Nam cum eis præ tyrannorum violentia semper matutinis horis conventus agere non liceret , sæpius communionem , proindeque & jejunium ad vesperam usque protrahebant : *Eucharistiæ sacramentum* , ait idem Tertullianus in Lib. De corona militis , Cap. iii. *& in tempore victus , & in omnibus mandatum a Domino , etiam antelucanis cœtibus , nec de aliorum manu , quam præsidentium sumimus .*

VI. Illud certe omnino constat , subsequutas utplurimum fuisse Agapas S. Eucharistiæ communionem . Id enim aperte docet S. Chrysostomus Homilia xxvii. in primam Pauli Epistolam ad Corinthios Cap. xi. ubi de primis Fidelibus ita scribit : *Statis diebus mensas faciebant communes, & peracta Synaxi , post Sacramentorum communionem inibant convivium , divitibus quidem cibos afferentibus , pauperibus autem , & qui nihil habebant , etiam vocatis , & omnibus communiter vescentibus .* Idipsum etiam liquet ex luculentissimo S. Hieronymi testimonio , sive alterius ejus nomine In eundem Apostoli locum , ubi hæc habet : *In Ecclesia convenientes oblationes suas offerebant , & post communionem , quæcumque eis de sacrificiis superfuissent , illic in Ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant .* His adde Oecumenium , qui in ipsam Pauli Epistolam Ita scribit : *Præcipuis diebus , sive Festis post sacrorum mysteriorum participationem , agebantur communes cœnæ , præparantibus illas divitibus , ac pauperes invitantibus .* Eadem & alii Patres non pauci tradunt , ut ex eorum testimoniis patebit , quæ mox ad explicandas alias de Agapis quæstiones relaturi sumus .

VII. Siquis ergo interroget , quibus olim ex causis celebrarentur Agapæ , variæ certe sunt illæ , quas prisci Patres recensent . Sanctus Joannes Chrysostomus ea Pauli Apostoli verba : *Oportet hæreses esse* , exponens , non modo agaparum priscarum ritum luculentissime enarrat , verum etiam eam recenset causam , ut nimirum & mutua charitas foveretur , ditiores sua in pauperes charitate præberent se memores Christi in se ipsos charitatis , quam ipsi per Eucharisticam communionem probassent : *Fideles , inquit , omnes in conventibus suis postquam audissent doctrinas , post preces , post sacramentorum communionem , soluta*

soluta concione, non mox domum conscendebant; sed divites, & abundantiores alimenta, & edulia domibus suis afferentes, pauperes vocabant, communesque faciebant mensas, communia prandia, communia convivia in ipsa Ecclesia. Atque ita a communione mensæ, & pietate loci undequaque ad charitatem accendebantur, non absque summa voluptate, utilitateque maxima. Pauperes enim tum fruebantur consolatione, qualis obtingebat. Divites vero fructum benevolentiæ, & ab his, quos pascebant, & a Deo, propter quem illos pascebant, assequebantur, sicque tandem domum redibant. Multa hinc igitur proveniebant bona.

VIII. Fiebant præterea Agapæ præcipuis diebus, sive Festis, ut ex Oecumenio dictum est, ac præsertim in Natalitiis Martyrum, ut tradit Theodoretus, ad eorum solemnitates honorandas. Sic enim ait ad calcem Lib. VIII. Euangelicæ veritatis. *At illos*, Deos scilicet Gentilium, *Deus cassos gloria, vanosque reddidit: suis autem Martyribus honorem dedit. Pro prandiis enim, & Diosiis, ac Dionysiis, hoc est, Jovis, Liberique Patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Mauritio, aliisque sanctis Martyribus solemnitates populari epulo peraguntur: proque illa veteri pompa, pro turpi obscænitate, atque impudentia, fiunt modestæ, castæ, ac temperantia plenæ Festivitates, non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leves, non cachinnis solutæ, sed vivis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ.* Ecce hic iterum Agaparum veterum ritum eleganter descriptum, ubi inter alia notandum est illud, fuisse nempe Agapas ipsas *vivis canticis personantes*; quia scilicet, ut auctor est Tertullianus in recitato superius loco Apologetici Capite XXXIX. cogebatur e cœtu aliquis ut Canticum caneret a Scriptura petitum, vel a se ipso compositum: *Ut quisque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere.*

IX. Rursus celebrabantur Agapæ in Dedicationibus Ecclesiarum, uti videre est nostro II. Tomo Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum II. qui inscribitur, *De Ecclesiæ dedicatione, seu consecratione.* Erat mos antiquus, eumque sequutus S. Gregorius Magnus, dedicaturus Oratorium Beatæ Mariæ, convivium parari jussit, ita scribens Lib. I. Epistola LIV. ad Petrum Subdiaconum: *Sed quia cellæ ipsius tenuitas exigit, debere nos in ipsa diei festivitate concurrere, propterea volumus, ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus, in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verveces duodecim, gallinas centum, quæ tuis possint rationibus postmodum imputari.* Vide ejusdem sancti Pontificis Epistolam LXXI. ad Mellitum Abbatem Lib. IX. Porco Cella, cujus in superius laudata Gregorii Epistola ad Januarium fit mentio, appellabatur olim monasterium parvum, uti alibi a nobis notatum est.

X. Fuit quoque veterum mos in mortuorum funeribus Agapas celebrare, de eoque celebre, ac pervetustum est Origenis testimonium, qui Libro III. in Job prope finem sic inter alia scribit: *Sic itaque non diem nativitatis celebramus, quia in perpetuo vivunt ii, qui moriuntur. Celebramus nimirum religiosos cum Sacerdotibus convocantes, fideles cum Clero, invitantes adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu æterni Dei.* Fieri consuevisse funerales hujusmodi Agapas saltem in Occidente, in ipsis Ecclesiis, testis est S. Paulinus ad Aletium scribens, ubi agit de funere uxoris Ruffinæ filiæ sanctæ Paulæ: *Itaque patronos animarum nostrarum pauperes in aulam Apostoli congregasti.* Et paulo post: *Video congregatos ita distincta per accubitus ordinari, & profluviis omnes saturari cibis, ut ante oculos euangelicæ benedictionis ubertas, eorumque populorum imago versetur, quos quinque panibus, & duobus piscibus, panis ipse verus, & aquæ vivæ piscis Christus explevit.* Harum Agaparum funebrium una cum Agapis natalitiis, & connubialibus meminit quidem S. Gregorius Nazianzenus in Carmine, *De diversis vitæ generibus*, hoc disticho.

Non epulum notale adiens cum pluribus, aut quod
Funereum est, vel quod connubiale petens.

XI. Cum denique nil tam sanctum est, quod malitia hominum, ac illorum præsertim, qui divinis addicti sunt ministeriis, non vitietur, Synodus Laodicena anni CCCXIV. Can. XXVII. eos primum arguit tum Clericos, tum Laicos, qui ad Agapas vocati, ex appositis epulis particulas auferebant, domumque non sine ignominia Ecclesiastici Ordinis asportabant: *Quod non oportet eos, qui sacrati sunt ordinis, vel Clericos, vel Laicos ad Agapas vocatos, partes tollere, eo quod ignominia inuratur ordini Sacerdotali.* Ad convivia, quæ Agapes nomine instituebantur, pauperes tum ex sacro Ordine, tum ex Laicis quoque advocari soliti sunt; non enim in charitatis solum mutuæ indicium, sed etiam in pauperum solamen celebrabantur; ideoque merito illi carpuntur, præsertim sacri homines, qui postquam suæ gulæ, ac ventri satisfecerant, partem ex epulis Agaparum tollebant, domosque asportabant, in aliorum pauperum injuriam, & Ordinis Ecclesiastici contumeliam.

XII. Sed hisce omissis, eadem Laodicena Synodus Canone XXVIII. quod forte luxus, dissentiones, aliive abusus in ejusmodi Agapas irrepsissent, vetuit quidem, ne Agapæ ipsæ in Ecclesiis, sacrisque locis deinceps celebrarentur: *Quod non oportet in domiciliis divinis, idest, in Ecclesiis convivia, quæ vocantur Agapæ, fieri, nec intra domum Dei comedere, vel accubitus sternere.* Hæc sunt verba Canonis juxta Dionysii Exigui versionem; editio enim Herveti ita habet: *Quod non oportet in locis Dominicis, vel in Ecclesiis, eas quæ dicuntur Agapas facere, & in domo Dei comedere, & accubitus sternere.* Hunc Canonem, ut cuique legenti patet, totidem verbis, Trullana Synodus protulit; sed cum in ipso Laodiceno Canone nulla pœna adversus contumaces, ac præterea cum illi qui semel invaluerant abusus, prima Canonum prohibitione non evanescunt, Trullani Patres in hoc nostro præsenti Canone LXXIV. non modo Canonem Laodicenum renovarunt, verum etiam adversus illos, qui Agapas in Dominicis locis, vel Ecclesiis facerent, in iisque comederent, & accubitus sternerent, segregationis pœnam constituunt: *Qui autem hoc ausi fuerint, vel cessent, vel segregentur.*

XIII. Duo sunt, quæ in hisce Canonibus Lao-

Laodiceno, ac nostro Trullano observemus. Primum est, Dominica loca, sive Dominica absque alio additamento pro Ecclesiis usurpari, ejusque nomenclaturæ rationem reddit Eusebius Oratione, *De laudibus Constantini*, Cap. XVII. *In Urbibus*, inquit, *ac Pagis, in agris, ac desertis Barbarorum locis Fana, ac Delubra in honorem unius omnium Regis, ac Domini dedicavit, unde etiam Domini vocabula honorata sunt, non ab hominibus, sed ab ipso omnium Domino cognomentum sortita. Ab eo quippe* Dominica *appellantur*. Antiochiæ nobilissimum Templum fuisse, quod *Dominicum aureum* vocabatur, tradit in Chronico suo S. Hieronymus. Meminit & ejus vocabuli sanctus Cyprianus in Libro, *De opere, & eleemosynis*, ubi Matronam divitem reprehendit, quod *in Dominicum*, idest in Templum, vel Ecclesiam sine sacrificio ibat. Afferri possent & alia loca, quæ jam congessit eruditissimus Joannes Bona S. R. E. Cardinalis Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XIX. Num. IV. Quod vero Canon inter Ecclesiam, & Dominicum aliquid discriminis statuere videatur, ubi inquit, *in Dominicis locis, vel Ecclesiis*; diserte ait Zonaras particulam illam, *vel*, non habere hoc loco disjungendi vim, sed explicationis gratia pro, *&* positam esse. Id quod allatis tum divinæ Scripturæ, tum aliorum locis ostendit.

XIV. Alterum quod in laudatis Canonibus observemus, illud est, vetari scilicet in Ecclesiis accubitus, seu lectisternia, nempe, ut idem Zonaras explicat, *strata altius excitata, molliora que, quæ deliciarum, inertiæque sunt*. Fiebant ipsa aliquando in Ecclesiis, certis quibusdam casibus, nempe in vigiliis Festorum, aut in Præsulum transitu, qui in Ecclesiæ Sacrario solebant hospitio excipi. Cum autem apud Philonem legatur, lectisternia pro convivis adhibita, patet, hæc fuisse, quasi tegetes rudes, e vili contextas materia, sic humi aggestas, ut convivantes, cubitus suos eminendo fulcirent. Videtur ergo, ut scite notat Auctor Delectus Canonum Ecclesiæ universæ ad Canonem ipsum XXVIII. Laodicenum, non ut fideles dormirent, sed ut Agapas etiam celebrarent, admissa quandoque, & vetita postea lectisternia, pro rerum necessitate. Sic cum Gensericus multos ex Italia tam mares, quam feminas captivos Carthaginem abduxisset, & Deo gratias Episcopus divendita Ecclesiæ optima supellectile, & vasis aureis sacris, plurimos inde redemisset, eos interim omnes promiscue in duobus Templis hospitio excepit, paratis ad hoc lectisterniis, & ad victum utensibilibus, donec de eorum in patriam reditu providisset.

XV. Quemadmodum ab Oriente Laodicena, & Trullana Synodi Agapas ob irreptos abusus proscripsere, ita quoque ab Occidente Synodi, ac Patres easdem conati sunt extirpare. Quantus esset in Africa abusus, tradit S. Augustinus, qui cum adhuc Presbyter esset, scribens Epistola sua LXIV. ad Aurelium Carthaginensem Archiepiscopum de reformandis Africanæ Ecclesiæ abusibus, ita inquit: *Comessationes, & ebrietates ita concessæ, & licitæ putantur, ut in honorem etiam Beatissimorum Martyrum, non solum per dies solemnes, quod ipsum quis non lugendum videat, sed etiam quotidie celebrentur*. Huic abusui occurrit Synodus III. Carthaginensis anni CCCXCVII. Can. XXX. ubi ita statuit: *Ut nulli Episcopi, vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur*. Vetat in Ecclesia convivia, nisi ex gravi necessitate, vel cum non essent, quibus hospites exciperentur, ædes. Ita Sanctus Martinus, ita etiam S. Chrysostomus cum de Cucuso in Pontum deferretur, excepti sunt. Pauperes ita fuere aliquando Episcopi, ut cum vix possent peregrinantem Episcopum cum comitatu, ad angustiorem domum suam invitare, in remotioribus Ecclesiæ angulis, aut loco iis adjuncto, utcumque diversari ille cogeretur.

XVI. Tandem ut alias omittam Occidentis Ecclesias, a quibus zelantissimi Præsules Agapas proscripsere, vetuit certe illas in Ecclesia Mediolanensi S. Ambrosius, testemque ejus rei habemus S. Augustinum Lib. VI. Confessionum, Cap. II. ubi agens de matre sua S. Monica in Italiam advecta, hæc habet: *Itaque cum ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes, & panem, & merum attulisset, atque ab Ostiario prohiberetur, ubi hoc Episcopum* (nempe S. Ambrosium) *vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa est, ut ipse miraretur, quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta est*. Ubi nota I. quod scite ad hunc locum observat Lupus, cum pleno eduliorum canistro, consuevisse olim pias Matronas ad singulas Sanctorum Ecclesias accedere, in iisque singulis aliquid gustare, & cunctis præsentibus gustandum porrigere. II. primævam Agapen in varias postmodum declinasse species, cunctasque in Ecclesia Mediolanensi a S. Ambrosio fuisse proscriptas. III. solitum fuisse Ostiarium foribus Ecclesiæ adesse, ne quid in ipsa ageretur, quod Canonicis, & Pontificiis legibus contrarium esset.

CANON LXXV.

Eos, qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus, nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt, & apta non sunt, adsciscere, sed cum magna attentione, & compunctione Psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre. Pios enim, & sanctos fore filios Israel sacrum docuit oraculum.

COMMENTARIUS.

I. Cantum Ecclesiasticum originem suam a Christo Domino, & ab Apostolis ducere, abunde a nobis ostensum est Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. IV. inscripto, *De cantu Ecclesiastico, de variis ejus tonis, & de schola Cantorum, ac de instrumentis*

mentis musicis; in eoque multa scitu digna notavimus. Ne itaque iterum actum agamus, ea hic explicabimus tantum, quæ præsens Canon statuit de ipso cantu Ecclesiastico. Primo mandat, alienum esse debere ab inordinatis vociferationibus; cum enim Psalmos in Ecclesia canendi consuetudo deprecatio quædam sit ad Deum, qua Numinis ob ea, quæ admisimus, irritati, pacem nobis, ac veniam, votis supplicibus imploramus: clamores autem, inconditæque vociferationes, non demissionis, atque modestiæ, sed audacia elati, ac temere exultantis animi argumentum sint, merito abusum Canon refellit canendi in Ecclesia Psalmos inconditis ac violentis vociferationibus, ut hodieque fieri præsertim ab Eunuchis assolet.

II. Damnavit jam olim hunc abusum S. Cyprianus in Libro, *De Oratione Dominica*, circa initium, variis petitis e divina Scriptura locis demonstrans, rem esse absurdissimam, inconditis vocibus Deum precari: *Quando*, inquit, *in unum cum fratribus convenimus, & sacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ, & disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste Deo, tumultuosa loquacitate jactare; quia Deus non vocis, sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt.* Damnat & hujusmodi clamores, vociferationesque S. Hieronymus, qui expendens locum illum Apostoli ad Ephesios, *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*, ita scribit: *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum, nec in tragœdorum modum guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica, sed in timore, in opere, in scientia scripturarum.*

III. Alienus ab hisce clamoribus Cantorum fuit quidem S. Athanasius Episcopus Alexandrinus, *qui*, teste S. Augustino Lib. x. Confessionum Cap. xxxiii. *tam modico flexu vocis faciebat sonare Lectorem Psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti.* Huic simillimum est, quod refert S. Isidorus Lib. i. *De officiis Ecclesiasticis*, Cap. v. primis temporibus cantum pronunciationem potius quandam fuisse, quam harmoniam: *Primitiva Ecclesia ita psallebat, ut modico flexu vocis faceret psallentem resonare; itaut pronuncianti vicinior esset, quam canenti.* Utitur ipsissimis Augustini verbis, quæ paulo superius descripsimus. Consuevisse Fideles Augustini ævo pure, & simpliciter psallere, eamque ob causam a Donatistis notatos, quorum cantus adeo violentus erat, ut tubarum clangorem imitaretur, tradit idemmet Augustinus Epistola cxix. Cap. xviii. *Donatistæ nos reprehendunt quod sobrie psallimus in Ecclesia divina Cantica Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum quasi tubas exhortationis inflamment.*

IV. Cantus Ecclesiasticus qualis esse debeat, præter alios Patres, scite explicat S. Bernardus in Epistola cccxcviii. ultimæ editionis, ad Guidonem Abbatem, & Fratres Arremarenses, sic dicens: *Cantus ipse, si fuerit, plenus sit gravitate; nec lasciviam resonet, nec rusticitatem; sic suavis, ut non sit levis; sic mulceat aures, ut moveat corda, tristitiam levet, iram mitiget; sensum litteræ non evacuet, sed fecundet. Non est levis jactura gratiæ spiritualis, levitate cantus abduci a sensuum utilitate, & plus sinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus.* Monent id passim Patres, ac Synodi, sed frustra; qui enim in Ecclesiis hodie canunt Eunuchi, præsertim ubi Festa celebrantur, more certe theatrico canunt, non ad devotionem excitandam, sed ostentationis ergo, vel ad delectationem provocandam. Hodierni cantus abusum egregie describit S. Aelredus Abbas Rievalensis Lib. II. Speculi charitatis, Cap. xxiii. tametsi Seculo Christi xii. floruerit; ejusque locum lectu dignum attulimus nos nostro i. Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. iv.

V. Mandat secundo Canon, ut *cum magna attentione, & compunctione Psalmodias Deo, qui est occultorum inspector*, offeramus. De attentione in Psalmodia requisita, fuse & passim Theologi, præsertim Casuistæ, disserunt. Quod compunctionem spectat, celebre est illud Apostoli in Epistola ad Colossenses, Cap. iii. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes & commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Ad quæ verba scitissime admonet S. Hieronymus, *Deo non voce, sed corde cantandum*, idest corde magis, quam voce. Extat ipsum Hieronymi testimonium apud Gratianum Can. i. Distinctione xcii. ubi Glossographus hosce versus adducit.

Non vox, sed votum; non cordula musica, sed cor:
Non clamans, sed amans, clamat in aure Dei.

Cui consonat illud S. Benedicti tantopere alumnis suis inculcatum: *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.* Id quod pluribus verbis, sed eodem plane sensu expressit S. Augustinus Sermone iii. in Psalmum xxx. sic inquiens: *Si orat Psalmus, orate. Et si gemit, gemite. Et si gratulatur gaudete. Et si sperat, sperate. Et si timet, timete.* Merito proinde idem S. Doctor Cap. ix. Regulæ ait: *Psalmis, & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.*

VI. Corde magis a Cantore, quam ore cantandum, ut nimirum per aures in mentes trajiciatur veræ pietatis, & compunctionis sensus, docet S. Isidorus Episcopus Hispalensis Libro II. *De Ecclesiasticis officiis*, Cap. xii. *Vox ejus*, inquit S. Doctor, *Christianam simplicitatem in ipsa modulatione demonstret, nec quæ musica, vel theatrali arte redoleat, sed quæ compunctionem magis, audientibus faciat.* Hinc illa olim Cantorum abstinentia, jejunia, & solus plerumque esus leguminum, quorum usu vox ipsa convalescere putabatur: *Antiqui enim pridie quam cantandum erat, cibis abstinebant; psallentes tamen legumina in causa vocis assidue utebantur. Unde & Cantores apud Gentiles Fabarii dicti sunt.* Quam pie canere debeat Cantor, docet inter alios S. Gregorius Lib. iv. Epistola xliv. *Cantor*, inquiens, *minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat.* Docet idipsum in sua ad Canonicos Regula Crodogangus Metensis Episcopus Cap. l. *Psalmi in Ecclesia non cursim, aut in excelsis, atque inordinatis, seu intemperatis vocibus, sed plane, & lucide, cum compunctione cordis recitentur, ut & recitantium mens illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronunciatione demulceantur.*

VII. Quanta debeat esse Cantorum pietas, jam

jam olim expressit Synodus IV. Carthaginensis, anni CCCXCVIII. Can. X. ubi hæc recensetur formula, a Presbytero dicenda Cantori, quando ad cantandi officium ordinatur: *Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes*. Verum hodie, dolenter refero, verbisque ipsissimis utor eruditissimi Stephani Durantі Lib. III. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXI. Num. II. *In Ecclesiis musici, qui Cantorum vice funguntur, hominum omnium dissolutissimi sunt, adeo ut adagium populo dederint, Musice vivere, hoc est, dissolute, & effeminate*. Hos e choro dejici optabat quidem magnus ille Gandensium Præsul Wilielmus Lindanus Lib. IV, *Panopliæ Evangelicæ*, Cap. LXXVIII. dicens, *Musicos plurimos esse dignissimas, ut de choro ejiciantur, tum propter impudicos amorum, aut indignos bellarum modulos facrit Dei laudibus inspersos, tum theatricam magis funerum confusionem, quam religiosam pietatis, ac devotionis moderationem, quam piorum animis passim gignere noscuntur. Non enim nunc suo cantu Musici auditorum animos tam ad pietatis cultum, cælestiaque excitant desideria, quam avocant, avertunt, alienant*.

VIII. Longe plura in eum abusum notat, sed non omittendum quod statim hucusque dictis subjungit: *Scio enim aliquando divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissimus auscultarem, ecquid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum repetitionibus commista, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis, quam cantu obscurata*. Hæc quidem sunt, quæ sibi quisque pluries accidisse, cum divinis officiis Musice decantatis interesse contigit, fateri ingenue non cogatur. Exoptandum sane, ut ii qui frequenter ad Ecclesias pergunt, ut Eunuchorum concentu musico delectentur, aliquando intelligant celeberrimam illam Augustini sententiam Lib. X. Confessionum, Cap. XXXIII. ubi ita ait: *Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ cantatur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem, me non audire cantantem*.

IX. Statuit tandem & illud noster Canon Trullanus, ne cantui sacro misceantur, *quæ Ecclesiæ non conveniunt, & apta non sunt*. Olim teste Tertulliano in Apologetico Cap. XXXIX. rogabatur quidem post Agapas, quæ, uti in Canonem præcedentem dictum est, in Ecclesia celebrabantur, e cœtu aliquis ut Canticum caneret a scriptura petitum, vel a se ipso compositum: *Ut quisque de scripturis sacris, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere*. At vero Synodus Laodicena anni CCCLIV. Can. LIX. statuit, ut ne Psalmi alii cantentur, nec legantur libri alii in Ecclesia nisi veteris ac novi Testamenti: *Quod non oportet privatos, & vulgares aliquos Psalmos dici in Ecclesia, nec libros non Canonicos, sed solos Canonicos veteris & novi Testamenti*. Ad hunc Canonem aliosque similes alludens Synodus Bracharensis anni DLXIII. Can. XII. statuit: *Item placuit, ut extra Psalmos, vel Canonicarum Scripturarum veteris & novi Testamenti, nihil poetice compositum in Ecclesia psallatur, sicut & sancti præcipiunt Canones*. Multa, quæ hic dici possent, jam fuse explicuimus supra in Commentario ad Canonem LXIII. Id unum hoc loco addiderim, eos qui Latinum aliquod vel vulgare carmen ab aliquo Poeta compositum, & præsertim si ab Episcopo minime probatum sit, in Ecclesia inter Missarum solemnia, vel divina officia cani sinunt, ut alicubi fieri assolet, in sacros Canones, qui id passim vetant, impingere.

CANON LXXVI.

Quod non oportet intra sanctos ambitus cauponariam officinam, vel ciborum species proponere, vel alias venditiones facere, suam venerationem Ecclesiis servantes. Salvator enim noster, & Deus per suam in carne vivendi rationem nos instituens, non facere domum Patris sui domum negotiationis jussit, qui etiam numulariorum mensas effudit, & eos, qui sacrum commune faciunt, ejecit. Siquis ergo in prædicto delicto deprehensus fuerit, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. Legimus in Evangelio Matthæi Cap. XXI. Christum olim ad Judæos Templi profanatores dixisse: *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum*. Ne igitur eadem fidelibus objici queant, ne intra sacri loci ambitum caupонas extruere, nevе esculenta, aut alia quæcumque venalia habere liceat, Canon decernit. Cum autem ipsemet Canon alludat ad factum Christi ejicientis ementes, & vendentes in Templo, non obscure innuit, etiam ad ea quæ Sacrificium, aut Ecclesiæ usum spectare possent, hanc prohibitionem extendi: cum teste Venerabili Beda, quæ in Templo Hierosolymitano vendebantur, & a Christo ejiciebantur, ad usum Sacrificiorum illius temporis pertinerent. Ex quo illud addiscere licet, alienum esse a mente Patrum, quod hodie sacri ac religiosi homines facere passim non verentur, dum ipsimet alicubi in ipsis sacris Templis Zonas pelliceas, quas S. Monicæ appellant, itemque Rosaria, aliaque id genus Fidelibus ad illorum Ecclesias confluentibus vendunt.

II. Neque vero intra Ecclesiæ fines, sed & intra sacri loci ambitum emptiones illas, atque venditiones fieri Canon vetat. Sunt vero sacri loci ambitus, ut Zonaras, & Balsamon explicant, loca omnia, quæ sacris Templis adjuncta sunt, itaut neque in Templorum areis, neque in vestibulis aliquid ejusmodi fieri Canon sinat, quamvis ea nunc impune quivis admittat, conniventibus Ecclesiarum Rectoribus, qui lucri alicujus gratia abusum illum permittunt, etiam intra ambitum sacri Templi, ut in suo *De sacris Templis*, opere Parte I. Cap. XXXVII. notavit jam Tobias Corona Cle-

Clericus Regularis. Licet autem hodieque abusus ipse ubique fere locorum vigeat, suam tamen Patres Trullani sententiam ex Euangelio confirmant, nosque ita a Christo edoctos esse asserunt, qui, ut in ipso Euangelio Matthæi habetur, & Judæis, ne domum Patris sui, domum negotiationis facerent, imperavit; & mercatores a Templo expulit, & nummulariorum mensas evertit.

III. Christi exemplo excitatæ insequentium sæculorum Synodi, conatæ sunt emtiones ipsas, venditionesque a sacrorum Templorum, & Cœmeteriorum ambitu eliminare. Ut enim nonnullas recenseam, Lugdunensis II. generalis Synodus, relata a Bonifacio VIII. in Sextum Librum Decretalium, Cap. II. *De immunitate Ecclesiæ*, inter alia districte mandat, ut *cessent in Ecclesiis, earumque Cœmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum, ac fori cujusque tumultus.* Synodus Exoniensis anni MCCLXXXVII. Can. XIII. post allatum Christi Domini factum, qui ementes & vendentes ejecit de templo, ita inquit: *Ne igitur ubi delictorum est venia impetranda, delicta delictis gravius accumulentur, districte prohibendo statuimus, ne in quibusdam Ecclesiis nostræ Diœcesis, atriis earum, vel cœmeteriis, mercata, seu placita sæcularia de cætera teneantur, nec ullas negotiationes quisquam exercere præsumat.* Ex Basileensi Synodo Sessione XXI. id quoque cautum est, ut *Ecclesiarum Rectores mercantias, seu negotiationes nundinarum in Ecclesia, aut etiam Cœmeterio exerceri amplius non permittant.*

IV. Afferri possent pene innumeri ea in re Canones, sed satis est recensere Decretum S. Caroli, qui in sua Synodo Provinciali I. Parte II. Cap. LVII. sensum nostri Trullani Canonis assequutus, constituit quidem, *ne Clericus, aut alius quivis in Ecclesiis, earumque Cœmeteria, atrio, vestibulo, aut porticu, foribusque quidquam venale exponat, ne si ad usum quidem sacrificii, vel Ecclesiæ futurum sit.* Idipsum eisdem verbis decrevit Synodus Aquensis anni MDLXXXV. pluresque aliæ Synodi. Ex quibus illud magis magisque addiscimus, rem esse absurdam, quod in atriis, porticibus, foribusve Templorum, potissimum vero intra ipsas ædes sacras, ut hodieque passim alicubi fit, res vendantur, tametsi ad sacrificium, aut Ecclesiæ usum, vel fidelium devotionem spectare possent.

V. Vetitum esse Religiosis viris aromatoriam exercere tabernam, jam fuse ostendimus supra in Commentario ad Canonem LX. ubi Decretum Sacræ Congregationis Apostolicæ Visitationis attulimus, quo ea negotiatione Religiosi viri prohibiti sunt. Puto equidem me operæ pretium facturum, si in calce hujus Commentarii, sanctæ memoriæ Clementis XII. literas describam, quibus tum illud, tum aliud Decretum Congregationis particularis anno MDCCXXII. editum favore Aromatariorum Urbis confirmatur. Sunt autem hujusmodi.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias a Congregatione particulari tunc existentium S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc in minoribus constituti eramus, ac Romanæ Curiæ Prælatorum, ac Medicorum, a fel. rec. Innocentio PP. XIII. Prædecessore nostro specialiter deputata ad favorem dilectorum filiorum Aromatariorum de Urbe emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Die XXV. Januarii MDCCXXII. Sacra Congregatio particularis deputata, in qua interfuerunt Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinales, Paulutius Almæ Urbis Vicarius, Corsinus, & Annibal Albanus S.R.E. Camerarius, ac Reverendiss. PP. DD. Colligola Thesaurarius generalis Cameræ Apostolicæ, Marefuscus Auditor Sanctissimi Domini Nostri Papæ, Pallavicinus Secretarius Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ, & ego Vicesgerens, & Secretarius, necnon Illustriss. D. Nicolaus de Michelangelis Medicus a Secretis Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & D. Pasculus unus de Collegio Medicorum inhærendo decreto Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ edito die XXIX. Augusti MDCCXXVII. & resolutioni, seu voto emanato a Congregatione præcedenti in hac Causa habita die IX. Decembris MDCCXX. juxta majorum Suffragiorum calculum, stetit in decisis, seu in resolutis, juxta modum, nempe censuit, insinuandum, & consulendum esse Sanctissimo Domino Nostro Papæ Innocentio XIII. feliciter regnanti, ut omnino prohibeantur omnes, & singuli Regulares utriusque Sexus in hac Alma Urbe, ejusque districtu degentes, etiam Cassinenses, Fratres Prædicatores, Societatis Jesu, Minimi, aliique omnes quorumcumque Ordinum, & Congregationum, nec per se, neque per alios, nec etiam Religionis nomine artem aromatariam præterquam suorum Religiosorum, aut alumnorum usibus exerceant, ac insuper ne ullo modo Secularibus, aut aliis Religiosis, & Ecclesiasticis Pharmaca, aut medicamenta sive composita, sive non composita, sive præparata, nec etiam Theriacam, Mitridatum, Hyacinthum, Balsamum, Chinam, Rhabarbarum, atque res ullas chimicas cujusvis generis, aut speciei, neque sub prætextu amicitiæ, aut familiaritatis, aut alio quovis titulo, causa, vel colore vendant, permutent, aut donent, prævia etiam revocatione omnium, & singulorum Decretorum, seu Rescriptorum cujuslibet Sacræ Congregationis quocumque tempore latorum etiamsi fuerint cum Brevibus Apostolicis, clausula sublata, & Decreto irritanti communitis approbata, seu confirmata ullo modo concedentium Regularibus, seu Monialibus licentiam vendendi Theriacam, Hyacinthum, Balsamum, Medicamenta chimica, aut alia quæcumque cujusvis generis, & speciei, sub pœnis Superioribus utriusque sexus Religiosorum contravenientibus, consolentibus, aut quoquo modo tolerantibus Suspensionis a Divinis ipso facto irremissibiliter incurrendæ, privationis vocis activæ, & passivæ, prohibitionis imposterum exercendi, aut exercere faciendi aromatariam in eorum Domibus, Monasteriis, atque Conventibus, etiam pro eorum usu, ac ulterius confiscationis ejusdem Aromatariæ per R. P. D. Thesaurarium Generalem faciendæ, eum facultate procedendi etiam per solam inquisitionem, & applicandi tertiam partem illius secreto Denunciatori. Et facta relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua præfatam insinuationem, seu resolutionem laudavit, & approbavit, cum his tamen declarationibus, & limitationibus, nempe ut in præfata generali prohibitione non intelligantur comprehensi Fratres Hospitalarii Sancti Joannis de Deo Urbis, & Districtus, etiam juxta vota nonnullorum

RR, PP. sed eis licitum sit non solum Aromatarias in eorum Conventibus, & Hospitalibus pro Infirmorum, Religiosorum, atque Alumnorum usibus habere, sed etiam de eis vendere Pharmaca, & medicamenta Sæcularibus, Religiosis, & Ecclesiasticis quibuscumque, dummodo præfatæ Aromatariæ quolibet anno per Medicos, & Pharmacopolas deputandos ab Eminentiss. Cardinali Vicario visitentur, ac insimul totum lucrum, quod ex ejusmodi venditione retrahetur, pro manutentione Aromatariarum, & sustentatione, & augmento Hospitalium in eorum Conventibus, seu Domibus existentium, ac Infirmorum inibi degentium, seu in beneficium Ecclesiarum, & Sacristiarum uniuscujusque Domus, aut Conventus integre, & fideliter erogetur, cujus cognitionem eidem Eminentissimo Cardinali Vicario remisit, Respectu vero aliorum Regularium voluit, & declaravit Sanctitas sua, posse eis indulgeri, ac permitti venditionem Theriacæ, & Balsami apoplectici tantum pro majori publico bono, dummodo obtineant ab eodem Cardinali Vicario licentiam in scriptis ad tempus ejus arbitrio duraturam, & lucra exinde retrahenda in beneficium Ecclesiarum, & Sacristiarum uniuscujusque eorum Domus, Monasterii, aut Conventus simili modo erogent, & ita prohiberi, servari, & respective exequi omnino mandavit sub pœnis ut supra expressis. Non obstantibus quoad supradicta omnia, & singula in præsenti Decreto contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, sive Congregationis Cassinensis, Fratrum Prædicatorum, Societatis Jesu, Minimorum, aut aliorum quorumcumque tam mendicantium, quam non mendicantium, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti etiam necessario, & individue exprimen., Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, & aliorum quorumcumque Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expresse derogat, ceterisque contrariis quibuscumque. Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præsentes Ordinationes in Valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; utque earumdem præsentium transumtis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die xi. Martii MDCCXXII. N. Episcopus Bojanen. Vicesgerens præfatæ Congregationis particularis Secretarius, Joseph Cisnetti Secretarius. Loco ✠ Sigilli. Cum autem, sicut pro parte dictorum Aromatariorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ, confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Julii MDCCXXXIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

C A N O N LXXVII.

Quod non oportet sacris initiatos, vel Clericos, vel Ascetas, idest, Exercitatores, seu Monachos, lavari cum mulieribus, nec omnem Christianum, aut Laicum. Hæc est enim prima condemnatio apud Gentes. Siquis autem in hoc deprehensus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; sin autem Laicus, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. IDem est hic Canon, quo viri præsertim Ecclesiastici cum mulieribus lavari prohibentur, cum Canone xxx. Laodicenæ Synodi, quamvis ille absque ulla pœnarum mentione editus, hic vero eos eodem balneo cum feminis utentes, si quidem Clerici fuerint, depositione; si vero Monachi, aut Laici, segregatione puniri mandet. Verba laudati Canonis Laodiceni ex versione Dionysii Exigui hæc sunt: *Quod non oportet sacris officiis deditos, aut Clericos, aut Continentes, vel omnem Laicum Christianum, lavacra cum mulieribus celebrare; quia hæc apud Gentes repreben-*

prehensio primò est. Continentes idem sunt, ac Exercitatores, seu Monachi, qui etiam Ascetæ vocabantur, uti in hoc nostro Canone videre est.

II. Ratio horum Canonum, ut scite observat Zonaras, nititur quidem præclarissimo Apostoli monito, qui in Epistola I. ad Corinthios, Cap. X. ait: *Oportet honesta providere coram Deo, & hominibus*. Et alibi: *Sine offensione estote & Judæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei*. Quod si viri cum mulieribus simul laventur, magnam offensionem apud eos, qui id conspicati fuerint, ea res facile excitabit; &, si vel ipse mulieris in privata domo, aut in via forte occurrentis aspectus perturbationum fluctus in animis utplurimum commovet: qui cum eis viri una lavantur, qui fieri potest, ut non iisdem laticibus ipsorum quoque mentem demergat, & cupiditatis aliquid, ac libidinis in eorum animis ea societas excitet?

III. Scitissime versat hoc argumentum S. Cyprianus, cujus verba in Libro, *De habitu Virginum*, hæc sunt: *Quid vero quæ promiscuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curiosis pudori, ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt, quæ cum viros, atque a viris, nudæ vident turpiter, ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant, nonne ad corruptelam, & injuriam suam desideria præsentium sollicitant, & invitant?* Et statim virgini objicienti, parum curare se, qua ad balneum mente quis pergat, cum sibi tantum reficiendi corpusculi cura sit, & lavandi, hunc in modum respondet: *Non te purgat ista defensio, nec lasciviæ, & petulantiæ crimen excusat. Sordidat lavatio ista, non abluit, nec emundat membra, sed maculat. Impudice tu neminem conspicis, sed ipsa conspiceris impudice. Oculos tuos turpi oblectatione non polluis, sed dum oblectas alios, ipsa pollueris. Spectaculum de lavacro facis. Theatra sunt fœdiora quo convenis. Verecundia illic omnis exuitur; simul cum amictu vestis honor corporis, ac pudor ponitur; denotanda, & contrectanda virginitas revelatur. Jam nunc considera, an cum vestita es, verecunda sit inter viros talis, cui ad inverecundiam proficit audacia nuditatis.*

IV. Nihil sane esse magis pronum ad libidines, quam eorum non modo quæ natura abscondit, sed etiam quæ disciplina velavit, membrorum operta nudare, graviter dixit S. Ambrosius Lib. III. De Virginibus. Plura ea in re tradit S. Hieronymus, præsertim vero in Libello, *De vitando suspecto contubernio*, ubi inter lasciviæ argumenta nuditatem quamcumque feminei corporis recenset: *Vestis ipsa vilis, & pulla, animi jacentis indicium est, si rugam non habeat, si per terram, ut altius videaris, non trahatur, si de industria dissuta sit tunica, ut aliquid intus appareat, operiatque quod fœdum est, & aperiat quod formosum.* Et paulo post: *Palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros, & quasi videri noluerit, celare festinat, quod volens detexerat. Et quando in publico quasi per verecundiam operit faciem, lupanarium arte id solum ostendit, quod ostensum magis placere potest.* Idem S. Doctor in Epistola ad Demetriadem, quam de servanda virginitate informat, inter notas insignis lasciviæ, pectoris, humerorum, ac cervicum retectionem recensens, de puellis pedissequis ita ait: *Illa tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit, esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus, & colla denudat, nec pallio revoluto cervicem aperit, sed quæ celat faciem, & vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur.*

V. Invehitur in audaciam nuditatis mulierum Tertullianus quidem non uno in loco; sed audiamus S. Clementem Alexandrinum Lib. II. *Pædagogi*, Cap. II. ubi cum retulisset feminas quasdam alabastris admodum in ore angustis bibentes, capita reflectere, & jugulum extendentes colla denudare, id valde sugillat, figitque hunc Canonem: *Nullo modo permittendum est mulieribus, ut appareant aliquid corporis denudantes, ne ambo prolabantur: hi quidem, ut qui ad videndum incitentur; illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attrahant.* Et Cap. IX. ibidem illud etiam tradit, quod olim docuit Herodotus Lib. I. mulieres simul cum tunica pudorem exuere. Id quod etiam notavit S. Cyprianus in recitato superius loco, ubi loquens de balneis, ac de Virginibus, quæ in iis nudæ lavabantur, ait: *Verecundia illic omnis exuitur, simul cum amictu vestis, honor corporis, ac pudor ponitur.* Esse eam Herodoti sententiam, tradit inter alios S. Hieronymus Lib. I. adversus Jovinianum, dicens: *Scribit Herodotus, quod mulier cum veste deponit & verecundiam.*

VI. Hinc idemmet S. Doctor tum vitandæ nuditatis causa, tum quod balnearum fomentis sopiti concupiscentiæ ignes suscitantur, earum usum virginibus vetat, tametsi solæ ipsæ laventur, virisque omnino, ac mulieribus aliis absentibus. Sic enim scribit in Epistola ad Lætam de institutione filiæ illam informans: *Scio præcepisse quosdam, ne virgo Christi cum Eunuchis lavet, nec cum maritatis feminis, quia alii non deponant animos virorum; aliæ tumentibus uteris præferant fœditatem: Mihi omnino in adulta virgine lavacra displicent, quæ seipsam debet erubescere, & nudam videre non posse.* Tum statim addit: *Si enim vigiliis, & jejuniis macerat corpus suum, & in servitutem redigit; si flammam libidinis, & incentiva ferventis ætatis extinguere cupit continentiæ frigore; si appetiti sordibus turpare festinat naturalem pulchritudinem; cur e contrario balnearum fomentis sopitos ignes suscitat?* Idipsum docet in Epistola ad Rusticum, cui vivendi formam Monacho dignam præscribit: *Balnearum*, inquit, *fomenta non quærat, qui calorem corporis, jejuniorum cupit frigore extinguere.*

VII. Quamquam vero ea sit Hieronymi opinio, constat tamen, balneorum usum fuisse olim adeo necessarium ad salutem, & munditiam corporis (vix enim tum temporis indusiis lineis utebantur) ut inter alios sanctitate præstantes, etiam S. Joannes Apostolus illa adierit, teste S. Polycarpo apud S. Irenæum Lib. III. Cap. III. & apud Eusebium Lib. III. *Historiæ*, Cap. XXII. *Olim*, inquit, *Joannes Apostolus in balneum lavandi sui causa ingrediens, cum certior factus esset, Cerinthum intus esse, actutum ex eo loco resiliit, & se proripuit foras, illudque tectum subire non omnino sustinuit. Atque ad hunc modum comites suos hortatum ferunt:* Fugiamus extemplo, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis hostis moratur, subito concidens nos opprimat.

VIII. Affert ejus rei historiam in secundam S. Joannis Epistolam Venerabilis Beda, ex eoque Gratianus in Can. *Omnis*, XXIV. Quæstione I. ubi Glossa ex eo quod Theodoretus Lib. II. *Hæreticarum fabularum*, ait Joannem adiisse Balneum

ob valetudinem imbecillam, illud sane colligit, Religiosos nonnisi in necessitate posse balnea intrare. Probari potest id primo auctoritate S. Augustini, qui in Regula sua Cap. VIII. ita quidem præscripsit: *Lavacrum etiam corporis, cum infirmitatis cogit necessitas, minime denegetur. Fiat tamen sine murmure de consilio medici, ita ut etiam si nolit, jubente Præposito, faciat, quod faciendum est pro salute; si autem velit, & forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur; aliquando enim etiamsi noceat, prodesse creditur, quod delectat.* Idem docet in Regula sua S. Isidorus, Cap. XXI. sic dicens: *Nec differendum est lavacrum propter medelam, si expedit: nec murmurandum est, si fiat, quia non fit pro appetitu voluptatis, sed remedio tantum salutis.* Et ut alios omittam, qui videri possunt apud Haeftenum Disquisitionum Monasticarum Lib. XI. Tractatu V. Disquisitione VI. S. Petrus Damiani alumnis suis ita præscribit in Opusculo suo XV. Cap. XVIII. *Balneis vero si fuerint incolumes non utantur.*

IX. Jam non modo infirmis, verum etiam sanis usum balnearum concessit quidem S. Benedictus, uti constat ex ejus Regula Cap. XXXVI. *Balnearum usus in infirmis quoties offeratur. Sanis autem, & maxime juvenibus tardius concedatur.* Plura in eum locum notat Edmundus Martene, aliique Regulæ S. Benedicti Expositores, ubi etiam loqui illum ajunt de balneis domesticis, quæ in ipso erant Monasterio, eamque indulgentiam alumnis suis etiam sanis fecisse, quod tunc temporis ea vigeret consuetudo, munditiæ causa. Eam ob causam sanis quoque menstruam lotionem concessit S. Augustinus in ipsa Regula sua, Cap. VIII. ubi ita inquit: *Lavacrum etiam corporum, usasque balnearum non sit assiduus, sed eo, quo solet intervallo temporis tribuatur, hoc est, semel in mense.* Erant hæc balnea, quæ concedebat Augustinus, non domestica, sed externa, uti constat ex laudata ejusdem S. Patris Regula, ubi ita inquit: *Nec eant ad balnea, sive quocumque ire necesse fuerit, minus quam duo, vel tres.*

X. Post Augustini ævum non addubito, quin Monachi proprias haberent balneas in Monasteriis suis; statuit namque in sua Regula S. Benedictus, non construendum Monasterium, nisi omnia necessaria in eo habeantur, *ut non sit necessitas Monachis vagandi foras.* Hinc vetus Regula Solitariorum, quæ passim S. Benedicti verba describit, etiam balneum quoddam, & domesticum Anachoretis ipsis concedit, sic dicens Cap. L. *Habeant Solitarii intra cellulam retrusionis, dolium, & quoties expedit, Sacerdotes pro munditia corporis balnearum usu fruantur.* Hinc quoque Cassiodorus Libro, *Divinarum lectionum*, Cap. XXIX. describens Vivariense Monasterium, quod omnibus ad Monasticam vitam necessariis instruxerat, ita ait: *Balneas quoque congruenter præparatas corporibus jussimus ædificari, ubi fontium perspicuitas decenter illabitur, & potui gratissima cognoscitur, & lavacris.*

XI. Ritus, ac ordo, quo in domesticis balneis lavabantur Monachi, ita a Lanfranco Cap. I. Statuorum, §. II. describitur: (Ipsa autem balnea hoc ordine disponantur. Præcedente die debet Abbas, aut qui tenet ordinem, providere unum senem Religiosum, atque prudentem, cui præcipiat curam habere de ipsis, qui commoneat Fratres, qua hora ire debeant, & videre, quam ordinate ibi se contineant: qui senior illuc pergens videat, qualiter sint præparata, & quales famuli ibi sint deputati, scilicet, non infantes, nec juvenes, sed ætate provectiores. Quod si aliquid incongruum viderit, indicet Camerario, & ille statim emendet; reversusque senior in claustrum commoneat fratres, quod opus esse cognoverit. Sed hoc caveat, ne adolescentes, & Novitii simul eant, sed cum senioribus. Illi vero Fratres, quos commonuerit, postquam rasi fuerint, accipientes vestimenta, quæ mutare debent, pergant ad locum, in quo balnea præparantur; ibique exuentes vestimenta sua sic ordinate, ut in dormitorio facere consueverunt, intrent unusquisque ubi ei fuerit demonstratum: & deposito velo, quod ante eos pendet, sedeat cum silentio. Siquid vero ei necessarium fuerit, modeste signo aliquo petat; famulus vero elevato velo, deferat illi celeriter quod petit, & statim revertatur. Postquam satis ablutus fuerit, non delectetur ibi diutius demorari. Surgens vero calciatus, atque vestitus, sicut in dormitorio consuevit, ablutis manibus, revertatur in claustrum. Adolescentes, qui sunt in custodia, cum custodibus suis eant, & revertantur. A prima usque ad Completorium, omnibus horis possint ire Fratres ad balnea, sed nullus præsumat ire absque licentia Fratris, cui hoc commissum est.

XII. Hactenus Lanfrancus, ex quo etiam habemus, balneari consuevisse Monachos in Vigilia S. Thomæ Apostoli, etenim loco citato antequam ritum describeret, quo balnea ipsa peragerentur, hæc habet: *Vigilia S. Thomæ Apostoli, si dies Dominicus non fuerit, radantur Fratres, & sic balneentur, qui voluerint balneari, ut duobus diebus ante Dominicam Nativitatis sint omnes balneati, si necesse sit, in ipso Apostolicæ Festivitatis die, balneari possunt.* Peragebantur etiam ipsa balnea & aliis per annum diebus, & quidem in Monasteriis, & ea cautione, & modestia, ut nullus nuditatem alterius aspicere posset. Id enim abunde nos edocet recitatum Lanfranci statutum, & longe clarius in ipsam S. Benedicti Regulam Cap. XXXVI. Hildemarus, ubi observat, ita singulos Monachos singulis in tinis se balneare debere, ut alter ab altero videri nequeat. Quod autem balnea extra monasterium nonnisi urgente necessitate concederentur, jam olim Regulæ Cassinenses præscripsere apud laudatum Haeftenum legendæ, ex iis enim cautum est, ut *propter periculum animarum nemo accedere præsumat sine licentia speciali Capituli generalis, aut Præsidentis, vel Visitatoris.* Tum etiam volunt, ut non facile ea licentia tribuatur, & ut Prælatus consulat Medicum, *qui si aliis remediis infirmo subveniri possit, hortetur eum, ut faciat. Quod si Medicus eidem Fratri usum balnearum omnino necessarium esse duxerit, tunc Prælatus petat licentiam.* Ubi aliud non attenditur, quam Medici licentia, sunt ii adeo faciles ad eam concedendam, ut Monachi si ea uti velint, possint quotidie ad balnea ire. Videmus enim hodieque passim sine ulla prorsus necessitate Medicos ipsos similes facultates concedere viris alioqui sanis, ut Quadragesimæ tempore carnibus vesci valeant.

XIII. Licet autem olim passim sine ullo prorsus scrupulo vel sacri homines præsertim Orientales, quod lineis indusiis vix tum uterentur, balnea frequenter adirent, laudantur tamen in Ecclesiastica historia non pauci, qui iilis abstinuerunt. Certe a S. Hieronymo laudatur S. Jacobus Apo-

Apostolus quod numquam balneis esset usus. Laudantur, & a Palladio Isidorus, & Euagrius, itemque a S. Gregorio Nazianzeno S. Basilius, quod balnea ipsa refugerint. Actione x. Concilii Chalcedonensis, quod per quinquaginta a sua conversione annos numquam lavisset, prædicatur quidam Presbyter Ecclesiæ Edessenæ. Atque, ut veteres omittam, ait Humbertus de Romanis Cap. CXXII. in Regulam S. Augustini, quosdam suo ævo fuisse, idest Seculo XIII. quo ipse floruit, qui numquam balneis utebantur pro quacumque necessitate. Sed quid sacros homines recenseo, cum etiam Gentiles ipsi ex eo laudentur, quod balneorum usum negligerent? Hinc certe Senecæ laus est quod, ut ipsemet scribit in Epistola CVIII. Attali Philosophi cohortationibus permotus in omnem vitam balneum fugeret. Comendatur etiam a Porphyrio Plotinus, quod balneis itidem abstineret.

XIV. Quanta esset olim Balneorum fœditas, egregie exponit S. Clemens Alexandrinus, Lib. III. Pædagogi, Cap. V. ubi hunc in modum balnea ipsa describit: *Domus artificiose compactæ, perspicuæ, quæque circumferri possunt, teguntur sindone, & cathedræ, aureæ, argenteæ, & vasa innumerabilia, aurea, & argentea; quorum hæc quidem ad propinandum, illa vero ad vescendum, alia autem ad lavandum circumferuntur; quin etiam carbonum craticulæ. Eo enim veniunt intemperantiæ, ut cœnent, & fiunt ebriæ, dum lavantur, & argenteam supellectilem cum qua pompam transmittunt, arroganter in balneis proferunt, atque adeo fortasse etiam divitias propter immodicam superbiam. Maxime autem voluntariam insolentiam, per quam viros pusilli, & effeminati animi arguunt, ut qui victi sint a feminis ostentant, & quomodocumque seipsas non posse convenire, nec sine multis vasis posse sudare comprobant.* Loquitur de mulieribus sui ævi, quæ hoc artificio amatores suos irretiebant. Tum vero addit: *Atque ipsæ quidem suis maritis non se exuerint, simulatum pudorem probabiliter præseferentes. Licet autem aliis volentibus eas, quæ domi sunt inclusæ, nudas videre in balneis. Hic enim se exuere spectatoribus tamquam corporum cauponibus non erubescunt.*

XV. Forte prolixum ulmia videbitur hoc Clementis Alexandrini testimonium, sed digna sunt, ut hic describam, quæ mox idem Pater de balneis hisce promiscuis, in quibus scilicet viri cum mulieribus lavabantur, subtexit: *Viris autem*, inquit, *& feminis communia aperta sunt balnea, & ex eo exuuntur ad intemperantiam (a visu enim hominibus amor proficiscitur) perinde ac si sit eis pudor in lavacris obrutus. Quæ autem non usque adeo omnem pudorem exuerunt, externos quidem excludunt; una autem cum suis ministris collavantur, & servis nudæ exuuntur, & ab eis fricantur, pertimescenti libidini concedentes, ut secure contrectet. Qui enim nudis dominabus ad lavacrum introducuntur, student se exuere, ad cupiditatis audaciam malo more metum circumscribentes. Ac veteres quidem Athletæ virum nudum ostendere erubescentes, dum certamen peragebant, accinctis subligaculis, servabant verecundiam. Istæ autem cum simul cum tunica pudorem exuerint, volunt quidem videri pulchræ.* Addit & alia, tum vero concludit: *Oportet ergo viros ita se pulchrum veritatis exemplum feminis præbentes, erubescere una cum eis exui, lubricumque ac periculosum aspectum effugere. Qui enim curiosius*, inquit, *respexit, jam peccavit.* Est hocce oraculum Christi Domini in Euangelio Matthæi Cap. V. quo quidem edocti SS. Patres, ac Sacri Canones balnea viris, & mulieribus communia, ob eorum fœditatem, & proximum peccandi periculum merito damnaverunt.

XVI. Usque adeo tandem balnea ipsa promiscua cum omni honestate pugnare, semper existimatum est, ut a quibus peragerentur, eos de intemperantiæ crimine Ethnici quoque graviter condemnarint. Certe Ælius Spartianus tradit, Trajanum Imperatorem balnea pro sexubus separavisse. Julius autem Capitolinus scribit Marcum Antonium Philosophum lavacra mixta submovisse. Lampridius vero de Alexandro Severo hæc habet: *Balnea mixta Romæ exhiberi probibuit, Quod quidem jam antea prohibitum Heliogabolus fieri permiserat.* Et infra: *Cum milites lavacris muliebribus vacarent, omnes comprehendi jussit, & in vinculis conjici.* Porro tanta erat promiscuorum balneorum fœditas, ut inter alios Ovidius Lib. III. *De arte amandi*, ita de iis scribat,

Celant furtivos balnea mixta jocos.

Scio, legi a quibusdam *multa*, sed puto legendum *mixta*; loquitur enim de balneis communibus viris, ac feminis, quæ quidem tum Patres Laodiceni, tum nostri hujus Concilii Trullani merito damnant, ob periculum evidentissimum, & proximam peccandi occasionem.

XVII. Ob hanc rationem illos peccati læthalis, & erroris Molinistarum reos esse minime dubitandum est, qui etiam mortificationis specie, & flagellationis, seu disciplinæ, ut loquuntur, prætextu, mulieres coram se nudari juberent: quod aliquando Satanas cæcis, & carnalibus cæcarum muliercularum ducibus inspiravit. De hoc enormi crimine hæc habet S. Antoninus Parte II. Tit. V. Cap. I. *Sed quid de illis, qui sub specie mortificationis faciunt coram se denudari mulieres totaliter, sicut compertum est in aliquibus prætendentibus sanctitatem? Credo, non posse excusari a mortali peccato. Et ratio hujus est, primo quia hoc est contra honestatem naturalem; adeo ut etiam primi conjuges Adam, & Eva post transgressionem præcepti, non passi sint se invicem nudos videri, sed fecerunt sibi perizomata de foliis ficus. Secundo propter periculum lapsus. David tam sanctus aspiciens casu mulierem lavantem se non evasit crimen adulterii. Quomodo credendum est, ut non incidat in laqueum diaboli, qui studiose sibi laqueum parat.* Qui amat periculum, incidit in illud, *ut dicitur Ecclesiastici* III. *Tertio propter scandalum . . . . . . Non est ergo hujusmodi vera mortificatio, sed deceptio diaboli, & laqueus animarum insistentium, & dici potest hoc vitium impudicitia.* Ita ille.

XVIII. Eandem præterea ob rationem dici nequit quanta in mulierum Baptismo cautio olim adhiberetur, ne sacri Ministri ex ipsarum baptizandarum mulierum ignem conciperent. Quodcumque officium in illius Sacramenti susceptione per mulieres obiri poterat, Diaconissis credebatur, præsertim nudatio, qualiscumque ea demum esset; contendunt enim alii etiam feminas olim ad Baptismum plane fuisse nudatas, aliis eam verecundiæ cladem diffitentibus, nudarique eas dictas contendentibus, quia vestibus quidem exuebantur magna ex parte, iis dumtaxat locis obductis, quæ honestas patere prohibet.

CA-

CANON LXXVIII.

Quod oportet, eos, qui illuminantur, Fidem discere, & quinta septimanæ Feria Episcopo, seu Presbyteris renunciare.

COMMENTARIUS.

I. Desumtus & hic quoque Canon est ex Synodi Laodicenæ Canone XLVI. iisdem namque verbis inter alios ejus Synodi Canones recensetur. Porro eos, qui illuminantur, hoc est, ad illuminationem, sive ad Baptismum se comparant, & inter Catechumenos numerantur, mysteria Fidei ediscere, & quinto quoque cujuslibet hebdomadæ die, quæ tota hebdomada didicere, audiente Episcopo, aut Sacerdotibus recitare jubet. Id vero ita fieri, ne mysteriorum nostræ Religionis ignarus aliquis baptizetur, ac proinde parum stabilis, hæreticorum artibus, se a recto tramite auferri, abducive patiatur, notat in suo Scholio ad hunc Canonem Zonaras.

II. Sed ut rem altius repetamus, quamvis in nostro ad Nicæni I. Concilii Canonem XIV. de Catechumenis, eorumque variis classibus nonnihil dixerimus, lubet hic alia quædam recensere, quo & noster Canon, & Catechumenorum disciplina magis, magisque illustretur. Ergo Catechumeni erant adulti, qui nondum baptizati Fidem Christianam ab Ecclesiæ Pastoribus edocebantur. Neque enim omnibus promiscue adultis, sed tantum probatis in Schola, quam Catechumenatum vocabant, Majores nostri Baptismum conferebant. Quæ disciplina cum aliquando ab Episcopis quibusdam Campaniæ, Samnii, ac Piceni negligeretur, merito illos arguit in Epistola sua LXXX. S. Leo, quod auderent *sine ullis spiritualium eruditionibus præparationum, ita rudibus, & imperitis tradere sacramentum, ut circa renovandos nihil doctrinæ Ecclesiasticæ, nihil in exorcismis impositia manuum, nihil ipsa jejunia, quibus vetus homo destruitur, operentur.* Erat abusus omnino contrarius Christi præcepto, in Euangelio Matthæi Cap. XXVIII. ubi dixit primo doceri gentes, deinde vero baptizari.

III. Hinc ea semper in Ecclesia invaluit consuetudo, ut, cum Episcopi variis aliis Episcopalis muneris distracti curis, instituendis ad Baptismum rudibus vacare minime possent, ea provincia aliis committeretur, quos Catechistas, vel audientium, vel symboli Patres, ac Doctores, vocabant. Erant ii, qui ad id muneris deligebantur, viri pietate, ingenio, & doctrina præstantes, quales Alexandriæ extiterunt, Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius, ut in sua Ecclesiastica Historia Lib. VI. tradit Eusebius. Rationem autem ejus rei, cur scilicet Catechistæ doctissimi deligerentur, hanc reddit Lactantius Lib. VI. *Divinorum institutionum*, Cap. XXI. *Homines litterati, si non fuerint ab aliquo perito Doctore fundati, minus credunt: assueti enim mollibus, & politis, sive orationibus, sive carminibus, divinarum litterarum simplicem communemque sermonem pro sordido aspernabantur.*

IV. Cum autem eam ob causam in Catechista summa potissimum eruditio spectaretur, jam non mirum videri debet, si nulla ordinis, vel dignitatis habita ratione, Laici etiam, vel inferiores Clerici, aliquando ad illud officium admitterentur, uti patet exemplo Origenis, qui, teste laudato Eusebio, annos octodecim dumtaxat natus Alexandriæ instruendis Catechumenis præfectus est; & ex Epistola XXIV. S. Cypriani ad Presbyteros, & Diaconos, in qua *Optatum inter Lectores Doctorem audientium* se constituisse asserit. Frequentius Diaconos ad id muneris designatos fuisse, colligere licet ex S. Augustino, qui aureum illum Tractatum, *De catechizandis rudibus*, rogatus a Deo-gratias Carthaginensis Ecclesiæ Diacono, ut ipsi usui esset, uti ipsemet testis est Augustinus, conscripsit: *Petiisti a me*, inquit, *Frater Deogratias, ut aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi usui esset scriberem. Dixisti enim, quod sæpe apud Carthaginem, ubi Diaconus es, ad te adducuntur, qui Fide Christiana primitus imbuendi sunt.* Arbitror equidem, pervetustum fuisse illud Diaconorum officium, ex eoque conjicio, quod Lib. VIII. Apostolicarum Constitutionum Cap. XXXVIII. decernitur, ut *qui primo ad mysterium pietatis accedunt, per Diaconos adducantur ad Episcopum, vel Presbyteros, & causæ exquirantur, cur ad Dominicum sermonem accesserint &c.*

V. Plerumque etiam a Presbyteris instructos fuisse adultos Gentiles, docet nos S. Dionysius, vel alius antiquus ejus nomine Auctor, in Libro, De Ecclesiastica Hierarchia, ubi antiquos ritus describit adducendi rudes ad Presbyterum, his verbis: *Qui autem horum quæ vere cælestia sunt, particeps fieri cupit, cum aliquem eorum, qui initiati sunt, adiit, suadet ille quidem, ut se recta ad Sacerdotem ducat; ipse autem se omnino ea quæ tradentur, sequuturum esse pollicetur; petitque, ut ad eum adducatur, & vitæ omnis, quam deinceps aget, curam suscipiat. Illum autem, qui ejus quidem salutis sancta cupiditate ducitur, sed ex rei magnitudine, hominis ingenium metuitur, horror quidem repente, reique difficultas deterret: ad extremum tamen id quod petivit, benigne se facturum esse promittit; acceptumque eum ducit ad Sacerdotem. Hic vero lætus, quasi ove in humeros virorum imposita, primam quidem principium, quod unum boni causa est, & a quo vocantur ea, quæ vocantur, & quæ adipiscuntur salutem, eam consequuntur, mentis gratiarum actione, corporeaque adoratione veneratur. Deinde omni sacro cœtu, & adjuvandæ celebrandæque ejus salutis, & divinæ bonitati gratiarum agendarum causa in sacrum chorum convocato, ipse principio hymnum quendam, qui in divinis scriptis continetur, cum omni Ecclesiastico ordine recitat. Deinde sacram mensam osculatus, ad virum, qui adest, venit, cumque interrogat, cur venerit.* Hactenus Dionysius, vel antiquus Auctor ejus nomine, qui etiam longe plura affert, quæ curiosus Lector in recitato loco legere poterit.

VI. Quomodo instituerentur rudes in Fide

tradit

tradit fuse inter alios S. Augustinus in laudato Libro, *De catechizandis rudibus*, ex eoque Alcuinus in Epistola VII. ad Carolum Magnum, cum paucis hisce exponit: *Ille ordo in docendo virum ætate perfectum diligenter, ut arbitror, servandus est, quem beatus Augustinus ordinavit in Libro, cui*, De catechizandis rudibus, *titulum prænotavit. Prius instruendus est homo de animæ immortalitate, & de vita futura, & de retributione bonorum, malorumque, & de æternitate utriusque sortis. Postea, pro quibus peccatis, & sceleribus pœnas cum diabolo patitur æternas, & pro quibus bonis, vel benefactis gloria cum Christo fruatur sempiterna. Deinde Fides sanctæ Trinitatis diligentissime docenda est, & adventus pro salute humani generis Filii Dei Domini nostri Jesu Christi in hunc mundum exponendus. Et de mysterio passionis illius, & veritate Resurrectionis, & Gloria Ascensionis in Cælos, & futuro ejus adventu ad judicandas omnes gentes, & de resurrectione corporum nostrorum, & de æternitate pœnarum in malos, & præmiorum in bonos, mox ut prædiximus mens novella formanda est.*

VII. His adjicienda sunt ea, quæ præscribuntur Lib. VIII. Apostolicarum Constitutionum Cap. XXXVIII. scilicet ut diligentissimum fieret examen a Catechista de vita, & moribus eorum, qui Christianam Religionem profiteri desiderabant. Id quod etiam monet S. Augustinus laudati Libri capite V. *Si enim*, ait, *aliquod commodum expectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando, quorum offensionem, aut inimicitias reformidat, vult fieri christianus, non fieri vult potius, quam fingere.* Hinc instituta jam olim fuere scrutinia ante baptismum, sic dicta, *eo quod ibi scrutarentur corda credentium, & dubitantium a Sacerdotibus, ut intelligerent, quis ad baptismum jam rite admitteretur, quis adhuc differretur*; ut loquitur Leidradus in Libro, *De baptismo*, Cap. I. Et recte quidem, nam, ut ait Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Libro *De baptismo*, Cap. VIII. *qui illius sunt ætatis, ut rationem credulitatis suæ reddere possint, diligenti examine scrutandi sunt, utrum veraciter credant, an alicujus falsitatis in eis macula celetur, nedum aut timore, aut favore terrenarum potestatum, aut acquisitione quarundam rerum, ad baptismatis Sacramentum, ignorantibus ministris Ecclesiæ perveniant, tradatur Sanctum canibus, & margaritæ mittantur ante porcos, & lupi ovina pelle vestiantur.* Atque hæc merito attendant, qui hodie convertendis, & instruendis paganis, Hebræis, hæreticisque incumbunt, utpote qui non raro spe commodi alicujus temporalis consequendi, ad Fidem Catholicam amplectendam desiderium ostendunt, vel potius fingunt.

VIII. Postquam autem per hanc privatam instructionem aliquatenus essent de Christiana religione instructi, tum ad publicas instructiones quæ per Episcopum habebantur, accedebant, atque inde Audientes dicebantur. Erant enim tres antiquitus Catechumenorum classes, seu gradus, ut alibi dictum est. Primus, *Audientium* scilicet, eorum erat, qui Religionis Christianæ desiderio teneri videbantur, quamobrem Synaxibus frequenter aderant, Scripturas, quæ a Lectoribus e pulpito legebantur, & conciones, quas habebant Episcopi, audire poterant; verum Sacrificii tempore cum Ethnicis, & pœnitentibus, quos *Audientes* dicebant, ejiciebantur. Alter Catechumenorum gradus erat eorum, qui in Templis flectebant genua, super quibus genuflexis orationes proferebantur, manebantque in Ecclesia, quousque tum apud Græcos, tum apud Latinos diceretur eis a Diacono: *Quicumque Catechumeni discedite.* Tertius gradus erat *Competentium*, sive *Electorum*, qui a reliquis Catechumenis post diligens examen segregati, Baptismatis in proxima Paschatis, aut Pentecostes solemnitate recipiendo idonei judicabantur. Sunt qui aliter gradus illos distinguunt, uti videre est apud eruditum Edmundum Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. I. Articulo VI. sed supervacaneum puto in ea quæstione diutius immorari, quam eruditionis solius gratia attigimus.

IX. Temporis spatium quo in unoquoque gradu Catechumeni manere deberent, tametsi non ubique idem esset præfixum, ut ex sacris Canonibus patet; illud tamen Synodus I. Nicæna Episcoporum prudentiæ commisit; voluit nimirum ut pro Catechumenorum tum in ediscenda Fide, tum in probanda pœnitentia, segnitie, aut diligentia, vel in longius spatium protraheretur, aut brevius. Quod Competentes spectat, ad quos noster alludit Canon, tum Græci, tum Latini etiam post Nicænam Synodum, illorum stationem quadraginta diebus concluserunt; *Tempus præscriptum tibi multum quadraginta dierum pœnitentiam habes.* Verba sunt S. Cyrilli Hierosolymitani præfatione in Catecheses Mystagogicas. Ejusdem temporis spatii meminit S. Augustinus Sermone XIII. ad Neophytos, sic de Competentibus loquens: *Per omnem quadragesimam vacaverunt orationibus, & jejuniis: in sacco, & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quærentes.* Sic quoque Siricius Papa in Epistola sua Decretali ad Hymerium Episcopum Tarraconensem Cap. II. *Generalia baptismatis tradi convenit sacramenta his dumtaxat Electis, qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisque orationibus, atque jejuniis fuerint expiati.*

X. Quot, & quantos pœnitentiæ labores subirent olim Catechumeni competentes, testati sunt quidem prisci Ecclesiæ Patres, ubi ajunt, oportuisse ipsos publico fidelium cœtui, nudis pedibus, tonso capite, cilicio coopertos sistere; itemque vino, carnibus, atque uxoribus abstinere: *Baptizandi*, ait Concilium Carthaginense IV. anni CCCXCVIII. Can. LXXXV. *Nomen suum dent, & diu abstinentia vini, & carnium, ac manus impositione, crebra examinatione Baptismum percipiant.* S. Augustinus in Libro, *De fide & operibus*, Cap. VI. ita scribit: *Sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eandem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis, & veris uxoribus se concubituros, atque hujus rei quamvis alio tempore licitæ, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos profiterentur.* Longe ante Augustinum, & Carthaginensem Synodum, cui ipse interfuit, de dispositionibus, quas baptismati recipiendo sua ætate Ecclesia in Catechumenis, utique competentibus exigebat, ita inquit Tertullianus in Libro, *De baptismo*, Cap. ultimo: *Ingressuros baptismum, orationibus crebris, & jejuniis, geniculationibus, & vigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum.* Si ullus locus

faciat

faciat contra hæreticos pro confessione peccatorum speciali, & secreta, certe iste in primis; maxime autem quod paulo post addit: *Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras*. Sed de his alias.

XI. Ut itaque, quod nostræ est rei, veterem Ecclesiæ disciplinam de Competentibus persequamur, altissima iis Fidei Christianæ principia, quæ in Symbolo continentur, tradebantur. Testis ejus disciplinæ est quidem antiquus Canon Concilii Laodiceni XLVI. quem Patres Trullani innovarunt: *Quod oportet eos, qui illuminantur, Fidem* (idest Symbolum) *discere*. Idipsum inter alios docet S. Hieronymus in Epistola ad Pammachium adversus errores Joannis Episcopi Hierosolymitani, Cap. IV. *Consuetudo*, inquit, *apud nos ejusmodi est, ut iis, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publice tradamus sanctam, & adorandam Trinitatem*. Ante Concilium I. Nicænum addubitari nequit, quin Apostolorum Symbolum traderetur. Quod autem post laudatam Synodum tradi cœperit Symbolum, quod Nicæni Patres conscripserant, & approbarant, palam fit ex Concilio Constantinopolitano sub Menna Patriarcha, Actione V. ubi ita legimus: *Nam specialiter Symbolum trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, in quo baptizamur, ipsæ tres sanctæ Synodi consone confirmarunt*. Et infra: *Neque enim conceditur aliquid commoveri, & circa novitates vocum, & subtilitatem sermonum occupari fideles, sed adhærere sancto Symbolo, in quo omnes baptizati sumus, & quod cum sancto Spiritu Nicæna Synodus pronunciavit*.

XII. Fuit & de ea re varius variarum Ecclesiarum mos. Etenim Constantinopolitanum notatur Symbolum in vulgato Romano Ordine, in Ordine Gelasiano, in Pontificali Salisburgensi, in vetustissimo Codice Remensi annorum circiter mille, uti videre est apud laudatum Martene loco citato, ubi etiam tradit, alias etiam Fidei formulas prolixiores pro temporum necessitate baptizandis traditas fuisse. Sane constat ex Concilio Bracharensi, quod celebratum est anno DLXXII. Hispanas Ecclesias tunc temporis non quidem Nicænum, aut Constantinopolitanum, sed Apostolorum Symbolum Competentes edocuisse. Præcipit enim Can. I. *ut sicut antiqui Canones jubent, ante viginti dies baptismi, ad purgationem Exorcismi Catechumeni currant: in quibus viginti diebus omnino Catechumeni Symbolum, quod est*, Credo in Deum Patrem omnipotentem, *specialiter doceantur*. Ubi vides, loqui hic de Apostolorum Symbolo, quod quidem incipit, *Credo in Deum Patrem &c.* non vero de Symbolo Constantinopolitano, cujus hoc initium est: *Credo in unum Deum*. In Ecclesia Mediolanensi traditum fuisse baptizandis ipsum Symbolum Apostolicum, perspicue innuit Beroldus, ubi ita inquit: *Tunc incipit Symbolum Archiepiscopus, & dicit regenerandis in majori tono Evangeliorum: Signate vos, & audite Symbolum; Credo in Deum Patrem omnipotentem &c.* Idem liquet ex S. Ambrosio, ubi Lib. II. *De Sacramentis*, loquens de baptismi ritibus, sic ait: *Interrogatus es: Credis in Deum Patrem omnipotentem &c.* & ex aliis plurimis Sacramentorum Libris, in quibus idem ipsum Apostolicum Symbolum legitur.

XIII. Illud quoque eruitur ex laudato Bracharensi Canone, variam etiam fuisse Ecclesiarum disciplinam circa diem, quo Symbolum traderetur. Ait enim, edocendum Symbolum a Catechumenis *ante viginti dies baptismi*. S. Hieronymus, uti superius dictum est, eam fuisse ait suo ævo consuetudinem Ecclesiæ nimirum Bethlehemitanæ, in qua ipse degebat, *ut iis, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publice tradamus sanctam & adorandam Trinitatem*. Ex Ordine antiquo Romano alium Romanæ Ecclesiæ morem fuisse addiscimus, traditum scilicet baptizandis Symbolum simul & orationem Dominicam Feria IV. Hebdomadæ IV. Quadragesimæ in solemnissimo omnium scrutinio, *in apertione aurium* dicto. Mediolani teste S. Ambrosio in Epistola XX. novæ editionis ad Marcellinam sororem, dies tradendi Symbolo Competentibus erat Dominica in Ramis Palmarum dicta. Eundem morem servatum in Galliis constat ex Concilio Agathensi anni DVI. Can. XIII. ubi ita edicitur: *Symbolum etiam placuit omnibus Ecclesiis una die, idest, ante octo dies Dominicæ Resurrectionis publice in Ecclesiis Competentibus dari*. Eandem fuisse Ecclesiarum Hispaniarum disciplinam, tametsi aliter servatum fuerit in Ecclesia Bracharensi ex Canone superius recitato, testis est S. Isidorus Lib. II. *De Ecclesiasticis officiis*, Cap. XVII. quod de Dominica Palmarum inscribitur, ubi etiam hanc rationem assignat: *Hac autem die Symbolum Competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paschæ solemnitatem, ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confiteantur, agnoscant*.

XIV. Alius fuit jam antiquitus usus Ecclesiæ Africanæ, in qua Symbolum ante Pascha, scilicet Sabbato ante Dominicam quartam Quadragesimæ tradebatur, reddendum octo post diebus, scilicet Sabbato ante Dominicam quintam, in quo tradebatur oratio Dominica, & ipsa octavo post die reddenda, nimirum Sabbato ante Dominicam Palmarum; ac demum Sabbato Sancto redditum fuisse secundo Symbolum propter eos, qui prima vice illud memoria minus tenaci retinuerant. Pluribus id quidem ostendit laudatus Martene ex variis Sancti Augustini locis, quæ scite exponit ad suam hanc constabiliendam sententiam. Tum de Ecclesia Constantinopolitana differens, ait Symbolum ibi traditum in Parasceve, probatque ex hoc Timothei Lectoris testimonio, qui in Ecclesiastica Historia Lib. II. ita inquit: *Timotheus Symbolum Fidei trecentorum & octodecim Patrum in singulis collectis recitare præcepit: in odium scilicet Macedonii, quasi ille non susciperet id Symbolum, quod antea semel tantum recitabatur quotannis die magnæ Parasceves, sive Dominicæ Passionis, dum Episcopus baptizandos catechizaret*.

XV. Ordo tradendi Symboli referente laudato Martene is erat. Præmisso brevi proloquio Episcopus integrum Symbolum recitabat; tum illud per partes fusius exponebat. Ita sane constat ex S. Augustino, & ex variis Sacramentorum libris, quos ipse Auctor publici juris fecit. In Ecclesia Romana bis recitabatur, primum Græce super masculos, deinde Latine super feminas. Ita etiam præscribitur in antiquo Codice Remensi, in Pictaviensi, & in primo Ordine Scrutinii Codicis Gellonensis, sed in Ecclesia Gallicana ante receptum in ea Romanum Ordinem tertio repetebatur Latino idiomate. De ratione vero, ac modo tradendi Symboli in Ecclesia Mediolanensi ita scribit Beroldus: *In traditione autem Symboli omnia tintinnabula sunt sonanda, & cuncta ostia claudenda. Tunc incipit Symbolum Archiepiscopus,*

put , & dicit regenerandis in majori tono Euangeliorum . Signate vos , & audite Symbolum . Credo in Deum Patrem omnipotentem . Item signate vos , & audite Symbolum . Credo in Deum; *& semper Acolythi debent admonere mulieres , ut signent pueros in frontibus per singulas vices . Finito* , Credo in unum Deum , *hoc modo tribus vicibus , tunc debet dici* , Credo , *in tono Euangeliorum . Finito Textu , & tractatu , tunc Archiepiscopus dicit excelsa voce* : Accepistis dilectissimi , *in majori tono Euangeliorum* . Ex quibus verbis patet , quatur in Ecclesia Mediolanensi recitatum fuisse Symbolum , scilicet tribus vicibus in majori tono Euangeliorum , & semel in quotidiano . Fuit autem adeo solemnis ea Symboli traditio , ut in illius traditione , in variis Sacramentorum Libris peculiaris Missa legatur .

XVI. Tandem quemadmodum varius fuit Ecclesiarum mos circa diem tradendo Competentibus Symbolo assignatum , ita & varia disciplina circa ejusdem Symboli redditionem . Ex Laodiceno , & Trullano Canone , cautum est , ut *quinta septimanæ feria Episcopo , seu Presbyteris* a Competentibus renuntietur . Quæ verba exponens Zonaras , ait , *quinto quoque cujuslibet hebdomadæ die , quæ tota hebdomada didicere , idest Symbolum audiente Episcopo , aut Sacerdotibus , recitare juberi baptizandos* . Puto equidem , reddi debuisse solemniter , ac publice Symbolum sola quinta die ultimæ hebdomadæ , sive *septimanæ majoris* , ut habet editio , seu versio Canonis XLVI. Laodiceni , quam Dionysius Exiguus adornavit . *Quod oporteat* , inquit , *eos , qui ad Baptisma veniunt , Fidem discere , & quinta Feria septimanæ majoris Episcopo , aut Presbyteris reddere* , Ita exponendum esse Laodicenum Canonem docet etiam Martinus Episcopus Bracarensis , qui in sua Collectione Cap. XLIX. ita inquit : *Oportet autem in ipsis diebus , ut hi , qui baptizandi sunt , Symbolum discant , & quinta Feria novissimæ septimanæ Episcopo , vel Presbyteris reddant* . Apud nos Latinos factam fuisse a Competentibus Symboli recitationem Sabbato Sancto , pluribus in suo ad hunc Canonem Scholio Lupus ostendit .

XVII. Mane Sabbati Sancti factam fuisse eam Symboli redditionem , docent nos quidem antiqui plures mss. Codices ab Edmundo Martene allati Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus* , Cap. I. Articulo XII. Certa ex pervetusto Missali Gellonensis Monasterii , denunciabat Competentibus Presbyter , *ut in ipso sancto Sabbato post horam* VI. reverterentur ad Ecclesiam , ut tunc catechizarentur , ac redderent Symbolum . Testis est ejusdem ritus ms. Codex S. Remigii Remensis annorum circiter M. ubi ita ait : *Sabbatorum die mane reddunt infantes Symbolum* . Id quod etiam totidem legitur verbis in Libro Sacramentorum Gelasii Papæ , a Venerabili Servo Dei Cardinale Thomasio publica luce donato . Eam fuisse omnium fere Ecclesiarum disciplinam , ut mane Sabbati Sancti redditio Symboli fieret a baptizandis , ex ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria annorum circiter DC. addiscere est , sic enim inquit : *Non est ignorandum , quod hac die* , Sabbato Sancto , *post tertiam procedant ad Ecclesiam qui baptizandi sunt ; & tunc qui possunt , reddant Orationem Dominicam , & Symbolum ; & faciens Crucem Sacerdos cum pollice in frontibus singulorum , dicit* : In nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , &c,

C A N O N LXXIX.

Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes , ut qui sine semine constitutus sit , idque toti gregi annunciantes , eos , qui propter ignorantiam aliquid faciunt , quod non decet , correctioni subjicimus . Quare quoniam aliqui post sanctæ Christi Dei nostri nativitatis diem similam coquere ostenduntur , & eam sibi invicem impertiri , honoris scilicet prætextu secundinarum impollutæ Virginis Matris , statuimus , ut deinceps nihil tale fiat a fidelibus . Neque enim hoc honor est Virginis , quæ supra mentem , & sermonem , quod comprehendi non potest , Verbum peperit carne , ex communibus , & iis , quæ in nobis fiunt , inenarrabilem ejus partum definire , metiri , ac describere . Siquis ergo deinceps hoc facere aggressus fuerit , si sit quidem Clericus deponatur ; si vero Laicus , segregetur .

C O M M E N T A R I U S.

I. Quamquam constet , Deiparam Virginem non aliarum mulierum more Christum Dominum genuisse , nihil tamen de Fide omnino definitum est , an cum secundinis , vel absque illis pepererit . Certant adhuc in ea quæstione Theologi , & sacrarum Scripturarum Interpretes ; sed placet eorum sententia , qui Canoni huic nostro adhærentes , Christum absque ullis secundinis ex utero Virginis prodiisse affirmant , tametsi Christianus Lupus vir alioqui doctus , ac pius , Canonem nostrum Secundinas Domino denegantem , ab antiquo Ecclesiæ dogmate recedere , audacter pronuntiet . Lupum sequutus Hyacinthus Serry Exercitatione XXIX. *De Christo, ejusque Virgine Matre* , contendit quidem , puerum Jesum externis naturæ contumeliis , sordibusque inspersum ex materno utero prodiisse , quæ nativam nascentis hominis conditionem consequuntur; conatur tamen Trullanum Canonem potius explicare , quam erroris arguere .

II. Ait ergo memoratus Serry, eos qui Christum sine secundinis emissum existiment , frustra niti illis Trullani Canonis verbis : *Absque ullis secun-*

fecundinis ea Virgine partum esse confitentes; quia scilicet *Latini Canonum Interpretis licentia fuit, qui cum ἀλόχευτον*, fine dolore *vertere debuisset*, fine fecundinis *temere vertit, ingensque in Christo miraculum, non modo teste nullo, vade nullo commentus est pro arbitrio, verum etiam Patribus repugnantibus &c.* At vero ne quis putet primum fuisse Serryum, qui eam Canonis interpretationem excogitavit, jam ante illum Franciscus Joverius in suis Sanctionibus Ecclesiasticis ita quidem Canonem exposuerat, *Absque ullo dolore Virginis partum fuisse confitentes &c.* Sed quam recte, judicet Lector; licet enim ἀλόχευτον partus dolores excludat, tamen nec hoc solum significat, neque cum sensu Canonis cohæret. Ut quid enim fatui illi τῇ λοχείᾳ similam coquerent, & impertirent? Quo fatui prætextu, imo pene impio dolores Virginei partus, a quibus Deipara Virgo ex omnium Patrum consensu fuit immunis, missitiis hisce donis honorarent, cum aperte potius contumelia afficerent?

III. Sed Græcos ipsos potius suas ipsorum voces explicantes, Canonisque hujus sensum aperientes audire præstat, quam Authorem Gallum Hyacinthum Serry, qui suo ingenio multa confinxit, atque in varios errores lapsus est, meruitque iccirco, ut sui Libri pene omnes judicio Apostolicæ Sedis damnati sint. Ergo Zonaras in suo ad hunc Canonem Commentario a doctissimo Viro Antonio Salmatia Latinitate donato, ita inquit: *Nonnulli se in eo semper Virginis ac Dei Matris honori aliquid deferre existimantes, die qui sanctum Christi Natalis festivitatem proxime consequitur, quædam facere soliti sunt, ex iis quæ in aliarum quoque mulierum puerperio agi consuevere. Eas res igitur hic Canon probibet, sanctæ Virginis partum absque ullo puerperio fuisse demonstrans.* Tum quid sit puerperium explicat, & ait: *Est vero puerperium emissio fœtus, quam doloris sensus, ac profluvium sanguinis comitantur, quibus quidem malis nullatenus obnoxiam fuisse Deiparam credimus. Partus etenim naturales ista consequuntur. Illa vero ut conciperet, supra naturæ vires, Sancti Spiritus efficientia perfectum est, ejusdemque partus nequaquam iis, quæ partum naturalem proprie consequuntur, obnoxius fuit. Quæ igitur puerperium non agnovit, quid nos ei, quæ puerperarum sunt, exhibebimus? Est id quidem sacrosanctæ Virgini contumeliosum potius, quam honorificum, eorum aliquid in ejus eximio partu, quale in aliarum mulierum fœtura contingit, usurpari.* Ita Zonaras in sua Trullani Canonis expositione, ubi illud inter alia adnotandum est, quod ait, Deiparam immunem prorsus a puerperio fuisse, nempe a doloris sensu, ac a profluvio sanguinis, quæ illud comitantur.

IV. Libet & alterum addere Græcum etiam Auctorem, Matthæum Blastarum, qui eundem exponens Canonem, hæc habet: *Probibet Canon LXXIX. Concilii Quinisexti similam, & quæ vicissim donari solent postera die post festum diem sanctæ Nativitatis Christi, quasi in honorem puerperii immaculatæ Virginis Matris, ut fieri mos est in puerperio mulierum, Clericos quidem, qui hoc agunt, deponit; Laicos vero excommunicatione plectit: ἀλόχευτον statuens esse partum beatæ Virginis, utpote quod & sine semine concretio extiterit. λοχεία autem est in parturitione infantis molestia nixus, ac sanguinis sequens profluvium. Quorum nihil penitus expertum fuisse Dei Genitricem credendum statuit. Hæc enim naturali modo concipientibus eveniunt; non tamen Virgini, utpote quæ ex Spiritu Sancto supra naturam concepit, atque adeo partus naturalibus proprietatibus superior extitit. Injuria itaque Dei Genitricis, non honor foret, ea ipsa in ejus ineffabili partu fieri, quæ & in ceteris parientibus mulieribus fieri solent.* Ubi nota, eam fuisse Trullanorum Patrum mentem, imo illud ex eorum Decreto esse credendum, Beatam Virginem in suo partu non modo a molesto nixu immunem fuisse, sed a profluvio sanguinis, externisque illis naturæ contumeliis, ac sordibus, quæ nativam nascentium hominum ex ceteris mulieribus conditionem consequuntur.

V. Illa vero summa Serry audacia est, ubi dicere non erubescit, quod *siquis de Christi secundinis eo Canone* (Trullano) *sermo venit, non illæ quidem Christo fuisse negantur, sed qui in iis colendis, celebrandisque apud Græcos abusus irrepserant, damnantur ac reprobantur.* Sed vide hominis frontem; mox ait: *En tibi integra Canonis verba ad Græci Textus fidem expressa.* Tum Canonem integrum describit, in quo si prima illius verba excipias, quæ tamen ab editione Joverii accepit, uti superius notatum est, reliqua certe eadem sunt, quæ in omnibus Canonum Collectionibus leguntur. Quantum autem in eo explicando Canone erret, cuilibet Canonem ipsum legenti patet; ideo enim secundinarum festivitatem, ac nugas in ipsa fieri consuetas Canon proscribit, quod ab iis omnino fuerit Deipara Virgo immunis, quæ ex Spiritu Sancto supra naturam concepit, atque adeo partus naturalibus proprietatibus superior extitit: *Neque enim*, inquit, *hoc honor est Virginis, quæ supra mentem, & sermonem, quod comprehendi non potest, Verbum peperit carnem, ex communibus, & iis, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum definire, metiri, ac describere.*

VI. Ex dictis jam perspicue constat, ex Trullanorum Patrum sententia, Beatæ Virginis partum ab ea sordium externarum communi hominum conditione adhærentium immunem omnino pronunciari. Id quod etiam fatetur Lupus, ubi in suo ad hunc Canonem Scholio scribit: *Præsens Canon Secundinarum festivitatem, ac nugas in ipsa fieri consuetas rectissime proscribit; ut illas Domino denegans, ab antiquo Ecclesiæ dogmate recedit. Errat, Virginalem partum communibus naturæ regulis non fuisse directum.* Errat sane Lupus dum inter alia ait, Canonem Secundinas Domino denegantem ab antiquo Ecclesiæ dogmate recedere. Errat & eum sequutus Serryus, dum inquit, Ingens illud in Christo miraculum, immunitatis scilicet externarum sordium, quum ex utero Virginis prodiit, *non modo teste nullo, vade nullo* confictum esse *pro arbitrio, verum etiam Patribus repugnantibus, ac potissimum Hieronymo, Christum infantem tegmine membranarum solita involutum scribente Lib. contra Helvidium Cap. IX. & Tertulliano, Infantem eum suis impedimentis profusum, & oblitum asserente, Lib. De carne Christi, Cap. IV.*

VII. Sed tametsi fateamur unum, vel alterum Patrem sententiæ favere, quam propugnat Serryus, non desunt tamen alii Ecclesiæ Patres, longe numero plures, tum Latini, tum Græci, qui universam puerperii ægrotationem a sanctissimo, ac purissimo illo Deiparæ Virginis partu, ut

ut sunt sanguinis profluvies, secundæ, dolores, debilitates, infirmitates, absuisse disertis verbis testantur. S. Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopus Lib. XIV. contra hæreses in fine ita quidem de Christo inquit: *In utero Virginis fuit in veritate, gestatus est debito tempore, natus est per genitales meatus citra pudefactionem, impollute absque inquinamentis*. S. Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus Oratione III, *De incarnatione Domini nostri Jesu Christi*, pauca quidem, sed fortia ad rem nostram hæc habet verba: *sine puerperio puer*. Quibus verbis sordes omnino externas, ac fæces, sanguinisque proluviem a Virgineo partu excludit. Id quod etiam tradit Sophronius in sua Epistola, ubi partum Virginis vocat *incorruptibilem*, quia scilicet, *sine fluxu sanguinis, aut simili passione perfectus est*. In eandem sententiam conspirat S. Gregorius Nazianzenus in Tragœdia, *Christus patiens*, uti notat doctissimus Suarez Tomo II. Commentariorum in III. Partem S. Thomæ, Disputatione XIII. Sectione II. Quæstione XXXV.

VIII. Eadem docent plerique alii Græci Patres, sed audiamus Latinos, inter quos S. Fulgentius Episcopus Ruspensis in Sermone, *De laudibus Mariæ*, loquens de partu ipsius Virginis hæc habet: *Nulla fieri gravedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat triste lætificare seculum, ventris non contristavit hospitium*. Et paulo post: *Cum esset gravida salubri levitate plaudebat; lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat*. Et hac ratione Patres Christum soli comparant, ut nullam maculam intulisse suo partu Virgini, sed illustrasse eam ostendant. Hinc S. Leo Magnus Pontifex Maximus Sermone in Nativitate Domini ait: *Futurum hominem Salvatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret*. Præclarissimum pro exclusione sordium etiam externarum a Virginis partu est certe S. Augustini testimonium Lib. XXIX. contra Faustum, Cap. III. & IV. maxima vero in Libro, *De quinque hæresibus*, Cap. V. ubi ita Manichæum hominem increpat: *Stulte, unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre*.

IX. Favet & nostræ sententiæ S. Zeno Veronensis Episcopus Sermone III. ubi etiam rationem præclarissimam docet, cur nempe Christi corpus undecumque illime ex utero Virgineo prodierit: *Parturit*, inquit, *non dolore, sed gaudio. Mira res. Exultans exponit infantem, totius naturæ antiquitate majorem. Interea rudis non gemit fœta: non mater ejus tanti partus pondere exhausta, totis pallens jacuit resoluta visceribus: non filius matris, aut suis est ullis sordibus delibutus. Neque enim revera aliquid circa se habere posset immundum, qui humani generis peccata, sordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ sunt tarditate periculosæ: nulla puerum maternorum viscerum prosequuta sunt damna: nullà adhibita rudi fœta sueto more fomenta. Neque enim, Fratres, his poterat indigere, quæ accipere in uterum meruerat filium animarum omnium Salvatorem*. Luculentius eandem rem docet S. Cyprianus, sive quivis alius pervetustus Auctor in Sermone de Nativitate Domini: *Totum negotium*, inquit, *plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperia. Nec locus ibi erat lavacris, quæ solent puerperis præparari: quippe nec aliqua naturæ injuria matrem Domini læserat; quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate*.

X. Addi hisce testimoniis possent & alia aliorum Patrum loca, quos perperam intelligens Serryus, locutos illos fuisse ait de sordibus animi, non vero corporis. Sed cum hactenus allata clarissima omnino sint, nullaque Serry tergiversatione, in suum sensum torqueri valeant, consulto ab aliis recensendis Patribus abstineo, satisque me facturum puto, si loca illa pauca refellam, quæ in suam ipsius sententiam Serryus adducit. Quantum itaque ad Tertulliani locum attinet, dico voluisse illum contra Valentinianos ostendere Christum habuisse carnem omnino veram, & ejusdem naturæ, atque substantiæ cum matre; efformatum scilicet ex illius sanguine, & illi per naturale vinculum cohærentem, atque in utero conjunctum. Quod autem S. Hieronymus in Libro contra Helvidium Christum infantem tegmine membranarum solito involutum scribat, membranarum nomine non secundinas quidem intelligit, sed illa alia quæ castissimæ Virginis pudorem minime deturpant. Non enim poterat S. Doctor qui contra Helvidium disputabat, Secundinas intelligere, ex quibus facile adversarius Hæreticus contra Deiparæ Virginitatem ad sui erroris confirmationem aliquid inferret.

XI. Sed demus, Sanctum hunc Doctorem Secundinas in Virgineo partu admittere, jam, uti superius ostensum est, alia est complurium Patrum sententia, in eandemque it etiam Theologorum omnium Princeps Angelicus Doctor Sanctus Thomas Aquinas, qui Patres, quos apprime callebat, sequutus negat & merito cum Sancto Hieronymo in Libro contra Helvidium interfuisse in partu Virginis obstetricum ministerium, aut mulierum sedulitatem, quæ non parum fuisset necessaria, si Beata Virgo sordibus puerperii fuisset obnoxia. Quamvis autem Cajetanus propter hanc causam adhibendum putaverit Angelicum ministerium, non videtur tamen necessarium, nec expediens in hoc negotio alterius creaturæ præter quam ipsius Virginis operam interpositam fuisse, nam propter hanc causam docent communiter Sancti Ecclesiæ Patres Beatam Virginem non indiguisse purificatione, quia *germinans germinavit, sicut lilium*, si licet verba Isaiæ Cap. XXXV. huic doctrinæ accommodare. Unde superius memoratus Auctor inter opera S. Cypriani, in ipso Sermone de Nativitate Christi eleganter dicit, prodiisse Christum ex Virgine, *sicut fructum ex arbore, aut sicut radium ex sole*; quibus, & aliis exemplis explicant Sancti Patres puritatem, & munditiam illius partus.

XII. Sed nec desunt, qui existimant, posse interdum naturaliter fieri, ut mulier sine hujusmodi Secundinis, aut sordibus pariat; quod indicare visus est Cornelius Jansenius in sua Concordia Cap. X. citans Aristotelem. Verum ut scite observat laudatus Suarez, neque Aristoteles id asserit, neque videtur naturaliter possibile. Tractat quidem hac de re Aristoteles Lib. VII. *De historia animalium*, & Cap. IX. dicit, interdum emittere feminam parientem saniem pallidam, interdum cruentam, & subdit nonnullis neutrum accidere; non tamen dicit, alicui accidere partum sine emissione Secundinarum, aut sanguinis, & aliorum excrementorum, ut ex sequenti capite manifeste constat. Et ratio id convincit, quia

ille modus conceptionis est a natura præscriptus, & non potest, quin novem illis mensibus, quibus puer alitur in utero, aliqua excrementa, & sanguinis copia congregata sint, quæ in partu necessitate quadam expelluntur. Non oportat igitur in naturali actione fundari, sed operæ pretium est, fateri miraculum aliquod fuisse necessarium, ut Christi nativitas dicto modo fieret. Sed illud miraculum maxime decebat, & tanti Filii dignitatem, & Virginis puritatem. Et sicut expediens fuit, ut Christus nascendo non esset matri alicujus doloris causa, ita quoque, ut nulla ei corporalem immunditiam, aut indecentiam afferret. Unde licet hoc in Euangelio non sit expressum, ex ipsa tamen rei decentia piissime creditur accedente præsertim Patrum, quos attulimus, auctoritate. Et in Euangelio nonnullum habemus indicium dicente Luca Cap. II. *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio.* Quibus verbis insinuatur, nullam aliam actionem, mundationemve in eo negotio intercessisse, aut fuisse necessariam, ut jam S. Hieronymus ponderavit contra Helvidium, & S. Thomas Parte III. Quæstione XXXV. Articulo VI. ad III.

XIII. Dupliciter autem explicari potest hoc miraculum docente memorato doctissimo Suarez. Primo, ut Christi conceptio facta fuerit absque illis membranis, & Secundinis. Quod fieri potest verisimile, tum quia miraculose Spiritus Sancti virtute conceptus est, tum etiam quia videtur cessasse illarum necessitas. In naturali enim conceptione incipit secundina formari, ut genituram complectatur, in qua vis feminis inest, ut ita paulatim formetur foetus. Hæc autem ratio in Christi conceptione cessavit, quia momento perfecta est absque semine, & absque impuro sanguine matris, ex quorum concursu, & actione unius, & alterius dispositione generatur hæc membrana crassa, sicca, & duriuscula. Si autem Christus in utero matris non fuit involutus his membranis, absque novo miraculo factum est, ut in nativitate inventæ non sint: ablatis autem Secundinis facile intelligitur ratio, ob quam nullæ aliæ sordes inventæ fuerint, nec sanguinis emissio, quia hæc omnia potissimum aveniunt in aliorum partu ex divisione Secundinarum, in quibus illa omnia congregantur. Hic vero dicendi modus quamvis fieri potuerit, necesse tamen est, ut multa miracula congerat fere continua illis novem mensibus. Duo tamen sunt præcipua. Alterum pertinet ad alimentum fœtus, quia fœtus per umbilicum Secundinis copulatur, per quas sugit sanguinem a matre, & ideo Secundinæ plenæ sunt venis. Unde si Christi corpusculum his membranis caruisset, non potuisset naturaliter ali. Nisi fortasse verum sit, quod aliqui dicunt, præter has membranas, prodire ex venis matricis feminæ quosdam veluti funiculos, quibus fœtus conjungitur matri in umbilico, ut nutriatur. Nam si hoc verum est, facile intelligitur, fieri potuisse, ut Virgo non haberet tempore partus superfluum sanguinem, quem evacuaret, sed solum sanguinem purissimum, qui & ad sui corporis, & Filii nutritionem sufficeret. Alterum miraculum est, quia non poterat naturaliter corpus Christi in utero Virginis non habere aliqua excrementa, oportuisset argo vel illa injicere in matricem Virginis, quod nec decebat, neque est ordini naturæ consentaneum, vel certa fieri miraculose debuit, ut alia via resolverentur.

XIV. Alius modus, ut memoratus docet Suarez, explicandi hoc miraculum facilior esse videtur, si dicamus, Christum quidem fuisse conceptum membranis involutum, & ita habuisse in utero matris statum omnino naturalem: tempore autem nativitatis, sicut prodiit per naturales vias sine ruptione claustri Virginalis, ita etiam exuisse illas membranas, eas penetrando absque ruptione, atque hac ratione purum, ac nudum ex utero matris elapsum fuisse. Membranas autem illas cum omni sanguine, & excrementis in illis conclusis non fuit necesse in lucem hanc prodire post Christum natum: sed divina virtute fieri potuit, ut vel in aliam materiam resolverentur, vel alio miraculoso modo in alium convenientem locum transferrentur. Primum quidem, ut partus Virginis omni ex parte esset purissimus, ejusque integritas, ac Virginitas ex illius modo manifestaretur. Deinde, quia cum Secundinæ sint corpus densum, ac durum, non poterant ex utero Virginis exire absque ruptione claustri Virginalis sine miraculo penetrationis, vel transitus ab extremo in extremum sine medio. Cum ergo necessarium fuerit aliquod miraculum, credendum est, Deum illud elegisse, quod & dignitati Mysterii accommodatius esset, & facilius, ut omnia possint optime expediri, nam ut docte dixit Cardinalis Cajetanus, hæc secreta miracula, quæ aliena sunt ab omni suspicione, maxime docuerunt Christum, etiam in tempore infantiæ propter matris obsequium, & ut suavius omnia disponerentur, & citius expedirentur. Addit præterea & recte, hæc omnia conduxisse ad confirmationem, & augmentum fidei Joseph, qui cum matre adorabat natum mundi Dominum.

XV. Longe plura quæ hic dici possent ad refellendas Serry objectiones, fuse jam explicavit civis meus Scriptor celebratissimus, & innumeris pene ac doctis operibus suis toti literario Orbi notissimus Archiepiscopus Bostrensis Josephus Maria Perrimezi, Parte IV. suæ Theologiæ Dissertatione CCXV. ubi inter alios laudat Virum Clarissimum Hyacinthum Graveson, ajentem: *Episcopos Græcos in Synodo Trullana congregatos damnasse Canone* LXXIX. *sententiam illorum, qui corpus Christi secundinis, seu membranis involutum ex utero Mariæ Virginis exiisse.* Cum itaqua ex tot Patrum, & Scriptorum sententia Secundinæ a Virgineo partu ablegentur, jure, ac merito, nostro hoc Canone illi damnantur, *qui post sanctæ Christi Dei nostri nativitatis diem similam coquebant, & sibi invicem impertiebantur honoris scilicet prætextu impollutæ Virginis Matris.* Descenderant ii profecto ex Arii schola, cum quo & jugum ducebat Nestorius, quem evellere conatur in laudata Oratione III. S. Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus, ut observat in suis ad eum locum Notis omnigena eruditione refertis clarissimus Scriptor Vincentius Riccardus Clericus Regularis. De Arianis porro ita scribit Ammonius Episcopus Audrianopoleos in Concilio Ephesino Parte I. *Clare patet, in quantum impietatem prolabantur Ariani, qui Deiparam Mariam iis sacrificiis, quæ pro puerperis ex Lege offerri mos erat, opus habuisse asserunt.*

XVI. Ea ergo ratione, ut ea ipsa, quæ in aliarum mulierum partu fieri solita erant, a partu Virgineo excludat, prohibet Canon, ne similam coquant, sibique mutuo impertiant; quia scilicet simila offerebatur pro peccato immunditiæ, uti con-

constat ex Cap. v. Levitici: *Offert pro precato suo similæ partem ephi decimam*. At cum Virgo immaculata post partum extiterit, merito abusus ipse coquendæ, & impertiendæ similæ in honorem puerperii Virginis impositæ damnatur, ob cam etiam causam, quod gentilismum redoleret, uti liquet ex Plinio Lib. VIII. Historiæ, Cap. VIII. *Et hodie*, inquit, *sacra prisca, atque natalium pulte pistilla conficiuntur*.

XVII. Inter alios tandem Nestorianorum errores, quos anno MDXCIX. damnavit Synodus Diamperitana Actione III. Decreto VI. & ille etiam recensetur, quod dicerent, Beatissimam Virginem instar ceterarum mulierum cum doloribus, ac Secundinis Christum Dominum peperisse. Quocirca postquam ait Synodus, quod *Fides docet Catholica, Virginem extitisse semper illibatissimam, ante partum, in partu, & post partum, peperisse absque doloribus, aliisve anxietatibus verum Dei Filium Hominem factum*, ita statim subjicit: *omnibus etiam procul Secundinis, sanguinis profluvio, aliisve ceteris mulieribus in partu contingentibus, quin etiam nec in partu, aut post illum, alicujus ope, & auxilio enixa fuit, quippe omnia purissima, semperque clauso Virginali puritatis claustra, hora & tempore a Trinitate consistorio præfinito, eum ejusdem Virginis ingenti lætitia, & spirituali gaudio, æternum verbum caro factum, e purissimis visceribus prodiit*. Hactenus Synodus a doctissimo & religiosissimo Alexio Demenezes Metropolita Goensi, incliti Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini anno ipso MDXCIX. jussu Clementis Papæ VIII. habita, quam Vir clarissimus F. Joannes Facundus Raulin ejusdem Ordinis S. Theologiæ Magister, atque Assistens Hispaniarum Romæ e Portugalliensi Idiomate in Latinum vertit, Notisque egregiis illustravit, & Doctissimorum Virorum consilio, atque impulsu in totius Christianæ, ac Literariæ Reipublicæ bonum propediem est editurus in lucem.

CANON LXXX.

Siquis Episcopus, vel Presbyter, vel eorum, qui in Clero enumerantur, vel Laicus nullam graviorem habet necessitatem, vel negotium difficile, ut a sua Ecclesia absit diutissime, sed in Civitate agens, tribus diebus Dominicis in tribus septimanis una non conveniat, si sit quidem Clericus, deponatur; sin vero Laicus, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. Desumtus videtur is Canon ex Canone XI. Concilii Sardicensis, sive potius ex pervetusta Synodo Illiberritana, ubi Can. XXI. de Laicis quidem ita cautum fuit: *Siquis in civitate positus tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur*. Ad hunc certe Canonem respexit Osius Episcopus Cordubensis, ubi in laudata Sardicensi Synodo, cui ipse præfuit, unaque cum ipso quinque alii ex Hispania Episcopi interfuere, Canone XI. ita Patres alloquutus est: *Recordemini autem, Patres nostros in tempore præterito judicavisse, ut siquis Laicus in aliqua Urbe agens, tribus diebus Dominicis, in tribus hebdomadibus non conveniat, a communione moveatur*. Tum de Episcopis loquens, *sed neque est utile*, inquit, *Episcopum si nullam habet graviorem necessitatem, vel negotium difficilius, a sua Ecclesia diutius abesse & sibi commissum populum deserere*. Cui petitioni *omnes Episcopi dixerunt, hanc quoque sententiam esse convenientissimam*.

II. Ergo ex laudatis Synodis, qui in Civitatibus morantur, sive incolæ sint illi, sive advenæ si ab Ecclesia tribus Dominicis diebus abfuerint, puniri jubentur, & quidem excommunicatione juxta Sardicensem Canonem; sive sola Eucharistiæ privatione juxta Canonis Illiberritani Decretum, uti illum scite explicat eruditissimus Albaspinæus. At vero ruri habitantes, quod eo tempore tot in agris non essent Ecclesiæ, nec ad urbes, & ad sacrum illarum conventum tuto, & commode semper convenire possent, Patres tum Illiberritani, tum Sardicenses memoratis pœnis comprehendi nolentes, ideo de solis habitantibus in Urbibus Canones suos edidere.

III. Sed antequam progrediamur ulterius, notare hic licet insignem Zonaræ, & Balsamonis errorem, dum autumant, Sardicensem Synodum, ubi ait, Patres in tempore præterito constituisse quidem, ne quis tribus Dominicis ab Ecclesia abesset, non alios aspexisse quam Trullanos, cum ceteroqui, uti superius ostensum est, manifeste appareat, allusionem fieri ad Canonem Illiberritanum, qui idipsum jam longe constituerat. Sed vide Græcorum interpretum responsionem ad eam difficultatem, quam sibi proponunt: *Cum tum*, inquit Zonaras in suo ad Sardicensem Canonem Commentario, *quæ sexta dicitur, longo intervallo Sardicensis hæc Synodus antecesserit, qui factum est, ut Canonis multo post tempore conscripti, in antiquiore ista mentio extet? Responderi igitur possit, nondum consignatu literis, ex consuetudine per manus tradita, ea quæ hoc Canone continentur, ut alia quoque multa servari ab initio solemne fuisse, quæ postea scriptis commendata, Synodus Trullana in Canones retulit*.

IV. Idem est Theodori Balsamonis lapsus in interpretando Canone Sardicensi; quia scilicet nec ipse, nec Zonaras, parem diligentiam adhibuerunt in Latinis Conciliis colligendis, & interpretandis, quam in Synodis suis Græcis præstiterunt. Si enim paulo diligentiores fuissent, comperissent utique, Constitutionem, quam in Sardicensi Synodo Osius de Laicis retulit, jam antea in Concilio Illiberritano fuisse editam. Quod autem Episcopos spectat, ne scilicet diu a sua Ecclesia absint, jam superius initio Commentarii, Decretum Concilii Sardicensis descripsimus, quod quidem Canon præsens Trullanus renovat, addens, quod in utroque Concilio, Illiberritano sci-

scilicet, & Sardicensi deerat, ut nimirum qui tribus hebdomadis ab Ecclesia sua, nulla gravi necessitate, difficilive alia causa impediti absuerint, verum in Urbe degentes cum fidelibus in Ecclesiam non convenerint, Episcopi æque ac Clerici deponantur, Laici vero excommunicatione mulctentur.

V. Quamquam vero hic palmaris sit Canon de Episcoporum, & reliquorum inferioris Ordinis Clericorum in suis Ecclesiis residentia, cum tamen iterum, atque iterum de ea tum in Commentariis ad Romanum Pontificale, tum Tomo I. Conciliorum disputatum a nobis fuerit, id etiam de Laicis dicam, teneri ipsos ex nostro Canone, & ex aliis pene innumeris, quos affert doctissimus Filesacus in suo Tractatu, *De origine Paræciarum*, parochialem suam Ecclesiam frequentare, ubi a Parocho, cui illorum cura commissa est, verbo Dei pascantur, Fidei Christianæ rudimentis, aliisque animarum saluti necessariis præceptis erudiantur, ad sanctissima Sacramenta religiosius percipienda instruantur, ad eorumque frequentem usum paternis ejus cohortationibus in dies magis inflammentur. Monita hæc S. Caroli sunt, quæ in ejus literis legere est in Synodo Provinciali VI. Mediolanensi editis. Fateor equidem saluberrima ista memorati sanctissimi Antistitis documenta passim negligi, cum nullus fere sit hodie multis quidem in locis, ac Urbibus etiam conspicuis, qui ad audiendum Sacrum, vel concionem, ad parochialem Ecclesiam suam accedat, quia scilicet Parochi complures nihil de ovibus suis soliciti, id unum attendunt, ut in earum funere, sarta tecta sint sua jura Parochialia.

VI. Porro cum Ecclesia Cathedralis præsertim, ac Parochialis, sacra quædam Academia sit, ubi populus, qui frequens confluit ad solemnes conventus, excellenti, maximeque necessaria scientia imbuitur; soliciti jam olim fuere Ecclesiarum Antistites subditos suos monere Clericos æque ac Laicos, ut diebus saltem solemnioribus ad Ecclesias ipsas venirent. Concilium Agathense anni DVI. Ecclesiæ Hispanæ, ac Gallicanæ Can. XXI. veterem disciplinam sat nobis ostendit, ubi statuit: *Siquis extra Parochias, in quibus legitimus est, ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas teneat, propter fatigationem familiæ, justa ordinatione permittimus. Pascha vero, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten, & Natalem S. Joannis Baptistæ, vel si qui maximi dies in festivitatibus habentur, nonnisi in civitatibus, aut in Parochiis teneant. Clerici vero siqui in festivitatibus, quas supra diximus, in Oratoriis, nisi jubente, aut permittente Episcopo, Missas facere, aut tenere voluerint, a communione pellantur.* Synodus I. Aurelianensis anni DXI. Can. XXV. licet tres tantum maximas solemnitates memoret, edicit tamen, nulli civium fas esse eas in agro celebrare, sed peragendas esse ab omnibus in Civitate cum Episcopo. Ejus verba hæc sunt: *Ut nulli Civium Pascha, Natalis Domini, vel Quinquagesimæ solemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.* Epaunensis Synodus anni DXVII. Can. XXXV. viris tantum primariis præcepit, ut nocte Paschatis, & Natalis Domini Episcopum adirent in quacumque Civitate versaretur, qui iisdem benedictionem impertiret: *Ut cives superiorum Natalium nocte Paschæ, ac Nativitatis Domini solemnitate Episcopos; nec interest in quibus civitatibus positos, accipiendæ benedictionis desideria noverint expetendos.*

VII. Idipsum statuit & quidem sub pœna excommunicationis Concilium Aurelianense IV. anni DXLI. Can. III. in quo etiam primores Civitatis non solum Paschatis solemnitatem, sed & præcipuas Festivitates in Civitate una cum Episcopo celebrare jubentur: *Quisquis de prioribus civibus Pascha extra civitatem tenere voluerit, sciat sibi a cuncta Synodo esse prohibitum; sed principales Festivitates sub præsentia Episcopi teneant, ubi sanctum decet esse conventum. Tamen si aliquis certa necessitate constringatur, ut hoc implere non posset, ab Episcopo postulet commeatum. Quod si hoc postulare despexerit, in eodem loco, idest in festivitate præsenti, ubi tenere voluerit, suspendatur.* Erant forte olim, sicut & hodie viri complures, qui ne communicarent in Paschate, quia scilicet longa peccatorum consuetudine obstricti vix Sacerdotes invenirent a quibus absolverentur, Paschali tempore a Civitate migrabant ad Villas.

VIII. Ex recitatis hactenus Synodorum Canonibus jam intelligimus, hanc fuisse Gotorum, Gallorum, ac Burgundionum persuasionem, membra quævis capiti suo adhærescere oportere, Parocho, & Antistiti, maxime in præcipuis Ecclesiæ conventibus. Concilium Claramontanum anni DXXXV. Can. XV. eandem tuetur disciplinam, non tantum quod pertinet ad viros generis nobilitate præstantes, sed Diaconos etiam, Presbyterosque nulli Parochiæ addictos, & in privatia dumtaxat Sacellis Sacris operantes: *Siquis ex Presbyteris*, inquit, *aut Diaconis, qui neque in Civitate, neque in Parochiis Canonicus esse dignoscitur; sed in villulis habitans, in Oratoriis sancto officio deserviens celebrat divina Mysteria, festivitates præcipuas, Domini Natale, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt reliquæ solemnitates, nullatenus alibi, nisi cum Episcopo sua in Civitate teneat.* Additque mox: *Quicumque etiam sunt cives natu majores, pari modo in Urbibus ad Pontifices suos in prædictis festivitatibus veniant. Quod siqui improba temeritate contempserint, iisdem in Civitatibus, quibus in Civitate adesse despiciunt, communione pellantur.* Erat ergo Ædes maxima Parœcia Clericorum, & Virorum illustrium; Clericorum vero, qui Ecclesiis minime adscripti erant. Si qui vero minime obtemperassent, Sacramentorum expertes erant, solemnibus illis diebus; id enim præseferre videtur verba illa: *communione pellantur*, ut scite observat Thomassinus, *De dierum Festorum celebratione*, Lib. III. Cap. VI. Num. XI.

IX. Juvabit nunc cum Auctore laudato summatim exponere, quam utilis fuerit ea disciplina, quam tot recitati Canones maxime esse momenti aperte significant. Primo itaque Festi dies majore solemnitate peragebantur, magisque conspicua erat, splendebatque Ecclesiæ, & Jesu Christi majestas, dum omnes simul eodem convenirent, Clerici potissimum, virique primarii, qui aliis exemplo essent. II. Fovebant sacri istiusmodi cœtus dilectionem, & observantiam illam, qua Clerici, & Viri genere dignitateque præstantiores prosequi debuerunt Antistites suos, quemadmodum eam sensim minuebat, numquam, aut perraro iisdem sacris interesse. III. Itinera, quæ fiebant, pertinere videbantur ad solemnium religionem; instituebantur enim, ut unusquisque adiret Epi-

Episcopos Jesu Christi quasdam in terris imagines, atque ut coleretur Deus in Æde maxima Cæli aulam præmonstrante. IV. Sacra in Æde illa principe ea ratione solemniori ritu peragebantur, diuque divinis rebus vacabatur, maxime propter conciones tunc habitas, itaque totus dies religiose insumebatur.

X. Veterem disciplinam conatus est restituere S. Carolus, ubi in Concilio Mediolanensi III. Principes viros, ac Magistratus hortatur, ut solemnibus diebus intersint in Æde Maxima, dum sacrorum Antistites rem divinam faciunt, & vespertinæ laudes celebrantur, ut populo exemplo præeant: *Principes*, inquit, *& Magistratus, qui gubernationi præsunt, dignitate præcellunt, ita præluere debent exemplo, quo reliqui incendantur ad perpetuum pie agendi studium. Quamobrem pro muneris sui officio, eos paterne cohortando, & monendo Episcopus curet, ut ipse per annum solemnibus diebus, & in quibus potissimum humanæ Redemtionis Mysteria peraguntur, in Nativitate scilicet Domini. Die Circumcisionis, & Epiphaniorum, in hebdomada sancta, Paschæ Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in solemni die Corporis Christi, ad Cathedralem Ecclesiam conveniant, Episcopalique Missæ officio, quod solemni ritu fit, divinisque vesperorum officiis intersint.* Idipsum passim non modo veterum, sed & recentiorum Synodorum Canones mandant, atque inculcant. Verum audiendus est Willelmus Malmesburiensis, qui morem sui, ac nostri pariter ævi corruptum ob oculos ponens, inter alia queritur Proceres abdomini, ac ventri deditos mane ad Ecclesiam non adire, ut Christiani consueverunt, sed in cubiculis suis, atque in uxorum sinu matutinas preces exaudire, & Sacrum a præpropero Presbytero celebratum: *Optimates gulæ, & ventri dediti Ecclesiam more Christiano mane non adibant, sed in cubiculo, & inter uxorios amplexus Matutinarum solemnia, & Missarum a festinante Presbytero auribus tantum libabant.* Similes nostri ævi abusus jam nos non uno in loco perstrinximus.

C A N O N LXXXI.

Quoniam in nonnullis locis didicimus, in sanctissimo Hymno, quo ter Sanctus canitur, additamenti loco dici post illud: *Sanctus Immortalis*, hoc, *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri*: Id autem ab antiquis Sanctis Patribus, ut a pietate alienum, ex hoc Hymno ejectum est cum scelerato hæretico, qui hanc vocem innovavit. Nos quoque confirmantes ea, quæ a sanctis nostris Patribus prius pie constituta sunt, anathematizamus eos, qui post præsens Decretum, ejusmodi vocem admittunt in Ecclesiis, vel aliquo alio modo, sanctissimo Hymno adjungunt. Et si est quidem Sacerdotalis Ordinis, qui transgressus est, eum Sacerdotali dignitate privari jubemus; sin autem Laicus, vel Monachus, segregari.

C O M M E N T A R I U S.

I. SAcri Trisagii, de quo in hoc præsenti Canone agitur, referente Nicephoro, Libro XIV. Cap. XLVI. & ex eo Baronio ad annum CDXLVI. & Petavio Lib. V. *De Incarnatione*, Cap. IV. aliisque Auctoribus, hæc est origo. Proclo Constantinopolitanam Sedem obtinente, magnus terræmotus non in illa tantum Urbe, sed per vicinas regiones, adeoque maximam Orientis, & Occidentis partem, ingenti tum Urbium, hominumque strage, tum superstitum horrore grassatus est. Constantinopolitani crebris ædium ruinis coacti Urbe cedere, extra hanc in Campo una cum Imperatore Theodosio Juniore, ac memorato Proclo Patriarcha commorati sunt. Ibi dum precibus, ac Litaniis assidue propitium sibi Numen facere student, forte vehementius solito succussa terra, & imminentis tum maxime publicæ cladis terrore perculsis omnibus; puer quidem e media turba vi abreptus subita, & in aerem elatus, ut jam amplius non appareret, cæleste ibi carmen, quo divinas laudes Angeli canebant exaudiit, quod erat hujusmodi: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.* Hoc ipsum docere ceteros jussus, in terram aliquanto post depositus est. Proclus hoc audito, publice ab omnibus cantari præcepit. Quod cum alacritate summa factum esset, terræmotus omnino quievit. Puer vero mandato sibi munere perfunctus expiravit illico, & in magna Basilica, quæ Irenes appellabatur, est sepultus: locus, unde in altum sublatus erat, *elevatio divina* nominatus est. Accidisse autem hæc anno CDXLVIII. laudato loco refert Petavius.

II. Tanti beneficii memor Theodosius una cum sorore Pulcheria Augusta edita Constitutione decrevit, ut per totum Orbem Hymnus iste divinus concineretur; ex eoque tempore per universas Ecclesias usus invaluit, ut ab hoc carmine divinæ ubique laudes inchoarentur. Rem adeo ingentem non solum Nicephorus ex antiquioribus Auctoribus exacte descripsit, sed & consecratam Græci habent in Tabulis Ecclesiasticis die vigesima quarta Septembris: confirmantque Asclepiades Episcopus Trullanus, Acacius Constantinopolitanus, Justinus Siculus, Quintianus Asculanus, atque S. Felix Papa III. Epistolis suis adversus Petrum cognomento Cnapheum, idest Fullonem, qui Antiochenam Sedem invaserat, Hymnumque ipsum additione impia corruperat. Hunc eundem Hymnum nobili scriptione pluribus explicavit S. Joannes Damascenus in peculiari Libro, *De Trisagio*, in quo eandem historiam memorat; repetiitque Libro III. *De Fide orthodoxa*, Cap. X. ubi etiam prodidit, in IV. Synodo Oecumenica decantatum fuisse,

fuisse, in fine scilicet primæ Actionis, quando Dioscorus damnatus est, ejusdemque impietatis consortes hæretici æque dejecti.

III. Ergo Petrus Fullo ex Eutychiana secta, statim ac ad Antiochenam Sedem fuit intrusus, ad cælestem hunc Hymnum, *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, addere primum ausus est illam blasphemiam, *Qui crucifixus es pro nobis*: Theopaschitarum, qua imbutus erat, hæresim corroborare studens, ut ipsummet Deum non carne, sed Divinitate passum esse monstraret. Quod dupliciter potest intelligi, ut scite advertit Petavius. Nam aut Trinitatem ipsam totam perpessioni, ac morti subjiciebat: aut unam tantummodo Filii personam. Utrumque Petro Fulloni tribuitur; quorum prius cum Sabellianis commune habuit, qui unam dumtaxat in Deo personam confitentes, hanc ipsam includebant corpore. Atque hujusmodi erroris in illo suspicio statim ex ipsa Trisagii corruptela proditur; cum post triplex totidem personarum elogium appendix ista subjicitur: *Qui crucifixus es pro nobis*, *miserere nobis*. Posterius vero ab Arianis expresserat, qui Divinitatem filii eandem, atque est in Patre, negabant, eamque vice animæ cum carne conjunctam, passam esse, mortuamque dicebant; Huic porro suffragabatur altera illa, quæ publice pronunciata est a Fullone ipso sententia, *Unum de Trinitate passum esse*. Quod illi exprobrant cum Felix Papa, tum Acacius Constantinopolitanus in Epistolis adversus eum scriptis.

IV. Tradit in altera Epistola idemmet Felix, quæ damnationis in Petrum sententiam continet, quatuor ab eo diversis temporibus prædicatas hæreses nefarias, & sub illo additamento comprehensas, intellectasque: *Etenim alias*, inquit, *dixisti Trinitatem esse pro nobis crucifixam*, *non autem Christum*: *alias immortalem Spiritum*, *Manichæi sequutus errorem*: *alias vero hujusmodi liberatus opinionibus*, *postquam admonitionibus nostris*, *ac sermonibus convictus es*, *Christum*, *post immortalem Spiritum*, *passionem sustinuisse dixisti*, *non aliter ac Paulus Samosatenus*, *& Nestorius*, *qui unum filium in duos partiuntur*. Addit his etiam mox eundem Petrum, Cherubicum hymnum, idest *Trisagium*, quem in Trinitatis laudem cælestes illi cecinerunt Spiritus, ad solum redegisse filium. Sicque venena quinque, uti doctissimus Petavius observat, impietatis hæreticæ, sub illa sacri Trisagii depravatione, & appendice Petri Fullonis latere, Catholici deprehenderunt, & ante omnes laudatus Felix III. Pontifex Maximus, Acacius Constantinopolitanus, Faustus Apolloniadis, Pamphylus Abydenus, Justinus Siciliæ, Episcopi. Qui omnes Petro ipsi Cnapheo, seu Fulloni multiplices errores attribuunt hæreticorum Valentiniani, Marcionis, Manichæi, Sabelli, Pauli Samosateni, Photini, Arii, Apollinaris, Nestorii, & Eutychis, cujus potissimum hæresim sequebatur.

V. Primum itaque quod in ipso Trisagio additione illa corrupto tribus personis passio & in Cruce suspensio subjicitur, Sabellianorum, sive Patripassianorum impietas apparet. Sabelliani dicti sunt a Sabellio viro Pentapolitano, Noetique discipulo, quorum error ingentissimus erat, in divinis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non tres distinctas, sed unam dumtaxat trinominem esse personam, quæ prout Ingenita est, dicitur Pater, prout incarnata, Filius, & prout sanctificans creaturas, Spiritus Sanctus vocatur. Dicti sunt autem & Patripassiani, quia cum Filium in cruce passum fateantur, & Patrem a Filio distinctum esse negent, Patrem consequenter passum esse tenent cum Praxea quodam Asiatico viro, qui primus eam hæresim excogitavit, quique ideo a Tertulliano dicitur in Libro quem adversus ipsum conscripsit, duo diaboli negotia procurasse, Paracletum scilicet fugasse, & Patrem crucifixisse. Vocati sunt etiam aliquando monarchici, quod non tres, sed unicam in Deo personam esse blasphement.

VI. Deinde, cum post illa sacri Hymni verba, *Sanctus immortalis*, quibus propris Spiritus Sanctus exprimitur, proxime additur, *Qui crucifixus es pro nobis &c.* significatur, Spiritum Sanctum passum, ac mortuum esse pro nobis; eamque fuisse opinionem Manichæi ajentis, Spiritum Sanctum columbæ specie in Jordanem delapsum, & ex aquis corpore assumto, mortem obiisse, Felix Papa III. & Acacius Episcopus Constantinopolitanus in laudatis Epistolis suis referunt. Fuit is hæreticus natione Persa, antea Servus, & Curbicus appellatus, sed tandem ab hera sua defuncta hæres constitutus, ne servitutis nomen retineret, Manem seipsum, quod lingua Persica *Homiliam* significat, tamquam optimum disputatorem appellavit. Sed divina providentia factum ajunt, ut nolens seipsum argueret, indito sibi eo nomine, quod apud Græcos insaniam significabat. Tradit hæc quidem S. Cyrillus Catechesi VI. De nomine vero addit Augustinus Libro, *De hæresibus*, Cap. XLVI. Manetis discipulos vitantes nomen insaniæ geminata a litera, Manichæum quasi manna fundentem pro Manichæo, idest insano appellitasse. Quot & quanta fuerint impia ejus dogmata, ex variis Patribus recenset Baronius ad annum CCLXXVII.

VII. Sequitur tertium in corrumpendo divino Trisagio flagitium, quod duos filios ita constituit, alterum qui medius inter Patrem, & Spiritum ponitur; alterum qui seorsim a tribus nominatus, pro nobis passus, sive crucifixus invocatur. Qua ratione pro tribus personis, divinæ quatuor invehuntur; estque hæc Artemonii, Pauli Samosateni, Photini, ac Nestorii hæresis. Hinc laudatus Pontifex Felix III. in acri Epistola sua quam adversus Cnapheum scripsit, postquam ipsum arguit, quod alias Trinitatem pro nobis crucifixam dixerit, & alias immortalem Spiritum, Manichæi sequutus errorem, ita illum iterum carpit, dicens: *Alias vero hujusmodi liberatus opinionibus*, *postquam admonitionibus nostris*, *ac sermonibus convictus*, *Christum*, *post immortalem spiritum*, *passionem sustinuisse dixisti non aliter ac Paulus Samosatenus*, *& Nestorius*, *qui unum filium in duos partiuntur*. Fuit Paulus natione Syrus, & Episcopus Antiochenus, qui teste S. Augustino Libro, *De hæresibus*, Cap. XLIV. extinctam Artemonii revocans hæresim, ajebat quidem, Christum purum hominem esse, nec ante Mariam extitisse. Idem docuit ejus discipulus Photinus Sirmiensis Episcopus. Nestorius vero Patriarcha Constantinopolitanus, ipse est qui cœpit asserere, duas esse in Christo personas, & docere, duos esse Christos, unum filium Dei, & filium hominis alterum.

VIII. Quarto dum impius Fullo ad solam secundam Filii personam pertinere vult accessionem illam Trisagii, & hanc solam excipit ad passionis, mor-

mortisque tolerantiam, Trinitatem dissolvit, & ὁμούσιον evertit, hæresim Arii, & Apollinaris, necnon Eutychis sequutus. Nam Filii substantiam ipsam & passibilem, & mortalem facit; quod negat de duabus aliis. In quo etiam illi cum Valentino, & Manichæo convenit, qui Divinitatem corruptam inquinatamque dicebant. Porro Arii, Apollinaris, atque Eutychis dogma impium erat, Jesum Christum Dominum nostrum humana carere anima, esse ex sola carne, & Divinitate compositum, ideoque unicam naturam esse incarnatam. Hinc S. Quintianus Asculanus in Apulia Episcopus literis suis ad eumdem Petrum Fullonem scriptis, ita adversus illum invehitur: *Quis adhuc sustinebit, te pervertente Evangelium, non prædicando unum Filium in duabus naturis Dominum nostrum Jesum Christum, & hunc crucifixum, sed Deum, fortem, immortalem, videlicet unam Trinitatis substantiam dicens crucifixum? Et non solum, sed unam naturam Dei verbi, & carnis dicis.*

IX. Quinto denique quatenus totum illud carmen cum appendice sua in Filium redegit, tum iisdem modis peccavit, quia solum eundem passionis, ac mortis legibus obnoxium fecit, sine ulla carnis, & humanæ naturæ mentione, ut passus carne dici posset: tum vero sacrilege, ac scelerate hymnum illum, quem tot ante secula cantari a Seraphinis Propheta Isaias audierat, & ter in eo repetitam *Sancti* appellationem in unam personam contrahit; ut S. Joannes Damascenus sub initium Libri, *De Trisagio*, pluribus explicat; & abolitum hoc pacto trium Personarum, uniusque naturæ, quod inest in illo carmine vestigium queritur. Atque hæc, ut scitissime observat laudato loco Petavius eruditissimus Theologorum, aliique passim, in Trisagii appendice notata, reprehensaque a Catholicis errorum semina magis ad corruptoris mentem venenis istis aut omnibus, aut quibusdam imbutam referenda sunt, quam ad ipsam verborum conceptionem, quæ vindicari per se facile posset a multiplici hac invidia dissidentium hæreseon, quas simul complecti dicitur.

X. Discutienda nunc vetus est quæstio, an accessio illa veraciter possit ad Filium dirigi pro nobis incarnatum, & in carne crucifixum, atque ita esse immunia ab omni impietate & errore? Respondet S. Ephræmius Antiochenus Episcopus, & Catholicæ Fidei propugnator, apud Photium in Bibliotheca Cod. 228. a quibusdam Catholicis Orientalibus de solo intelligi Filio, ideoque sine ullo piaculo Fullonis eos appendicem adjicere: Byzantinos vero, & Occidentales quod hymnum ipsum in totius honorem Trinitatis concini putent, abhorrere ab illa Petri Fullonis clausula; recte autem utrosque facere, cum ex mente, ac sensu, quem quisque adhibet, probanda, vel repudianda sit ista accessio: *Recte vero facere utrosque hic affirmat, neque ullam reperire rationem, cur alterutra reprehendatur, vel in disquisitionem revocetur.* Quod ipsum in literis suis ad Armeniorum Archiepiscopum Lib. VIII. Epistola I. fatetur S. Gregorius Papa VII. serio illum adhortans, ut appendix illa tollatur, non quia falsa sit, dum soli Filio adscribitur, sed quia scandalosa. Licet enim tertio repetita vox illa, *Sanctus*, possit in tres divinas Personas distribui, potest tamen etiam soli Filio adscribi, quem omnis Scriptura prædicat Deum, fortem, immortalem, unaque pro nobis mortuum, & crucifixum.

XI. Subjicit & istud Photius de Sancti Ephræmii sententia, quod cum Acephali ad corroborandam impiam hæresim suam, appendice illa Fullonis uterentur, ideo alii Patres penitus abrogandam censuerint: *Hic quidem ita sensit, quod Acephalis hæreticis male hanc sententiam accipientibus magnus fiat in pios incursus. Merito cæteri Patres nostri illud decreverunt, non oportere illud addere in sacro Hymno,* Qui passus est pro nobis, *& convenientem esse Hymnum, qui de Trinitate disputat, quando Cherubina cantio in triplici sono sanctitati accedens ab initio super omnem sanctitatem, & bonitatem Trinitatis cantus esse cognoscitur.* Eandem rationem adversus Petri Cnaphei audaciam adduxere Felix III. Papa, Romana ejus Synodus, Acacius Episcopus Constantinopolitanus, S. Quintianus in Apulia Episcopus, aliique sancti Antistites, qui acres literas adversus ipsum Cnapheum scripserunt, uti videre est apud eruditissimum Lupum, in suo pleno ac docto Scholio ad hunc Canonem, & apud Virum Clarissimum S. R. E. Cardinalem Henricum Noris, qui de ipso Hymno, ejusque accessione a Cnapheo concinnata egregie disserit.

XII. Monendus est denique Lector, quod circa eam appendicem accidit, idem contigisse circa eam propositionem: *Unus de Trinitate crucifixus est.* Eam enim duo Pontifices Felix III. & Hormisdas veluti Eutychis errori faventem rejecerunt: duo vero alii Pontifices, Joannes XI. & Agapetus eum tota Ecclesia tamquam Catholicam probarunt; uti late ostendunt iidem memorati Auctores Augustiniani Ordinis decora, atque de universa Catholica Ecclesia, & Republica Litteraria optime meriti, Noris, & Lupus, quorum alter in Scholio ad Cap. x. Synodi v. sic tandem concludit: *Ex quo vides, eandem æquivocam propositionem posse ab Ecclesia successive, & probari, & damnari.*

C A N O N LXXXII.

In nonnullis venerabilium Imaginum picturis Agnus, qui digito Præcursoris demonstratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram assumtus est, verum nobis Agnum per legem Christum Deum nostrum præmonstrans. Antiquas ergo figuras, & umbras, ut veritatis signa, & characteres Ecclesiæ traditos, amplectentes, gratiam, & veritatem præponimus, eam ut legis implementum suscipientes. Ut ergo quod perfectum est vel colorum expressionibus omnium oculis subjiciatur, ejus qui tollit peccata mundi, Christi Dei nostri humana forma characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri Agno erigi, ac depingi jubemus; ut per ipsum Dei Verbum humilia-

tionis celſitudinem mente comprehendentes ad memoriam quoque ejus in carne converſationis, ejuſque paſſionis, & ſalutaris mortis deducamur, ejuſque, quæ ex eo facta eſt mundo redemtionis.

COMMENTARIUS.

I. QUod ad ſuperioris Commentarii calcem dictum eſt, eandem ſcilicet æquivocam propoſitionem poſſe ab Eccleſia ſucceſſive probari, & damnari, id & initio Canonis hujus uſurpare poſſumus de picturis, poſſe nimirum quaſdam uno tempore admitti, & alio tempore improbari, ſive etiam poſſe eaſdem picturas pro vario hominum ingenio, & interpretatione ab una Eccleſia probari, quæ ab alia minime ob periculum erroris admittuntur. Itaque cum priſci Fideles Scriptura præeunte, non modo apud Latinos, ſed & apud Græcos Chriſtum Dominum noſtrum ſoliti eſſent adumbrare, quia ſcilicet Agnus, qui ab Hebræis Moyſe præcipiente immolatus eſt, cujuſque ſanguine conſignata domorum limina, Primogenitorum interfectori inacceſſa fuere, is Chriſti Jeſu typum ac imaginem referebat; ac præterea quia S. Joannes Baptiſta cum Chriſtum populo indicaret, dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Canon contra hic ſtatuit, agni loco, ut umbra veritati cedat, ſubſtituendam Chriſti imaginem humano habitu, ac figura expreſſam.

II. Moris Eccleſiæ antiqui egregium teſtimonium ſuppeditat quidem S. Paulinus, ubi ad Severum ſcribens, ita inter alia inquit.

Sub Cruce ſanguinea niveo ſtat Chriſtus in Agno,
Agnus ut innocua injuſto datus hoſtia leto.

Si vera ſunt Acta S. Silveſtri, jam ante Paulinum erat in uſu exprimendi Chriſtum in figura Agni; etenim apud ipſa legimus, Conſtantinum Magnum in Baptiſterio quod ipſe Romæ prope Baſilicam S. Joannis Lateranenſem conſtrui juſſit, apponi feciſſe Agnum aquam fundentem, & figuram Joannis Baptiſtæ Agnum digito monſtrantis, quaſi diceret: *Hic eſt qui baptizat*.

III. In Eccleſia Romana quam antiquus ſit uſus ille, conſtat ſane ex Agnis Dei cereis, quos vel a priſcis ſeculis Romani Pontifices benedicere conſueverunt. Exiſtimarunt quidem nonnulli, ac præſertim hæretici, Philippus Morneus, Petrus Paulus Vergerius, & alii ejuſdem furfuris, ritum ipſum non eſſe antiquiorem Urbano V. Papa, qui floruit poſt medium Seculum XIV. Verum invicte falſam hanc opinionem refellunt, non modo Victorellus in Notis ad Ciacconium, ubi de ipſo Urbano agit, ſed & Joſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis in Libello Romæ evulgato anno MDCLVI. cui Titulus ita inſcribitur: *De baptiſmo Paſchali, & Origine ac ritu conſecrandi Agnos Dei*, ubi inter alia pluribus oſtendit ritum ipſum uſurpatum quidem fuiſſe ab exordio naſcentis Eccleſiæ. Tum Cap. VII. citat Ordinem antiquum Romanum a Gelaſio Papa circa annum CDXCII. concinnatum, in quo ita legitur: *Mane itaque primo venit Archidiaconus, & fundit ceram in vas mundum majus, & miſcitat ibidem oleum, & benedicit ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem Agnorum, & ſervat in loco mundo*. Hæc Titulo de Sabbato Sancto, ſeu ordine benedicendi Cerei, & poſtea Titulo in Octavis Paſchæ, *In Dominica*, inquit, *poſt Albas infra civitatem Romanam datur Agnus Dei ab Archidiacono poſt Miſſam, & communionem populo, & ex eis faciunt infra domos ſuas incenſum ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacumque neceſſitate*. Eadem verba leguntur in Appendice primi omnium Romani Ordinis, quos eruditiſſimus Mabillonius publicavit Tomo II. Muſei Italici.

IV. Meminit ejuſdem ritus Pollicitus qui vixit ſub Innocentio Papa II. in Ordine Romano XI. apud eumdem Mabillonium Pag. 138. ubi ita legitur: *In Sabbato Sancto mane ſurgit Archidiaconus, & miſcitat Oleum, & Chriſma annotinum in cera munda. Acolythus conficit eam, & colat, & facit ex ea ſimilitudinem Agnorum, quos Dominus Pontifex expendit in Sabbato de Albis*. Et poſtea in Sabbato ipſo, quod vacat de Albis, hæc habet: *Dum Primicerius cum Schola cantat*, Agnus Dei, *Domnus Apoſtolicus expendit Agnos per populum hac ratione, ut ſicut filii Iſrael in Ægypto poſiti præcepto Domini de ſanguine immaculati Agni in liminibus domorum ſcripſerunt hoc ſignum T, ne ab Angelo percuterentur; ita & nos de ſanguine paſſionis immaculati Agni Chriſti debemus hoc ſignum ſcribere in limine domorum noſtrorum per fidem, ne a diabolo, & a vitiis percutiamur, & a poteſtate diaboli liberemur. Aliud propter infantes noviter baptizatos in Eccleſia deponentes veterem tunicam, qui annunciant*, Alleluja, *ideſt gloriam beatitudinis cæleſtis patriæ. Tertium, quia quicumque habuit de cera prædictorum Agnorum, & ex ea in domo ſua crucem habuerit, vel ſecum portaverit, non lædetur ab aliquo phantaſtico ſpiritu, & a tonitruo*. Eandem rem tradit Cencius de Sabellis, poſtea ſub Honorii III. nomine Pontifex Maximus in Ordine Romano XII. quem una cum aliis multis memoratus Mabillonius publici juris fecit.

V. Quantum ex Ritualibus Libris conſtat, originem habet hæc cæremonia ab antiquo Eccleſiæ Romanæ ritu, quo Dominica in Albis ſumebatur reſiduum Cerei Paſchalis Sabbato Sancto benedicti, diſtribuebatur populo minutatim, qui partem quiſque ſuam domi, vel in agris comburebat tamquam remedium contra dæmonum præſtigia, & contra fulgura, & tempeſtates. Ipſos enim Agnos factos eſſe de cera benedicta, vel de cera Cerei Paſchalis anni præcedentis admixto Chriſmate, & diſtributos fuiſſe Sabbato in Albis per Pontificem, inter alios ſcribit Gulielmus Durandus Lib. VI. *Rationalis divinorum officiorum*, Cap. LXXIX. Benedicebantur olim Agni illi ab Archidiacono benedictione, ſeu conſecratione, quæ peragitur formulis variarum precum ad Deum directis; ſed multis jam ab hinc ſeculis Pontifex ipſe majori cum pompa, & ſolemnitate per dies aliquot hebdomadæ Paſchalis Pontificalibus ornamentis indutus benedictionem illam, ſeu conſecrationem perficit, Agnos abluens ſacratis aquis, immergendo ſcilicet illos aquæ benedictæ in pelvibus capacioribus, tum extrahendo cum coclearibus colatoriis ex argento. Tum reponuntur, & in Miſſa Sabbati ſubſequentis, dicto *Agnus Dei*,

Dei, a Subdiacono offeruntur Pontifici, ter dicendo: *Pater sancte, isti sunt Agni novelli, qui annunciaverunt vobis, Alleluja, modo veniunt ad fontes, repleti sunt claritate, Alleluja*. Deinde a Papa distribuuntur Cardinalibus, Episcopis, & Presbyteris.

VI. Olim teste Panvinio cera alba pura, ex qua Agni cerei conficiebantur, *parata erat per Magistrum ceræ Palatii Apostolici*. Consuevisse autem Fideles ipsos deferre aliquando ceram ad Altare S. Petri, sive pretium deferre, ex eo addiscimus, quod Martino V. Pontifice Maximo Subdiaconus Apostolicus sequens edictum ad valvas Basilicarum solitus fuit affigere: *Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus D. Martinus Divina providentia Papa Quintus intendit in die Jovis proximo instanti conficere, & consecrare sacrum Chrisma, & sacros Agnos Dei, & alia solemniter facere, quæ Summi Pontifices ipsa die post suam consecrationem de septennio in septennium facere consueverunt. Quare omnes volentes habere Agnos Dei deferant bona hora ceram album puram, & mundam ad domum Domini nostri Subdiaconi*. Itaque ceram Fideles suam ad Subdiaconi Apostolici domum deferebant, ab eoque tunc temporis effingebantur Agni, tametsi, uti superius dictum est, munus illud spectarit antiquitus ad Archidiaconum, tum vero ad Subdiaconum, & deinde ad Sacristam, ut accidit anno MCCCLXXVIII. quo Petrus Amelius Episcopus Senogalliensis, & Pontificius Sacrista Agnos ipsos efformavit, ut ipsemet asserit in Ordine Romano xv. a Mabillonio publici juris facto. A Leone tandem Papa XI. usque ad præsentem diem conficiuntur Agni ipsi ex Apostolico Brevi Pauli Papæ V. edito xxviii. Martii MDCVIII. a Monachis S. Bernardi Congregationis Fuliensis.

VII. Quanta vero sit ipsorum Agnorum virtus, constat ex innumeris miraculis, quæ eorum ope patrata recensentur tum a Baronio ad annum Christi xviii. tum a Raynaudo in Tractatu, *De Agno cereo*, tum ab aliis in Libris de eodem argumento editis. Sed audiamus Urbanum V. Pontificem Maximum, quem Joannes Molanus Cap. xiii. *De Agno Dei*, Gretserus, aliique ex Augustino Patritio Lib. i. Ceremoniarum S. R. E. Sectione vii. Cap. ultimo, testantur, misisse ad Joannem Græcorum Imperatorem tres particulas ceræ benedictæ, sive tres Agnos Dei cereos cum rudioribus hisce versibus, quibus eorum vis, & efficacia exprimitur in fulgoribus depellendis, peccatis frangendis, tentationibus dæmonum superandis, prægnantibus, partubusque servandis, periculis ignis, & aquarum vitandis. Sic ergo inquit.

Balsamus, & munda cera cum Chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum:
Fulgura desursum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit, ut Christi sanguis & angit.
Prægnans servatur, simul & partus liberatur.
Dona confert dignis, virtutem destruit ignis:
Portatus munde, de fluctibus eripit unda.
Morte repentina salvat, Satanæque ruina.
Siquis honoret eum, retinet super hoste trophæum.
Parsque minor tãtum, tota valet integra quantũ.
Agne Dei miserere mei, qui crimina tollis.

VIII. Quatuor ultimi versus non leguntur quidem in memorato Libro cæremoniarum Augustini Patritii, neque in Apostolicis literis Sixti V. quas anno MDLXXXVI. una cum capsa cereorum Agnorum Dei misit ad Paschalem Ciconiam Ducem Venetiarum, quasque nos inferius describemus; verum habentur, in ms. Codice Benedictionum Pontificalium, quibus Pontifex Maximus utitur, asservato in Sacrario Apostolico. Verba illa quinti versiculi, *Peccatum frangit, ut Christi sanguis*, notat Victorellus in suis ad Ciacconium Notis, ab hæreticis Illyrico, & Plessæo male intellecta, defendi, & explicari egregie a Molano, & ab aliis viris doctrina, & ingenio præstantibus. Particula enim, *ut*, non æqualitatem, sed similitudinem quandam analogicam ostendit, sicut & illa Christi ore prolata, *Sicut & Pater vester cælestis perfectus est*. Cerea Agni Dei forma non abolet quidem peccatum, ut Christi Sanguis, neque enim ea virtute præstat, qua divinus ille Sanguis in hominum lapsorum redemtionem effusus; sed ab ipso Sanguine & morte Christi precationibus, & benedictionibus Romani Pontificis virtutem aliquam ad frangendum peccatum accipit. Vindicat & a calumnia hæreticorum hosce versus inter alios Antonius Baldassarrius, in Libro italice scripto, cui Titulus latinitate donatus, est, *Agnus Dei Pontificii dilucidati*.

IX. Scripsit eruditissimum carmen labente Seculo xvi. de hisce Agnis Dei, earumque virtute Andreas Frusius Societatis Jesu, ubi etiam ex veterum testimonio tradit, Leonem III. Pontificem Maximum Seculo ix. ad Carolum Magnum ejusmodi munus misisse, ab eoque magni æstimatum.

Ante octingentos ferme Leo Tertius annos
Optimus, exhibito munere, testis adest.
Carolus hoc magnus, magna pietate recepit,
Thesaurum reputans cælitus esse datum.

Fuit mos, ut non modo ad Reges, & Principes viros, sed & ad Magnates mitterentur aliquando ejusmodi dona a Pontificibus ipsis, uti constat ex Epistola Jacobi S. R. E. Cardinalis Papiensis ad Elianum Spinulam, ubi ita ait: *Pontifex Paulus* (idest II.) *a quo filium recepisti munere ad te mittit hunc Agnum Dei, circumclusum auro, & ornatum unionibus tredecim. Sacratus est manibus suis, & ex illo munere sumtus, ex quo munerari Reges est solitus: donum pretiosum, non magnum, sed virtute, & gratia maximum. Id agit videlicet sancta ejus dignatio, ut memor sis ejus, ut pignus in Sacrario teneas, sui in te animi testem, & custodem denique maximum habeas vitæ, & rerum tuarum. Accipiendus est osculo, cum devotione servandus, virtuti ejus credendum, & in comitatu habendus, si quando terra peregrinaris, vel mari. Linitus est sacramentali liquore, benedictus voce, & manu Vicarii Jesu Christi, mysterioque magno verborum sacer identidem factus. Si credis, in omnem casum fidum præsidium tenes. Age Pontifici gratias pro reddito filio, & pro hoc dono. In utroque es illi debitor, qui in utroque te æstimavit. Non cuivis ambo hæc contigissent.* Hactenus ille, sed audiamus ipsum Pontificem Maximum Sixtum V. qui in Apostolicis literis, suis, quas una cum plurimis Agnis Dei cereis ad Paschalem Ciconiam Venetiarum Ducem misit, fuse de eorum virtute differit, jubetque idcirco integras hoc loco describere.

X. Dilecte fili nobilis Vir salutem & Apostolicam benedictionem. Sancta Romana Ecclesia Christi Domini nostri Sponsa nullam habens ma-

culam neque rugam, Ecclesiarum omnium caput, ac vere pia, & sollicita cunctarum gentium mater atque magistra pro ea cura, quam in visceribus charitatis de filiorum suorum salute gerit, nullo unquam tempore cessavit, quia optimis legibus, & institutis, præceptisque salutaribus, omni denique opportuna ratione rem totam Ecclesiasticam constituere, & stabilire, ac universum Dei Populum fidei suæ commissum in officio continere, & per rectas justitiæ, ac probitatis semitas ducere conaretur, atque etiam considerata humanæ naturæ imbecillitate, ac sathanæ astutia, & fraudibus Populum ipsum variis benedictionibus, gratiis, atque muneribus spiritualibus fovere, ac roborare studeret, ut scilicet illis tanquam scalarum gradibus ascendere, & facilius ad Cælestem Patriam pervenire posset. Enim vero inter spiritualia hæc dona longe præclarum obtinet locum forma illa cerea benedicta, quæ Agnus Dei vocatur, cujus benedictio, & consecratio ex antiquissimo Ecclesiæ more, & instituto Paschali tempore a solo Romano Pontifice, solemni ritu, ac cæremonia, & summa cum religione fieri, & celebrari solet. At quam eximio cultu, quantaque veneratione digna sit hæc Sacra res, quicumque illius materiam, formam, consecrationis modum, preces, ac mysteria, quæ in ea continentur, noverit, & attente consideraverit, facile intelliget. Hi enim Agnus Dei ex cera alba, pura, virginea conficiuntur, ad denotandam Christi humanitatem ex Sanctissimo Virginis Utero absque ulla contagione, & sola Dei virtute sumtam. Imago Agni, quæ in illis est, Agnum illum immaculatum repræsentat, qui pro humani generis reparatione in ligno Crucis est immolatus. Adhibetur aqua benedicta, cujus substantia ad maxima quæque Sacramenta in veteri, & novo Testamento usus est Deus; aquæ miscetur balsamum, unguentorum omnium præstantissimum, ad designandam famam optimam, quam Christianus, veluti suavissimi odoris fragrantiam in sua conversatione debet redolere. Postremo superinfunditur Chrisma, quo charitas virtutum omnium maxima figuratur, & quo eodem Templa, Altaria, Vasa, & ipsi homines Dei cultui præparantur, & consecrantur. In hac vero aqua benedicta balsamo, & Chrismate mixta. hi Agnus Dei ab ipsomet Pontifice merguntur, & baptizantur, & tam ante, quam post mersionem sanctissimis precibus, & orationibus idem Pontifex Deum obsecrat, ut easdem illas formas cereas Imagine Agni impressas benedicere, sanctificare, consecrare, eisque virtutem Cælestem infundere dignetur, ita ut qui illas pia, & devote, & cum fide habuerint, & detulerint, eorum crimina deleantur, maculæ peccatorum abstergantur, veniæ impetrentur, gratiæ conferantur, præterea ut fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies, & infesta tonitrua temperentur, fugiant, & contremiscant maligni spiritus, nulla hic adversitas dominetur, nulla aeris corruptio, nullus morbus caducus, nulla maris tempestas, nullum incendium, nullave iniquitas noceat, parturientes cum partu incolumes conserventur, omnes denique ab aquarum inundatione, a morte subitanea, & a cunctis adversis liberentur. Hæc sane propitiationis, & gratiarum dona a Deo misericordiarum Patre, & bonorum omnium Largitore, vere tribui, atque concedi his cereis formulis sic benedictis, & baptizatis, præsertim Summo Sacerdote ipsius Christi in terris Vicario tam pie orante, ac supplicante, firmiter credendum est, sicuti idipsum sæpissime magnis, & variis miraculis, quæ diversis temporibus Divina bonitas per hæc sacra operari dignata est, fuit sæpius comprobatum. Nec mirum esse debet, si non semper idem contingat effectus, quoniam id ex infirma utentis fide, vel ex alia occulta causa, non ex defectu virtutis rei sacræ, accidere certum est. De hujus sacri præstantia, atque virtutibus extat inter cætera luculentissimum testimonium Urbani Papæ Quinti, qui magni muneris loco tres Agnus Dei ad Græcorum Imperatorem cum his verbis misit

Balsamus, & munda Cera cum Chrismatis unda
Conficiunt Agnum &c. usque ad versum illum
Portatus munde, de fluctibus eripit unda.

Cum igitur Nos his diebus Paschalibus Ecclesiæ, & Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum probatissimum morem secuti, quod nostri fuit muneris, peregerimus, huic solemni sacro operam dantes, visum fuit Nobis, sicuti in cæteris rebus, ita in hac eximiam dilectionem, charitatemque nostram erga inclytam istam Rempublicam, & Nobilitatem Tuam, qui in ea Principem locum tenes, ostendere, ac declarare. Itaque mittimus Tibi Capsam unam harum formarum cerearum plenam, ut Senatoribus omnibus, & aliis, quibus visum fuerit, ex eis largiter impertiri possis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xx. Aprilis MDLXXXVI. Pontificatus nostri Anno primo.

XI. Ex hactenus dictis liquido constat, inter alius hujus Sextæ Synodi Canones unum hunc esse, quem merito semper Romana Ecclesia respuit, quia scilicet memoratus Canon Christi potius Salvatoris Imaginem fieri jubet, quam Agni sub cujus figura repræsentari solebat. Canon quidem in Actione IV. Septimæ Synodi relectus est; in eo vero Cardinalis Bellarminus Libro II. *De Reliquiis & Imaginibus Sanctorum*, Capite VIII. Num. XXVI. male Bartholomæum Caranzam Summæ Conciliorum Auctorem arguit, quod ad illum Canonem adnotaverit, Patres memoratæ Synodi prohibuisse sub Agni forma Christum repræsentari, cum minime hoc prohibeat Canon iste, sed tantummodo figuris illis typicis, humanæ formæ picturam anteponat. Ait hæc quidem Bellarminus; verum manifeste decernitur in ipso Canone, ut non amplius Christus in Agni figura, sed potius hominis exprimatur; ut scite observat Petavius Libro XV. *De Incarnatione*, Cap. XIII. Num. IX. ubi etiam addit, nec in eo falsum esse Caranzam, neque mendose Canonem concepisse, qui in VII. Synodo castigatior sit, unde & emendandum Bellarminum asserit, siquidem prorsus eodem modo utrobique legitur. Ceterum quod præter Christi figuram etiam de Spiritu Sancto, & Magis statutum illic esse Caranza scribit, ut nec ille sub Columbæ specie, nec isti sub Stellæ figurentur, in eo haud dubie deceptus est, nam nihil tale Canon continet, nisi dicamus, quod similitudine quadam esse consequens argumentatur Caranza, uti post Vasquezium in III. Parte Disputatione CIII. Cap. II. notat loco citato laudatus Petavius. Quicquid autem de hac controversia sit circa Canonis interpretationem, duo certe ille demonstrat, usum Imaginum, & earumdem cultum ac venerationem.

CA-

CANON LXXXIII.

Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communicet. Scriptum est enim, *Accipite*, & *comedite*. Mortuorum autem corpora non possunt accipere, & comedere.

COMMENTARIUS.

I. Antiquæ consuetudinis fuit Corpus, & Sanguinem Domini mortuorum corporibus impertiri; estque celebre ea in re exemplum S. Basilii Magni, quem Amphilochius in ejus Vita Cap. VI. ait jam morti proximum Eucharistiæ consecratæ parte reverenter sumpta, partem alteram secum sepeliendam reservasse. Viguisse hunc morem præbendi mortuis Eucharistiam multis seculis, liquido constat ex variis Conciliis, quæ iterum atque iterum conata sunt morem illum eliminare. Concilium Carthaginense III. anni CCCXCVII. Can. VI. ita statuit: *Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Scriptum est enim, Accipite, & edite. Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere*. Ubi nota, jam olim longe ante Trullanam Synodum, Eucharistiam vita functis præbere non liceat, ob eam scilicet rationem, quod Eucharistiam Dominus in Discipulos dividens, *Accipite*, ait, *& comedite*, mortuis autem cadaveribus neque accipere neque comedere datum est, laudato Canone Carthaginensi totidem verbis suisse interdictum.

II. Rursus quod consuetudo illa præbendæ Eucharistiæ mortuis vigeret adhuc Seculo VI. docet Concilium Antissiodorense anni DLXXVIII. Can. XII. decretum ipsum renovans his verbis: *Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo, vel pallis corpora eorum involvi*. Ubi nota alium morem priscis seculis usitatum, induendi scilicet mortuos velo, & pallis altarium. Sed eo plurimis Conciliorum sanctionibus vetito, subintroductus videtur alius mos, quo mortui Religioso habitu induti sepeliri volunt. Sic inter Summos Pontifices Gregorius IX. Franciscanorum habitu amictus sepultus dicitur. Sic Manuel Comnenus Imperator Constantinopolitanus in habitu Monastico mori voluit. Est antiquus mos, quem plurimis exemplis illustrat Haeftenus, *Disquisitionum Monasticarum*, Lib. V. Tractatu VII. Disquisitione II. Morem hunc multi adhuc in Hispania ac Italia servant: rati hac ratione indulgentias peccatorum securius se posse consequi, quamvis non habitus, sed mores faciant Monachum. Si vera sunt, quæ refert Rodericus Tomo II. *Quæstionum Regularium*, Quæstione LXXVII. Articulo X. Clemens IV. concessit morientibus cum habitu Fratrum Minorum, & qui cum eo elegerint sepeliri, remissionem tertiæ partis omnium suorum delictorum. Ampliasse ait hanc indulgentiam Nicolaum III. & Urbanum V. Leonem vero X. plenariam etiam peccatorum indulgentiam concessisse.

III. Sed his obiter dictis occasione Antissiodorensis Canonis, investigandum nunc nobis est illud, cur olim Fideles Eucharistiam mortuis præberent? Puto equidem duas potissimum ob causas permissum id fuisse ab Ecclesia. Prima fuit, ut ethnicæ superstitionis abusum saniori cultu expiarent. Gentiles quippe, qui pro transvectione animarum ad Elisæos Campos a Charonte portitorii nomine obulum exigi fabulabantur, defunctorum ori obulum imponebant. Unde Juvenalis Satyra III. de ipso Charonte, & quodam paupere, cui obulus ille deerat, ita cecinit:

. . . . *At ille*
Jam sedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum,
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Ejus usus habemus in Apulejo testimonium Lib. VI. *Metamorph.* ubi inter alia ait: *Apud inferos Charon est expectans portorium, sic ad ripam ulteriorem sutili cymba deducit commeantes, & inter mortuos avaritia vivit*. Lucianus quoque de luctu ita in eandem rem scribit: *Simulatque familiaris quispiam mortuus fuerit, primum obulum illi in os indunt, ut sic portitori trajectionis merces*. Vide Tiraquellum in Notis ad Alexandrum ab Alexandro Lib. III. Cap. VII. ubi plura de eo more scitu digna invenies. Ad tollendum itaque pravum hunc Gentilium morem nonnulli ex Eruditis autumant, præbuisse olim Fideles Eucharistiam defunctis, ut significarent Eucharistiam, quæ vere pignus est gloriæ, Christianis quasi pretium esse transvectionis in ipsam gloriam.

IV. Alia causa esse potuit, ut ita quieti cadaverum Fidelium consuleretur, & ab ipsorum sepulcbris dæmones fugarentur. Cum enim priscis seculis defuncti extra Ecclesiam sepelirentur, & a spiritibus immundis persæpe vexarentur, in usu esse cœpit Eucharistiam ori defuncti, vel ejus pectori apponere, ut ita in pace quiesceret, ne a dæmone amplius vexaretur. Hanc æque ac alteram explicatam superius causam attingere quidem videtur Theodorus Balsamon in suo ad hunc Trullanum Canonem Commentario, ubi ita inquit: *Quod autem sanctus panis Antistitibus post mortem tradatur, & sic sepeliantur, existimo hoc fieri ad avertendos dæmones; & ut per ipsum tanquam viaticum deducantur ad Cælum, qui magna, & Apostolica professione digni est habitus*. Ubi vides, etiam apud Græcos post Trullanam Synodum, Episcopos cum Eucharistia sepeliri consuevisse.

V. Quod autem Latinos spectat, tametsi Canone VI. Concilii Carthaginensis cautum fuerit, *ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur*; narrat tamen S. Gregorius Lib. II. Dialogorum, Cap. XXIV. Monachum quendam extra paternam S. Benedicti gratiam defunctum, ideoque tertiam extra sepulcrum, & terram ejectum, jussu S. Benedicti posita super pectus ejus Eucharistia, quievisse: *Quadam quoque die dum quidam ejus puerulus Monachus parentes suos ultra quam deberet diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exiisset, eodem die mox ut ad eos pervenit, defunctus est. Cumque esset sepultus, die altero projectum foras corpus ejus inventum est, quod rursus tradere sepulturæ cura-*

curaverunt. Sed sequenti die iterum projectum exterius, atque inhumatum sicut prius invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, & sic sepulturae eum tradite. *Quod dum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit.*

VI. Siquis autem hic quaerat, cur id quod tantopere laudatus Canon Carthaginensis vetuerat, a S. Benedicto factum? Ingenue respondet Haeftenus in suis ad vitam S. Benedicti Notis, par credere esse, Sanctissimum Virum ab hominum conversatione semotum Concilii Decretum ignorasse. Quod quidem non adeo mirandum, cum ipsi Augustino, ejusque praedecessori Valerio haec etiam ignorantia obrepserit, ut ipsemet scribit Epistola c. ubi ita ait: *Adhuc in corpore posito beatae memoriae Patre, & Episcopo meo sene Valerio Episcopus ordinatus sum, quod Concilio Nicaeno prohibitum esse nesciebam, nec ipse sciebat.* Sed dici etiam potest, divino instinctu fecisse eam rem S. Benedictum, quam non reprehendit quidem, aut aliquo modo excusat S. Gregorius, sed potius in commendationem meritorum S. Benedicti, egregie commendat, ubi ita concludit: *Perpendis Petre, apud Jesum Christum Dominum cujus meriti vir fuerit, ut ejus corpus etiam terra projecerit, qui Benedicti gratiam non haberet.* Ut autem illam faceret, S. Basilii, cujus legerat vitam, exemplo fuisse permotum, credere licet. Neque enim quod a tanto factum legerat Viro, quem praecipuum vitae Monasticae sciebat, colebatque Legislatorem, imo & Ecclesiae Doctorem, credidit reprehensioni ullatenus obnoxiam.

VII. Praeter binas hasce causas Gabriel Albaspinaeus Lib. I. Observationum Cap. IX. causam datae mortuis Eucharistiae aam proponit, quod, cum poenitentes quidam ante absolutionem morerentur, alii simplicitata animi ducti, ut mandato Ecclesiae obsequerentur, quod praecipitur, ne quis vacuus communione discedat, Eucharistiam illis conferebant, existimantes scilicet hoc modo ad communionem Ecclesiae eos adoptari, & jus communionis illis reddi. Imperitos porro illos ac rudes, quamquam minime malos Eucharistiam potius, quam absolutionem tribuendam credidisse, quod in absolutione non tantum praesidii, quantum in Eucharistia erat constitutum, ut poenitens inter Fideles reponeretur, idemmet Auctor laudato loco adnotavit. Sed utut sit haec Albaspinaei observatio, constat apud Anglos, diabolicas in cadavera grassationes sublatas fuisse aliquando absolutionis chartula pectoribus defunctorum apposita. Varia id genus exempla affert quidem Scriptor gravissimus Guilielmus Neubrigensis, Lib. VII. Cap. XXII. & XXIII. ubi inter alia hoc exemplum narrat: *Lincolniensis Episcopus absolutionis chartulam manu sua conscripsit, quae pectori defuncti apposita, & clauso rursum sepulcro, nec oberrare deinceps visus est nec alicui molestiam ulteriorem inferre permissus.*

VIII. Pro coronide hujus Commentarii illud tandem notandum, non modo consuevisse aliquando mortuos Eucharistia, & absolutionis chartula donari, verum etiam baptismo ablui, si decederent non baptizati. Id enim jam olim damnavit Synodus III. Charthaginensis Can. VI. ubi ita ait: *Cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse, Fratrum infirmitas credat, cum Eucharistiam mortuis dari animadverterit.* Ubi nota non modo ex haereticis, sed etiam ex Catholicis nonnullos rudes ex ignorantia baptismum mortuis contulisse; quod tamen Canon arguit. S. Fulgentius in Epistola de baptismo Aethiopis moribundi hanc rationem aliis addit pro negando mortuis baptismo, quod *res quae non vivit, sicut peccare, ita poenitentiam peccati habere non potest.* Peccarunt certe in eo passim prisci haeretici, praesertim Montanistae, de quibus ita scribit Philastrius Brixiensis Episcopus: *Hi mortuos baptizant.* Hoc ipsum de Marcionitis testatur S. Joannes Chrysostomus, sed audiamus Constantinum Hermanopolum, qui in Libro, *De sectis*, Cap. XI. de Marcionitis ipsis, ac Manichaeis haec ait: *Quoties apud ipsos non baptizatus aliquis moritur, sub lectulo defuncti vivo quodam occultato, lectulum adeunt, ac mortuum interrogant, an baptizari velit. Respondet occultatus ab imo, velle, atque ita loco defuncti eum baptizant. Causam rogati dicunt, hoc Apostolum docuisse, cum ait:* Si prorsus mortui non resuscitantur, cur etiam baptizantur pro mortuis? *Sed ignorant id hoc modo prolatum, propterea quod quicumque baptizantur, in confessione resurrectionis mortuorum, & ejus spe baptizantur.* Egregiam dissertationem *de baptismate pro mortuis*, edidit eruditissimus Augustinus Calmet, inseruitque Commentariis ad primam Pauli Epistolam ad Corinthios, Cap. XV. Versu XXIX. Videri possunt & alii Interpretes, qui difficilem illum Pauli locum explicant.

CANON LXXXIV.

Canonicos Patrum Ritus sequentes de infantibus quoque decernimus, quoties non inveniuntur firmi testes, qui eos absque ulla dubitatione baptizatos esse dicant, nec ipsi propter aetatem de sibi tradito mysterio apte respondere possint, debere absque ulla offensione baptizari, ne forte ejusmodi dubitatio eos ejusmodi purificationis sanctificatione privet.

COMMENTARIUS.

I. Agit Canon de rebaptizandis dubie baptizatis, desumtusque est ex Africani Codicis Canone LXXII. cujus verba haec sunt: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per aetatem*

tem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim Legati Maurorum, Fratres nostri, consuluerunt, quia multos tales a barbaris redimunt. Affert hunc Canonem Gratianus in suo Decreto, estque Canon c. de Consecratione, Distinctione IV. additque ex Concilio Carthaginensi V. cui Canonem ipsum tribuit; *similiter de Ecclesiis, quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est, idest ut sine ulla trepidatione consecrentur.* Verum diligenter notarunt Correctores Romani, abesse ea verba a Codice Regio hujus Concilii, a Carthaginensi LXXII. Canone Græco, a Burchardo Wormatiensi.

II. Neque vero hanc disciplinam baptizandi scilicet illos, de quibus dubitatur an baptizati fuerint, Africana dumtaxat Ecclesia, sed & aliæ sequutæ sunt Ecclesiæ, præsertim vero Romana, uti constat ex S. Leone Magno Pontifice Maximo, qui interrogatus aliquando a Rustico Episcopo Narbonensi, utrum parvuli, qui ab hostibus capti, ignorant se baptizatos, sed sciunt se aliquoties ad Ecclesiam a parentibus ductos, possint, vel debeant baptizari, ita respondet in Epistola sua XCII. ad ipsum scripta Cap. XV. *Si nulla existant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter Clericos, aut vicinos, qui hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur: ne manifeste pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.* Statimque subjicit: *Qui autem possunt meminisse, quod ad Ecclesiam veniebant, cum parentibus suis, possunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed si hoc etiam ab eorum memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur; quia non temeritas intervenit præsumtionis, ubi est diligentia pietatis.* Hoc idem constanter definivit Sanctus Gregorius Magnus Lib. II. Epistola XXXVII, his verbis: *Hoc rite tenere debetis, quod & nos ab Antecessoribus nostris traditum accepimus, ut quoties tam de baptismo, quam de confirmatione, quam Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus certa ratio habetur, & baptizentur tales, vel confirmentur, atque Ecclesiæ canonice consecrentur, ne talis dubitatio fidelibus ruina fiat; quoniam non monstratur iteratum, quod certis indiciis non ostenditur rite peractum.* Hinc cum in dubio præcipiat Sanctissimus Pontifex, administrari quoque Confirmationem, quæ tamen non æque est, ut baptismus, absolutæ ad vitam æternam necessitatis, arguendi sunt quidam nimis rigidi Casuistæ, qui malunt animas Christi morte redemtas in re dubia de æterna salute periclitari, quam sacramentum absolutæ necessitatis in dubio ministrare.

III. Legitur in Conciliis passim, & apud sacros Scriptores, quam facilis esset Ecclesia tum Latina, tum Græca ad baptismum denuo eos excipere, de quibus dubium esset, an revera baptizati essent, eamque disciplinam confirmat quidem Alexander III. Pontifex Maximus in Cap. II. *De baptismo*, additque hanc in ejusmodi dubie baptizatis cautelam esse adhibendam, ut nimirum ea conditio adhibeatur; *Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus, ego te baptizo &c.* Errant qui ipsum Pontificem existimant primum hujus cautelæ Auctorem, meminit enim ejus clausulæ Isaac Lingoniensis, & Odo Episcopus Parisiensis, qui Cap. III. Num. IV. ita jubet: *Semper Sacerdos interroget Laicum diligenter, cum in necessitate baptizaverit puerum, quid dixerit, & quid fecerit; & si invenerit Laicum discrete, & modo debito baptizasse, & formam verborum in Romano integre protulisse, approbet factum: sin autem non, baptizet Puerum modo debito: Et hic est modus:* Petre, si es baptizatus, non te baptizo; si non es baptizatus, ego baptizo te &c.

IV. Quamquam vero post editum illud ab Alexandro III. Decretum generaliter ea formula sub conditione baptizandi invaluit, & præsertim postquam intravit in Theologiam Scholasticam, atque in Decretales Gregorii IX. relatum fuit, fatendum nihilominus, non statim fuisse ab Ecclesiia acceptum; quod enim post Alexandri tempus ea disciplina simpliciter baptizandi dubie baptizatos superstes adhuc fuerit in Anglia, docet nos Concilium Eboracense anni MCXCV. Can. IV. *Ubi autem puer, cujus baptisma ignoratur, reperitur expositus, sive cum sale, sive sine sale reperiatur, baptizetur. Cum non intelligatur iteratum, quod nescitur fuisse collatum.* Cui adde Synodum Londinensem anni MCC. Can. III. *De baptismate, vel confirmatione si dubitetur, sacrorum Canonum statuta sequentes, statuimus, ut conferatur, quia non dicitur iteratum, quod non scitur fuisse collatum.* Nulla in his Conciliis cautelæ illius mentio ab Alexandro III. præscriptæ, tametsi post ipsum Pontificem habita sint. Viget autem hodieque modus ille baptizandi dubie baptizatos, licet a Morino, & ab aliis Auctoribus veluti supervacaneus improbetur.

C A N O N LXXXV.

In duobus, vel tribus testibus confirmari omne verbum ex Scriptura accepimus, Servos ergo, qui a suis Dominis manumittuntur sub tribus testibus, eo frui honore decernimus, qui præsentes liberati vires, & firmitatem afferent; & ut iis, quæ ipsis testibus facta sunt, fides habeatur, efficient.

COMMENTARIUS.

I. Nullo pretio libertatem æstimari posse, Leges Civiles frequenter, ac passim docent. Igitur, ut scite notat Zonaras, quoties de libertate, quippe de non levis momenti re testimonium ferri oporteret, quorum intererat probationes afferre, quinque scilicet, aut plures etiam, quod totidem in aliis quoque disceptationibus dari consuevissent, testes exhibere

bere cogebantur. Qua quidem consuetudine hic Canon damnata, trium quoque testimoniom in caosa libertatis fatis esse decernit. Tum illa stabiliendæ huic constitutioni verba Christi Domini ex Euangelio Matthæi Cap. XVIII. profert; in ore scilicet duorum aut trium testium stare omne verbum, hoc est firmum ac ratum esse judicari. Sed de his fusius alias.

CANON LXXXVI.

Eos qui ad animarum lapsus meretrices cogunt, & alunt, si sint quidem Clerici, segregari, ac deponi; si vero Laici, segregari.

COMMENTARIUS.

I. Observat itidem ad hunc Canonem Zonaras meretrices alere Civilium quoque Legum sanctione vetari. Alere vero intelligi, eis ob lucrum ex meretricio quæstu percipiendum, cum animarum pernicie alimenta suppeditare. Quam rem si civiles quoque Leges aversantur, multo illam certe magis Ecclesiasticæ condemnant; ac proinde graviores etiam pœnas Clericis in hoc genere delinquentibus irrugant. Illos siquidem Canon noster deponi simul, ac segregari jubet, Laicos vero, qui id fecerint, segregatione puniendos decernit.

II. Maximum sane hoc crimen est, misereque grassatur, quod non tam atrocibus pœnis puniantur, qui illud committunt. Vidi equidem Romæ fustibus cæsos maritos, parentesque, qui uxores, filiasque, quæstus turpis causa non modo hortabantur, sed & cogebant, ut se prostituerent. Turpe enim & fœdum lenonum officium, sed si in libero exerceatur, turpissimum semper habitum, quod non tam alieni, quam proprii corporis, & naturæ bona, summa pretii vilitate, vilissime commutentur; ideoque notatum fuit semper gravissima infamia non apud Christianos modo, sed & apud Ethnicos, teste Ulpiano Leg. *Athletas §. Ait Prætor, ff. de his qui notantur infamia*. Nec infamiæ notam satis pœnæ habuisse adversus parentes lenones, voluerunt Imperatores Valentinianus, & Theodosius in Lege, *Lenones*, Cod. *De spectaculis*, Lib. X. eum filios, vel ancillas, quibus parentes, vel domini hanc peccandi licentiam, vel necessitatem imposuerint, a nexu suæ potestatis absolvi, implorato Episcoporum, vel Defensorum suffragio constituerunt: addita etiam pœna exilii, & damnationis in metallum.

III. Sed omissis Imperatorum sanctionibus, Concilium Illiberritanum Can. XII. ita contra lenones statuit: *Mater, vel parentes, vel qualibet fidelis si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius suum, placuit eam nec in fine accipere communionem*. Ubi nota quod scite observat Albaspinæus, gravius puniri lenones, & earum turpitudinum artifices, quam ipsamet adulteria, & virginum stuprationes. Nam Zephyrini Papæ edicto, mœchiæ, & fornicationis pœnitentia functis veniam in morte vel post longam pœnitentiam concessam legimus apud Tertullianum in Libro, *De pudicitia*, Cap. I. Hoc vero Canone ea ipsa moribundis lenonibus, & parentibus, qui quæstum ex filiarum stupro fecerint, denegatur. Cujus severioris disciplinæ hanc rationem Patres adducunt, quod suum, ad parentes id refertur, aut alienum vendiderint corpus, hoc est pessum dederint, perdiderint, & libidini manciparint.

CANON LXXXVII.

Quæ maritum reliquit, est adultera, si venerit ad alterum, ut vult sacer, & divinus Basilius, qui ex Hieremia Propheta hoc optime colligit: *Quod si alii uxor fuerit, ad maritum suum non convertetur, sed polluta polluetur*. Et rursus; *Qui autem detinet adulteram, est insipiens, & impius*. Si ergo præter rationem a marito recessisse visa sit, illi quidem venia dabitur, ut Ecclesiæ communicet. Sed ei, qui legitime sibi datam uxorem relinquit, & aliam ducit, e Domini sententia est adulterii judicio obnoxius. A Patribus enim nostris statutum est, ut qui sunt ejusmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio substernantur, & septimo cum fidelibus consistant, & sic oblatione digni habeantur.

COMMENTARIUS.

I. Et Legum Decretis olim, & diuturni temporis consuetudine matrimonia vel sine ulla fere causa dissolvendi facultas erat, ac fœda libertas, & tam viro, quam uxori, alteri conjugi, ut res suas sibi haberet, denunciare, itaque conjugii contractum fœdus rescindere permissum fuit. Testis est Juvenalis Satyra VI. consuevisse suo ævo Romanos uxores repudiare, cum illæ senescerent.

Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet;
Fiant obscuri dentes, oculique minores,
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi,

Jam

Jam gravis es nobis, & sæpe emungeris, exi Ocyus, & propera.

Judæis licuisse quacumque de causa impune uxores dimittere, testatur Josephus Lib. IV. Antiquitatum Cap. XVI. Quicquid sit de ea Josephi sententia, fœdam Romanorum libertatem frænare cœpit Constantinus Magnus in Lege I. Cod. Theodos. *De repudiis*, ejusque Legem ampliarunt Imperatores, Honorius, Theodosius, & Constantius in Lege II. Codice citato.

II. Legibus Canonicis, ac Pontificiis, quæ in ea re attendi potius debent, quam Cæsarum leges, nullo penitus modo dissolvi potest matrimonium inter Christianos rite contractum consummatumque, ob illam Christi sententiam, Matthæi Cap. XIX. ubi auctoritate loci illius Geneseos Cap. II. *Erunt duo in carne una*, probans perfectam matrimonii firmitatem, *Itaque*, inquit, *jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Dixi matrimonium consummatum, quia antequam conjuges sint *una caro*, idest matrimonium per carnalem copulam consumment, imperfecta tantum est matrimonii firmitas, ac proinde aliqua ratione potest dissolvi, sive etiam dispensatione Romani Pontificis, qua tamen non potest, postquam una est per copulam carnalem conjugum caro.

III. Dogma hoc Ecclesiæ est, nec adulterum conjugem, nec innocentem, superstite alio conjuge, novum posse inire conjugium, quia licet facultas detur innocenti ab adulterante discedere, & quoad thorum, & habitationem separari, non tamen permittitur illi matrimonii vinculum dissolvere, & cum alio contrahere. Tradunt id passim Synodi, ac Patres Ecclesiæ passim, quos videre est apud Theologos, ac præsertim apud Jueninum in celebri Opere, *De sacramentis*, Dissertatione X. Quæstione IV. Articulo III. Ceterum Canon noster Trullanus, ubi ait, a Patribus statutum esse, ut qui adulterium commiserit, is septenni subeat pœnitentiam, alludere videtur ad antiquum Canonem XX. Ancyranæ Synodi anni CCCXIV. cujus verba ex versione Gentiani Herveti hæc sunt: *Si alicujus uxor adulterata fuerit, vel quis eam adulteraverit, oportet eum in septem annis quod perfectum est assequi per gradus qui eo deducunt*. Septem porro annos pro variis pœnitentium gradibus dividi jubet, ut nimirum anno septimo ad id quod perfectum est, sacram videlicet communionem, perveniré possit.

CANON LXXXVIII.

Nemo intra Ædem sacram quodvis jumentum introducat, nisi forte viator quispiam, maxima urgente necessitate, domunculæ, vel diversorii indigens in id Templum diverterit. Nisi enim jumentum introductum fuerit, ipsum quidem nonnunquam peribit, hic vero propter jumenti amissionem, & facultatis ad iter peragendum ex eo profectam inopiam, mortis periculo tradetur. Sabbatum enim propter hominem factum esse docemur. Quamobrem & per omnia præferendam esse existimare hominis salutem, & incolumitatem. Quocirca siquis deprehensus fuerit sine necessitate jumentum in Templum introducens, si sit quidem Clericus, deponatur; si vero Laicus, segregetur.

COMMENTARIUS.

I. Quanto honore, ac veneratione sacra habenda sint Templa, fuse explicuimus nostro II. Tomo Commentariorum in alteram Partem Romani Pontificalis. Quamvis autem nostro hoc Canone profanatio Templorum non satis improbari videatur, cum ex Canone ipso in necessitatis casu, stabulorum loco ipsis Templis uti liceat, eorum illæsa reverentia; verum cum casus de quo Canon agit, supponat jumentum in Templum introductum, ne ex ejus amissione herus periculum mortis subeat, excommunicandumque e contra Laicum, & deponendum Clericum, qui absque necessitate id fecerit, non obest communi Patrum sententiæ, imo & Christianæ religioni, qua jubemur sacra Templa in honore habere, & venerari, ut Dei habitaculum, & orationis domum.

II. Nostrum hunc Canonem sequuta Synodus Provincialis VI. Beneventana anni MCCCLXXIV. sub Guidone II. Guidardio Archiepiscopo Tit. XII. Cap. I. *Quia quidam Clerici*, inquit, *sic exponunt supellectilibus, & asinis propriis, & alienis Ecclesias, ut potius domus laicæ, quam Dei Basilicæ videantur: idcirco firmiter probibemus, ne hujusmodi supellectilia, & asinæ in Ecclesiis admittantur, nisi propter guerram, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eas oporteat habere refugium, sed tamen quod necessitate cessante res in loca pristina reportentur*. Tum etiam addit: *Arcas etiam & vegetes pro grano, aut pro vino retinendis præcipimus penitus amoveri, alioquin post annum in usus pauperum converti faciemus*. Et iterum causam necessitatis excipiens ait: *In tempore autem necessitatis hæc fieri sustinemus, & ea dumtaxat durante*. Concinit his Synodus Namurcensis anni MDCIV. Tit. XI. Cap. XII. ubi interdixit quidem tam Ecclesiarum Rectoribus, & aliis Clericis, quam locorum incolis, ne in sacras Ædes cum suis pecoribus, & aliis bestiis, ac domesticis utensilibus se recipiant, sed nec in illis dormire, comedere, aut bibere præsumant. Quod si absoluta necessitas ob vim, aut incursus hostium aliquos ipsorum ad hoc compellat, statim illa cessante, non solum pecora, sed etiam dicta utensilia, quæ magnum præstant divinis officiis impedimentum amoveant, templa-

que ipsa diligenter mundentur jubet, priusquam scilicet in illis sacrosanctum Missæ sacrificium celebretur, sub pœna suspensionis a Divinis in Clericos contumaces, & excommunicationis in Laicos decernendæ.

III. Ubi gravissima urgeret necessitas, quam explicat Synodus IV. Oecumenica Lateranensis Cap. XVIII. permitti posse, ut in ipsa templa profanæ res introducantur, edicit Synodus ipsa Lateranensis, postquam abusum illum damnavit, quo Clerici quidam sic exponerent Ecclesias supellectilibus propriis, aut alienis, ut potius domus laicæ, quam Dei basilicæ viderentur, non considerantes, quod Dominus non sinebat, ut vas transferretur per Templum. Damnat ergo hunc abusum & quidem Clericorum Synodus, firmiterque prohibet, *ne hujusmodi supellectilia in Ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, aut alias necessitates ad eas oporteat habere refugium*. Ejusmodi Canones afferri possent complures, eorumque causam ex Lege Theodosii Augusti desumunt, quæ est de Ecclesiastico asylo, extatque post Synodum Ephesinam, ubi ita ait: *Dei Templum humana, naturalique necessitate fœdari, ac sacrosancta mysteria infami infirmitate misceri, ac divina, a profanis contaminari, sacra denique a profanis inquinari non patimur.*

IV. Lapsam ea in re Christianam Religionem instaurare conati sunt non modo Synodi, ac Patres Ecclesiæ, verum etiam Catholici, ac zelantissimi honoris Domus Dei Principes Laici, inter quos Carolus Magnus in Capitulari suo Aquisgranensis Cap. LXXI. ita ad Episcopos, & Presbyteros scribit: *Placuit nobis admonere Reverentiam vestram, ut unusquisque vestrum videat per suam Parochiam, ut Ecclesia Dei suum habeat honorem, simul & Altaria secundum suam dignitatem venerentur, & non sit Domus Dei, & altaria pervia canibus*. Viget is hodie abusus, conniventibusque Ecclesiarum Rectoribus, a viris æque, ac mulieribus in illas catelli, ac canes non sine sacri loci dedecore, ac divinorum officiorum perturbatione temere deferuntur. Plura in eum abusum diximus jam Tomo II. Romani Pontificalis, ad Titulum II. qui est, *De Ecclesiæ dedicatione*, §. XLV. Num. VII. & VIII. Pag. 91. & in nostris ad Cæremoniale Episcoporum Commentariis.

CANON LXXXIX.

Dies salutiferæ Passionis in jejunio, & oratione, & cordis compunctione peragentes fideles usque ad mediam magni Sabbati noctem jejunare oportet, cum Divini Euangelistæ Matthæus, & Lucas, ille quid per *Vespere Sabbati*, hic vero per id *valde diluculo*, noctis nobis tarditatem describant.

COMMENTARIUS.

I. Dies illos quibus Christus Jesus Dominus noster dolores acerbissimos pertulit, jejuniis, ac precationibus, intimoque pietatis sensu Canon a fidelibus transigi oportere decernit. Cum autem existimarent nonnulli sub Vespere Sabbati Sancti officium ex anticipatione esse peractum, indeque quadragesimale jejunium solvi potuisse, eo quod Resurrectionis dies jam incœperit, mandat Canon, ut jejunium Sabbato Sancto ad mediam noctem usque protrahatur; quia scilicet Matthæus, *Vespere Sabbati*, cum dixerit, Lucas autem, *valde diluculo*, noctis illius tarditatem nobis describunt, *hoc est, significant, indicant*, ut scite Zonaras notat.

II. Et quidem si veterem disciplinam inspiciamus, testatur Alcuinus, vel alius ejus nomine Auctor in Libro, *De divinis officiis*, Cap. XVII. Christianos olim tanta austeritate jejunos perstitisse postremis istis Quadragesimæ diebus, ut alii Parasceves die, & Sabbato Sancto, nihil omnino gustarent, alii vero pane, herbis, & leguminibus adhibita sicera contenti essent. Istud ipsum, quamquam subobscure, notetur in Concilio Arausicano Can. II. cujus hæc verba sunt apud Ivonem Parte IV. Cap. XLII. *Ut in Sabbato Sancto, hoc est, in vigilia, jejunium ante noctis initium, nisi a parvulis, aut infirmis, non solvatur*.

III. In hoc Canone, cujus eadem verba extant Lib. VII. Capitularium, Cap. CCCXXVIII. pro noctis initio, medium aliquis forsan aptius reponeret, nec sine ratione, quam scite observat Filesacus, *De Quadragesima Christiana*, Cap. XV. Nam cum ex laudato Concilii, & Capitularium Libro, biduo isto, idest Parasceve, & Sabbato Sancto divina Mysteria non celebrentur, circa noctis initium Christianus populus ad Ecclesiam conveniebat, ubi Liturgia peragebatur, & Catechumeni sacro baptismate tingebantur, atque hæc omnia nocte peragi solita Rituales Libri & Liturgici passim demonstrant, & fusissime declarat memoratus Alcuinus Cap. XIX.

IV. Sed ut rem altius repetamus, cautum est Lib. V. Apostolicarum Constitutionum, Cap. XIV. jejunium ipsum Sabbati Sancti finiri quidem, & solvi die Dominico circa Galli cantum, seu ad mediam noctem: *Jejunium solvere præcepit Dominus septimo die, seu Sabbato post Galli cantum*. Tacite Apostolicum hoc Decretum attingit S. Epiphanius in compendio Doctrinæ Catholicæ, dum sub finem ejus Libri differens de vario ritu, qui in hebdomada sancta observabatur, *In aliis*, inquit, *locis non fit cultus divinus sacræ communionis, nisi solam illucescente Dominica, quando magna illa Paschatis dies, sicut statutum est, ipsos dimittit populos circa Galli cantum in Resurrectionis die, ac festivitate*. Longe ante Epiphanium sanctus Dionysius Patriarcha Alexandrinus, rogatus qua hora Christus resurrexisset a mortuis, ut usque ad illam jejunium protraheretur, ita scribit in Epistola ad Basilidem Presbyterum Cap. I. *Qui Romæ sunt & in Occidente Fratres, nonnisi in Galli cantu Sabbati Sancti jejunium solvunt: aliqui vero in Oriente ad quartam usque vigiliam noctis Sabbati ipsius jejunii perseverant*. Id etiam

inter

inter alios Græcæ Ecclesiæ Patres docet S. Gregorius Nyssenus Oratione II. *De Resurrectione* .

V. Ut autem Latinos etiam audiamus Patres, S. Hieronymus Commentario suo in Cap. xxv. Evangelii S. Matthæi, ait traditionem Apostolorum esse, ut in die Vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat: *Traditio Judæorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit, & Dominus super Tabernacula transiit, & sanguine Agni postes nostrarum frontium consecrati sunt. Unde reor & traditionem Apostolicam permansisse, ut in die Vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Christi; & postquam illud tempus transierit securitate præsumta, festum cunctos agere diem*. Veteres Christianos tantum idcirco in Parasceve, & Sabbato Sancto adhibuisse abstinentiam, ut hoc prolixiori jejunio, & aliquid specialius agerent, & dolorem, qui in cordibus discipulorum Christi illis diebus fuerat, plenius indicarent, docet Sanctus Augustinus in Epistola LXXXVI. ad Casulanum.

VI. Græci tandem, ac omnes Orientales licet Sabbatis nunquam jejunent, unum tamen Sabbatum Paschatis, quod magnum vocant, exceperunt semper ex Canone LXVI. vulgo Apostolorum, & LII. Trullano, quem superius explicavimus, & hoc præsenti in quem Balsamon quidem ita ad rem scribit: *Magni Sabbati jejunium aliis Christi Passionis, seu hebdomadæ sanctæ diebus longe præstantius est propter Christi sepulturam, & propterea religiosiores toto Sabbato usque ad horam sextam noctis in Ecclesiis adsident, & illa hora sexta, divinis Sacramentis communicantes, panem, & aquam gustant, fortasse autem, & modicum vini. Septima autem hora matutinas Psalmodias audientes, quando etiam Christus resurrexisse dicitur, domum suam revertuntur, magni Dominici sacrorum celebrationem expectantes*. Ita Græci Balsamonis ætate dies illos coluerunt sub finem Seculi XIII.

VII. Plures ritus servatos olim Sabbati Sancti die enarrat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. LXXI. ex quibus omnibus illud colligit, anticipationem prandii in diebus jejunii paulatim invenisse anticipationem Officii publici, non tam in Sabbato Sancto, quam in reliquis Quadragesimæ diebus; additque, Ecclesiam nihil tamen immutasse de veteris Officii ritu, sed easdem servasse preces, quasi Officium etiam hodie Vespertina hora recitaretur. Tum etiam subjicit, in plerisque Monasteriis, & Ecclesiis non inchoari consuevisse Officium ipsum nisi post horam sextam Vespertinam tempore S. Pii V. qui hunc usum abolevit.

C A N O N XC.

Dominicis genuflectere a Divinis nostris Patribus, Christi Resurrectionem honorantibus, Canonice accepimus. Ne ergo hujus observationis evidentiam ignoremus, fidelibus manifestum facimus, quod post vespertinum Sacerdotum ad Altare Sabbato ingressum, ex consuetudine, quæ servatur, nemo genuflectat usque ad sequentem vesperam in die Dominico; in qua post ingressum in Completorio genua rursus flectentes Domino preces sic offerimus. Salvatoris enim nostri Resurrectionis præcursorem noctem, quæ fuit post Sabbatum, accipientes, Hymnos ab ea spiritaliter incipimus, Festum ex tenebris in lucem finientes, ut in perfecto, & integro die, ac nocte nos Resurrectionem celebremus.

COMMENTARIUS.

I. Non esse Dominicis, aut Pentecostes diebus flectenda genua, fuse explicuimus in Commentario nostro ad Canonem XX. Concilii I. Nicæni. Eadem S. Basilii quoque mens fuit, qui præterea caussas, propter quas ea consuetudo sit damnata, subnectit. Hic vero Canon de solo die Dominico statuit, tempusque a primo ad extremum, quo in genua procumbere minime liceat, aperte describit. Atque a Sabbato quidem cum primum vespere ad Altare initiatorum chorus ingreditur vespertinas laudes celebraturus, quoad completæ essent vespertinæ preces sequentis diei Dominici, medio illo tempore, nullo modo in genua procumbendum esse denunciat. Quæ nox etenim Sabbatum consequitur, ea propriæ Dominicæ lucis existimatur, quam etiam hymnis, inquit Canon, traducere, universumque hoc pacto noctis, ac diei tempus solemni lætitiæ pompa pro gloria Resurrectionis celebranda transigere oportet.

II. Morem inchoandi solemnia sub vesperam diei præcedentis, a Synagoga primum usurpatum, in Ecclesiam fuisse invectum, & divina Moysis lege niti, docet S. Augustinus Sermone CCLI. de tempore, ita inquiens: *Observemus diem Dominicam fratres, & sanctificemus illam, sicut antiquis præceptum est de Sabbato, dicente Legislatore*: Et vespere usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra. *Videamus, ne otium nostrum vanum sit, sed a vespera diei Sabbati usque ad vesperam diei Dominici, sequestrati a rurali opere, & ab omni negotio, soli divino cultui vacemus*. Dominicos dies, & cunctos generaliter festos a vespera in vesperam celebrandos, & quidem ex ipsa traditione Apostolica, addiscimus etiam ex S. Joanne Chrysostomo, qui Homilia LXXXII. in Matthæum, optime animadvertit, quod, quum Apostoli peterent a Christo, primo die azymorum, ubi instruendum esset Paschale epulum, primum eorum solemnium diem vocarunt eum, qui

antevertebat celebritatem, post meridiem, quia scilicet ita solemnia colebantur: *Primam Azymorum eam diem vocat, quæ erat ante Azyma. Consueverunt enim a vespere, cujus Pascha erat immolandum.*

III. Ejus disciplinæ multis seculis in Ecclesia etiam Latina religiose, ac diligenter servatæ, testis est Forojuliensis Synodus a Paulino Aquileensi Patriarcha anno DCCXCI. habita, ubi Can. XIII. agens de initio celebritatis Dominicæ, ita statuit: *Diem autem Dominicum inchoante noctis initio, idest, vespere Sabbati, quæ in prima lucescit Sabbati, quando signum insonuerit, vel hora est ad vespertinum celebrandum officium, sed Dominici diei, cum omni reverentia, & honorifica religione venerari omnibus mandamus Christianis.* Cui concinit Francfordiensis Synodus anni DCCXCIV. Can. XXI. mandans, *Ut dies Dominica a vespera usque in vesperam servetur.* Sabbato igitur in finem vergente, & adventante nocte vespertinæ laudes sequentium celebritatum haberi consueverunt, iisque omnes aderant, etiam anno ML. quo habita est Synodus Covacensis in Hispania, uti ex eadem Synodo addiscimus, ubi Cap. VI. admonet, *ut omnes Christiani die Sabbati advesperascente ad Ecclesiam concurrant, & Dominica Matutinas, Missas, omnes horas audiant, opus servile non non exerceant &c.*

IV. Quo autem ritu a vespera in vesperam solemnitates olim celebrarentur, tradit inter alios Theodulphus Episcopus Aurelianensis, qui floruit labente Seculo VIII. Is sane in Capitulari ad suos Parochos, Cap. XXV. quod est de observantia diei Dominici, præcipit, ut cuncti Dominicam diem celebraturi ad Ecclesiam Sabbato se conferant, dum lampades accenduntur: *Conveniendum est Sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad Ecclesiam.* Hinc certe olim, quod lucernæ in Ecclesia accenderentur, Officium Vesperarum, quo orandum scilicet erat Sabbato in finem vergente, appellatum fuit *Lucernarium*; de eoque vocabulo egregie edisserit Stephanus Durantus Lib. III. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XI. itemque eruditissimus Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario, verbo *Lucernarium*. Sed audiamus iterum Theodulphum, qui ita de observantia ipsa diei Dominicæ mox subjicit: *Conveniendum est ad vigilias, sive ad Matutinum officium: concurrendum est etiam ad Missarum solemnia. Et dum ad Ecclesiam convenitis, nulla causa dici debet, vel audiri; nulla jurgia sunt habenda, sed tantummodo Deo vacandum est, in celebratione videlicet sacrorum officiorum, & exhibitione eleemosynarum, & in Dei laudibus, cum amicis, proximis, peregrinis spiritualiter epulandum.* Hactenus ille.

V. Seculo XIII. viguisse eam disciplinam, ut festi dies a vespera in vesperam celebrarentur, constat ex Decretalium Libris Gregorii IX. Pontificis Maximi a S. Raymundo de Peniafort compilatis, ubi Cap. I. *De feriis*, ea disciplina inculcatur. Verum testatur non modo Cap. II. ibidem Alexander Papa III. non unum ubique fuisse ejus ætate, idest Seculo XII. quo ipse floruit, Ecclesiarum omnium ritum, sed & ipsam quoque habendam esse rationem tum solemnitatum, tum regionum: *Licet scriptum sit*, De vespera in vesperam celebrabitis Sabbata vestra; *Festorum tamen principium, & finis juxta eorum qualitatem, & diversarum regionum consuetudinem debet attendi; & sicut magnitudo dierum exigit, prius incipere, & tardius terminari.* Jam vetus solemnium disciplina abrogari alicubi cœperat, novique ritus sensim in omnes fere Ecclesias variis ex causis invehebantur, ut nimirum jam a media nocte in mediam noctem absque ullo servili opere Festi dies observarentur.

VI. Superest etiamnum hodie evidens veteris disciplinæ vestigium, cum nimirum dierum Festorum officium a vespera præcedentis diei inchoatur. Officium enim quod Vesperarum dicimus, ex prima Ecclesiæ institutione ad tenebras, sive ad vesperam inchoandum esset. At vero quod fideles quidam nefarii in pervigiliorum excubiis, noctis beneficio facinora horrenda patrarent, operæ pretium facturam se existimavit Ecclesia vigilias hujusmodi tollere, ne per earum occasionem sive ex Laicis, sive ex sacro Ordine haud impeccabili impurus quispiam designaret aliquid pugnans cum loci sanctitate. Id jam contigisse plerisque Ethnicorum Sacerdotibus, ex veterum testimonio notum est, ac præsertim ex Minutio Felice ita in suo Octavio Ethnicis Mystis exprobrante; *Ubi autem magis a Sacerdotibus, quam inter aras, & delubra, condicuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? Frequentius denique in Æditunorum cellulis, quam in ipsis Lupanaribus flagrans libido defungitur.*

VII. Apud nos Christianos fatetur S. Hieronymus adversus Vigilantium scribens, etiam solemnissimas Paschæ vigilias, quas in Commentario ad Cap. XXV. Euangelii Matthæi ex traditione Apostolica inductas esse confirmat, impura Juvenum, ac vilissimarum mulierum libidine fuisse infamatas, tametsi non abolitas, ne paucorum culpa Religioni præjudicaret. Ob eam tamen causam, stuprorum scilicet, atque adulteriorum exolevere sensim sacræ vigiliæ, & pernoctationes in Templis, non a S. Ambrosio excisæ, ut scribit pseudo-Augustinus Sermone XXVI. ad Fratres in Eremo, refelluntque late eruditus Durantus Libro III. *De ritibus*, Cap. IV. & Baronius in Notis ad Martyrologium die V. Januarii, sed longe posterius; quamquam quoad mulierum ad vigilias ipsas accessum, vetitus ille jam olim fuerit in Concilio Illiberritano Can. XXXV. his verbis: *Prohiberi placuit, ne feminæ in Cœmeterio pervigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committantur.*

VIII. Romæ cum adhuc in usu essent IV. Christi seculo, monebat S. Hieronymus Lætam in Epistola ad ipsam data, ut vigiliarum dies, & solemnes pernoctationes sic virguncula filia celebraret, ut nec transversum quidem unguem a matre discederet. Contaminabantur quippe vigiliæ ipsæ non modo a Laicis, sed & a sacris hominibus, ut liquet ex S. Hieronymo, qui in Epistola increpatoria ad Sabinianum Diaconum, ait, ipsum per occasionem vigiliarum sacrarum rem turpem cum virgine designasse in ipsa spelunca, in qua Dei filius infans vagiit: *Tota Ecclesia nocturnis vigiliis Christum Dominum personabat, & in diversarum gentium linguis unus in laudibus Dei spiritus concinebat. Tu inter ostia quondam Præsepis Domini, nunc Altaris, amatorias epistolas fulciebas, quas postea illa miserabilis quasi flexo adoratura genu inveniret, & legeret; & stabas deinceps in choro psallentium, & impudicis nutibus loquebaris, &c.* Afferri possent & alia exempla, quibus edocta Ecclesia vigilias tandem sustulit, & nocturnos

cturnos conventus; excepta Nocte Nativitatis Domini, in qua hodieque divina officia celebrantur, accedentibus ad ipsa etiam feminis, quæ utinam se domi potius continerent.

IX. Denique ut nihil omittamus, quod in hoc nostro Canone exprimitur, notandum superest, quod etiam superius innuimus, noctem scilicet illam, quam Resurrectionis Dominicæ *præcursorem* Canon noster appellat; quoad tempus partem fuisse Sabbati Sancti, quoad officium vero ad noctem Dominicæ Resurrectionis respexisse, uti constat ex Concilio Rotomagensi apud Ordericum Vitalem. Quod ergo hodie peragitur, est officii subsequentis anticipatio, itaut quod debebat incipere a media nocte, sub vespere jam tum inceperit, hodieque citius adhuc celebretur.

CANON XCI.

Eas quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subjicimus.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam multæ essent ubique locorum, ac præsertim Romæ mulieres, quæ ne conciperent, & proderentur lapsæ, Eunuchis se prostituerent, ut testis Juvenalis Satira VI. ubi ita de suo ævo, & corrupto Romano more queritur.

Sunt quas Eunuchi imbelles, & mollia semper
Oscula delectant, & desperatio barbæ,
Et quod abortivo non est opus:

Plurimæ tamen a Scriptoribus passim, atque a Conciliis, & sanctis Patribus carpuntur feminæ, quæ quidem, vel quod Eunuchos non invenirent, vel quod ipsos contemnerent, Viris se commiscentes, ne conciperent, & proderentur, vel pharmacum aliquod præbibebant, vel medicamentis aliis epotis prolem in utero necabant, indeque vita destitutam ejiciebant. S. Hieronymus in Epistola ad Eustochium Romanam de custodia Virginitatis, postquam plerasque exagitavit, quæ infelicem conscientiam, & tumentem uterum mentita veste protegebant, ita scribit: *Aliæ vero sterilitatem præbibunt, & nec dum sati hominis homicidium faciunt. Nonnullæ cum se senserint concepisse de scelere, abortii venena meditantur; & frequenter etiam ipsæ commortuæ, trium criminum reæ, ad inferos perducantur, homicidæ sui, Christi adulteræ, nec dum nati filii parricidæ.* Tum dolet, ejusmodi esse feminas, quæ sanctitatem ostentant, quæque illa divinæ Scripturæ verba dicere solent: *Omnia munda mundis: Sufficit mihi conscientia mea. Cor mundum desiderat Deus.*

II. Invehitur & in ipsas feminas Lib. I. *De nuptiis & concupiscentia*, Cap. XV. S. Augustinus, easque impietatis maximæ coarguit, ita inquiens: *Aliquando eo usque pervenit hæc libidinosa crudelitas, ut etiam sterilitatis venena procuret, &, si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquo modo intra viscera extinguat, ac fundat, volendo prius interire, quam vivere; aut si in utero jam vivebat, occidi, antequam nasci, prorsus.* Idem S. Doctor Sermone XCI. de tempore, sive alius ejus Sermonis Auctor, damnans potationes, quas solebant mulieres accipere, ne conciperent, hanc inter alia protulit sententiam: *Mulier autem quæcumque fecerit, per quod jam non possit concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum se esse ream cognoscat.*

III. Ante Augustinum, ac Hieronymum Lactantius Lib. VI. Divinarum institutionum, Cap. XX. ita nefarium illud scelus, & execrandam impietatem abortuum acri oratione sugillans, eo argumento utitur, quod cum Deus ad vitam inspiret animas, non ad mortem, *homines, ne quod sit facinus, quo manus suas non polluant, rudibus adhuc, & simplicibus animis abnegant lucem non a se datam.* Ante Lactantium testis est in suo Octavio Minutius Felix, quam frequenter feminæ scelus ipsum nefarium patrarent; *Sunt*, inquit, *quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguunt, & parricidium faciunt, antequam pariant.* Atque ut alios omittam, ante Minutium Felicium Tertullianus in Apologetico Cap. IX. hæc habet: *Nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere nasci, nec refert nato quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est.*

IV. Apud Medicos etsi in quæstione fuerit aliquando, an partus in utero homo sit, obtinuit hominem esse, uti docent Hippocrates, & Galenus. Hinc par delictum reputatum est hominem jam natum occidere, ac fœtum necare, in quo verum homicidium datur juxta Plautum in Trucul. Actu I. Scena II.

Monebatque illa, ne sibi persuaderet,
Ut abortioni operam daret, puerumque ut necaret.

Juvenalis quoque idipsum docet Satyra VI. ubi de quadam venefica sui ævi ita scribit:

Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit.

Non ergo mirum si jure Civili pœna homicidii sancita est in eum, eamve, qui, quæve partum animatum ab utero abegerit, vel abortum procuraverit: nec enim levius esse putant Leges, natales impedire, quam interimere natos, quod si fœtus abigatur animatus, in exilium mittitur qui abegit. Leg. *Siquis aliquid* §. *Abortionis*, & Leg. *Cicero*, ff. *De pœnis*. Leg. *Divus* V. adjuncta Lege, *Pompeam*, ff. *De parricidiis*, cum aliis pluribus, quas Jurisconsulti congerunt. Non omittendum tamen quod ait Paulus Jurisconsultus Lib. V. Sententiarum Cap. XXIII. *Qui abortionis, aut amatorium poculum dant, etsi id dolo non faciant, tamen mali exempli res est. Humiliores in metallum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegentur. Quod si ex hoc homo, aut mulier perierit, summo supplicio afficiantur.*

V. Cum vero nostrum sit institutum ea explicare,

plicare, quæ Canonicas sanctiones spectant, cautum fuit quidem jam olim ex Canone LXIII. Illiberritanæ Synodi Seculo III. habitæ, ut *si qua mulier per adulterium absente marito conceperit, idque post facinus occiderit, ei nec in fine danda esset communio, eo quod geminaverit scelus*. Meminit hujus sanctionis Ancyrana Synodus anni CCCXIV. Can. XXI. ex versione Gentiani Herveti, his verbis: *De mulieribus, quæ sunt fornicatæ, & fœtus in utero perimunt, & fœtuum necatoriis medicamentis faciendis dant operam, prior quidem definitio usque ad vitæ exitum prohibebat, & ei quidam assentiuntur. Sed humanitate tamen utentes decrevimus, ut decennium per gradus præfinitos impleant*. Humanius tunc temporis agi cum ejusmodi mulieribus cœpit, quibus decem tantum pœnitentiæ anni præfiguntur, incipiente jam disciplinæ vigore paulisper emolliri; nam alias laudatas Illiberritanus Canon communionem ad exitum usque vitæ denegabat, nec immerito, quia, uti docet S. Hieronymus parentes hujusmodi triplicis reæ sunt criminis, sunt enim homicidæ sui; maritorum, si nuptæ, & Christi, si virgines, adulteræ; & filii nondum nati atrocissimi parricidæ.

VI. Ancyranum Canonem sequutus est Sanctus Basilius, quum in Epistola ad Amphilochium Iconii Episcopum Cap. II. referens memorati criminis pœnam, ait: *Oportet autem non usque ad obitum eorum confessionem extendere, sed decem quidem annorum mensuram admittere, definire autem non tempore, sed modo pœnitentiæ medicinam*. Sic etiam Martinus Bracarensis Episcopus in sua Canonum collectione abortos crimen decennii pœnitentia, & quidem ex misericordia expiandum Can. LXXVII. mandat: *Si qua mulier fornicaverit, & infantem, & qui exinde fuerit natus, occiderit, & quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est, necare; aut certe, ut non concipiat, elaborat, sive ex adulterio, sive ex legitimo conjugio, has tales mulieres nec in morte recipere communionem priores Canones decreverunt: nos tamen pro misericordia sive tales mulieres, sive conscias scelerum ipsorum, decem annis agere pœnitentiam judicamus*.

VII. Pœnam ipsam decennii tantisper cohibuit Ilerdensis Synodus anni DXXIV. Can. II. ubi enim laudati Canones decennii mulcta puniri abortus crimen jusserunt, ipsa eam pœnam ad septennium restrinxit: *Hi vero, qui male conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare studuerint, vel in uteris matrum potionibus aliquibus colliserint, in utroque sexu adulteris, post septem annorum curricula communio tribuatur; ita tamen, ut omni tempore vitæ suæ, fletibus, & humilitati insistant*. Ubi nota, hujusmodi veneficis perpetuam indici pœnitentiam, non quæ in certis actibus, ut fletus, prostrationis, & aliorum pœnitentiæ graduum, sed quæ in jejuniorum, aliarumque Christianarum virtutum observatione consisteret. Sane si Clericus eam impietatem patraret, mandat idemmet Canon, deponi eum omnino, posse tamen, peracta pœnitentia, in choro psallere: *Si vero Clerici fuerint, officium eis ministrandi recuperare non liceat, attamen in choro psallentium a tempore receptæ communionis intersint*.

VIII. Concilium Wormatiense anni DCCCLXVIII. Can. XXXV. ipsas mulieres, quæ conceptos infantes necant, ut homicidas puniendas decrevit: *Mulieres igitur, quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidæ proculdubio judicandæ sunt*. Extat eadem hæc pœna in Pœnitentiali Romano, & in aliis Synodorum Canonibus, quos supervacaneum est hic recensere, cum id ipsum statuat noster hic Canon Trullanus, eas, quæ Pharmaca abortum facientia aliis præbent, tum eas, quæ hauriunt, homicidarum pœnis teneri jubens. Auctoritate hujus Canonis, sub nomine Sextæ Synodi usus est Sixtus V. Pontifex Maximus, ubi in Constitutione sua adversus procurantes abortum edita anno MDLXXXVIII., incipitque, *Effrenatam*, decrevit, ut qui, quæve abortum facere, fierive jussisset, vel curasset, inter alias pœnas ea excommunicatione puniretur, qua solvi a nemine posset, præter Romanæ Sedis Episcopum: *Non immerito*, ait, *in Sexta Synodo Constantinopolitana sancitum, ut personæ, quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ subjiciantur*. Porro pœnam a Sixto statutam correxit postea, Jurique antiquo restituit Gregorius XIV. Constitutione sua quæ incipit, *Apostolica*, edita anno MDXCI. Ante Sixtum V. Concilium Insulanum anni MCCLXXXVIII. Can. XIV. gravibus quidem pœnis eos multat, qui abortum procuraverint, Laicos enim in hoc delinquentes, excommunicatione, Clericos vero degradatione, & traditione seculari Curiæ puniendos esse decernit.

IX. Ex tot Conciliorum Canonibus, & præclarissimis Sanctorum Patrum testimoniis, quæ hucusque attulimus, addiscere licet, inter alias pravi dogmatis propositiones ab Innocentio XI. Pontifice Maximo die II. Martii anni MDCLXXIX. proscriptas, merito quoque istas quorundam impiorum, atque humani generis hostium Casuistarum propositiones fuisse, Numero XXXIV. & XXXV. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi*. Quanta sit impietas istarum propositionum aptarum certe infandis homicidiis, & parricidiis procurandis, jam liquet ex hactenus a nobis dictis, videri tamen potest eruditissimus Thomas-Pius Milante, qui in damnatas a Pontificibus Maximis Casuistarum propositiones aureum opus concinnavit.

X. Tandem quam soliciti fuerint prisci Patres Ecclesiæ, ut abortus evitarentur, docet nos Concilium Matisconense relatum a Burchardo Wormaciensi Episcopo Lib. III. Decretorum, Cap. CC. ad evitandam enim tanti criminis gravitatem, aut crudelitatem potius, illud remedium excogitavit, vel ut minus malum elegit, ut singuli Presbyteri in suis Parochiis publice feminas præmonerent, ut si quæ furtivo, & injusto concubitu concepisset, ne partum necaret, sed clam illum deferri faceret ante januas Ecclesiæ, ut fidelibus aliis, & piis feminis nutriendum traderent. Multa jam ab hinc seculis Fidelium pietate in Civitatibus, & Oppidis insignioribus Hospitalia erecta sunt, in quibus Infantes recenter nati, & expositi educantur. Insigne est Romæ Hospitale S. Spiritus, ubi infantes ipsi ex furtivo nati concubitu nutriuntur, quamquam non semel ii etiam qui ex legitimo conjugio orti sunt, ibidem non sine lethalis peccati reatu furtim exponantur.

CA-

CANON XCII.

Eos, qui nomine Matrimonii mulieres rapiunt, quique opera, opeque sua raptores adjuvant, statuit sancta Synodus, si sint quidem Clerici, proprio gradu excidere; si vero Laici, anathemate percuti.

NOTA.

Est hic Canon vigesimus septimus Concilii Chalcedonensis, quem nos suo loco exposuimus. Quæ in illius explicatione fuse a nobis sunt dicta, legere curiosus poterit Lector, si & hujus Canonis interpretationem scire desiderat.

CANON XCIII.

Uxor viri, qui secessit, & non apparet, antequam de ejus morte certior facta sit, alteri cohabitans adulteratur. Similiter & militum uxores, quæ non apparentibus maritis nupserunt, in eandem rationem incidunt, quemadmodum & quæ propter mariti peregrinationem reditum non expectant. Sed res hic quidem aliquam veniam habet, quod sit major mortis suspicio. Ea autem quæ illi, qui ad tempus erat ab uxore relictus, nupsit per ignorantiam; deinde dimissa est, quod prior ad ipsum redierit, est quidem fornicata; sed per ignorantiam. A matrimonio ergo non arcebitur; rectius autem, si sic manserit. Si autem miles aliquanto post tempore redierit, cujus uxor propter longam ipsius absentiam alteri viro conjuncta est, is si velit, propriam uxorem recipiat, ipsi venia propter ignorantiam data, eique, qui illam in secundis nuptiis domum duxit.

COMMENTARIUS.

I. QUæ mulier, viro peregrinante, neque longo temporis intervallo revertente, cum illum decessisse nondum plane compertum sit, alteri viro nupserit, adulterii crimen illam admittere, Canon edicit. Militum quoque uxores, si viris ipsarum non apparentibus, alios duxerint, adulterii culpa non vacare, affirmat. Reprobare videtur Justiniani Legem in Novella XXII. Cap. VII. ubi ita ait: *Si incertum sit, utrum superest, an non, quæ ad hostes devenit persona, tunc quinquennium expectandum est, sive a viro, sive a muliere: post quod sive manifestum de morte fiat, sive incertum maneat, nubere sine periculo licebit.* Hanc quoque Legem abrogavit, anullavitque Leo Sapiens Constitutione XXXIII. eamque una cum præsenti Canone, repudiata Lege Justinianæa, ipsa Ecclesia, tamquam indissolubili Matrimonii vinculo conformem probavit, ac recepit.

II. Itaque vir uxorem suam dimittere non potest, quæ ipsum mortuum probabiliter credens propter longam ejus absentiam nupsit alteri, & de ejus vita certior facta, relictis adulterinis amplexibus ad eum reverti voluit. Constat enim id quidem ex variis Canonibus a Gratiano allatis in suo Decreto ad Causam XXXIV. Quæstione I. & II. quibus adde Responsum Lucii III. in Cap. *Dominus*, *De rescriptis*. Hinc corrigendus est Canon IX. Concilii Vermeriensis anno DCCLII. in Galliis habiti, ubi edicitur, Virum, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si eum sequi uxor noluerit, & ipse abstinere se, idest, continere, minime valeat, *posse aliam uxorem cum pænitentia accipere*. Correctione itidem indiget Canon secundus, ubi edicitur, quod siquis uxoris suæ filiam incestu polluerit, non posse illum quidem, aut illam cum aliis, aut mutuo unquam jungi; posse autem innocentem uxorem non modo quoad thorum a viro nocente separari, verum etiam si se continere non valet, alteri viro nubere. Volunt quidam vulgo Concilium supponere, tum virum obiisse, at ex textu perspicue patet, matrimonio per incestum viri soluto, licuisse uxori cum altero conjugium inire. Quod tamen ab Ecclesiæ disciplina omnino alienum est, & sacris Conciliis vetitum.

CANON XCIV.

Eos qui Gentilium sacramenta jurant, Canon penis subjicit, & nos iis quoque segregationem decernimus.

COMMENTARIUS.

I. CAnon is, cujus hic mentio fit, est Canon LXXXI. Epistolæ S. Basilii ad Amphilochium, quo decernitur, ut qui Gentilium juramenta usurpaverint, *tribus quidem annis ejiciantur, duobus audiant, postquam autem in substratione tribus annis oraverint, & in*

In aliis tribus, fidelibus ad orationem se substraverint, sic admittantur ad boni communionem. Fuit is jurandi modus antiquus etiam Christianorum abusus, quem reprehendit Tertullianus in Libro, *De Idololatria*, Cap. xx. ubi ita ait: *Consuetudinis vitium est*, Meherclе dicere, me Dius Fidius, *accedente ignorantia quorumdam, qui ignorant, jusjurandum esse per Herculem.* Tum statim subjicit, etiam ex prava consuetudine, aut ignorantia jurare per Deos gentium, esse omnino idololatrism: *Porro quid erat dejeratio per eos, quos ejerasti, quam prævaricatio fidei cum idololatria? Quis enim per quos dejerat, non honorat?* Variis divinæ Scripturæ locis ostendit, nefas Christiano homini esse, ac detestabile per Deos nationum jurare.

II. Viget hodieque abusus, nec Laici solum, sed & sacri homines plurimi frequenter in suis sermonibus per Deum Bacchum jurant. Forte putaverit quispiam ejusmodi juramenta nullius esse virtutis, sed audiendus S. Augustinus, qui Sermone CLXXX. alias XXVIII. *De verbis Apostoli*, Cap. XII. diserte ait, reum esse perjurii, qui tale juramentum non servaret: *Ecce*, inquit, *dico charitati vestræ, & qui per lapidem falsum jurat, perjurus est. Unde hoc dico? Quia multi in hoc falluntur, & putant, quia nihil est, per quod jurant, non se crimine teneri perjurii. Prorsus perjurus es, quia per id, quod sanctum putas, falsum juras. Sed ego illud sanctum non puto. Sanctum putas, cui juras. Non enim quando juras, tibi juras, aut lapidi juras, sed proximo juras. Homini juras ante lapidem, sed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem.* Ita ille, cujus testimonio vanæ hominum calliditates refelluntur, quibus sua per falsos Deos juramenta excusare possent.

III. Si autem sancti Patres, ac præsertim Basilius, & Trullani Episcopi adeo diuturna, & laboriosa pœnitentia expiandum judicaverint juramentum præstitum per falsos Deos, quid censuissent de perjurio per verum Deum? Eodem teste S. Augustino in Epistola XLVII. alias CLIV. ad Publicolam data, *sine ulla dubitatione minus malum est per falsum Deum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter.* Rationem hanc subdit: *Quanto enim per quod juratur, est magis sanctum, tanto magis est pœnale perjurium.* Paulo ante & illud docuerat, quod etiam hic adnotandum censui, suscipere posse Christianum illius juramentum, qui per falsos juraturus est Deos, eoque uti sine ullo prorsus peccato: *Qui utitur*, inquit, *fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malum, sed ad licitum, & bonum, non peccato ejus se sociat, quo per dæmonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit.* Hinc tametsi sub Gentilium juramentis Christianos se adstringere Canon vetet, nihilominus contractus inter mercatores fideles, & infideles se Turcas adhibito Maumetis nomine a Turcis pro sacramenti vinculo, recte iniri videntur, uti docent passim Theologi.

C A N O N XCV.

Eos, qui ex hæreticis ad rectam Fidem accedunt, & parti eorum, qui salvantur, subjecta consequentia, & consuetudine recipientes, Arianos quidem, & Macedonianos, & Novatianos, qui se puros appellant, & Aristeros, & Tessares decatitas, seu Tetraditas, & Apollinaristas recipimus dantes libellos, & omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit, ut sentit Sancta Dei universalis, & Apostolica Ecclesia, sancto primum Chrismate inungentes, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, consignantes autem dicimus: *Signaculum doni Spiritus Sancti*. De Paulianis item a Catholica Ecclesia statutum est, ut ii omnino rebaptizentur. Eunomianos quoque, qui in unam demersionem baptizant, & Montanistas, qui hic dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui Filium eumdem esse cum Patre existimant, & alia quædam gravia faciunt, & omnes alias hæreses, quoniam multi hic sunt, & maxime, qui ex Galatarum regione profecti sunt, omnes ex iis, qui ad rectam de Fide sententiam volunt accedere, ut Gentiles recipimus. Et primo quidem die eos Christianos facimus, secundo autem Catechumenos: deinde tertio adjuramus, simul etiam ter in faciem, & aures inspirantes, & sic initiamus, & diu in Ecclesia versari, & Scripturas audire facimus, tunc ipsos baptizamus. Quin etiam Manichæos, & Valentinianos, & Marcionistas, & similes hæreticos oportet libellos facere, & hæresim suam anathematizare, & Nestorium, & Eutychen; & Dioscorum, & Severum, & reliquos talium hæreseon principes, & qui eadem, quæ illi sentiunt, & omnes prædictas hæreses; & sic fieri sanctæ communionis participes.

N O T A.

Innovat Canon septimum Canonem Concilii I. Constantinopolitani, quem suo loco abunde explicuimus. Agit de modo recipiendi hæreticos ad Ecclesiam, variisque hæreticis jam in Canone Constantinopolitano recensitis addit etiam Manichæos,

chæus, Valentinianus, & Marcionitas; Eutychianos scilicet, & Monothelitas, quos illis nominibus ab erroribus, quos sequebantur, appellat. Hos sine novo baptismo ad communionis gratiam recipiendos ait, modo libellos faciant, & hæresim suam ejurent, itemque Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Severum, aliosque id genus errones, & qui eadem, quæ illi sentiunt, & omnes prædictas hæreses, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, de qua nos alias fuse egimus.

CANON XCVI.

Qui Christum per baptismum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari professi sunt. Eos ergo qui capillos ad videntium detrimentum, scite excogitatis nexibus, adornant, & componunt, & infirmis animis escam, ea ratione objiciunt, convenienti supplicio paterne curamus; ipsos instituentes, & temperanter vivere docentes, ut relicta fraude, & vanitate, quæ ex materia oritur, ab exitio carentem, beatamque vitam, mentem assidue traducant, & in timore puram, & sanctam conversationem habeant; & Deo, quoad ejus fieri potest, appropinquent per vitæ puritatem; & internum magis, quam externum hominem virtutibus, & bonis, inculpatisque moribus exornent; ut nullas in se ferant reliquias diabolicæ perversitatis. Siquis autem præter hunc Canonem versatus fuerit, excommunicetur.

COMMENTARIUS.

I. Recte admodum ait in sua ad hunc Canonem nota Vanespen, seria potius Canonem ipsum meditatione, quam explanatione indigere. Alludens enim ad illud Apostoli in Epistola ad Galatas Cap. III. *Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis*, ut eos sugillet, qui capillum per inanem ornatum componunt, hanc primam sententiam omnium Christianorum cordi infigendam docet: *Qui Christum per baptismum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari professi sunt*. Idest, ut scite ea verba exponit Zonaras: *Qui divino baptismo initiati Christum induerunt, ad illius vivendi normam mores conformare, omnesque puritatis, temperantiæ, atque innocentiæ numeros implere, nec vero rerum terrenarum vanitati adhærescere, aut supervacuo, nimisque affectata, & operoso corporis ornatui indulgere decet.*

II. Decet id quidem, & quammaxime decet; sed quæ magis affectata, ac supervacanea exornandi corporis ratio, quam eorum, qui capillum variis nexibus implicant, multa arte disponunt, in partes concinne dividunt, eoque imbecilliores in fide animos, quique propterea ad intemperantiam facilius delabantur, velut quadam esca deceptos alliciunt? Scio hæc ab effeminatis nostri ævi hominibus irrideri, quia scilicet vel divinas Scripturas, Sanctos Patres, ac sacras Synodos Comarum ornatum damnantes omnino ignorant, vel floccipendunt, vel pessime interpretantur; Iubet nihilominus nonnulla ex memoratis fontibus loca in medium afferre, quibus magis magisque ostendatur, quam alieni a vita Christiana sint viri complures, ac præsertim Clerici divinis ministeriis mancipati (nec enim hic de feminis loquor) qui tam studiose nimis, atque accurate in adornanda coma laborant, ut hoc unum sibi esse necessarium ostendere videantur.

III. Est in veteri Testamento divinum illud, & antiquum præceptum Levitici Cap. XIX. *Non facietis cincinnos in capite vestro*; in novo autem S. Paulus in Epistola I. ad Corinthios Cap. XI. vir si comam nutriat, ignominiam illi id esse testatur. Quibus locis edoctus plane pervetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum Libro I. Cap. IV. *Tibi*, inquit, *qui fidelis es, & homo Dei es, non licet nutrire comam, & in unum colligere; hæc enim luxuria est, & mollities; neque effusam gestare, neque discriminatam, neque facere, ut tumescat, neque eam carpendo, & formando crispare, neque flavam reddere*. Tum ait, divina Lege id prohiberi, cujus etiam verba describit, deinde vero ita concludit: *Tu vero hæc faciens, & ut tibi placeas, legem violans, in odio eris apud Deum, qui creavit te secundum imaginem suam*. Et iterum: *Si igitur cupis Deo placere, contine te ab omnibus, quæ odit ipse, ut nihil facias, quod anima ejus displiceat*.

IV. Hinc priscis Christi seculis, Christiani minime censebantur, qui comam studiose nutrirent, & calamistro, ut hodieque passim fieri assolet, crisparent; quocirca S. Tibertius, referente Surio in vita S. Sebastiani, Torquatum quendam immerito se Christianum jactantem graviter objurgavit, quod capillos super apicem frontis Tonsoris arte componeret. Cum enim ambo Christianæ Religionis causa Judici sisterentur, ac quæsitus de Fide Torquatus, respondisset, se esse Christianum, *Credis ne*, inquit Tibertius Judici, *Vir illustrissime, hunc esse Christianum, qui in sui lenocinio moliendo capitis fimbrias admittit, qui Tonsorem diligit, qui scapulis molliter gestit, qui fluxum gressum improbo nisu distendit, qui feminas curiosus intuetur? Numquam tales pestes Christus dignatus est habere servos suos*.

V. Merito itaque cautum fuit ex Concilii Illiberritani Canone LXVII. juxta lectionem ab Albaspinæo, & aliis viris doctis probatam, *ne qua fidelis, aut catechumena, aut comatos, aut viros cinerarios habeat. Quæcumque hoc fecerit, a communione arceatur*. Sunt qui Canonem hunc accipiunt non de conjugio Fidelis, vel Catechumenæ cum viro comato, seu cinerario, sed famulitio, itaut feminis fidelibus vetitum sit, inter fa-

mulos habere pedisequos comatos, vel cinerarios; verum quidquid de ea Canonis interpretatione sit, hoc unum est, hujusmodi viros damnari, sive pro maritis, sive pro famulis accipiantur, arceri autem a communione fideles, idest ab Ecclesia, & a catechumenatu, si viros illos secum haberent, sive in conjugio, sive in famulatu, ut aliis placet. Porro comati appellantur, qui comam nutriunt; & qui capillis cincinnatis, calamistris compositis, & affectatis utuntur, cincinnati, calamistrati, & cinaedi dicuntur, quorum consortium, & societatem cum fidelibus Christianis Ecclesiæ Patres sæpe, ac sæpius damnant. Peritissimos illius capillaturæ structores Libro I. ad Uxorem, Capite IV. vocat Tertullianus *Germanicos bajulos*. Et Lib. II. Cap. VIII. *peregrinæ proceritatis cinerarios*; utpote non solum crinibus alienis additis, atque intertextis, sed & aureis, ac rutilis cineribus capillaturam ornare doctos, uti exponit ad hunc Trullanum Canonem Lupus.

V. Teste Rhenano ad laudatum Tertulliani locum, ubi cinerariorum fit mentio, Aeron Grammaticus exponens illud Horatii Lib. I. Sermonum Satyra II.

. . . . . *multæ tibi tum officient res,*
Custodes, lectica ciniflones, parasitæ.

Ciniflones, inquit, *& cinerarii eadem significatione apud veteres habebantur, ab officio calamistrorum, idest rerum in cinere calefaciendorum, quibus matronæ capillos crispabant. Cujus rei & Virgilius meminit dicens*: Vibratos calido ferro. *Dicti autem ciniflones ab eo quod in cinerem flant ad ferrum calefaciendum quos Cinerarios appellant*, Hæc ille. Ceterum quia addit *peregrinæ proceritatis*, intelligit quos supra dixit, *bajulos Germanicos*, Eorum enim mos fuit capillum in cirros torquere. Unde idem Tertullianus in Libro, *De velandis Virginibus*, Cap. X, dixit, *Cirros Germanorum*. Cui subscribit S. Isidorus Libro XIX. *Etymologiarum*, Cap. XXIII. ubi ait; *Nonnullæ gentes non solum in vestibus, sed in corpore, aliqua sibi propria, quasi insignia vindicant; ut videmus cirros Germanorum &c.*

VI. Frequentissimus est in exprobrando feminis capillorum nimio cultu, & abusu Tertullianus præsertim in Libro de feminarum cultu. Quod autem cincinnatorum societas vitanda sit homini Christiano, potissimum vero Clerico, ac feminis, edicit quamfrequentissime S. Hieronymus, in Epistola ad Nepotianum de vita Clericorum & Sacerdotum, quam peculiari opella Notis illustravimus, ubi ita quidem inter alia inquit: *Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, si Acolythus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus; nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur*, Rursus in Epistola ad Lætam, qua eam docet, quomodo instituere oporteat filiam, ait: *Nullus ei juvenis, nullus cincinnatus arrideat*. Item in Epistola ad Salvinam, cui modum servandæ viduitatis præscribit, *Non ambulet*, inquit, *juxta te calamistratus procurator, non histrio fractus in feminam, non cantoris diabolici venenata dulcedo, non juvenis cultus, & nitidus*. In Epistola quoque ad Furiam de eodem argumento viduitatis servandæ agens, hæc habet; *Juvenum fuge consortia; comatulos, comptos, atque lascivos, domus tuæ tecta non videant*, Et infra: *Noli in publicum subinde procedere, & Spadonum exercitu præeunte, viduarum circumferri libertate; nec procurator calamistratus, nec formosus Collactaneus, nec candidus assecla adhæreat lateri tuo.*

VII. Eadem alibi S. Doctor inculcat, aitque in Caput XLIV. Ezechielis comam ornare, ac demittere, proprium esse luxuriosorum. Id quod etiam, ut alios omittam Patres, notavit Petronius Arbiter, crinium mollitiem inter luxuriæ titulos recensens his versibus.

Scorta placent, fractique enervi corpore gressus,
Et laxi crines, & tot nova nomina vestis.

Sed audiendus Seneca, qui sui, & nostri ævi homines vano comarum cultui deditos ita sugillat in Libro, *De brevitate vitæ*, Cap. XII. *Quid? illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, siquid proxima nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disjecta coma restituitur, aut deficiens hinc, atque illinc in frontem compellitur? Quomodo irascuntur, si tonsor paulo negligentior fuerit, tamquam virum tonderet. Quomodo excandescunt, siquid ex juba sua decisum est, siquid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit Rempublicam turbari, quam comam suam? Qui non solicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? Qui non comptior esse malit, quam honestior? Hos tu otiosos vocas inter pectinem, speculumque occupatos?*

VIII. Nil luculentius afferri potuit adversus nostri ævi Comatulos, ac cincinnatos, quam memoratum Philosophorum moralium Principis testimonium. Præstat nihilominus audire Zonaram, qui in suo ad hunc Trullanum Canonem Scholio, ita græcum morem Seculi XII. quo ipse floruit, describit: *Nostris temporibus in capillo tingendo, fingendoque docti homines laborant: qui quidem omne studium suum eo conferunt, ut comam alant, ac cincinnorum fimbrias, feminarum ritu, si fieri posset, ad zonam usque demittant*. Loquitur de feminis sui ævi, quæ quidem licet usque ad initium hujus seculi nefas sibi esse ducentes capillos præcidere, nunc tamen passim nobiles æque, ac plebejæ, contra præceptum Apostoli in Epistola I. ad Corinthios Cap. XI. quod alibi fuse explicuimus, proprios resecantes capillos, ubi comtæ apparere gestiunt, fictitiis & ipsæ utuntur comis.

IX. Plura in eum virorum abusum addit Zonaras, aitque inter alia, non a tenuioribus modo, sed ab ipsis quoque amplioris fortunæ hominibus usurpari. Tum etiam inquit, diffusum longe lateque malum universos fere occupasse, ac instar pestis cujusdam, in eos qui Christianorum nomine censentur, delatum ubique fere grassari. Sed audiamus quid tandem in Scholii fine adnotavit: *Nostri vero Patres*, inquit, *hoc tempore, qui in capillo, & barba, in quæ diximus peccant, ac deformius adhuc lasciviant, eoque ornatu Ecclesiam ingrediantur, non modo impune abire patiuntur, sed & iis benedicunt, & sacra Mysteria communicare volentibus (pro facinus) impertiunt. Neque vero qui hæc prohibeat, quisquam est. Non Patriarcha, non alii Præsules, non Monachi demum, quos parentum se spiritualium loco, tam insigniter inverecundi homines agnoscere profitentur.*

X. Tanto malo mederi conata est Provincialis Synodus Turonensis anni MDLXXXIII. Cap. XV. ubi excommunicationem a Canone nostro Trullano iis, qui capillum per inanem ornatum componunt, inflictam confirmavit, ita inquiens: *Cum mollis corporis cultus in femina Christiana damnandus*

mandus ſit, multo certe magis in viro, qui caput mulieris eſt, damnari debet. Ideoque ex Concilii generalis Conſtantinopolitani in Trullo habiti decreto, excommunicationi ſubjacere eos omnes Definimus, qui capillos ad videntium detrimentum ſcite excogitatis nexibus, adornant, & componunt, & infirmis animis eſcam ea ratione abjiciunt. Ne vero prohibitio hæc tum viros, tum mulieres lateat, eam illis per Parœcos in ſuis Pronis, & Eccleſiaſticos in ſuis concionibus, etiam cum dura, & importuna, ſi opus ſit, increpatione ſignificari mandat & intimari. Sed tametſi hæc præceperit Toronenſis Synodus, eaſdem hodie vanitates ubique fere graſſari cernimus.

C A N O N XCVII.

Eos, qui vel cum uxore cohabitant, vel alioqui indiſcriminatim ſacra loca communia faciunt, & contemptim in ea afficiuntur, & ſic in eis permanent, etiam ex iis, quæ ſunt in Venerabilibus Templis, Catechumenorum manſionibus extrudi jubemus. Siquis autem hæc non ſervaverit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi vero Laicus, ſegregetur.

C O M M E N T A R I U S.

I. SAcri loci nomine non hic Templa, ſed adjunctas Templis habitationes, qualia ſunt quæ Catechumena appellantur, Canon intelligit. Neque enim, uti obſervat Zonaras, audax adeo quis fuerit, ut intra divini Templi ſepta cum uxore habitare velit. In adjunctis vero ædibus, & Catechumenorum locis, uti etiam teſtatur Balſamon, nonnulli degebant, qui forte vitam haud ſatis caſte, integreque agitarent, quique ſacrorum locorum dignitatem contemnerent, ac in iis ſine diſcrimine, hoc eſt, quid inter ſacrum, & profanum intereſſet, minime æſtimantes, verſarentur. Eos igitur homines e Catechumenorum diverſoriis, ſive porticus illa eſſent Eccleſiæ ſuperiores, in quibus mulieres ſacras Liturgias auditu excipiebant, ut tradit Duſreſne; ſive Catechumenorum ſtationes, vel locus, ubi inſtrui Catechumeni ſolebant, Canon ejiciendos eſſe decernit, quique non paruerint, depoſitione Clericos, Laicos vero ſegregatione teneri jubet.

II. Nefas eſſe homini Chriſtiano in ſacris locis cum uxore habitare, docent Canones, & Patres paſſim. Si enim ob ſanctitatem, quæ decet Domum Dei, ex veteri Chriſtianorum more abſtinendum illi eſt vel ab ipſo Eccleſiarum ingreſſu, qui invitus nocturnum naturæ fluxum eſt paſſus, longe magis abſtinere debent ii, qui Matrimonio conjuncti ſunt, in ſacris locis habitare, ibique conjugale commercium exercere: *Quando aliquid mali*, inquit S. Hieronymus adverſus Vigilantium ſcribens, *in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, Baſilicas Martyrum intrare non audeo: ita totus corpore, & animo pertimeſco.* Adeo non ſine cauſa, ſubdit Lupus, Clericos ad quotidianum Baſilicarum & ingreſſum, & miniſterium addictos quotidie ante ſomnum cantare juſſit olim, & etiamnum hodie jubet Eccleſia in Hymno ultimæ horæ Canonicæ, quæ dicitur Completorii.

Procul recedant ſomnia;
Et noctium phantaſmata:
Hoſtemque noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Porro de femina quadam, quod poſt nocturnum cum viro congreſſum auſa eſſet S. Sebaſtiani Oratorium, quod ſolemni cum pompa dedicabatur, intrare, ſcribit Lib. I. Dialogorum, Cap. x S. Gregorius Magnus: *Mox ut Reliquiæ B. Sebaſtiani Martyris Oratorium ingreſſæ ſunt, eam malignus ſpiritus arripuit, & coram omni populo vexare cœpit.*

C A N O N XCVIII.

Qui alteri deſponſam mulierem eo adhuc vivo, cui deſponſata eſt, in nuptiarum ducit ſocietatem, adulterii crimini ſubjiciatur.

C O M M E N T A R I U S.

I. SPonſalia a ſpondendo dici quidem, Florentinus ſcripſit in Lege I. ff. *De ſponſalibus*: more namque, ac inſtituto Majorum receptum fuit, ſtipulari ſibi, ſpondereque uxores futuras, Ulpiano Auctore in Lege II. ff. eodem; & inde ſponſi, & ſponſæ inditum nomen, natamque appellationem prodit idem Florentinus in Lege III. Sic, ut teſtis eſt Servius Sulpitius in Lege De dotibus, teſte Gellio Lib. IV. *Noctium Atticarum*, Cap. IV. *Qui uxorem ducturus erat in Latio, ſtipulabatur, eam in Matrimonium ductum iri. Qui ducturus erat, idem ſpondebat. Is contractus ſtipulationum, ſponſionumque dicebatur ſponſalia: tunc quæ promiſſa erat, ſponſa dicebatur; qui ſpoponderat ducturum, ſponſus.* Formulam ejus ſtipulationis, ſive ſponſionis refert Varro Lib. V. *De lingua Latina*, his verbis: *Spondes ne tuam natam uxorem iri? Spondeo.*

II. Ergo de futuro Matrimonio contrahendo facta promiſſio, vel ſponſio, ſponſalia vocantur, hæc enim Matrimonium præcedunt, eorumque definitio ex Nicolao Papa I. in Reſponſione ad Conſulta Bulgarorum, ita habetur: *Sponſalia futurarum ſunt nuptiarum promiſſa fœdera, quæ*

consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur. In qua definitione continetur. I. Sponsaliorum discrimen a Matrimonio; istud enim est mutua promissio per verba de præsenti; illa vero per verba de futuro. II. Debuisse olim sicut & Matrimonium cum consensu parentum celebrari, ne alias lætalis peccati rei fierent. Præceptum etenim de conjugio filiorum parentibus potius datur, quam filiis, uti ex veteri Testamento addiscimus, & ex Apostolo, qui in Epistola I. ad Corinthios Cap. VII. idipsum confirmat, ubi ait: *Igitur & qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.*

III. Huic propositioni robur addit Patrum auctoritas, quos longo agmine recenset Natalis Alexander Lib. II. *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis*, de sacramento Matrimonii, Articulo III. Propositione III. Duos hic referre sufficiet, Tertullianum, & S. Ambrosium, quorum alter Libro I. ad Uxorem ait: *Nam nec in terris filii sine consensu Patrum recte & jure nubunt.* S. Ambrosius vero Lib. I. de Abraham, Cap. ultimo, ubi de Rebecca loquitur, hæc habet de sponsalibus a filiis auctoritate parentum celebrandis: *Consulitur puella, non de sponsalibus, nam illa judicium expectant parentum; non est enim virginalis pudoris, eligere maritum. Unde illud Euripideon, quod mirantur plerique, unde translatum sit, manifestum est*: Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit; hoc enim non est meum. *Ergo quod & ipsi Philosophi mirati sunt, servate Virgines; sed etiam mulieres, si qua amisso cito Marito adolescente, in laqueum infirmitatis suæ timet incidere, ut si vult nubere, nubat tantum in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat.*

IV. Cur sponsalia Matrimonio præmittantur, plures sunt causæ. Primam docet S. Augustinus Lib. VIII. Confessionum, Cap. III. *Ne vilem habeat Maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam.* Mirum enim auget caritatis & amoris desiderium, ejus rei, quam ames, dilatio. Altera causa est, ut interim in contrahentium statum, conditionem, & mores diligentior fiat inquisitio; ut nimirum interim ante nuptias proponi possit in Ecclesia a Parochis Matrimonium futurum cum interposita temporis intercapedine, ut, si quod sit impedimentum, vel consanguinitatis, vel affinitatis, aut alia his similia, opponantur interim, & probentur ad impediendum futurum Matrimonium. Tertiam innuit Concilium Tridentinum, ut sponsi ad Matrimonii Sacramentum ea, quæ Christianos decet, pietate se præparent. Sic enim inquit Sessione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. *Postremo sancta Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pie accedant.* Tum etiam addit: *Si quæ Provinciæ aliis ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus, & cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat.*

V. Quibus ritibus celebrarentur olim apud Christianos Sponsalia, egregie exponit memoratus Nicolaus I. Pontifex Maximus in Responsis ad Bulgarorum consulta Cap. III. *Morem*, inquit, *quem sancta Romana suscepit antiquitus, & hactenus in hujusmodi conjunctionibus tenet Ecclesia, vobis monstrare studebimus. Nostrates siquidem tam mares, quam feminæ, non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt. Sed post Sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa fœdera, quæque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur, & postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se annulo insignitum desponderit, dotemque utrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid præsumatur, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur, & primum in Ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debeat Deo per Sacerdotis manum statuuntur, sic que demum benedictionem, & velamen cæleste suscipiunt &c.*

VI. Primo itaque præcedebant sponsalia, seu nuptiarum futurarum promissa fœdera, quæ ex Concilio Remensi anni MDLXXXIII. nonnisi coram Parocho, vel ejus Vicario, idque in Ecclesia, & non alibi, nisi de Ordinarii licentia gratis concedenda, quatuor, vel tribus saltem testibus præsentibus, atque sine aliqua Juvenum petulantia fieri debent. Eadem etiam publice celebrari jubet Synodus inter alias Coloniensis anni MCCLXXX. Cap. X. Deinde conficiebantur tabulæ Matrimoniales, pacta, seu conditiones futuri Matrimonii continentes, quas etiam signatoriis eorum, qui interfuerant, annulis consignabantur; inter alios subscribebat Episcopus, ut testatur S. Augustinus Sermone CCCXXXII. qui harum tabularum persæpe meminit. Postea futuræ sponsæ arrhas porrigebat sponsus, scilicet annulum, quem propterea *annulum pronubum* appellat Tertullianus in Libro, *De cultu feminarum*. Plura de hoc annulo, & de aliis sponsaliorum ritibus videri possunt apud eruditum Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IX. Articulo III.

VII. Licet ex dictis constet, sponsalia summæ esse obligationis, eosque, qui ipsa legitime contraxerunt, teneri omnino ad fidem implendam, & ad Matrimonium contrahendum, maxime si jurejurando firmata sint; multis tamen modis ex Pontificio jure dissolvi possunt. Primo quidem ex mutuo sponsorum consensu, Cap. *Præterea, De sponsalibus & Matrimoniis.* II. per longiorem unius partis absentiam, Cap. *De illis*, ubi Glossa requirit absentiæ triennium, Raymundus vero biennium. III. per Religionis ingressum, Cap. *Commissum*, Tit. eodem. IV. per subsequentem fornicationem, idque in favorem solius partis innocentis, Cap. *Quemadmodum*, *De jurejurando*. V. per gravem aliquam infirmitatem, quæ ipsa sponsalia subsequatur, aut deformitatem, quæ perdurare possit, ut sunt lepra, paralysis, mutilatio nasi, effossio oculi, Cap. citato. VI. per subsequens impedimentum affinitatis ex fornicatione, Cap. *Fraternitati, De eo qui cognovit &c.* VII. ex subortu capitalium inimicitiarum inter sponsos, Cap. *Requisivit, De sponsalibus &c.* VIII. per Ordinis sacri susceptionem. IX. per cognationem spiritualem supervenientem, veluti si aliter alterius filium e sacro fonte suscipiat, Cap. *Veniens*, *De cognatione spirituali*.

VIII. Afferri possunt & alii modi, quos recensent Theologi, & Canonici Juris Consulti; sed iis omissis, illud potissimum hic nobis notandum est, solvi quoque sponsalia per Matrimonium, quod sponsorum alter cum alia persona valide contraxe-

traxerit; Matrimonii enim vinculum indiſſolubile, adeoque ſponſalia ante illud contracta obſervare eſt impoſſibile; tametſi ſpooſos, vel ſponſa, qui ſponſaliorum fide violata cum alio, vel alia contraxerunt, a peccato lætali non ſint immunes, ut declarat Gregorius IV. Pontifex Maximus in Cap. *Si inter virum*, *De Sponſalibus & Matrimonio*, ubi poſtquam dixit ſponſalia de præſenti non ſolvi per ſubſequens Matrimonium, ita deinde de ſponſalibus, quæ de futuro appellant, loquit: *Verum ſi inter ipſos acceſſit tantummodo promiſſio de futuro, utraque dicente alteri*; Ego te recipiam in meam, & ego te in meum, *ſive verba ſimilia, ſi alius mulierem illam per verba de præſenti deſponſaverit, etiamſi inter ipſam, & primum juramentum intervenerit, ſicut diximus, de futuro hujuſmodi deſponſationis intuitu, ſecundum Matrimonium non poterit ſeparari, ſed eis eſt de violatione fidei pænitentia injungenda*.

IX. Hinc non recte edicit noſter Canon Trullanus, qui alieri deſponſam mulierem, eo adhuc viro, cui deſponſata eſt, in nuptiarum ducit ſocietatem, adulterii crimini ſubjiciendum. Edidit ſane jam longe ante Trullanam Synodum ſimilem Canonem Siricius Papa in Epiſtola I. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum Cap. IV. ubi ita inquit; *De conjugali violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in Matrimonio poſſit accipere? Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur*. Meminit ejus Canonis Carolus Magnus in ſuo Aquiſgranenſi Capitulari Cap. LI. ubi pro *Nupturæ*, legit, *Nuptæ*, atque ita non de ſponſalibus, ſed agi exiſtimat de Matrimonio rato. Et certe in Reſponſis ad Bulgarorum quæſtiones memoratus Pontifex Nicolaus I. ſponſalia, contractum connubialem, & nuptias diſtinguit, ut tria diverſa, per nuptias intelligens Matrimonii conſummationem. Quod ſiquis Siricii teſtimonium non de Matrimonio, ſed de ſponſalibus velit intelligi, ſacrilegii reo ſimliem illum affirmat, non adulterii, qui alteri deſponſatam mulierem in uxorem duceret.

X. Eſſe autem lætale peccatum ſponſaliorum fidem frangere, niſi legitimum interveniat impedimentum, docet S. Thomas in IV. Sententiarum Diſtinctione XXVII. Quæſtione II. Articulo I. ad II. *Ex tali*, inquit, *promiſſione obligatur unus alii ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat. Et ſecundum hoc etiam Eccleſia cogit injungendo pænitentiam pro peccato*. Conſona eſt hæc S. Thomæ reſponſio ſacris Canonibus. Ita enim ſtatuit Illiberritana Synodus Canone LIV. *Siqui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore abſtineant ſe a communione: ſi tamen iidem, ſponſus, & ſponſa in illo gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes: ſi vero in eodem fuerint vitio, & polluerint ſe conſentiendo, ſuperior ſententia ſervatur*. Excommunicationem pro peccato mortali ſolum infligi docet Concilium Meldenſe Can. LIII. Quare fatendum eſt, ſponſaliorum fidem frangentes, vel impedientes, crimen admittere capitale, cum Illiberritanæ Synodi Patribus triennii excommunicatione puniendi viſi ſint. Id quod etiam diſertis verbis ſignificaverunt, dum ſtatim de ipſis ſponſis ſubdunt: *Si tamen iidem, ſponſus, & ſponſa in illo gravi crimine fuerint deprehenſi*. Grave crimen vocant tamquam capitale, & mortale, ut inter alios Interpretes ſcite notat in ipſum Canonem Illiberritanum eruditiſſimus Ferdinandus Mendoza.

XI. Cum datam igitur in ſponſaliorum contractu fidem fallere grave crimen eſſe laudati Patres Illiberritani admoneant, idque conſentaneum ſit ſanctorum Patrum inſtitutis, & Summorum Pontificum Decretis, optandum eſſet, quod & aliquando optabat memoratus Mendoza, ut ad effugiendam, & fugandam turpem illorum impudentiam, qui futuri Matrimonii prætextu puellas incautas in fraudem illiciunt, ſponſalia ſine certa ſolemnitate Notarii ſaltem & teſtium, aut alia ſimili formæ contracta, irrita & nulla decernerentur; ut nimirum publicæ juſtitiæ auctoritas privatis dolis, & fraudibus aditum intercludat, exemplo ſanctiſſimi illius Decreti, quod uberrimo & Eccleſiæ, & fidelium fructu in Matrimoniis clandeſtinis Concilium Tridentinum conſtituit, Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. I. Porro & eo remedio iretur obviam turpiſſimæ matrumfamilias, & puellarum impudentiæ, quæ dolis, ac fraudibus adoleſcentes divites, ac nobiles alliciunt, cum iiſque etiam proſtituuntur, ut deinde puellas ipſas, quæ alias ſemel atque iterum ex aliorum coeobitu pepererant, uxores ducere, Magiſtratuum auctoritate cogantur.

CANON XCIX.

Porro hoc quoque in Armeniorum regione fieri didicimus, quod quidam intus in ſacris Altaribus carnium membra coquentes, fruſta offerunt, Sacerdotibus Judaice diſtribuentes. Quocirca Eccleſiam immaculatam ſervantes, ſtatuimus, nulli licere Sacerdoti ſeparata carnium membra ab offerentibus accipere, ſed iis ſint contenti, quæ offerenti viſa fuerint, ejuſmodi oblatione facta extra Eccleſiam. Siquis autem hoc non fecerit, ſegregetur.

COMMENTARIUS.

I. Senſum Canonis hujus poſt Zonaram Theodorus Balſamon hiſce verbis expreſſit: *Quoniam didicere ſancti Patres, quod in Armeniorum regione per animalia quidem non fiunt ſacrificia, ſed carnium partes intra Altare coquuntur, & ex iis fruſta quædam, ſcilicet membra ſeparata, pedes forte, & caput, vel aliquid ejuſmodi Sacerdotibus more Judæorum offerunt: ſtatuerunt, nec in Altari carnium membra coquere, nec extra ipſum tales ſeparatas partes Sacerdo-*

cerdotibus afferre ex antiqua consuetudine oportere, sed ejusmodi cessare, & Sacerdotes a Laicis oblationem suscipere debere, in quibuscumque rebus, & generibus ipsi voluerint. Eam quidem consuetudinem, quippe Judæorum mores adhuc redolentem (apud Hebræos etenim quicumque sacrificaverant, ex mactato animante pectusculum, aliasque ejusdem animantis particulas non sine ratione, latentisque Mysterii significatione Sacerdotibus offerebant) Canon damnat, ac carnes quidem in Ecclesia coquere, aut in eadem Ecclesia illas Sacerdotibus offerri vetat; promiscue vero quæcumque demum offerentes maluerint, extra Ecclesiam offerendi, idque prorsus inveterati apud Armenios ipsos moris habita ratione potestatem facit.

II. Armeniorum de ea re ritum, sive potius errorem latius exponit S. Nicon Monachus in libello, quem de pessima ipsorum Religione edidit: *Armenii*, inquit, *omnia fere, quæ sunt abolita, legalia adhuc peragunt. Agnum enim magno Dominico*, idest die Paschatis, *sacrificant, & limina inungunt, & ejus ossa comburentes, servant cinerem cum sanguine in signum expiationis; & velum ante Altare statuunt, & tintinnabula ipsi, vel Altari appendunt*. Idipsum de Armeniis ipsis refert Nicephorus Lib. XVIII. *Historiæ*, Cap. LIII. Agni Paschalis, & aliarum item carnium benedictionem, uti & plures ritus alios laudatam in Ordine antiquo Romano a S. Gregorio Magno, & Apostolica Sede acceperunt quidem Armenii; istum autem Judaicum de Agno abusum partim a Jacobitis, a quibusdam partim Latinis Ecclesiis, de quibus in Libro de rebus Ecclesiasticis Walafridus Strabo hæc habet Cap. XVIII. *Quorumdam simplicium error de Judaicarum superstitionum seminario natus, & ad nostra usque tempora, quædam vetustatis extendens vestigia, jam ex magna parte sapientum studio compressus est. Et sicubi adhuc perniciosum hujus pestis germen revirescere fuerit comprobatum, mucrone spiritali radicitus est amputandum. Illum dico errorem, quo quidam Agni carnes in Paschate juxta, vel sub Altari ponentes, benedictione propria consecrabant, & in ipsa Resurrectionis die ante cæteros corporales cibos de ipsis carnibus percipiebant. Cujus benedictionis series adhuc a multis habetur*.

III. Usitata quidem fuit, & etiamnum hodie probata ejus formula in Ordine Romano servatur Agni Paschalis benedictio; sed ritum hoc Canone expressum Judaismum redolentem numquam agnovit, aut probavit Ecclesia, queriturque merito Nicolaus I. Pontifex Maximus in Epistola LXX. ad Episcopos Galliæ, quod Græci Schismatici ejus erroris Ecclesiam Latinam arguerent: *Mentiuntur*, inquit, *nos Agnum in Paschate, more Judæorum super Altare pariter cum Dominico corpore benedicere, & offerre*. Id quod etiam in Epistola XVI. edicit his verbis: *Quod super Altare una cum corpore Christi offeratur Agnus tempore Paschatis, est manifesta calumnia*. Non negat Agni benedictionem, in die Paschatis ex antiquissima consuetudine tum apud Latinos, tum apud Græcos fieri solitam, sed eam refellit calumniam a Græcis Latinæ Ecclesiæ impositam, quod nempe Agnum in Paschate ritu Judaico super Altare cum Dominico corpore benedicere solita esset, & offerre.

IV. Ritum antiquum Ecclesiæ Latinæ exponit quidem his verbis vetus Ordo Romanus, apud quem ita legimus: *Post celebratam Dominicæ sanctæ Paschæ solemnitatem, post etiam transactos jejuniorum dies, jam animabus spiritualibus dapibus refectis, de mensa tuæ Majestatis, offerimus famuli tui pro fragilitate corpusculi aliquantulum reparandi, hanc usui nostro concessam creaturam Agni: poscentes, ut eum ore proprio nobis signantibus benedicas, & omnibus ex eo sumentibus ministrata munuscula, grata effici præstes; atque nobis cum gratiarum actione perceptis, te Deum, qui es cibus vitæ, & animæ nostræ, magis, & inhianter desideremus, & indefesse fruamur*. Observatum passim hunc morem commendat vetus Missa ex ms. Ratoldi Abbatis Corbejensis Codice ab Hugone Menardo edita, in suis Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ; ubi infra Canonem antequam dicatur, *Per quem hæc omnia*, legitur *benedictio carnis*, quæ etiam occurrit in Ordine antiquo Romano, estque hujusmodi: *Deus universæ carnis, qui Noe, & filiis ejus &c.*, & in hodierno Romano Missali, peculiaris Titulus, qui inscribitur, *Benedictio Agni Paschalis*, estque hujusmodi: *Deus, qui per famulum tuum Moysen in liberatione populi tui de Ægypto Agnum occidi jussisti in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, & utrosque postes domorum de sanguine hujus Agni perungi præcepisti: ita bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus per Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, & regnat in secula seculorum*. ℟. *Amen*. Mos hodiernus ille est, ut benedicatur quidem in die Paschatis Agnus, sed non in Altari, vel Ecclesia, verum in privatis domibus a Presbyteris.

V. Neque vero Latini solum, verum etiam Græci piam Christi Agni pro expiandis mundi delictis in Paschate crudeliter occisi ex Agni carnibus Ecclesiæ benedictione sanctificatis memoriam recolentes, cibum in die Paschatis sacro sumendum in spiritalis lætitiæ argumentum præparant: Extat iccirco in eorum Euchologio a Viro Clarissimo Jacobo Goar edito peculiaris benedictio, quæ inscribitur: *Oratio ad benedicendas carnium escas sancto & magno die Paschæ*. Ubi postquam dictum ter fuerit, *Christus surrexit*, tum vero: *Dominum precemur*, hæc oratio sequitur: *Respice Domine Jesu Christe hæc carnium edulia; & velut Agnum a fideli Abraham tibi oblatum, vel Abel holocaustum, vel etiam vitulum saginatum, ob filium errantem, deinde reducem occidi jussisti; ut sicut ille tua gratia perfrui dignus fuit, ita nobis in nutrimentum nostrum a te sanctificatis, & benedictis perfruamur. Tu enim es verus cibus, & omnium bonorum largitor: & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui; nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen*.

VI. Tandem in eodem Goarii Euchologio extat hæc alia oratio pro Agnum offerentibus: *Domine Deus Patrum nostrorum, qui Abrahæ holocaustum pro Isaac filio ejus suscepisti: ipse Domine etiam Agni hujus oblationem suscipe, & offerentes æternis tuis remunera bonis. Gratia Unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es in secula seculorum*. Neque solum Agni carnes benedicunt hodie Græci, sed sicut Latini, caseum quoque, & ova, uti constat ex Oratione ad caseum, & ova ipsa benedicenda apud laudatum Goar, his verbis concepta: *Dominator Domine Deus noster, Creator, & Opifex omnium, lac istud coagulatum, & eum*

ee

es pariter ova benedic, & nos in tua benignitate conserva: ut ex iis degustantes, tuis copiose nobis exhibitis donis, & inexplicata tua bonitate replemur, Quia tua est potestas, & virtus, & Gloria, Patris, & Filii, & Sancti Spiritus: nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Qui plura in hasce orationes desideras, legat egregias Notas, quibus ipsas adornavit Goar eruditissimus.

CANON C.

Oculi tui recta aspiciant, & omni custodia serva cor tuum, jubet Sapientia. Corporis enim sensus se facile in animam effundunt. Picturas ergo, quæ oculos perstringunt, sive in tabulis, sive quovis alio modo fiant, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatem movent incendia, nullo modo deinceps exprimi jubemus. Siquis autem hoc facere aggressus fuerit, deponatur.

COMMENTARIUS.

I. Laudat hunc nostrum Canonem magnus ille Ecclesiæ Mediolanensis Antistes Sanctus Carolus Borromæus in Concilio suo Provinciali Mediolanensi III. Titulo, *De iis quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum, & Clericorum honestatem*, ubi postquam statuit, ut si in hortis, ædibus, aliisve Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum hominum locis, signa, imagines, aut picturæ sunt, quæ procaces, vel ullo alio modo aliquam obscenitatis, turpitudinisve speciem præseferant, ita reconcinnentur, ut offensionem oculis ne præbere possint, aut tollantur, deleanturve ex omni loco, ubicumque extant; neque inposterum ejusmodi aliquo modo effingantur, aut pingantur; tum hæc subdit: *Et quoniam Christianorum hominum mentes facile corrumpuntur peccandi libidine inflammatæ ob rerum turpium, atque obscœnarum imagines, ideo illas effingi vetitum Constantinopolitanæ Synodi Canone.* Hunc ergo ipse S. Carolus Canonem novo vigore muniens, & illud jubet: *Itaque curet Episcopus, ut quicumque Laici homines habent, vel tabulis, vel parietibus expressas, pro pietatis Christianæ, cui addicti esse debent studio, eas abjiciant, vel plane deleant, vel ad honestatem reconcinnent*.

II. Porro picturas, quarum aspectus ad voluptates, facta obscena, flagitiosasque libidines excitaret, quocumque loco Canon noster Trullanus, ad quem memorata Mediolanensis Synodus allusit, quocumque quidem loco adhiberi vetat, ac repetito etiam ex sacris literis testimonio, quæ externis sensibus, oculis nimirum, aut auribus usurpamus, in animum facile transfundi, hoc est insinuari, atque immitti docet. Hinc istiusmodi picturas etiam in Gentilium, adeoque longe magis in fidelium ædibus sancti Patres, ac sacræ Synodi passim damnant. Adolescentem quendam aspectu tabulæ, quæ Jovem per imbrem aureum in Danaes gremium illapsum adumbrabat, ad libidinem se concitasse, & Jovem ad exemplum stupri sibi proposuisse ex Terentio in Eunucho refert S. Augustinus Lib. I. Confessionum, Cap. XVI, Num. II. & Lib. II. *De Civitate Dei*, Cap. VII. ubi ita inquit: *Hinc apud Terentium flagitiosus adolescens spectat tabulam quandam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc, Jovem quo pacto Danae misisse ajunt in gremium quondam imbrem aureum; atque ab hac tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudini suæ, cum in ea se jactat imitari Deum.* Danae formosa Virgo a patre Aerisio servabatur in turri, nec ulli virorum ad eam erat accessus: quam Juppiter cum adamaret, aurea pluvia per impluvium turri illapsus vitiavit: hoc est muneribus aureis, quibus nihil est satis occlusum atque obseptum, & ipsius Virginis, & custodum animos vitiavit.

III. Quanta ad turpes ipsas rerum illecebras, inflammandosque hominum animos, vis sit in imaginibus, quæ aliquam turpitudinis speciem præseferunt, exponit S. Joannes Chrysostomus in Psalmum centesimum decimum tertium, ita inquiens: *Dæmon nudæ quoque figuræ assidet. Et nunc quidem statuæ sunt imagines fornicationis, nunc insani in masculos amoris. Quid enim sibi vult Aquila? Quid vero Ganymedes? Quid Apollo, qui Virginem persequitur? Quid aliæ execrandæ figuræ? Ubique libido, ubique lascivia nefariorum concubituum, & insanorum amorum sunt ubique figuræ.* Rem formidabilem Carthagine factam refert apud S. Prosperum Auctor librorum, *De divinis promissionibus* Lib. III. Cap. VI. his verbis: *Quædam juvencula*, inquit, *Arabs natione, ancillæ Dei habitum gestans, cum in balneo lavans, simulacrum quoddam Veneris respiceret, & seipsam, eique se consimilans, domicilium se diabolo præbuit.* Ab ipso scilicet apprehensa fuit, & possessa.

IV. Christiano nomine indignos illos esse, & ad Gentilium mores deflectere, qui impudicas imagines apud se retinent, aut libidinosis oculis intuentur, probat insignis, ac prolixus S. Clementis Alexandrini locus in Oratione adhortatoria ad gentes, ubi Pagina mihi 24. ita loquit: *Siquis picturas, & imagines obiens contempletur, ex turpibus, ignominiisque, ac dedecore plenis figuris, vestros Deos statim agnoscet. Dionysum ex amictu, Vulcanum ex arte, Cererem ex calamitate, Ino ex vitta, Neptunum ex tridente, Jovem ex Cygno, Herculem autem ostendit pyra; & siquis nudam viderit depictam mulierem, auream Venerem intelliget.* Tum notandum quammaxime, quod statim subjicit: *Sic Pygmaleon ille Cyprius eburneam amavit statuam, erat ea simulacrum Veneris, & erat nudam. Vincitur figura Cyprius, & coit cum imagine. Id autem scribit Philostephanus. Venus autem alia in Cnido erat lapis, & erat pulcra, alius eam amavit, & cum lapide Veneris habet consuetudinem, ut refert Posidippus: prior quidem in opere de Cypro, alter vero in Opere de Cnido. Tantum ars valuit ad decipiendum, quæ homines amori deditos illexit in barathrum.*

V. Ad-

V. Addit & alia exempla, ac deinde pergit sic Pagina 25. dicens: *Sed hæc non cogitat vulgi magna pars, sed pudore, & metu omni abjecto, domi depingunt turpes dæmonum in Venerem pruritus, & titillationes. Depictis enim quibusdam tabellis sublime appensis mentem adbibentes, thalamos ornarunt impudicitia, intemperantiam existimantes pietatem, & in cubili decumbentes, in ipsis amplexibus Venerem illam nudam respiciunt, quæ vincta est propter complexus; & ad Ledam advolantem avem, quod sit mulierum amans, probantes, & admittentes, in annuli palla imprimunt picturam, utentes signaculo conveniente Jovis impudicitiæ. Hæc sunt mollis, & delicatæ vitæ vestræ exemplaria, hæc sunt Theologiæ probri, & petulantiæ plenæ. Hæ sunt doctrinæ Deorum, qui una vobiscum fornicantur. Nam quod quilibet vult, hoc etiam putat, ut ait Orator Atheniensis.* Mox recensens alias Impudicas imagines, quibus gentiles ad illecebras, atque ad adulteria inflammabantur, ita adversus eosdem invehitur: *Cujusmodi autem sunt aliæ quoque vobis imagines? Panisci quidam, & nudæ puellæ, & Ebrii Satyri, & membrorum erectiones, quæ picturis nudantur, convictæ proficisci ab intemperantia. Jam vero totius libidinis, & impudicitiæ figuras aperte descriptas publice intuentes, non erubescitis, sed potius positas erectasque custoditis, perinde ac si Deorum vestrorum imagines impudentiæ columnas domi consecraveritis, figuras, gestusque Philænidis æque depingentes, atque certamina Herculis. Horum non solum usus, sed etiam aspectus, & auditus, deponendam esse memoriam, vobis annunciamus. Scortatæ sunt aures vestræ, fornicati sunt oculi, & quod est magis novum, ante complexum vestri adulterium admiserunt aspectus.*

VI. Placuit aureum hunc, & prolixum locum doctissimi hujus, ac zelantissimi Patris describere, quo aperte non modo Gentiles, sed & Christiani homines, ac etiam Clerici sugillantur, quorum non pauci domibus suis, ac villis antiquas æque, ac recentiores, nudas, & impudicas statuas, retinent, adeoque id genus figuris, atque imaginibus delectantur, ut in cubilibus easdem non modo, sed & thecis, atque horologiis parvis quæ gestant, effingi, aut sculpi in suæ, & aliorum animarum perniciem non vereantur. Alienus ab iis Impudicitiarum amatoribus fuit sane Sidonius Apollinaris Arvernensis in Gallia Episcopus, qui Libro II. Epistola II. ad Domitium suas rusticanas ædes describens, ita inter alia inquit: *Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis prostat historia, quæ sicut ornat artem, sic devenustat artificem. Absunt ridiculi vultu, & vestibus histriones pigmentis multicoloribus Philistionis supellectilem mentientes. Absunt lubrici, tortuosique pugillatus, & nexibus Palæstritæ: quorum etiam viventium luctas, si involvantur obscenius, casta confestim Gymnasiarchorum virga dissolvit. Quid plura? Nihil illis paginis impressum reperietur, quod non vidisse sit sanctius.*

VII. Quamquam vero tum Patres, tum Synodi rerum turpium, & obscænarum imagines effingi, atque a Christianis retineri prohibeant, viguit tamen, vigetque adhuc, uti dictum est, abusus; etenim quod in Monasteriis ipsis, ac Clericorum domibus id genus picturæ observarentur, prohibuit id quidem Bajocensis Synodus anni circiter MCCC. habita, Can. XXVIII. ubi ita ait: *Etiam picturæ*, inquit, *in Monasteriis depictæ, sive aliis sacris locis, aut in domibus Clericorum insculptæ, quæ possunt ad lasciviam incitare, sine mora penitus deleantur, sed & ne talia de cetero præsumantur, firmiter inhibemus.* Concilium quoque Mediolanense V. Parte I. Tit. *De his quæ ad sacramentalia, & sacramenta generatim pertinent*, præscribens quæ a patribusfamilias præstanda sunt, cum illorum ædes a Parocho solemni ritu benedicuntur, statuit jam inter alia, ut *imagines obscenas, & turpes incendant: profanas vero, quæque ad inanem voluptatem alliciunt, amovere studeant.*

VIII. Jam quod pœnas spectat iis inflictas, qui impudicas imagines apud se retinent, Ecclesiæ Bisuntinæ Statuta Synodalia, Rituale Bituricense anni MDCLXVI. & Statuta S. R. E. Cardinalis Grimaldi Aquensis Episcopi iis absolutionem sacramentalem impendi vetant, qui imagines obscenas apud se retinent, nec delere, aut ad honestam formam reconcinnare volunt; nec non iis, qui illas effingunt, aut vendunt. Ipsos pictores reos præsertim esse lætalis peccati, docent Theologi passim; timendumque porro est, ne de obscenarum Imaginum auctoribus dixerit Sanctus Basilius, nempe, *quorumdam esse peccata, quæ etiam post actionem ita sobolescunt, ut novos indies, pessimos effectus procreent.* Viderint ergo pictores, ne suo malo discant, quid sit, quod Dominus ait Matthæi Cap. XVIII. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Porro noster Trullanus Canon picturas fieri prohibens, quæ ad turpes libidines illiciunt, eos qui illas faciunt, excommunicari jubet. Id enim quæ in ipsius Canonis calce legitur vox ἀφορίζεσθαι, significat, non vero *depositionem*, ut Latinus Interpres vertit. Quam pœnam solent Græci Canones exprimere per verbum καθαιρεῖσθαι, solosque hac censura Clericos plectere, ut scite docet Cabassutius in sua ad hunc Canonem Nota. Cui inter alios patrocinatur Zonaras, qui in suo ad eumdem Canonem Scholio ait, eos, qui obscenas picturas efformant, ex laudato Canone *segregatione puniendos esse*, juberi.

C A N O N CI.

Corpus Christi, & templum, hominem ad imaginem Dei creatum, divinus magna voce appellat Apostolus. Omnem ergo sensibilem creaturam superans, is qui salutari passione cælestem dignitatem est assequutus, Christum bibens, vel comedens, æternæ vitæ adaptatur, animam, & corpus divinæ gratiæ participatione sanctificans. Quare siquis immaculati corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, & offerre se ad communionem, manus

in

in Crucis formam figurans sic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim, qui ex auro, vel ex alia materia quædam loco manus receptacula efficiunt ad divini muneris susceptionem, & per ipsa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, ut qui inanimatam subjectamque materiam Dei imagini præferant. Siquis autem deprehensus fuerit immaculatam communionem iis impertiens, qui ejusmodi receptacula afferunt, & ipse segregetur, & is qui affert.

COMMENTARIUS.

I. Ritus accipiendæ Eucharistiæ communionis in manus, nostro hoc Canone Trullano præscriptus, est plane antiquissimus tam in Ecclesia Latina, quam Græca. Meminit ejus ritus Tertullianus in Libro, *De idololatria*, Cap. VII. ubi exclamans adversus Christianos ab idolis ad Ecclesias euntes, ingemit, illos eas *manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt*: quæ scilicet idola gentibus fabricant. *O manus præcidendæ*. Clarius eumdem ritum exprimit in Epistola sua LVI. ad Thibaritanos de exhortatione Martyrii S. Cyprianus, ita inquiens: *Armemus & dexteram gladio spiritali, ut sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur*. Alia Cypriani loca affert Pamelius Lib. I. Liturgicorum, & post eum Joannes S.R.E. Cardinalis Bona Lib. II. Cap. XVII. ubi variis Sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum auctoritatibus antiquum ejus ritus usum ostendit.

II. Ut autem ex innumeris pene, quæ extant, aliqua alia afferamus veterum testimonia, insignis est locus ille S. Augustini Lib. II. contra literas Petiliani, Cap. XXIII. ubi loquens de Optato Gildoniano Thamugadensi Donatistarum Episcopo, ita ad rem inquit: *Illum commemoro, qui vobiscum vixit, cui pacis osculum inter sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis, cui vicissim danti manus porrigebatis*. Idem de eodem Lib. II. adversus Parmenianum, Cap. VII. *Accedebat*, inquit, *dona offerre Deo, & ab eo ceteri conjunctis manibus accipiebant*. Augustino adjungi potest S. Ambrosius, qui ad eum alludens morem recipiendæ Eucharistiæ in manus, apud Theodoretum Lib. V. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XVII. ita Imperatorem Theodosium ob cædem Thessalonicam increpabat: *Quomodo manus extendes injustæ cædis sanguine adhuc stillantes? Quomodo hujusmodi manibus, Domini corpus accipies?*

III. Nunc Patres audiamus Græcos, inter quos Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Sixtum I. Romanum Pontificem, apud Eusebium Lib. VII. *Ecclesiasticæ historiæ*, Cap. IX. agens de quodam ab hæreticis baptizato, qui reconciliatus Catholicæ Ecclesiæ, ejus baptismum postulabat, ait: *Ego eum, qui ad sacram mensam astiterit, & manus ad suscipiendam sacrum cibum porrexerit, renovare non ausim*. S. Chrysostomus Homilia XXI. ad populum Antiochenum, ita inquit: *Cogita quid manu capias, & ipsam ab omni avaritia, & rapina liberam conserva. Reputa, quod non tantum manu capias, verum & ori admoveas, & linguam custodi a contumeliosis, & turpibus verbis mundam*. Idem præterea, ut alia ejus loca omittam, Lib. III. *De Sacerdotio*, ad eumdem alludens ritum, ait: *Qui cum Patre sursum sedet, omnium manibus continetur*. Concinit his S. Basilius in Epistola CCLXXXIX. ad Cæsariam Patriciam, ubi hæc habet: *Nam & in ipsa Ecclesia Sacerdos partem aliquam*, Eucharistiæ, *in manus tradit, & illam apprehendit qui percipit cum omni libera potestate, atque ita suis propriis manibus eandem suo ori admotam ingerit*.

IV. Accipiebant ergo Fideles communicaturi in manibus Eucharistiam, & deinde ipsimet illam ori admovebant suo. Id quod etiam inter alios tradit S. Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus Catechesi XXIII. Mystagogica V. quæ est de sacra Liturgia, ubi Num. XXI. sic loquit: *Adiens igitur, ne expansis manuum volis, neque disjunctis digitis accede; sed sinistram velut thronum subjiciens dexteræ, utpote Regem suscepturæ; & concava manu suscipe corpus Christi, respondens*: Amen. *Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe; advigilans nequid ex eo tibi depereat: quod enim intercidere patieris, id tamquam ex propriis membris deminutum puta &c.* Deinde Numero XXII. de Sanguinis sumptione ex Calice agens, ita subjicit: *Tum vero post communionem Corporis Christi, accede & ad Sanguinis poculum: non extendens manus, sed pronus, & adorationis, ac venerationis in modum, dicens*, Amen, *sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et quum adhuc labiis tuis adhæret ex ea mador, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliquos sensus sanctificans*: Et tandem: *Postremo expectans orationem, gratias age Deo, qui te tantis mysteriis impertire dignatus est*.

V. Plura sunt, quæ in hoc S. Cyrilli testimonio observemus, ac I. quidem, cum viguisse aliquando morem, ut communicaturi ad ipsum Altare accederent, ut constat ex illo verbo, *Adiens*, & ex Catechesi XVIII. ejusdem Cyrilli, ubi Numero XXXII. communicaturos ad sanctum Dei Altare accessuros esse ait. Id de Ecclesia Antiochena patet ex S. Ignatio in Epistola ad Ephesios, & ex variis S. Chrysostomi locis. De Alexandrina ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. IX. De Africana ex Tertulliano in Libro, *De oratione*, Cap. XIV. De Gallicana ex Gregorio Turonensi Lib. IX. *Historiæ* Cap. III. De Germanica ex Concilio Moguntino relato in Cap. I. *De vita & honestate Clericorum*, ubi postquam edixit, partem illam, quæ cancellis ab Altari dividitur, tantum psallentibus patere Clericis, ita mox subjicit: *Ad orandum vero, & communicandum, Laicis, & feminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum*. Præceptum tamen nonnullis in locis jam etiam antiquitus fuit, ut soli Altaris ministri intra cancellos communicarent, uti constat ex Canone XIX. Concilii Laodiceni, & ex S. Augustino, Sermone CCCXCII. ex quo addiscimus, ejus ævo in Africa ad cancel-

los populo consuevisse communionem præberi.

VI. Observandum secundo est, acceptam olim communionem non disjunctis digitis, sed manu utraque concava in modum Crucis, ita tamen, ut sinistra veluti sedes quædam dextræ subjiceretur, quæ susceptura Eucharistiam erat, ut inde ori admoveretur, uti innuit etiam noster Canon Trullanus, quem exponens Zonaras, qui Seculo XII. florebat, sic inter alia inquit: *Siquis interea dum sacra synaxis peragitur, immaculatum corpus suscipere amet, exporrectis, atque in Crucis modum conformatis manibus procedat, ac ita demum gratiæ communionem, quam Christus nobis ad animum sanctitate imbuendum donavit, accipiat*. Jam longe ante Zonaram viguisse apud Græcos eum ritum, constat non modo ex nostra Trullana Synodo labente Seculo VII. celebrata, sed & S. Joanne Damasceno Lib. IV. *De Fide Orthodoxa*, Cap. XIV. ubi ita inquit: *Accedamus ad eum desiderio ardenti, manus in Crucis modum formantes, Crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes communioni oculos, labia, & frontem, divini carbonis fiamus participes: ut ignis desiderii, qui in nobis est, ex eo carbone accendatur, & comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini illius ignis igniamur, & deificemur*.

VII. Præterea observandum est tertio, Fideles olim cum Eucharistiam de manu Sacerdotis acciperent, postquam Presbyter tradendo dixerat: *Corpus Christi*, respondere solitos fuisse: *Amen*. Hunc ritum disertis verbis tradit Augustinus Sermone CCLXXII. novæ editionis, dicens: *Audis: Corpus Christi, & respondes: Amen*. Item Auctor Librorum, *De Sacramentis*, apud S. Ambrosium Lib. IV. Cap. V. ubi ita ait: *Ergo non otiose cum accipis, tu dicis*, Amen: *jam in spiritu confitens, quod accipias Corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos*: Corpus Christi; *& tu dicis*: Amen, *idest verum*. Hinc S. Hieronymus ad Pammachium scribens adversus errores Joannis Jerosolymitani, *Qua*, inquit, *conscientia ad Eucharistiam Christi accedam, & respondebo*, Amen, *cum de caritate dubitem porrigentis*. Respondisse etiam *Amen* Fideles, cum juxta veterem morem etiam Sanguinem Christi ex Calice sumebant, memoratus etiam Cyrillus tradit.

VIII. Illud quod quarto observandum est, constat etiam ex superius recitato S. Joannis Damasceni loco: admonet enim non tantum os, sed oculos, & frontem divinæ Eucharistiæ manu apprehensæ admoveri; quia videlicet preces communioni prævias, dum qua possunt devotione recitant inclinati, in manu modo frontem, modo oculos solent illa contingere. Id quod perspicue tradit laudatus Cyrillus, ubi ait: *Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris illud percipe*.

IX. Ex veteri more, & quidem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis usque ad XII. Seculum, post communionem Christi Corporis, datum etiam fuisse Fidelibus Sanguinis poculum, diserte ostendit inter alios Jueninus in Opere *De Sacramentis*, Bona, Lupus, Martenius, & alii eruditissimi Auctores passim. Observandum itaque sexto, stando, non genuflexo, ut hodie fit, acceptam olim fuisse Eucharistiam; id enim expresse docet Cyrillus, ubi de modo illam accipiendi loquens, ait: *Pronus, & adorationis, ac venerationis in modum dicens*, Amen, *sanctificeris, ex Sanguine Christi quoque sumens*. Male Bellarminus hunc locum in Controversiis suis recitans, verbum illud *pronus*, vertit *genuflexus*. Stantes autem, non vero genuflexos, communicasse priscis seculis Fideles tum Latinos, tum Græcos, probat Habertus in Notis ad Pontificale Græcorum Pag. 270. Henricus Valesius in Notis ad Eusebii Historiam Lib. VII. Cap. IX. & Joannes Thiersius in Gallica Dissertatione, *De Altaribus*. Idemque a Monachis olim actitatum esse, ostendit Martenius in Commentario ad Regulam S. Benedicti Cap. XXXV. Sane ad demonstrandam tam corporis, quam animæ majorem reverentiam erga SS. Eucharistiam, Veteres quidem, ut scribit Sanctus Odo Abbas Cluniacensis Lib. II. *Collationum*, Cap. XXVIII. *ad divinum Mysterium qui participare debebant, discalceatis pedibus accedebant*. Ex humiditate demum Sanguinis Christi labiis adhærente sensus suos consuevisse Fideles sanctificare, est & ea res digna observatu. Ait enim S. Cyrillus: *Et cum adhuc labiis tuis adhæret ex eo mador, manibus adtingens, & oculos, & frontem & reliquos sensus sanctifica*. Tum etiam subdit, expectandam esse orationem, qua Synaxis concludebatur, gratiasque Deo agendas, quod tantis Fideles impertire mysteriis dignatus est.

X. Porro apud Latinos, de accipienda manu Eucharistia, illud viros inter, & mulieres discrimen fuit, quod viri nudis quidem manibus, sed lotis, mulieres linteo Eucharistiam ob Sacerdotis haud dubie indemnitatem, excipiebant. Sic statutum legimus in Concilio Antissiodorensi anni DLXXVIII. Can. XXXVI. *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere*. Et Can. XLII. *Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat: quod si qua non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet*. S. Augustinus Sermone CCLII. De tempore, sive S. Cæsarius Sermone CCXXIX. in Appendice novæ editionis Operum S. Augustini, testis est quidem locupletissimus ejus ritus, ita inquiens: *Omnes viri quando communicare desiderant, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi Christi corpus accipiant. Non est grave quod dico. Quomodo viri lavant manus suas, sic eleemosynis lavent conscientias suas. Similiter & mulieres, quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant: sic corpus castum, & cor mundum exhibeant, ut cum bona conscientia Christi sacramenta suscipiant*. Erat ergo Dominicale, cujus meminit Antissiodorensis Synodus, linteolum mundum, quo tectæ manui mulieris Eucharistia præbebatur, ne minima occasio ad turpia cogitanda Sacerdoti daretur ob contactum nudæ mulieris manus.

XI. An tandem illud discrimen in communione virorum, ac mulierum apud Latinos servatum, a Græcis quoque servatum fuerit, non ausim affirmare. Licet enim de eo discrimine laudati hactenus Patres Græci sileant, ac præterea Canon noster Trullanus dicens nudam manum alia quavis materia, instrumentoque pretioso digniorem esse, aperte idcirco etiam mulieribus & quidem sub pœna excommunicationis vetet ad Eucharistiam accipiendam, aureis, aliave ex materia confectis uti instrumentis, tamen, ut testis est Cabassutius in sua ad hunc Canonem Nota, Maximus Martyr, & Monothelitarum debellator admonet communicaturos viros, ut prius manus abluant, mulieresque, ut linteamina mundissima

desc-

deferant, ubi Christi corpus accipiant. Fuit hic patria Constantinopolitanus, suumque martyrium feliciter consummavit anno DCLVII. uti ad eum annum videre est apud Cardinalem Baronium.

XII. Denique quod nonnisi lotis manibus, ac facie accederent olim ad communionem Fideles, tradit S.Chrysostomus Homilia LII. in Matthæum, & Homilia cccxv. in Epistolam Pauli ad Ephesios. Hinc & S. Augustinus Sermone XVII. novæ editionis, scribens in ea Orationis Dominicæ verba: *Dimitte nobis debita nostra*, ait: *His verbis lota facie ad Altare accedamus, & his verbis lota facie corpore Christi, & Sanguine communicemus.* Idem de lotione manuum tradit Anonymus Auctor in ms. Sermone, *De dedicatione Templi*, apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. Num. VII. *Certe fratres quando in Ecclesiam intrare, & communicare volumus, prius manus nostras abluimus.* Eadem ratione mundissimas cultioresque corporis vestes ea etiam occasione induisse aliquando Fideles, docet nos egregium exemplum, quod de ea re legimus in Vita S. Jonæ Monachi in Ægypto apud Bollandum die XI. Februarii, quod scilicet *habebat unum lebitonem, quo induebatur tempore divinorum, & intemeratorum Sacramentorum corporis Domini nostri Jesu Christi, & cum communicasset, eum rursus exuebat, & reponebat, mundam servans octoginta quinque annos.* Alia id genus exempla occurrunt non pauca in Ecclesiastica Historia.

C A N O N CII.

Oportet autem eos, qui solvendi, & ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus qui peccavit, ad conversionem promtum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam; ne si in utroque immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, salute excidat. Non enim simplex est morbus peccati, sed varius, & multiformis, & multas incommodi propagines germinans, ex quibus malum multum diffunditur, & ulterius progreditur, donec viribus medentis sistat. Quare qui medicinæ scientiam in spiritu profitetur, oportet, eum primum ejus, qui peccavit, affectionem considerare, & sive vergit ad sanitatem, sive contra propriis moribus provocat in se morbum, adspicere, quomodo ejus, quæ intercedit, vitæ rationis, conversionisque curam gerat: & si artifici non reluctatur, & ulcus animæ auget, per impositorum medicamentorum adjectionem, & sic misericordiam, prout dignus, impertiri. Omnem enim rationem init Deus, isque, cui pastoralis traditus est principatus, ut errantem ovem reducat, & ei, quod est a serpente vulneratum, medeatur, & neque per desperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ dissolutionem, & contemptum fræna relaxet: sed una quidem omnino ratione, sive per acriora, & adstringentia, sive per meliora, & leviora medicamenta affectioni resistat, & ad ulceris obductionem adnitatur, fructus pœnitentiæ examinans, & sapienter dispensans, & gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur. Nos enim utraque scire oportet, & quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis. In iis autem, qui extrema non admittant, sequi formam traditam, quemadmodum sanctus nos docet Basilius.

C O M M E N T A R I U S.

I. Quum de multis, ac variis pœnarum generibus hucusque Synodus disseruerit, suasque singulis criminibus pœnas vicissim debitas constituerit, hoc demum Canone Episcoporum judicio universa relinquit. Nec vero solum, ut notat Zonaras, de criminibus, graviora ne, an leviora sint, cogitandum, sed eum quoque, qui peccavit, quomodo affectus, atque ad expianda crimina animatus sit, an scilicet ad ea remedia, quæ acrimoniam, acerbitatemque habeant, excipienda sit paratus, an vero curationem mollis, ac segnis animus reformidet, inspiciendum, proque affectionum varietate, diversam curandæ ægritudinis rationem ineundam esse demonstrat; ne duobus forte eodem crimine obstrictis, quorum alter ad luendas peccati pœnas paratus sit, segniorem se alter, ac tardiorem præbeat, qui utrumque curandum suscepit, si solius peccati spectata ratione, eadem utrique remedia curationis adhibeat, aberret longius, ac ægrotanti salutem afferre non ita facile possit.

II. Hæc & longe plura exponit Zonaras in suo Scholio ad hunc Canonem, ex quo illud satis fit manifestum, quanta prudentia, ac scientia non humana, sed divina potius requiratur in Ecclesiarum Præsulibus, & directoribus animarum. In id enim conspirant Synodi passim, ac Patres, ut uno omnes ore fateantur, artem artium esse curam, & regimen animarum. Hinc inter alios S. Gregorius Nazianzenus in suo Apologetico I. in

quo rationem reddit, cur Episcopatu repudiato in Pontum fugerit, inter alia egregia argumenta, quæ affert, eam regiminis difficultatem recenset: *Sed sit sane aliquis*, inquit, *non modo a vitiorum contagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigium evectus: haud equidem video, quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus hujusmodi præfecturam intrepide suscipere queat. Nam profecto ars quædam artium, & scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium maxime varium, & multiplex*. Fuse id ostendit elegantissima comparatione artis medicæ cum curandarum animarum ratione, istamque ait longe esse variis ex causis difficiliorem medicina corporea. Utinam liber ipse Apologetici a sacris Præsulibus quamfrequentissime legeretur, multo vero magis ab iis qui Episcopatum ambiunt, sperandum enim foret, ut sicut illi in Episcopatus fastigio jam constituti non quidem quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi quærerent, ita hi ab onere Angelicis humeris formidando deterrerentur.

III. Ea sane causa fuit, cur anno MDCCXLII. aureos S. Joannis Chrysostomi Libros, *De Sacerdotio*, Notis illustratos in lucem ediderimus, ut nimirum ea lectione & Episcopi ad sua officia instruerentur, & qui Episcopatum ambiunt, ab eo turpi desiderio desisterent. An res pro voto successerit, viderint Episcopi ipsi, & qui ad Episcopatus tantopere anhelant. Certe quanta sit ejus rei difficultas, satis ex hoc nostro Canone addiscere licet; postquam enim dixit varium esse, & multiformem peccati morbum, multasque propagines erroris emittere, ex quibus malum longe lateque diffunditur, hoc est latius evagatur, ac serpit, donec eo usque processit, ut etiam medicinam adhibere cupientis longe superet facultatem; iccirco subdit, primam illam esse debere spiritualis medici curam, ut eum qui peccavit, quemadmodum animo affectus sit, diligenter inspiciat, an ardentius aliquod studium admissa flagitia susceptis in se pœnis vindicandi, salutisque adipiscendæ prodat, an contra morum improbitate morbum suam ipsemet augeat: tum quænam hominis post admissum facinus vitæ ratio, ac modus.

IV. Ait quoque & illud Canon, esse a spirituali Medico considerandum ægrotantis affectum, ut nec eum, qui angusto, pusilloque animo sit, vehementioribus remediis urgeat, ne vulneris molestiam, desperata ab eo curatione, adhuc magis intendat; neque quem asperioribus medicamentis sufficere posse intellexerit, in eo curando facilioribus utatur, ex quo illum pœnæ levitas in eandem vel graviorem noxam rursus impellat, sed esse miserationem unicuique pro meritis impertiendam, hoc est, pro ea, quæ in singulis animi affectio fuerit, ita uniuscujusque miserendum. Et animi quidem abjectioris hominem leviore pœna, magni vero spiritus, graviore puniendum; idque totum misericordiæ tribuendum; ut ab altero quidem squallorem, & sordes abstergat, alterius vero vulnus ne scalpendo adhuc magis exasperet. Omnis siquidem tum ipsius Dei, tum Pastoria animarum cura, & studium in eo positum est, ut errabundas oves in suam stationem revocet, ac serpentis veneno infectis salutarem faciat medicinam, nec vel acerbitate nimia in prærupta desperationis impellat, vel indulgentia, ac remediorum facilitate, habenas quodammodo quasi equo ad lasciviam, solutumque vitæ genus remittat: sed vitiis obsistere, adhibita vel austeritate, vel lenitate, pro ejus, quem curandum susceperit, affectione contendat. Quod quidem ita fiet, si ipsorum pœnitentiæ fructus examinaverit, proindeque hominem ad illustrationis supernæ claritatem, ad Regnum nimirum cæleste vocatum regendum sibi moderandumque suscipiat.

V. Plura quæ in hunc Trullanum Canonem exposuerat Zonaras, Balsamon, aliique, paucis comprehendit Lateranensis IV. Synodus Oecumenica Cap. XXI. ubi ita inquit: *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum*. Hanc regulam jam olim, uti dictum est, tradidera Patres, & Synodi, quorum loca varia affert in suo Decreto Gratianus, ac præsertim ad Causam XXVI. Quæstione VII. Ex quibus omnibus præstantissima pro excipienda confessione præcepta eruuntur, nempe considerandam primo peccati qualitatem, peccatoris pro conversione æstuans desiderium, & morbo convenientem medicinam. II. examinandum, an malum oriatur ex habitu, an ex infirmitate, an ex prava affectione. III. Pastoralis esse officii errantem ovem reducere, ideoque *neque per desperationis præcipitia*, ut ait Canon, *impellat, nec ad vitæ dissolutionem, & contemptum frena relaxet*. Extat sane insignis Epistola increpatoria Sancti Dionysii ad Demophilum Monachum, qui sapientissimum Sacerdotem conviciatus fuerat, quod miseratus fuisset pœnitentis, ipsumque delicta sua cum intimi doloris indicio confitentem, benigne excepisset; recte enim functum hunc Sacerdotem suo ministerio ait, cujus proprium est, plebis ignorantias tolerare, aliorum infirmitates sua ex fragilitate metiri, Christi mansuetudinem imitari, qui summa semper benignitate, & misericordia peccatores ad se venientes complexus est.

VI. Notandum autem quod tandem Canon noster admonet, nempe, illos qui peccatorum confessiones excipiunt scire oportere, *& quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis*. Utraque enim scriptis commendata extant, & ea nimirum quæ summi juris severitas exigit, & quæ temporis opportunitate servata, judicioque adhibito commiseratio postulat, vel quæ consuetudo, mos videlicet hominum, temporis diuturnitate probatus, confirmatusque deposcit. Nam ea quoque instar Legis, cum Sacrorum Canonum Decretis, tum Civilium quoque Legum constitutionibus obtinet. Ex iis autem, quæ pœnarum severitatem antiquis formulis expressam non admittunt, sequendam esse consuetudinem, docet noster Canon auctoritate Magni Basilii. Ceterum tametsi hodie veterum Canonum pœnitentialium usus in impositione pœnitentiarium abolitus sit, multis tamen titulis, eorum notitia perutilem esse iis qui confessariorum munus exercent, docet S. Carolus in Concilio Mediolanensis I. Parte II. Tit. VI. ubi ait: *Confessores Canones pœnitentiales bene noverint*. Et in Concilio Mediolanensi V. Parte III. §. II. ubi præcipit, ut examinandi interrogentur: *An Canones pœnitentiales rite teneant*.

VII. Fructus, qui ex horum Canonum notitia hauriendi sunt non uno loco exposuit, In Præfatione ad Canones ipsos a se editos ita quidem inquit: *Patres decreverunt, quam necessaria admodum*

dum sit Sacerdotibus Canonum pœnitentialium scientia. Etenim si omnia, quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia solum, ac pietate, sed justitia etiam metienda sunt, certe norma hæc a Canonibus pœnitentialibus sumatur oportet. Sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus tam ad culpæ commissæ gravitatem recte dignoscendam, tam ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam Sacerdotes Confessarii dirigantur, aut ibi singula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accurate perpenderint; tum demum pœnitentiam judicio, ac prudentia sua moderentur. Ut vero facilius horum Canonum notitiam haurire possent Confessarii, illos ex variis Conciliis, & Canonum collectionibus juxta Oedinem Decalogi exponi curavit, atque una cum insteuctionibus pœnitentiæ evulgavit. Utinam libeum illum Confessarii omnes ad manus haberent, ac volverent, aliosque sanam doctrinam a Pateibus & Conciliis traditam continentes.

VIII. Idem peæterea Sanctissimus, & Ecclesiasticæ collapsæ disciplinæ reparatoe, postquam alibi monuit, quod in imponenda pœnitentia Confessarius prudens esse debeat, ne forsan aut leviores, aut graviores, & diuturniores, quam oportet, imponat peo remedio non errandi, subjungit: *Ideo Sacerdos Canones pœnitentiales consulet, quibus licet cum prudentia, discretione, & modo, pro pœnitentis contritione, qualitate, statu aliisque circumstantiis, uti debeat, observandi tamen sunt, itaut juxta eos quasi traditam sibi regulam Sacerdos se gerat, prout expedire ei visum fuerit; & quando pœnitentiam Canonum vigore omnino conformem non imponet, eam tamen pœnitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, & leviorem injunctam pœnitentiam ipse ardentius exequatur; motus scilicet ex hodiernæ Ecclesiæ benignitate, qua antiquioris disciplinæ rigor mitigatur.* Hactenus ille.

IX. At vero tametsi benignitate Ecclesiæ mitigatus sit hodie vetus ille in imponenda pœnitentia rigor. Debet hodieque nihilominus satisfactio esse proportinnata cum gravitate criminum, & facultate pœnitentium, idque ex Concilii Tridentini Decreto, Sessione XIV. Cap. VIII. cujus verba hæc sunt: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes pœnitentias injungere.* Vox, *debent*, qua Synodus utitue, nusquam adhibita legitue, ut significetur res, quæ non sit præcepti, sed consilii tantum. Cæterum legendum integeum Synodi laudatæ Decretum, in quo variæ rationes recensentue, ob quas impositio pœnitentiæ peoportionata esse debeat cum criminum gravitate, & pœnitentium facultate, quasque nos jam explicuimus nostro I. Tomo Conciliorum in Appendice ad Canonem XI. Concilii I. Niceni. Utinam Confessarii molles ad Concilii Tridentini veeba eeflectant, ubi ait, Saceedotes, qui convenientes pro qualitate criminum satisfactiones non injungunt, scelerum, quæ pœnitentes in confessione accusaeint, participes fieri.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM

QUI CONCILIO QUINI-SEXTO INTERFUERUNT.

Ex Tomo VII. Labbei Pag. 1394. & seqq.

Imperator per cinnabarim:

Flavius Justinianus fidelis in Christo Jesu Deo imperator Romanorum consentiens omnibus, quæ definita sunt, & ea recipiens, subscripsi.

Locus sanctissimi papæ Romani.

Paulus indignus episcopus Constantinopolis novæ Romæ definiens subscripsi.

Petrus indignus episcopus Alexandriæ magnæ civitatis definiens subscripsi.

Anastasius humilis episcopus sanctæ civitatis Jerusalem definiens subscripsi.

Georgius humilis episcopus Antiochiæ definiens subscripsi.

Joannes indignus episcopus novæ Justinianopolis definiens subscripsi.

Locus Tessalonicensis.

Cyeiacus indignus episcopus Cæsareensium metropolis peimæ Cappadocum provinciæ definiens subscripsi.

Stephanus indignus episcopus Cæsareensium metropolis Asianorum provinciæ definiens subscripsi.

Locus Heracleensis.

Locus Sardiniensis.

Locus Ravennatis.

Locus Corinthii.

Basilius episcopus Gortyniorum metropolis Christo amabilis Cretæ insulæ, & locum tenens totius synodi sanctæ ecclesiæ Romanæ definiens subscripsi.

Stephanus humilis episcopus Ancyræ Christo amabilis metropolis Galatarum provinciæ definiens subscripsi.

Sisinnius gratia Christi Dei nostri episcopus Dyrrhachii metropolis definiens subscripsi.

Peteus indignus episcopus Nicomediensium metropolis Bithyniorum provinciæ definiens subscripsi.

Georgius indignus episcopus Nicæensium metropolis Bithyniorum provinciæ definiens subscripsi.

Joannes indignus episcopus Chalcedonensium meteopolis Bithyniorum provinciæ definiens subsceipsi.

Joannes indignus episcopus Sidoeum metropolis Pamphyliorum peovinciæ definiens subscripsi.

Leontius indignus episcopus Sebastiæ secundæ Aemenioeum provinciæ definiens subscripsi.

Joannes indignus episcopus Amascensium metropolis Hellespontiorum provinciæ definiens subscripsi.

Joannes indignus episcopus Pompejopolis Cilicum primæ provinciæ definiens subscripsi.

Isidorus misceicordia Dei episcopus metropolis Anazarboeum secundæ Cilicum provinciæ definiens subscripsi.

Ma-

Macrobius humilis epiſcopus Seleuciorum Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Juſtinianus indignus epiſcopus Tyanenſium metropolis ſecundæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Sergius humilis epiſcopus Gangrenſium provinciæ Paphlagoniæ definiens ſubſcripſi.

Cyprianus gratia Chriſti Dei epiſcopus Claudiopolis Honorestarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Conſtantinus indignus epiſcopus Piſſinuntenſium ſecundæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Siſinnius humilis eſpiſcopus Stauropolitanorum metropolis Cariæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Elias humilis Epiſcopus Iconienſium metropolis Lycaonum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Antiochenorum metropolis Piſidiæ definiens ſubſcripſi.

Joannes humilis epiſcopus Pergæ Pamphyliorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theopemptus humilis epiſcopus Juſtinianopolitanorum, vel Mociſſenorum metropolis ſecundæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus indignus epiſcopus Phaſiti Lazorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Tiberius indignus epiſcopus Trajanopolitanorum metropolis Phrygum Pacatianorum definiens ſubſcripſi.

Elias humilis epiſcopus Daſimorum metropolis ſecundæ Juſtinianæ definiens ſubſcripſi.

Georgius humilis epiſcopus Uſuſæ Thracum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theognoſtus indignus epiſcopus Pompejopolis Paphlagonum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Stephanus indignus epiſcopus Smyrnenſium metropolis Aſianorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Zacharias miſericordia Dei epiſcopus Leontopolis Iſauriæ definiens ſubſcripſi.

Theopemptus epiſcopus Apamenſius urbis Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Moyſes indignus epiſcopus Theodoriatarum vel Germiatarum Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Siſinnius humilis epiſcopus urbis Mitylenæ Lesbiorum inſulæ definiens ſubſcripſi.

Georgius humilis epiſcopus Selymbriæ urbis Europæorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius humilis epiſcopus Mileſiorum urbis Carum definiens ſubſcripſi.

Theophylactus humilis epiſcopus Methymnenſium definiens ſubſcripſi.

Joannes gratia Chriſti veri Dei noſtri epiſcopus Bithynienſium provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius indignus Cherſonis Dorantis definiens ſubſcripſi.

Theodorus indignus epiſcopus Cotradorum Iſauriæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Epiphanius indignus epiſcopus Enchaitarum Helenopoleos definiens ſubſcripſi.

Georgius indignus epiſcopus civitatis Ænitarum provinciæ Thraciæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Camulianorum civitatis definiens ſubſcripſi.

Mamalus indignus epiſcopus civitatis Meſembrienſium Hæmimontiorum definiens ſubſcripſi.

Paulus indignus epiſcopus civitatis Termenenſium provinciæ Helleſpontiorum definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Abydi provinciæ Helleſpontiorum definiens ſubſcripſi.

Andreas indignus epiſcopus Miletopolitarum provinciæ Helleſpontiorum definiens ſubſcripſi.

Stauracius minimus Adraniæ epiſcopus provinciæ Helleſpontiorum definiens ſubſcripſi.

Andreas peccator Philippi epiſcopus definiens ſubſcripſi.

Silvanus peccator epiſcopus civitatis Lemni definiens ſubſcripſi.

Andreas peccator epiſcopus Amphipolis definiens ſubſcripſi:

Iſidorus minimus epiſcopus civitatis Edeſſenorum definiens ſubſcripſi.

Margarites peccator epiſcopus Stoborum definiens ſubſcripſi.

Paulus peccator epiſcopus civitatis Nyſſæ ſecundæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus indignus epiſcopus civitatis Thermarum ſecundæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Plato minimus epiſcopus civitatis Ciſelſſæ primæ Cappadociæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius epiſcopus Camaches magnæ Armeniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Mamas miſericordia Dei epiſcopus Tiberiadis definiens ſubſcripſi.

Zoetus epiſcopus Chriſtopoleos, ſeu Dioshieri, provinciæ Aſianorum definiens ſubſcripſi.

Paulus indignus epiſcopus civitatis Prineorum provinciæ Aſianorum definiens ſubſcripſi.

Patricius indignus epiſcopus Magnetum primæ ad Mæandrum civitatis Aſianæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Antonius indignus epiſcopus Hypæporum Aſianorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Aneorum Aſianæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius epiſcopus civitatis Palæopolitarum Aſianæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Siſinnius indignus epiſcopus civitatis Nyſſenſium provinciæ Aſianorum definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus civitatis Phocenſium Aſianorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus civitatis Sion Aſianorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Zotius indignus epiſcopus Baretorum provinciæ Aſianorum definiens ſubſcripſi.

Myro minimus epiſcopus Tralleorum civitatis Aſianorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Gregorius indignus epiſcopus civitatis Calanteorum provinciæ Aſianorum ſubſcripſi.

Stephanus indignus epiſcopus Magneſiæ Æmiliorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Gregorius indignus epiſcopus civitatis Euazorum provinciæ Aſianorum definiens ſubſcripſi.

Nicetas peccator epiſcopus civitatis Cydoniorum inſulæ Cretæ definiens ſubſcripſi.

Siſinnius indignus epiſcopus Cherroneſi Cretæ inſulæ definiens ſubſcripſi.

Theopemptus indignus epiſcopus Ciſſami inſulæ Cretæ definiens ſubſcripſi.

Gregorius epiſcopus civitatis Tabiæ primæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Iliopoleos primæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Michael indignus epiſcopus civitatis Aſponæ primæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Andreas miſeratione Dei epiſcopus Mnizenorum

norum civitatis primæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Stephanus indignus epiſcopus Verinopoleos primæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus civitatis Seſtorum Lydorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Anaſtaſius indignus epiſcopus Mænitopoleos Lydorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theodotus miſeratione Dei epiſcopus Aureliopoleos Lydorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Dyſcoliæ civitatis Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Siſinnius indignus epiſcopus Baſilinopoleos Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius indignus epiſcopus civitatis Cadoſeorum Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes minimus epiſcopus Helenopolitarum civitatis Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus civitatis Neocæſareæ Bithyniorum definiens ſubſcripſi.

Simeon indignus epiſcopus Theotocianorum civitatis Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Coſmas indignus epiſcopus civitatis Prænetiorum Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus indignus epiſcopus civitatis novæ Juſtinianæ ſecundæ Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Iſidorus indignus epiſcopus Gordoſervorum civitatis Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Anaſtaſius epiſcopus Linoæ Bithyniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Tates minimus epiſcopus civitatis Colybraſi Pamphyliæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus indignus epiſcopus civitatis Erumnenſium Pamphyliorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Conon miſeratione divina epiſcopus Coraceſii Pamphyliorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius minimus epiſcopus civitatis Sydreorum provinciæ Pamphyliorum definiens ſubſcripſi.

Callinicus Dei gratia epiſcopus Coloniatarum civitatis magnæ Armeniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Photius Dei gratia epiſcopus Chriſti amantis Nicopolitarum civitatis magnæ Armenorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius Dei gratia epiſcopus Jutaleorum civitatis magnæ Armeniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Photius indignus epiſcopus Sebaſtopoleos definiens ſubſcripſi.

Theodorus indignus epiſcopus Amaſeorum civitatis Helleſpontiorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Sergius minimus epiſcopus Andraporum definiens ſubſcripſi.

Photius indignus epiſcopus civitatis Iborenſium Helleſpontiorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius indignus epiſcopus civitatis Zelorum definiens ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus civitatis Curucutes Cilicum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Petrus indignus epiſcopus Zephyrii civitatis primæ Cilicum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Baſilius peccator epiſcopus Epiphaniæ civitatis ſecundæ Cilicum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Paulus indignus epiſcopus Irenopoleos ſecundæ Cilicum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Teodorus minimus epiſcopus civitatis Caſtaulorum definiens ſubſcripſi.

Siſinnius indignus epiſcopus Citidiopoleos definiens ſubſcripſi.

Theodorus epiſcopus Olbæ civitatis Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Paulus minimus epiſcopus...... Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Siſinnius minimus epiſcopus Silvanorum Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Coſmas minimus epiſcopus civitatis Daliſandi Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius indignus epiſcopus Irenopoleos Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Zacharias minimus epiſcopus civitatis Antiochi definiens ſubſcripſi.

Stephanus minimus epiſcopus civitatis Hadraſi Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Petrus indignus epiſcopus Celendereos Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Coſmas miſeratione divina epiſcopus Domitiopoleos definiens ſubſcripſi.

Baſilius miſeratione Dei epiſcopus Ibidinges Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Marcus minimus epiſcopus Zenopoleos Iſaurorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius epiſcopus Abramiaſi primæ provinciæ Armeniorum definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Cucuſi primæ provinciæ Armeniorum definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Fauſtinopoleos ſecundæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Stephanus indignus epiſcopus Saſimorum Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius miſeratione divina diaconus ſanctæ eccleſiæ civitatis Amaſtridis provinciæ Paphlagoniæ, & locum tenens Zoſii ſanctiſſimi mei epiſcopi definiens ſubſcripſi.

Georgius miſeratione Dei epiſcopus Jonopoleos Paphlagonum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Phocas indignus epiſcopus civitatis Dadybrorum definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus civitatis Sororum provinciæ Paphlagoniæ definiens ſubſcripſi.

Georgius minimus epiſcopus Cratiæ definiens ſubſcripſi.

Stephanus minimus epiſcopus Heracliæ civitatis Honoretarum definiens ſubſcripſi.

Narſes indignus epiſcopus Ceraſuntis definiens ſubſcripſi.

Domitius minimus epiſcopus civitatis Polemonii definiens ſubſcripſi.

Salomon indignus epiſcopus Cetanii ſecundæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus indignus epiſcopus Amorii ſecundæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus minimus epiſcopus civitatis Trochnadarum ſecundæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Segermas minimus epiſcopus Horcoſeti ſecundæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius minimus epiſcopus civitatis Synnadorum ſecundæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Eipidius minimus epiſcopus Thermarum ſancti Agapii ſecundæ Galatarum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Ze-

Zemarchus epiſcopus civitatis Sidymorum provinciæ Lycaoniæ definiens ſubſcripſi.

Georgius epiſcopus Hyniandi provinciæ Lyciæ definiens ſubſcripſi.

. Theodorus epiſcopus civitatis Arazorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus Tlsttæ provinciæ Lyciæ definiens ſubſcripſi.

Zenss minimus epiſcopus civitatis Pinarii provinciæ Lyciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius minimus epiſcopus Xanthi definiens ſubſcripſi.

Theopemptus epiſcopus civitatis Trotolyceæ provinciæ Cariæ definiens ſubſcripſi.

Georgius indignus epiſcopus civitatis Hylarimorum provinciæ definiens ſnbſcripſi.

Georgius indignus epiſcopus civitatis Antiochiæ provinciæ Cariæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus minimus epiſcopus civitatis Heracleæ Lstmi Cariæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Msgnus indignns epiſcopus civitatis Erizorum Carum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Eugenius epiſcopus civitatis Trapezarum Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Andreas epiſcopus Aerygaporum Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Quiricus indignus epiſcopus civitatis Ancyræ Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Plato epiſcopus civitatis Sebaſtæ Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Philippus indignus epiſcopus civitatis Cadorum Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus epiſcopus civitatis Pemporum Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Baſilius epiſcopus Coloniæ Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Anaſtaſius epiſcopus Tiberiopoleos Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Coſmas epiſcopus civitatis Colaſſaæ Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Gregorius indignus epiſcopus civitatis Æzlanorum Pacatianæ definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Sombi definiens ſubſcripſi.

Joannes presbyter ſanctæ Dei eccleſiæ civitatis Ancmorii, & locum tenens Mamantis ſanctiſſimi mei epiſcopi definiens ſubſcripſi.

Leontius indignus epiſcopus civitatis Dorylæi Salutariorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Alexander indignus epiſcopns Nacoleorum civitatis Salutariorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Patricius minimus epiſcopus Prymneſeorum Phrygum Saintsriorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus epiſcopus civitatis Midani Salutariorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Agapetus minimus epiſcopus civitatis ...... Salutariorum definiens ſubſcripſi.

Joannes diaconus ſanctæ eccleſiæ Cottyæenſis civitatis vicem gerens ſanctiſſimi mei epiſcopi definiens ſubſcripſi.

Conſtantinus minimus epiſcopus civitatis Baríſtæ Lycaoniæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

·Enſtathius indignus epiſcopus civitatis Amilandenſium provincię Lycaonię definiens ſubſcripſi.

Conon indignus epiſcopus civitatis Aaſadarum provinciæ Lycaoniæ definiens ſubſcripſi.

Theodoſius minimus epiſcopus civitatis Berenorum Lycaoniæ definiens ſubſcripſi.

Longinus minimus epiſcopus Miſtianorum civitstis Lycaoniæ definiens ſubſcripſi.

Quiricus minimus epiſcopus Derbæ civitatis Lycaoniæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Alexander minimus epiſcopus civitatis Sumandenſium Lycaoniorum provincię definiens ſubſcripſi.

Paulus indignus epiſcopus Sozopolitarum civitatis provinciæ Piſidiæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus minimus epiſcopus civitatis Bindei provinciæ definiens ſubſcripſi.

Marinus minimus epiſcopus civitatis Philomelii provinciæ Piſidiæ definiens ſubſcripſi.

Siſinnius minimus epiſcopus Manopoleos Piſidiæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Georgius minimns epiſcopus civitatis Galai provinciæ definions ſubſcripſi.

Conſtantinus indignus epiſcopus Mambisdenſium definiens ſubſcripſi.

Conon minimus Laodiceæ epiſcopus provinciæ Piſidiæ definiens ſubſcripſi.

Joannes miſeratione Dei epiſcopus civitatis Adadeorum provinciæ Piſidiæ definiens ſubſcripſi.

Patricius minimus epiſcopus civitatis Lymnæorum provinciæ Piſidiæ definiens ſubſcripſi.

Conon minimus epiſcopus civitatis Siniandi Provinciæ Piſidiæ definiens ſubſcripſi.

Stephanus minimus epiſcopus civitatis Tysſeorum provinciæ Piſidarum definiens ſubſcripſi.

Petrus minimus epiſcopus Seleuciæ .... provinciæ .... definiens ſubſcripſi.

Plato minimus epiſcopus civitatis Mandeorum provinciæ Pamphyliæ definiens ſubſcripſi.

Zacharias minimus epiſcopus civitatis Lagonorum provinciæ Pamphyliæ definiens ſubſcripſi.

Georgius minimus epiſcopus civitatis Codrylenſium provinciæ Pamphyliæ definiens ſubſcripſi.

Paulus minimus epiſcopus civitatis Sylæi provinciæ Pamphyliæ definiens ſubſcripſi.

Conſtantinus minimus epiſcopus civitatis Eudociadis provinciæ Pamphyliæ definiens ſubſcripſi.

Joannes minimus epiſcopus eivitatis Hadrianæ provinciæ Pamphyiiæ definiens ſubſcripſi.

Theodorus minimus epiſcopus civitatis Doarenorum ſecundæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Conon minimus epiſcopus civitatis Coloniæ ſecundæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Euſtathius minimus epiſcopus civitatis Parnaſſi ſecundæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Michsel indignus epiſcopus Nazianai ſecundæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Fauſtinus indignus epiſcopus Giganorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus civitatis Petrsrum provinciæ Lazorum definiens ſubſcripſi.

Stephanus indignus epiſcopus civitatis Parii definiens ſubſcripſi.

Georgius indignus epiſcopus Theorinæ definiens ſubſcripſi.

Iſidorus minimus Sami epiſcopus definiens ſubſcripſi.

. Joannes epiſcopus civitatis Moſyncorum Phrygiæ provinciæ definiens ſubſcripſi.

Stephanus minimus epiſcopus civitatis Attadi Provinciæ Phrygiæ definiens ſubſcripſi.

Marianus indignus epiſcopus Citharizorum primæ Armeniorum provinciæ definiens ſubſcripſi.

Ill-

HISTORIA
CONCILII II. NICÆNI OECUMENICI VII.

I. Quamquam Gentiles, Judæi, Marcionitæ, Manichæi, Theopaschitæ sacris Imaginibus jam olim bellum indixerint, ut ad Actionem I. & V. hujus Synodi VII. testatus est S. Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, a Judæis tamen bellum impium instauratum est imperante Leone Isaurico, anno Christi DCCXXIII. eum nempe Judæus quidam Sarantapechys veneficus, ac præstigiator insignis, ut odium jamdiu conceptum adversus Christianos exhalaret aliquando, Jezidum Arabum Regem, cujus levissimum esse norat ingenium, adiens, vaticinandi ei artem ostentat, diuturnumque spondet Imperium, si ex Christianorum Templis, totiusque Regni sui finibus sacrosanctas Imagines detrahat. Credit præstigiatori Princeps imprudentissimus, illectusque spe, & desiderio longioris vitæ, Edictum continuo generale promulgat, quo omnes omnino Imagines, & Picturas, sive eæ in tabulis, sive in opere musivo, in parietibus, sive in vasis sacris, aut indumentis, & Altaribus essent, expungi, & auferri jubet. Christianis sacrilego huic Edicto parere recusantibus, Hebræi, & Arabes alacriter impia mandata exequuti sunt. Atque hæc est prima Iconoclastarum origo, quam tradunt Theophanes, & Joannes Monachus Vicarius Orientalium Episcoporum in sua relatione, quam legere est in Actione V. hujus Synodi. Addunt autem & illud iidem Scriptores Jezidum spe longioris vitæ frustratum, post sesquiannum a perpetrato facinore mortuum esse, ac post ejus obitum in pristinum honorem Imagines restitutas; ejusque filium Ulidum nomine indignatum Judæo Sarantapechy tamquam parentis interfectori, illum turpissima morte affecisse.

II. Verum non diu mansit intactus Imaginum cultus, auctore Constantino Nacoliæ in Phrygia salutari Episcopo, ex quo initium hæreseos fuit, ut tradit in Actione IV. S. Tharasius. Ille enim ob impietatem a suis Diœcesanis expulsus, in aulam irrepsit Leonis Isauri Imperatoris, eumque ad demoliendas Imagines sacras accendit. Sed & utrique non leve calcar accessit ex consuetudine cujusdam Beseris, qui ex Christianis ortus parentibus, cum captivus in Syriam esset abductus, ex Arabum consortio Mahumetanis superstitionibus imbutus est: tum libertate donatus, cum ad Romanorum ditionem rediisset, primo familiariter egit tum Constantino, deinde se in gratiam Imperatoris insinuavit. Beseris ergo, & Constantini suasionibus incitatus Leo, ac multo magis adactus jurejurando, quo spoponderat Hebræis quibusdam, qui ei prædixerant Imperium, se concessurum ipsis, quicquid postulassent, cum ad Imperium evectus esset, in sacras Imagines sævit. Sicut autem Imperatores Ethnici annis decennalibus suis dicatis, adversus Christianos Edicta promulgabant; sic impius Leo *decimum suæ tyrannidis annum*, ut loquitur Zonaras, auspicatus, ideoque anno Christi DCCXXVI. adversus Orthodoxos persequutionem excitavit, & sacris Imaginibus iterum bellum indixit.

III. Promulgato sacrilego de imaginibus abolendis Edicto, ingens tumultus a plebe Catholica excitatus est; sibique metuens Imperator, consilium impium dissimulavit, dicens: *Non hue spectat mea sententia, ut eæ prorsus deleantur; sed hoc ajo, sublimiori loco eas locandas esse, ne ore quisquam eas contingat, atque ita quodammodo rebus honore dignis contumeliam inferat.* His artibus omnem Imaginum venerationem abolere meditabatur, & Catholicæ plebi imponere; etenim eodem anno ad Gregorium II. Pontificem scripsit, ut si Imperialem gratiam habere vellet, Sanctorum Imagines deponeret, ut testantur Paulus Diaconus Lib. VI. *De gestis Longobardorum*, Capite XLIX. Theophanes, & Anastasius Bibliothecarius. Verum cum Imperator nihil a Gregorio obtinere posset, sæpe per suos Exarchos, Duces, aliosque Ministros insidiatus est vitæ Pontificis, quem tamen Romani, & Longobardi pie fœderati conjunctis viribus, ab eorum dolis, & insultibus incolumem servaverunt: *Una se quasi fratres catena Fidei constrinxerant Romani, atque Longobardi, desiderantes cuncti mortem, pro defensione Pontificis sustinere gloriosam, numquam illum passuram perferre molestiam, pro Fide vera, & Christianorum certantes salute*. Verba sunt memorati Anastasii, qui etiam mox ita subdit de ipso Pontifice loquens: *Gratias voluntati populi referens pro mentis proposito, blando omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent actibus, & Fide persisterent, rogabat; & ne desisterent ab amore, & fide Romani Imperii admonebat*. Erat Imperator infensus Gregorio non modo ob novas opiniones, quas hic rejiciebat, sed etiam quod novum censum agi in Romana Provincia non pateretur, indeque eum per Marinum Spatharium Ducem Romanorum, deinde vero per Paulum Patricium, & Exarchum interfici curavit, ut idem Anastasius tradit. Census ille capitatio erat, ei similis, quam Siciliæ, & nostræ Calabriæ indixit, de qua loquitur Theophanes.

IV. Obstitit inter alios qua potuit constantia Isauri impietati S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, ipsique per quemdam ex præcipuis suis Ministris significavit, ab initio post Christi in Cælos assumptionem Imagines expressas esse in Ecclesia, pro illis se libentissime moriturum; & qui Christi Imaginem ignominia afficit, in eum quem illa exhibet, injuriam rejicere. Ipsi rursus traditionem, & usum Catholicæ Ecclesiæ objecit, Religiosam Imaginum venerationem a Conciliis probatam: solemnia quæ emiserat promissa de non convellendis Ecclesiæ ritibus, cum Imperator inauguratus est, in memoriam revocavit: ipsum per sacra omnia exoravit, ne ipso imperante sacrarum Imaginum fieret eversio; Antichristi præcursorem fore adjiciens, qui facinus istud perpetraret.

traret. Nullum eodem non movit lapidem, ut illum a concepta revocaret impietate; constantque ista ex Actis S. Stephani Junioris Monachi, & Martyris, quæ a Baronio, aliisque frustra tribuuntur S. Joanni Damasceno, quod Joannes Billius Acta ipsa, seu Vitam S. Stephani, operibus Damasceni subjunxerit, cum tamen Vita illa genuinus sit fœtus Simeonis Metaphrastis, ut docet Allatius in Diatriba, *De Simeonibus*, & ex eo Pagius in Vita Gregorii II. Papæ, Num. XXVII. Sed quicquid sit de vitæ illius Auctore, nihil melior aut mitior admonitionibus S. Germani redditus Leo, in furorem actus, rugiens adversus eos, qui pro sacrarum Imaginum defensione ejus se furori opponerent, duodecim Imperialis Collegii Professores cum Oecumenico Magistro, qui ipsis præsidebat, viros pietate, & rerum divinarum scientia conspicuos, quorum absque consilio quidquam agere præcedentes Imperatores nefas duxerant, cum in suam hæresim pertrahere non posset, imo acerrimos experiretur adversarios, vivos combussit, una cum ipsa Bibliotheca, tricena, & tria voluminum millia complectente, inter quæ unum erat admirabile confectum ex draconis intestino, Iliadem Homeri, & Odisseam aureis literis descriptas complexum, ut a Cedreno, Zonara, & Constantino Manasse memoriæ proditum est.

V. Postquam vero Germanus Patriarcha Constantinopolitanus ipso hæresis exordio fortiter Imperatori restitit, nihilque profecit, certiorem de iis, quæ Constantinopoli accidissent, suis literis Gregorium II. Romanum Pontificem certiorem reddidit, ut ipsius Gregorii testantur literæ, quæ in Actione IV. hujus Synodi insertæ sunt: ex quibus etiam liquet, longe acriora suscepta fuisse ab ipso Germano prælia adversus Imperatorem, quibus eum manus dare coegerit, licet postea sic prostratus majori furore surrexerit. Scripsit & Imperator, ut Concilium Oecumenicum cogeretur, cui tamen ita respondit Pontifex: *Scripsisti, ut Concilium universale cogeretur, & nobis inutilis ea res visa est. Tu persequutor es Imaginum, & hostis contumeliosus, & eversor: cessa, & nobis hoc largire, ut taceas: tum mundus pace fruetur, & scandala cessabunt*. Et paulo post: *Non animadvertis hunc tuum conatum, quo adversus Imagines insurrexisti, facinus esse turbulentum, & insolens, & superbum? Cum Ecclesiæ Dei alta pace fruerentur; tu pugnas, & odia, & scandala suscitasti. Cessa, & quiesce, tum Synodo minime opus erit*. His jam præmiserat Pontificiæ, & Regiæ potestati præscriptens fines, sic inquiens: *Scis Imperator! sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, qui tuto assolent dogmata tradere. Idcirco Ecclesiis præpositi sunt Pontifices a Reipublicæ negotiis abstinentes: & Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant*. Minas intentaverat Leo Pontifici, missurum se Romam satellites, qui S. Petri Imaginem confringerent, ipsumque Pontificem in exilium deportarent, sicut olim a Constantio Martinus I. relegatus fuerat. Ad quæ inter alia ita ille respondit: *Quod si nobis insolenter insultes, & minas intentes, non est nobis necesse tecum in certamen descendere. Ad quatuor & viginti stadia secedet in Regionem Campaniæ Romanus Pontifex. Tum tu vade, ventos persequere*. Sæviens in dies Leo Legatos, quos Gregorius Constantinopolim direxerat, ut ferinum ejus animum demulcerent, exilio addixit, in quo gloriosæ confessionis præmium felici morte retulere, ut testatur Nicolaus I. in Epistola ad Michaelem Græcorum Imperatorem.

VI. Præter laudatum unum Germanum Constantinopolitanum Episcopum jam nullus fere erat in Oriente, qui efferato Leoni, ejusque asseclis se auderet objicere, & strenue pro sacrarum Imaginum cultu pugnare. Scripsit ad diversos Dogmaticas literas, ac præsertim ad Joannem Synadensem Episcopum, & Thomam Episcopum Claudiopolitanum, in quarum prima etiam narrat suum congressum cum Nacoliæ Episcopo, quem ab Iconomachorum errore revocavit. Non semel cum ipso quoque Leone congressus est, qui eum Simulachricolam vocavit, e Regia exturbavit, ac Sede Patriarchali. Tum vero anno DCCXXX. convocatis Leo in Aulam Episcopis quibusdam apostatis, accersito quoque S. Germano, impium promulgavit de abolendis ubique Imaginibus Edictum: cujus subscriptionem cum nec minis, nec blanditiis obtinere potuisset, ipsum vi, ac ignominia e Solio Patriarchico dejecit: is vero cedens injuriæ & persequutioni, Pallium tunc in sacra Mensa deposuit, dicens: *Si ego sum Jonas, projicite me in mare; nam extra universalem Synodum novi aliquid de fide statuere nequeo, o Imperator!* Depositis Patriarchatus Insignibus Plutanium in domum suam gentilitiam secessit, vitam privatam acturus, cum jam gessisset Pontificatum, annis quatuordecim, mensibus quinque, & diebus septem, intrususque est a Leone in ejus locum Anastasius ejusdem Ecclesiæ Presbyter Syncellus, qui consiliis Imperatoris, ac hæresi consentiebat. Ceterum quod rursum ad S. Germanum attinet, ipsum paulo post e domo sua in Monasterium longe dissitum deportari jussit nequissimus Imperator, ac tandem strangulari. Ejus memoria martyrii celebratur in Menologio Basilii Imperatoris, ita appellato, quod ejus jussu collectum est, die duodecima Maji, ubi & asseritur, nonagenarium ex hac vita migrasse.

VII. De his certior factus Gregorius Pontifex, Synodum Romæ celebravit, in qua cum vicinis Episcopis considens, ac præsidens, Iconomacorum damnavit hæresim, Fidemque Catholicam de sacris Imaginibus confirmavit. Hujus Synodi unicum extat fragmentum ab Hadriano I. Romano Pontifice recitatum *in Epistola 1.* ad Carolum Magnum; ejusque Synodi meminere etiam Cedrenus, ac Zonaras, ex quibus Baronius, Bellarminus, Sigonius, aliique plures deducunt, Gregorium ipsum, cum videret Imperatorem penitus hæreticum, cum in hac Synodo anathemate feriisse, tumque Romanos, & Italos ab ejus obedientia recedere fecisse, eique tributa solvere prohibuisse. Verum tantum abest, ut Gregorius Italos, & Romanos ad defectionem impulerit, aut eos a pensione tributorum solvenda impedierit, ut Ravennæ, & Venetiarum exercitus ad rebellionem paratos in officio continuerit. Ostendit hæc quidem Pagius in Vita Gregorii II. Num. XXXVII. luculentissimo Pauli Diaconi testimonio, qui de rebus in Occidente gestis melius instructus, quam Theophanes, Cedrenus, ac Zonaras, Lib. VI. *De gestis Longobardorum*, Cap. XLIX. scribit: *Omnis Ravennæ exercitus, vel Venetiarum talibus jussis*, idest Imperatoris, *uno animo restiterunt; & nisi eos prohibuisset Pontifex, Imperatorem super se constituere fuissent aggressi*. Huic addit egregium testimonium Anastasii Bibliothe-

thecarii; qui in ejusdem Gregorii Vita ita rem narrat: *Cognita Imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent Imperatorem, & Constantinopolim ducerent; sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis.* Tradit tum alia Pagius, quibus magis magisque ostendit, nec tributa Imperatori solvi Gregorium prohibuisse, nec eum anathemate feriisse, solumque Deum orasse, eundem tradi satanæ, nisi abjurata hæresi resipisceret. Porro aliter se gessit Pontifex erga Anastasium, quem Leo Imperator in locum S. Germani intruserat; ubi enim teste Bibliothecario, Synodicam ejus accepit, & Synodicam ipsam rejecit, & Pseudo-patriarcham excommunicavit.

VIII. Leo interim non ostante tanta Gregorii Pontificis moderatione, adeo exarsit, ut in odium vindicatarum ab eo Imaginum, patrimonia Ecclesiæ Romanæ in nostra Calabria, & Sicilia sita in fiscum redegerit, & Diœceses Illyricianas, Calabriam ipsam, Apuliam, Siciliam, & reliquas Provincias usque ad Thraciam a Romano Patriarcha distraxerit, subjeceritque Patriarchæ Constantinopolitano. Sicilia, ac Italicæ Provinciæ, uti notat Lupus in Scholio ad Canonem VI. Sardicensem, nullum hucusque habuerant Metropolitam, nisi Papam, cujus ob Apostolicæ Sedis reverentiam erat vastissima Provincia. Hinc Isaurus in Sicilia Syracusas erexit in Metropolim postmodum a Nortmannis translatam Panormum, Italiæ Provincias implevit Episcopis, hominibus sibi obstrictis, per quos miserum populum circumscriberet in suam impietatem. Multiplicavit & Metropolitas, quod illi secundum Canones Chalcedonenses, recipiendæ consecrationis gratia accedere deberent Constantinopolim, & varia isthic profiteri. Quocirca turpi errore errant, qui Apostolicam Sedem accusant, quod suæ in generalibus Synodis plenipotentiæ consulens, per Regnum Neapolitanum in parvis locis tot Episcopatus erexerit. Nortmanni tandem ubi invasere utramque Siciliam, Episcopos quidem Constantinopolitano Episcopo subtraxerunt, non tamen Sedi Apostolicæ reddiderunt, nisi tempore Adriani IV. Pontificis, & Gulielmi II. Siciliæ Regis, uti videre est apud Robertum Montensem in Supplemento Sigiberti Gemblacensis. De hisce Episcopatibus ad avitum numerum, & modum reducendis frequenter actum est etiam in Synodo Tridentina, præsertim vero nostro hoc tempore inter Pontificem Maximum BENEDICTUM XIV. & Carolum Borbonium, utriusque Siciliæ Regem. Nihil tamen hucusque effectum est.

IX. Sed ut nostræ Historiæ seriem persequamur, Gregorio II. ad aliam vitam translato, anno DCCXXXI. Gregorius III. in Apostolicam Sedem evectus, statim ad extirpandam hæresim se convertit. Cujus rei gratiam ad ipsum Leonem Isaurum Imperatorem misit Gregorium Presbyterum, cum literis acerrimis, ut ab errore desisteret. Verum Leonis rugitu, ac minis, metuque persequutionis, qua his temporibus Imperator multos tam Episcopos, quam Patricios, omnisque generis homines in exilium amandabat, vel neci tradebat, perterrefactus Gregorius, literas Isauro reddere minime ausus, re infecta Romam rediit, easque integras ad Pontificem retulit. Qua de causa gravissime a Pontifice exceptus, fuisset etiam in Synodo, ea de re Romæ celebrata depositus, nisi intercessione Patrum ejusdem Synodi iram Pontificis mitigasset: quod tamen ea conditione fecit, ut idem ipse Gregorius Presbyter iterum cum eisdem literis Constantinopolim peteret; sed cum de ejus reditu Constantinopolim certior factus fuisset Imperator, eum in Sicilia retineri, scripta auferri, & in exilium amandari jussit, teste Anastasio in vita Gregorii III.

X. His autem in Urbem delatis, Gregorius Pontifex collecto Romæ anno DCCXXXII. apud S. Petrum Concilio Episcoporum XCIII. præsente Clero, Populo, Senatuque, primum omnium ad confirmandas antiquas Patrum traditiones de cultu sacrarum Imaginum Decretum constituit, quod Constitutum appellat, quo diro anathemate feriit omnes, qui eidem adversarentur; additumque præterea est, uti iterum ex Synodo litteræ commonitoriæ ad Imperatorem mitterentur; sed illæ, ut aliæ præcedentes, ablatæ sunt in itinere, & qui eas ferret Constantinus Defensor, arctissima custodia per integrum annum detentus, tandem cum ignominia remissus est. Ait hæc omnia laudatus Bibliothecarius, additque de ipso Gregorio Papa, quod multas valde insignes, atque summi pretii erexerit in diversis Ecclesiis Romæ, Salvatoris, sanctissimæ Dei Genitricis, Apostolorumque, & aliorum sanctorum Imagines: sed & in Basilica S. Petri magnificentissimum Oratorium construxerit, ac pretiosissimis ornamentis ditaverit, in quo Sanctorum omnium quas potuit toto Orbe Christiano collectas sacras Reliquias condiderit, & a Monachis trium Monasteriorum quotidie per ordinem officium divinum, eorumdemque Sanctorum natalitia celebrare instituerit.

XI. Cum nihil magis cordi esset sanctissimo huic Pontifici, quam ut Leonem ab hæresi, & impietate revocaret, tertiam ad eum anno DCCXXXIII. Legationem destinavit, & adhortatorias iterum literas *direxit per Petrum defensorem apud Regiam Urbem tam Anastasio invasori Sedis Constantinopolitanæ, quam Principibus Leoni & Constantino*, inquit Anastasius, qui paulo antea alius etiam Legationis meminit nomine universæ Italiæ ad ipsum Leonem, & Constantinum, cum precibus, ut ab impietate desisteret, & promissis omnimodæ subjectionis, si id præstaret. Verum, ut idem testis est Anastasius, Legati octo mensibus detenti, probris pariter affecti sunt: *Cuncta generalitas*, inquit, *istius provinciæ Italiæ similiter pro erigendis Imaginibus supplicationes scriptas unanimiter ad eosdem Principes, Leonem, & Constantinum direxere: quæ & ipsa similiter, ut anteriora, ablata sunt a Sergio Patricio Extratego, qui dignitate Strategi functus fuerat ipsius Insulæ Siciliæ, ac fere per octo menses Legati detenti, remissi sunt cum exprobrationibus portatores.* Porro sedente S. Gregorio II. Leoni Imperatori anno DCCXVIII. natus est filius Constantinus, cujus facta est in ea Legatione mentio, appellatus, & auctus titulo Copronymi, a fœdato sacro fonte, cum infans baptizaretur. Eum S. Joannes sacrarum Imaginum defensor generosissimus in Oratione demonstrativa de sacris ac venerandis Imaginibus, ab equino stercore, cujus odore, & tactu homo impurissimus delectabatur, *Caballinum* vocat. Hunc Leo Imperator anno DCCXX. *indictione tertia, ipso Paschatis die*, ut scribit Theophanes, consortem Imperii fecit; quare ejus anni a die XXXI. Martii numerantur, in quem diem eo anno Pascha incidit.

XII. Jam non modo anno DCCXXXIII. sed & aliis sequentibus magis magisque exarsit in sa-

crarum Imaginum cultores, Leonis furor, quorum plures diris suppliciis vexavit, ac morti addixit. Celeberrimi hos inter fuere, Hipatius Ephesiorum Episcopus, & Andreas ejusdem Ecclesiæ Presbyter, nec non Gregorius Limniotes, qui in vita Monastica ad centenarium prope annum cum fama sanctitatis consenuerat. Moritur tandem Impius Leo anno DCCXLI. die XVIII. Januarii, suæque impietatis non minus quam Imperii hæredem reliquit filium suum ante a se in Imperii societatem ascitum, Constantinum Copronymum, qui ipso suo Principatus exordio Edictum contra sacras Imagines promulgavit, quo inter alia vetuit, ne quis ullum servorum Christi, etsi Martyrem, aut Apostolum, Sanctum appellaret, aut eorum Reliquias veneraretur, quas conspui jussit, ac Cælitibus prohibuit supplicare. Quin & Deiparam Virginem vocari noluit, ejus festa abrogavit, omnemque ei denegavit honorem, cultumque religiosum. Hæc, & alia, quæ horret animus literis prodere, quæque alias a Scriptoribus Græcis recensentur, Regiæ Urbis Cives indignissime ferentes, Artabasdum Curopalaten eodem anno Imperatorem consalutarunt. Verum brevissima fuit de ejus exauctoratione lætitia; coacto enim exercitu Artabasdum fudit Copronymus, eoque cum filiis trucidato, Imperio absque æmulo potitus est anno DCCXLIII.

XIII. Eodem anno, quo obiit impius Leo, obiit etiam in Domino Gregorius III. Pontifex Maximus, & quidem die XXVII. Novembris, in ejusque locum suffectus est S. Zacharias, nec petita, nec expectata, ut pravi moris erat, Exarchi Ravennatis confirmatione. Is missa Legatione perfidum Imperatorem demulcere, & ad officium revocare tentavit. Pontificium Legatum honorifice excepit, nec sine spe remisit Copronymus; tametsi persequeretur in dies Imagines Sanctorum, earumque cultores. Moritur interim S. Zacharias die decimaquarta mensis Martii, anno DCCLII. in ejusque locum electus est Stephanus quidam Presbyter natione Romanus, qui tertio creationis die cum a somno surgeret, & sedens causas familiares disponeret, subito alienatus obmutuit, & sequenti die defunctus est, ut scribit Anastasius, qui ex eo quod ille minime ordinatus esset, inter Romanos Pontifices, nequaquam recenset. Post ipsum alius item Stephanus electus est Pontifex, quem alii secundum, alii tertium appellant. Ut ut sit ea numeri variatio, Stephano hoc III. sedente anno DCCLIV. decima die Februarii, nequissimus Imperator Copronymus impiam Synodum apud Constantinopolim in Templo Sanctissimæ Dei Genitricis ad Blachernas congregavit, trecentorum triginta octo Episcuporum Orientalium suæ sectæ, quæ usque ad octavam Augusti diem perduravit.

XIV. Meminit inter alios hujus Synodi Historia Vitæ S. Stephani Junioris Monachi, qui ob defensionem sacrarum Imaginum anno DCCLXVII. Martyrium subiit, a Stephano Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono circa annum DCCCVIII. scripta, & a Lupicino publicata. Ex ea Vita discimus, Copronymum Imperatorem, *propositis vivifico corpore, & sanguine Christi, intemeratisque lignis, in quibus Christus Deus pro nobis manus extendit, atque etiam inviolatis Evangeliis, omnes jurare fecisse, sanctam Imaginem se non adoraturos, sed eam Idolum vocaturos.* Hujus Conciliabuli definitio inserta est Actioni VI. hujus nostræ legitimæ VII. Synodi, & ibidem refutata, ut suo loco dicemus. Porro ea die, qua ad Blachernensem Deiparæ Basilicam Iconomachi convenirunt Antistites, conscendit Ambonem Copronymus, propriaque auctoritate, nulla prævia Antistitum electione, aut examinatione Constantinum Monachum hominem nefarium, & hæreticum, Sylæi in Pamphylia olim Episcopum, & propter scelera sede pulsum, in Sedem erexit Constantinopolitanam, in locum Anastasii nuper defuncti, dicens: *Constantino Oecumenico Patriarchæ multi anni*. Voluit tamen primum, Constantinum ipsum ejurare Monachatum, ascendere jussit ambonem, jurare, se nusquam Imagines veneraturum, exuere Monachum, nuptialem coronam gestare, carnibus vesci ad mensam Regiam, Citharœdos audire, & omnibus gustus, auriumque voluptatibus frui. Item cum novo Pseudo-patriarcha in forum progressus, coram universo populo hæresim in Pseudo-synodo stabilitam promulgarunt, anathema dicentes Imaginum cultoribus, ac defensoribus, præsertim vero Germano Constantinopolitano antea Patriarchæ, Georgio Cyprio Episcopo, & S. Joanni Damasceno, quem per contumeliam *Manseron* appellarunt. Constat hæc ex Theophane, & Cedreno, qui etiam addunt, certiorem tandem factum Copronymum, quod ejus in Christum, & Deiparam blasphemias, erroremque Nestorianum patefecisset Constantinus, ipsum multis verberibus mulctatum, & per Circum ignominiose traductum, atque raptatum capite truncari jussisse, ac Nicetam Eunuchum genere Sclavum Patriarcham nominasse.

XV. Alia tum in ea Pseudo-synodo, tum in toto suo Imperio, quod persequutio continua fuit Catholicorum, qui sacras Imagines colebant, defendebantque, gessit Copronymus, quæ apud laudatos Theophanem, Cedrenum, & Baronium videri possunt. Certe ipsam Copronymi Synodum non modo zelosiores Episcopi, ac Patriarchæ improbarunt, uti legitur in prædicta S. Stephani Junioris Vita, sed Stephanus Papa III. irritam reddidit, cassavitque, eumdemque Constantinum Imperatorem literis monuit, ut ab errore desisteret, ac resipisceret, ut testatur Adrianus itidem Papa in Epistola ad Constantinum & Irenem Augustos. Obiit Stephanus die XXIV. Aprilis anni DCCLVII. in ejusque locum ordinatus est Pontifex S. Paulus I. die XXIX. Maji, ejusdem anni, Paulo I. Pontifice, anno ipso DCCLXVII. Gentiliaci prope Lutetiam Pipinus Rex, cum Sedis Apostolicæ venia Concilium haberi jussit Episcoporum Galliæ, occasione ipsius Copronymi, qui ad Pipinum Legatos miserat nobilissimos, sex videlicet Patricios cum pluribus Episcopis Godegesilam Pipini filiam Leoni Augusto ipsius Copronymi filio nubendam petituros, cum Ravennatis Exarchatus restitutione pro dote, & ne religionis disparitas ineundum conjugium impediret, controversiam de sacrarum Imaginum cultu, Gallicanorum Episcoporum judicio permissuros. Docent Scriptores Galli, in eo Concilio damnatam fuisse Iconoclastarum hæresim, & Fidem de Spiritus Sancti a Patre, Filioque processione confirmatam.

XVI. Eodem pene anno DCCLXVII. Cosmas Alexandrinus, Theodorus Antiochenus, & Theodorus alter Hierosolymitanus, Patriarchæ, Synodum ex tribus Patriarchatibus Hierosolymis celebrarunt, in qua Iconomachorum damnata hæresi, Synodicam Epistolam ad Romanum Pontificem

cem misere, quæ ob Pauli I. obitum, qui accidit die XXVIII. Junii, Constantino in Romanam Sedem intruso tradita est, cujus exemplar Latine & Græce descriptum Constantinus ipse Antipapa Pipino Regi misit in Franciam, uti videre est in Epistola XCIX. Codicis Carolini. Meminit etiam ejusdem Synodi Hierosolymitanæ Adrianus I. in Epistola de Imaginibus ad Carolum Magnum. Ceterum deposito demum & in Monasterium deportato Pseudo-pontifice Constantino, postquam sedisset annum unum, & mensem unum, communi totius Cleri, Optimatum, ac populi consensu die septima Augusti anni DCCLXVIII. legitimus consecratus est Pontifex Stephanus hujus nominis IV. quem Anastasius, aliique tertium dicunt, quod ejus nominis secundum, quod solum electus, & minime consecratus esset, inter Pontifices Romanos non referant. Anno DCCLXIX. habuit Stephanus Romæ Concilium in Basilica Lateranensi, in quo discussis primum, & rescissis Constantini Pseudo-papæ Actis, sacrarum Imaginum honos ac cultus stabilitus est, damnata Constantinopolitana Græcorum Iconomachorum Pseudo-synodo. Postquam autem annos tres, menses quinque, & dies viginti septem, uti docet Pagius, anno Christi DCCLXXII. ex hac vita in Cœlum migravit, eodem anno, die nona Februarii ordinatus est Hadrianus I. Pontifex Maximus.

XVII. Moritur tandem anno Christi DCCLXXV. impiissimus Copronymus, vociferans, ut inquit Cedrenus, *se adhuc viventem inextinguibili igni traditum propter Mariam, jubensque, eam exinde honorari tanquam sanctam Virginem, ac vere Deiparam*. Mortuo Copronymo, Leo IV. ejus filius, qui ex Irene conjuge Constantinum suscepit, imperium moderatus est: cujus exordio tametsi nonnihil respiraret Ecclesia, hæresis nihilominus dominabatur; hæreticus enim æque fuit, ac Pater; nec Imagines restitui permisit, quamvis, ut subditos demereretur, aliquandiu a Catholicorum persequutione abstinuerit. Sed furorem tum maxime is prodidit suum in sacrarum Imaginum cultores anno DCCLXXX. quum eodem anno, defuncto Niceta Constantinopolitano hæretico Patriarcha, & subrogato in ejus locum Paulo genere Cyprio, intus quidem Orthodoxo, foris vero communicante cum hæreticis ob timorem Imperatoris, Imperator ipse occultam malitiam suam detegens, Protospatarium suum, ac præcipuos Aulicorum, aliosque sacrarum Imaginum cultores, partim ignominia affecerat, partim suppliciis gravissimis addixerat, initio persequutionis orto ex eo, quod in pulvinari uxoris suæ Irenes piissimæ feminæ duas Imagines reperisset; qua etiam occasione ipsam repulit, nec unquam postea rem cum illa habuit. Sed non diu distulit Deus de impio vindictam sumere, quippe quem hoc ipso anno DCCLXXX. mense Septembri divinitus percussum sustulit. Tradunt hæc Theophanes, & Cedrenus, ex iisque Historici passim recentiores.

XVIII. Faustis tunc auspiciis Irene cum filio Constantino imperare cœpit, Catholica Religione, ac pietate florentissima mulier. Iis annum quartum in Imperio agentibus, Paulus Patriarcha Constantinopolitanus morbo affectus Monasticum habitum assumsit in Flori Monasterio anno DCCLXXXIV. Imperatrix mœsta ipsum conveniens rationem facti quærit. Cui Paulus lacrymis perfusus: *Utinam*, inquit, *Ecclesia Dei tyrannice administrata, & a reliquis sedibus ea de causa scissa, dirisque & execrationibus devota, in Sacerdotii Throno Constantinopoli numquam sedissem.* Cum vero Patricios & spectatissimos quosque e Senatu ad ipsum misisset, quæ ipse diceret, audituros, hæc illi ab ipso accepere: *Nisi Synodum universalem coegeritis, & obtinentem apud vos correxeritis errorem, nulla vobis superest salus.* Cui respondentibus illis: *Cur ergo Patriarcha designatus, inter ordinationis solemnia, Imagines te numquam adoraturum subscripsisti?* ita statim Paulus subjicit: *Hæc lacrymarum mearum causa est. Illud me ad pœnitentiam amplexandam impulit; Deum deprecantem ne me veluti Pontificem hucusque mutum, nec veritatem, solo insaniæ vestræ metu, palam annunciantem corripiat.* Ubi hæc dixerat Paulus, spiritum emisit, ut iidem Theophanes, & Cedrenus referunt.

XIX. Pauli responso permoti Imperatores, primum de Patriarcha optimo deligendo soliciti, habita qua par erat deliberatione, visus est nemo, cui merito Tharasius posthaberetur. Is cum munus illud, cui se utpote laicum imparem judicabat, diu, atque pertinaciter, ut ait Ignatius in ejus Vita, recusasset, illud tandem suscepit ea conditione, ut generalis Synodus cogeretur. Quod cum Constantinus, & Irene libenter concessisset, Tharasius, ut primum inauguratus est, Fidei suæ professionem, & supplices pro Oecumenicæ Synodi celebratione literas ad Hadrianum Papam direxit; missisque, inquit Theophanes, & libello fidei suæ teste, ab ipso Hadriano in Ecclesiæ communionem admissus est, ea scilicet conditione, ut pro restituendis sacris Imaginibus sedulo adlaboraret. Scripsere quoque ad Hadrianum Pontificem Imperatores, rogantes, ut Constantinopolim venire dignaretur, Concilio præfuturus, aut Legatos mitteret, qui vices illius obirent, & locum tenerent; extantque hæ literæ in preambulis ad hanc Synodum Septimam, Secundam Nicænam. Porro anno DCCLXXXV. scripsit Hadrianus suas ad Constantinum, & Irenem literas, quæ extant in Actione II. hujus Synodi, incipiuntque: *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere.*

XX. His literis hortatur primo ipsos ad Sedis Apostolicæ reverentiam. II. multa profert ad sacrarum Imaginum venerationem asserendam. III. eosdem rogat, ut præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis Constantinopolitana Pseudo-synodus Iconomachorum refutetur. IV. ut ipsi Imperatores, Patriarcha, & Senatus Regiæ Urbis jurent partibus non favere, nec ullam mittendis Apostolicæ Sedis Legatis vim inferre; sed eos honorifice excipere, & ad Urbem incolumes remittere. V. ut restituant patrimonia B.Petri ab Orthodoxis Principibus ad concinnationem luminarium, & alimoniam pauperum olim collata, necnon consecrationes Episcoporum, quæ ex veteri jure ad Sedem Romanam spectabant. VI. se Tharasio novo Patriarchæ succensere significat duplicem quidem ob causam; primo scilicet, quod se Universalem Patriarcham inscripserit: secundo quod ex Laico ad Episcopatum subito fuerit promotus; unde Tharasii electionem ut perperam, & contra Canones factam improbat; quam tamen non rescindit, sed Canonum in ea infractorum dat veniam, ea conditione, ut pro restituendis, uti dictum est, sacris imaginibus sedulo adlaboret.

XXI. Misit tum Hadrianus Legatos Constantinopolim, qui suo nomine Concilio præessent, Petrum Archipresbyterum Ecclesiæ S. Petri, & Pe-

Petrum Abbatem S. Sabæ, qui in Actione I. Concilii ante Tharasium nominantur, ut *tenentes locum Apostolicæ Sedis almi & sanctissimi Archiepiscopi Senioris Romæ Hadriani*. Miserunt etiam & alii Patriarchæ suos Legatos ad Synodum, quod ipsi jugo Saracenorum oppressi adesse non possent. Politianus Alexandrinus, Thomam Presbyterum, & Monachum; Theodorus Antiochenus, & Elias Hierosolymitanus Joannem Presbyterum pariter & Monachum ea legatione ornavere, qui trium Sedium Patriarchalium nomine in Synodo agerent, & Ecclesiarum Ægypti, Orientis, & Palæstinæ Fidem, & antiquam traditionem de sacris Imaginibus testarentur. Quamobrem Synodo in hunc modum quisque illorum subscribit: *Locum retinens trium Patriarchalium Sedium Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ*.

XXII. Synodus itaque cœpta est Constantinopoli in Ecclesia Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli die decimo mensis Augusti anno DCCLXXXVI. Verum cum Prætoriani Milites, qui Constantino Copronymo adhæserant, eoque propinatore Iconomachorum imbiberant hæresim, ab Episcopis ejusdem factionis instigati, ad locum Synodi accedentes, magnisque acclamationibus Pseudo-synodum Constantinopolitanam, adversus Imaginum cultum sub eodem Copronymo habitam celebrantes, Episcopos Orthodoxos nudatis gladiis exturbassent; Imperatorum prudentia, haud tunc valentium seditiosos comprimere, Synodus nostra in aliud tempus magis opportunum differri jussa est. Tradit hæc Ignatius in Vita S. Tharasii, aitque, eos Basilicam, ubi erant Episcopi congregati, obsedisse, *clamantes, non esse ferendum infirmare, & transgredi ea, quæ olim visa fuerant Constantino*, idest Copronymo, qui eam Pseudo-synodum congregarat: *Non enim permittimus*, ajebant, *illius abrogari dogmata, & prædicari esse statuendas Imagines. Quod siquis hoc inceperit, sanguine Sacerdotum, terram reddemus purpuream*. Addit in Actione I. hujus nostræ Synodi S. Tharasius, habuisse illos seditiosos *in auxilium quosdam Episcopos*. Porro soluta Synodo, & sopita seditione, omnes quidem Episcopi Constantinopoli remanserunt, exceptis Legatis Apostolicis, qui, ut scribit Hadrianus Papa in Responso ad dubia Francorum, *in Siciliam reversi sunt, & demum Imperatores post eos mittentes, iterum Constantinopolim ascendere fecerunt*.

XXIII. Quum dissolutus esset cœtus ille, ut S. Theodori Studitæ in Vita S. Platonis Hegumeni, seu Abbatis Monasterii Symbolorum apud Bollandianos die IV. Aprilis, verbis utar, pro veritate constabilienda collectus, evasit Imperatrix velut e medio leonum, facta citra sanguinem martyr, incredibilisque fuit ejus in eo negotio prudentia, ut ex Theophane liquet. Paulo enim post fingens Imperatrix exercitum mittere adversus Arabes, postquam Prætoriani, qui cœptam Constantinopoli Synodum exturbarant, Urbe illa egressi, longius profecti essent, eos omnes arma deponere compulit, & unumquemque ad propria dimisit; constitutisque aliis Ducibus, militibusque sibi addictis, ipsa iterum mense Majo, anno DCCLXXXVII. per omnes Imperii regiones misit, qui Episcopos Nicæam Bythiniæ Urbem ad Synodum convocarent, quæ ob omnium Oecumenicorum Concilii majestatem, & Arianæ pestis eversionem in maximo honore habebatur tamquam ad hostes Ecclesiæ debellandos divinitus constituta. Summo igitur consensu Nicæam Synodus translata est in Ecclesia S. Sophiæ, conveneruntque cum Tharasio Constantinopolitano religiosissimi duo Monachi, Joannes, ac Thomas, qui Sedium Orientalium Patriarcharum locum tenebant, & Episcopi CCCL. ut est communis assertio; Photius etenim CCCLXXVII. numerat, Menologium autem Basilii CCCLXVII. Convenere & alii complures Archimandritæ, ac Monachi, qui Patrum confessum sanctitatis & doctrinæ splendore magnifice decorabant, quique tempore Constantini Copronymi vincula, & exilia passi fuerant. Adfuit tandem Nicephorus, qui erat a secretis Imperatoris, quique post Tharasii obitum in ejus Sedem Patriarchalem Constantinopolitanam suffectus est, una cum aliis clarissimis Senatoribus, ut ordine omnia in Concilio peragi curarent. Universo autem Concilio laudati superius Apostolicæ Sedis Legati præsidebant.

XXIV. Convenientibus igitur Patribus in memorata Ecclesia Æternæ Sapientiæ sub titulo S. Sophiæ sacra, Nicænæ Civitatis, Synodum ipsam Tharasius, penes quem utpote in arduis negotiis valde exercitatum, & Græcæ linguæ peritissimum Legati Apostolici directionem Synodi reliquerant, brevi, sed eleganti oratione aperuit, anno Christi DCCLXXXVII. die vigesima quarta mensis Septembris, Constantini, & Irenes anno VIII. Adriani vero Pontificis Maximi decimo sexto. Lectæ sunt in prima Actione Constantini & Irenes literæ ad Synodum directæ, quibus inter alia decernebant, ut literæ ab Hadriano Papa per Legatos missæ, in solemni confessu *secundum jus Synodicum* legerentur, quia scilicet Romanorum Pontificum literis Oecumenicæ Synodi dirigebantur. Literis hisce perlectis, sicut & quaternionibus illis, quos tres Orientales Patriarchæ per suos Legatos ad Synodum destinaverant, sancta Synodus Imperatoribus de Fide Catholica optime merentibus bene precata, conversa est ad cognitionem lapsorum Episcoporum, Basilii Ancyrani, Theodori Myrensis, atque Theodosii Amorii, qui omnes ante Patrum confessum stantes, suamque hæresim abjurantes, in Ecclesiam recipi, & veniam petierunt, eamque non gravate impetrarunt, postquam Fidei Catholicæ professionem edidissent, sinceram pœnitentiam exhibuissent, atque Iconomachorum hæresi anathema dixissent.

XXV. Post hos ad Synodalem confessum receptos, producti sunt alii Episcopi pariter lapsi, nempe Hypatius Episcopus Nicænus, Leo Rhodiensis, Gregorius Pisidiæ, Gregorius Pessinuntis, Leo Iconii, Nicolaus Hieropolis, Leo Carpathi. Cumque eorum fides non adeo explorata esset, prolixior iccirco de iis cognitio habita fuit. Tharasius Constantinopolitanus Patriarcha ubi Leonis Rhodiensis Fidem explorans, audiit, illum multo tempore in eadem hæresi permansisse, illam auream notatu dignam dixit sententiam: *Diuturniores passiones difficiliores sunt ad curandum; sic & anima quæ in obscura est hæreseos, lumen orthodoxiæ difficile recognoscit*. Quomodo ante prædicti lapsi Episcopi, & qui ab ipsis fuerant ordinati, in Ecclesiam recipiendi essent, ex sacris antiquis Canonibus, Sanctorum Patrum assertionibus ex Codicibus e Patriarchio in Synodum allatis, facta est prolixior disquisitio. Tharasius inter differendum interloquutus ostendit, ejusmodi hæresim jamdiu ante ab improbis hæreticis, Marcionitis, Petro Fullone, Xenaja Hierapo-

rapolitano, atque Severo plantatam, adeoque potius hoc tempore renovatam, quam adinventam esse. Præterea cum mota quæstio esset de ordinationibus factis ab hæreticis, an essent probandæ, probandas ostendit Tharasius, Synodusque edixit: nihilominus reorum Episcoporum restitutio in aliam Sessionem dilata est.

XXVI. In Actione II. celebrata sexto Kalendas Octobris, audientiam, & gratiam petiit a Synodo Gregorius Neocæsariensis Episcopus: *Peto veniam*, inquiens, *priorum malorum meorum, & volo cum omnibus illuminari, & doceri: delicta enim, & peccata mea immensa sunt*. Ejus conversionis causas, modum, ac veritatem discussit Tharasius utpote ejus Patriarcha; reconciliationem vero distulit in Actionem sequentem. Lectis postea Hadriani Papæ literis ad Imperatores datis, ejusdemque ad Tharasium Epistola, Apostolici Legati dixerunt: *Dicat nobis sanctissimus Tharasius Patriarcha Regiæ Civitatis, si consentiat literis sanctissimi Papæ senioris Romæ, an non?* Cumque respondisset ille, se eas probare; iterum Legati a Synodo petiere, an Hadriani literas susciperet? Respondit Synodus: *Sequimur, & suscipimus, & admittimus*. Deinde singuli Episcopi professi sunt, se recipere sacras Imagines, *secundum Synodicas Epistolas Beatissimi Papæ senioris Romæ Hadriani*. Easdem Hadriani literas, fidemque Tharasii magnis quidem præconiis Legati Patriarcharum Orientalium extulerunt, ac deinceps cum reliquis Episcopis, atque Archimandritis omnibus sua ipsas subscriptione confirmarunt. Ex quo satis dilucide liquet, quanta sit in Oecumenicis Conciliis Apostolicæ Sedis auctoritas.

XXVII. Die XXVIII. Septembris habita est Actio tertia, in qua proposita est inprimis causa Gregorii Neocæsariensis Episcopi, quem cum nonnulli ad Ecclesiam, non autem ad Episcopatum pristinum recipiendum esse dixissent, ideo quod Iconomachorum antesignanus fuisset, atque orthodoxos tempore persequutionis in Oriente graviter vexasset, decretum est tandem auctoritate Legatorum Apostolicæ Sedis, ut una cum Collegis lapsis, ac pœnitentibus in Sedem suam reciperetur, maxime quia objectum persequutionis crimen probari non posset. Post hæc jussu Concilii recitatæ sunt Epistolæ, quas Tharasius dederat ad Patriarchas Orientales, quasve eorundem Patriarcharum nomine Monachi Palæstinæ, Joannes, & Thomas Tharasio reddiderant. Quibus approbatis, Legati Sedis Apostolicæ, nomine trecentorum decem & octo Patrum, qui jam longe ante in eadem Civitate Nicænum primum Concilium collegerant, aliter sentientibus anathema dixerunt; cumque eandem sententiam sancta Synodus plane approbasset, suaque subscriptione corroborasset, faustis acclamationibus Imperatoribus oblatis, finis huic Actioni impositus fuit.

XXVIII. Actione quarta celebrata Kalendis Octobris, omnium sententia afferri jussa sunt sacra volumina, ex quibus de usu & cultu sacrarum Imaginum testimonia recitarentur. Primo quidem ex divina Scriptura tam veteris, quam novi Testamenti, inde ex sanctorum Patrum, ac aliorum veterum scriptorum libris decerptæ sententiæ. Allata sunt exempla, & propalata ingentia plane, & multiplicia miracula pro cultu sacrarum Imaginum diversis in locis, & temporibus divinitus edita. Lecta est Epistola Gregorii III. Romani Pontificis ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum. Recitatæ sunt quoque ejusdem Germani literæ ad Joannem Synadensem, ad Constantinum Nacoliæ, & ad Thomam Claudiopolitanum Episcopos. Tum prolata in Hæreticos hæc anathemata: *Christianos accusantibus, idest Imagines confringentibus, anathema sit. His qui assumunt dicta sanctæ Scripturæ, quæ sunt contra Idola, in venerabiles Imagines, anathema. His qui non salutant sanctas, & venerabiles Iconas, anathema. His qui appellant sacras Imagines Idola, anathema. His qui dicunt, quod veluti ad Deos Christiani, ita ad Iconas accedant, anathema. His qui communicant scienter injuriam, & inhonorantiam inferentibus venerabilibus Imaginibus, anathema. His qui dicunt, quod excepto Christo Domino nostro, alius nos eruerit ab Idolis, anathema. His qui audent dicere, Catholicam Ecclesiam Idola aliquando recepisse, anathema.* Edita postmodum est Professio Fidei, & singulorum Episcoporum subscriptionibus munita, cui primo loco Apostolicæ Sedis Legati subscripsere, post ipsos Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, deinde Joannes, ac Thomas, Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani Legati, ac tandem singuli Episcopi.

XXIX. Quinta Actione, quæ celebrata est quarto Nonas Octobris, variis testimoniis a Tharasio ostensum est, Iconomachos, Judæorum, Saracenorum, Gentilium, Samaritanorum, & Manichæorum sectarios esse, ab illisque errorem suum hausisse. Patefactæ sunt præterea hæreticorum fraudes, qui Constantini Diaconi, & Carthophilacis Ecclesiæ Constantinopolitanæ sermonem in universos Martyres interpolaverant, ac integras periodos, quibus Imaginum asserebatur veneratio, deleverant. Posthæc intercedente Saba Monasterii Studii Abbate, & consentiente Synodo, ut sacræ Imagines suis locis restituerentur, Legati Apostolici Decretum hac de re edidere: *Justum arbitramur, ut secundum pronunciationem omnium nostrum, imo juxta antiquam traditionem Catholicæ Ecclesiæ, sicut omnes Sancti Patres docent nos, veniat in medium nostrum colenda Imago, & hanc salutemus*. Et paulo post: *Et aliud capitulum suggerimus, ut omnes conscriptiones, quæ contra venerabiles Imagines factæ sunt, eam anathemate deleantur, vel igni tradantur*. Sancta Synodus dixit: *Veniat, fiat*. Iterata sunt denique anathemata in confractores Imaginum; in eos, qui dicta sacræ Scripturæ contra Idola adversus Imagines detorquent; in eos, qui Imagines Idola appellant; qui ipsas non salutant; qui demum Ecclesiam calumniantur, quasi Idola susceperit. Porro notandum, quod in hac Actione Joannes Thessalonicensis ait, Angelos, & Animas esse corporeos, idemque cum Basilio, & Athanasio Ecclesiam universam sentire, falsum esse, & ab Ecclesia nequaquam receptum. Quod autem ex professo, & instituto Synodi allegabat, Angelos, & Animas pingi posse, judicio Ecclesiæ probatum est. Rationem certe, quam ille ibidem intulit, quod nempe sint corporei, Synodus non curavit, utpote quod de retinendo usu Imaginum in ea dumtaxat ageretur. Sed de hac quæstione peculiari Capite infra dicemus.

XXX. Devenio itaque ad Actionem Sextam, quæ habita est tertio Nonas Octobris, in qua perlecta est Pseudo-synodus Constantinopolitana sub Constantino Copronymo celebrata, & per singula capita confutata. Dictum est inter alia, nullum

lum Episcoporum Conventum mereri nomen Oecumenicæ Synodi, cui non interfuerit Romanus Pontifex vel per se, vel per Legatos, vel per Synodicas literas. Tum ubi lectus est ex ipsa Pseudo-synodo locus, quo omnes Imagines Hominum opera factas se detestari, & anathemati tradere professa est, eamque se venerari tantum, qua Filius Dei seipsum in Sacramento panis & vini ante passionem expressit; responderunt nostræ hujus Synodi Episcopi, alienum esse a sanctorum Patrum, & Ecclesiæ doctrina hunc loquendi modum; quia etsi Patres panem, & vinum vocaverint typos, seu antypa Corporis, & Sanguinis Christi, id ad ipsa referendum est, antequam sanctificata fuerint; post sanctificationem autem, Corpus, & Sanguis Christi proprie dicuntur, & sunt, & creduntur, non vero imago. Utrum autem Iconomachi realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in Sacramento Eucharistiæ negaverint, vide egregiam Natalis Alexandri in historiam Ecclesiasticam Seculi VIII. Dissertationem IV.

XXXI. In Actione VII. quæ celebrata est tertio Idus Octobris, condita est tandem Fidei definitio, qua sex Oecumenicæ præcedentes Synodi receptæ sunt, & confirmatæ. Deinde vero de usu ac cultu sacrarum Imaginum ita statuit: *Sequentes divinitus inspiratum Sanctorum Patrum nostrorum Ministerium, & Catholicæ traditionem Ecclesiæ, nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat, definimus in omni certitudine, & diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles ac sanctas Imagines proponendas, tam quæ de coloribus, & tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter se habente in sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus, ac tabulis, domibus, & viis, tam videlicet Imaginem Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ, sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum simul, & almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui eas contemplantur alacrius eriguntur ad Prototyporum memoriam, & desiderium, & ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram Latriam, quæ secundum Fidem est, quæque solum divinam naturam decet, impartiendam: itaut istis, sicut figuræ pretiosæ, ac vivificæ Crucis, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, incensorum, & luminum oblatio exhibeatur, quemadmodum & antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit; & qui adorat Imaginem, adorat in ea subsistentiam*, idest personam. *Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, idest traditio sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines terræ suscipit Evangelium. Sic Paulum, qui in Christo loquutus est, & omnem divinum Apostolicum Cœtum, & pristinam sanctitatem sequimur, tenentes traditiones, quas accepimus. Hinc triumphalis Ecclesiæ prophetice canimus hymnos:* Gaude satis filia Sion &c. *Eos ergo, qui audent aliter sapere, & docere secundum scelestos hæreticos Ecclesiasticas traditiones spernere, & novitate qualibet excogitare, vel projicere aliquid ex his, quæ sunt Ecclesiæ deputata, sive Evangelium, sive figuram Crucis, sive & imaginalem picturam, sive sanctas Reliquias Martyrum, aut excogitare prave, & astute subvertendi quamcumque ex legitimis traditionibus, sive Ecclesiæ Catholicæ, vel etiam quasi communibus, uti sacris vasis, aut venerabilibus ministeriis; siquidem Episcopi, vel Clerici fuerint, deponi præcipimus; Monachos autem, & Laicos a communione privari.* Hactenus definitio Fidei ex Versione Anastasii.

XXXII. Quod spectat illud, quod Patres definierunt, Imagines ita venerandas esse, & adorandas, ut tamen nullo modo coli debeant cultu Latriæ, qui soli Divinitati competit; illud etiam suis scriptis sæpius professus est S. Joannes Damascenus, inter hæreticos numerans illos, qui Imagini cuipiam dicerent tribuendum esse cultum Latriæ, quos & nominat *Christianocatagoras*, hoc est accusatores Christianorum, eo quod ipsorum causa Christiani ab adversariis dicerentur Idolorum cultores, quasi ut Deos Imagines colerent, sicut & eandem hodie calumniam a Novatoribus Catholici patiuntur. Haud tamen in eorum classem conjici debent Scholastici illi, qui Christi Imagini, aut sanctissimæ Cruci, Latriæ cultum tribuendum esse dixere. Nam cum & ipsorum constantissima sit assertio, nulli creaturæ divinum cultum esse impertiendum; utique non proprium, ut scite notat ad annum DCCLXXXVII. Baronius, per se existentem Latriæ cultum Imaginibus tribuisse noscuntur, id enim esset revera idololatria, sed illum tantum, qui fit ob aliud, & per accidens, ut dici assolet, relative ad primum exemplar. Adeout a definitione Concilii non reipsa, sed verbis tantum, & modo loquendi discrepent. Verborum autem discrepantiam non aliunde accidisse putamus cum laudato Baronio, nisi quod cum vera hujus Synodi sententia iisdem doctis viris minime innotuisset, calumniarenturque Adversarii definitum in ea esse, cultum Latriæ Christi Imaginibus deberi: hoc ipsi verum esse putantes, pro ea causam se agere putarunt, si quomodocumque, improprietate licet verborum, quam existimarent ejus esse sententiam tuerentur.

XXXIII. Sed ut ad Synodum revertamur, promulgata definitione Fidei, anathemate nominatim confixi sunt Iconomachorum Principes, scilicet tota Pseudo-synodus contra venerabiles Imagines a Copronymo celebrata, Theodosius Ephesinus Pseudo-episcopus, Sisinnius, Pastillas, Basilius, Tricacabus, Anastasius, Constantinus, & Nicetas, Pseudo-patriarchæ Constantinopolitani, itemque Joannes Nicomediæ, & Constantinus Nacoliæ, Episcopi. Dictum præterea anathema est contra eum, qui *Evangelicas narrationes titulis picturisque factas non admittit*; qui *non osculatur has tanquam in nomine Domini, & Sanctorum ejus factas*; qui *omnem traditionem Ecclesiasticam, sive scriptam, sive non scriptam irritam fecit*. Celebrata deinde est festivis acclamationibus memoria sanctorum Hermani Patriarchæ Constantinopolitani, Joannis Damasceni, & Georgii Episcopi Cyprii, qui Fidem Ecclesiæ de usu & cultu sacrarum Imaginum strenue propugnarant. Gregorium habent vulgata Synodi Acta, & Gregorium II. Romanum Pontificem intelligunt, sed Georgium restituendum esse, ac intelligendum Georgium Cyprium, cujus pro Imaginibus studium, passiones, constantia in orthodoxa Pseudo-synodi Constantini Copronymi refutatione, æternis laudibus celebrantur, scite ad hanc Actionem septimam nostræ hujus Synodi observat Lupus eruditissimus. In hoc consessu exarata est tandem Epistola totius nomine ad Constantinum & Irenem, quæ incipit: *Glorificatur Ecclesiæ caput.*

Et

Et altera Encyclica ad omnes Ecclesias, incipitque: *Christus Deus noster*.

XXXIV. Peracta Synodo, Patres Constantinopolim ab Imperatoribus evocati sunt, ut ex Legatorum Apostolicæ Sedis, & Episcoporum omnium ore ea, quæ gesta essent in Synodo audirent. *Erecta est*, inquit Ignatius Metropolita Nicænus, *Cathedra ipsorum Imperatorum, & totius a Deo electæ Synodi in Magnauræ insigni æde*. Irenem Augustam una cum Filio Constantino præsedisse, ac illis ab Epiphanio Catanensis Ecclesiæ Diacono, ac Thomæ Calaritani Metropolitæ Vicario, ac Legato, ex more dictum fuisse sermonem Prosphoneticum, sive acclamatorium, testantur quidem Synodi Acta. Perperam autem calumniati sunt Synodum Francorum Episcopi, *quia mulier non debet in Synodo docere, sicut Irene in ista fecisse legitur*. Respondet enim Hadrianus Papa, etiam Pulcheriam Augustam Chalcedonensi Synodo adfuisse, non ad docendum, sed, uti nostra hæc Synodus assidue dicit de magnificentissimis Judicibus, *ad audiendum*. Vox *Præsedit*, ut scite docet laudatus Lupus ad Actionem VIII. hujus Synodi, *non est, nisi varuum vocabulum augusti honoris*. Porro habitus fuit is Episcoporum Conventus Constantinopoli in Palatio, quod *Magnaura* dicebatur, VIII. Kal. Novembris. Licet autem quæ eo die gesta sunt, sub Actionis VIII. titulo nostræ hujus Synodi Actis adjecta sint, ea Actio non est proprie Synodalis, nec vera Synodi pars, cum non solum Græci, sed & Latini solas septem Actiones agnoscant. Faustis acclamationibus Constantinum, & Irenem prosequuta Synodus soluta est, & Patres muneribus honestati, ad suas Ecclesias rediere. Canones viginti duo hac in Synodo quidem conditi sunt, sed in qua Actione, incertum est. Apostolicæ Sedis Legatos fuisse quibusdam cooperatos, ex Canone IX. per ipsos expostulato, tradit ad Actionem VII. Lupus.

XXXV. Literas demum, ut finem huic Historiæ faciam, dedit Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus ad Hadrianum Pontificem Maximum, quibus rerum omnium, quæ gesta fuerant, rationem reddit. Hadrianus quidem Synodum ipsam data ad omnes Ecclesias, aut Imperatores Epistola non confirmavit. Sed solemniori ritu eam confirmasse dicendum esse Hadrianum, recte notat post alios Pagius in Vita ipsius Hadriani, Num. XLVII. quia scilicet scripsit Epistolam, seu Libellum Responsorium ad Carolum Magnum Libris Carolinis oppositum pro defensione hujus VII. Synodi, *arguens errorem eorum, qui infirmare conabantur quædam capita, quæ secunda Nicæna Synodus promulgaverat, auctoritate trecentorum quinquaginta Episcoporum, qui hæresim execrantium imagines Dei, Sanctorumque ejus, anathematizaverunt*, inquit Sigebertus in Libro, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Hujus etiam sacrosanctæ Synodi Decreta confirmata postmodum sunt ab VIII. Synodo Oecumenica, a Nicolao I. in Epistola ad Petrum Antiochenum Episcopum, & ab aliis.

De usu, & veneratione Sacrarum Imaginum adversus Iconomachos.

CAP. I.

I. QUi Imaginibus primi omnium denunciaverint bellum, abunde jam diximus in hujus Synodi Historia, in cujus quarta Actione & illud notavimus, de usu & cultu sacrarum Imaginum plurima tunc a Patribus allata fuisse, ac recitata testimonia, exempla, & ingentia plane, ac multiplicia diversis locis, ac temporibus divinitus edita miracula, primum quidem ex sacra Scriptura tam veteris, quam novi Testamenti, deinde vero ex sanctis Ecclesiæ Patribus, ac priscis Scriptoribus Ecclesiasticis. Ut autem nonnulla de iis hoc loco recenseamus, sciendum illud est primum, quod tametsi, ut scitissime tradit Petavius Lib. XV. *De Incarnatione*, Cap. XIII. primis ab ortu Christianæ Religionis temporibus, cum adhuc gentilis in eam exardesceret furor, & in hominum mentibus hæreret adhuc Idolorum superstitio, non tam frequens fuerit sacrarum usus Imaginum, uti neque Templorum, aut Basilicarum; ex quo nata est illa Gentilium exprobratio, quæ apud Minucium Felicem adversus Christianos his verbis exponitur, *Cur nullas Aras habent, Templa nulla, nulla nota simulacra?* addubitari tamen nequit, quin Christiani uti Basilicas, Ecclesias, & Altaria in Dei honorem, ac cultum extruere non dubitarunt, & quidem etiam sæviente contra eosdem persequutione, potissimum vero ubi per Constantinum Imperatorem pax Ecclesiæ reddita fuit: sic Imagines Christi, atque Sanctorum, quarum nondum hactenus percrebuerat usus, multo frequentius, quam antea usurpavit Ecclesia; cum jam nullum Idololatriæ periculum esset, & ad propagandam Christi, ac Martyrum, Sanctorumve ceterorum memoriam, & animandos ad pietatis constantiam illorum exemplo Fideles, utile id esse videretur.

II. Quod ad veterem Ecclesiam pertinet, certum est quidem, jam inde ab Apostolorum temporibus Imagines Christi, & Sanctorum non sine cultu, & veneratione in usu fuisse. Omnium antiquissimum, & ante cetera non immerito memorandum est, quod narrat Eusebius Lib. VII. Cap. XVIII. de muliere sanguinis profluvio laborante, & a Christo Domino sanata, Matthæi, Cap. IX. & Lucæ, Cap. VIII. quam ille refert ad ejus beneficii propagandam memoriam æneam statuam erexisse, quæ Cæsareæ Philippi, quam Peneadem vocabant, adhuc ipsius Eusebii ætate visebatur. Cui & miraculum accessit, ut idem Historicus narrat, herbæ cujusdam novæ, inusitatæque formæ, quæ ad pedes Statuæ pullulans, ubi ad Pallii, quod in Statua effigiatum erat, excreverat, morborum genera omnia curabat. Quem honorem, ac venerationem Fidelium, qui ad illam frequenter accurrebant statuam, herbamque excrescentem colligebant, ut omnem morbum, quo conflictati erant, depelleret, non ferens Apostata Julianus, quum dejecta Christi Imagine, suam substituisset, hanc fulmine deturbatam Christi vero a Fidelibus in Templo cum honore dispositam, auctor est Nicephorus Lib. X. *Historiæ*, Cap. XXX. Id quod etiam tradit Sozomenus Lib. V. Cap. XXI. ubi eandem ex Eusebio narrans historiam, ait, *cum illam Christi statuam Gentiles ignominiose tractam confregissent, Christianos ejus frusta collegisse, & in Ecclesia reposuisse, ubi hodieque asservantur*. Ex quo intelligimus, primo illud ex eo miraculo herbæ colligi, non esse damnandas, neque divina Lege interdictas Imagines Christi, ac Sanctorum, aut in Idolorum censum, numerumque relegandas, ut impie jactitant Iconomachi. Secundo, Christianos per illud tempus adeo ab Imaginibus ipsis non abhorruisse, ut

earum fragmenta ab Ethnicis dispersa in honore, haberent, ac pretio. Varia adversus hanc historiam Carolini Operis Auctor Lib. IV. Cap. XV. itemque Kemnitius, & Molinæus excogitarunt commenta, & ineptas explicationes, quæ quidem sunt nugacissima, uti laudatus Petavius, & alii Theologi passim notarunt.

III. Aliud usurpatum apud veteres Christianos, etiam quum adversus ipsos Tyrannorum persequutio insæviret, Imaginum exemplum suppeditat Tertullianus in Libro, *De pudicitia*, Cap. X. ubi ait, suo ævo, idest Sæculo II. in sacris Calicibus depingi solitas Imagines Christi, qui amissam ovem, & inventam succollans, ad ovile reportabat, juxta parabolam ejusdem Christi D., quam legere est in Euangelio Lucæ Cap. XV. Verba autem Tertulliani hæc sunt: *Cui ille si forte patrocinabitur Pastor, quem in Calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani sacramenti; merito & ebrietatis idolum, & mœchiæ asylum post Calicem subsequuturæ, de quo nihil libentius bibas, quam ovem pœnitentiæ secundæ. At ego ejus Pastoris scripturam haurio, qui non potest frangi.* Quibus verbis, uti superius dictum est, Imaginem, Christi sub Pastoris habitu pingi solere, apud veteres ostendit. Præclarissimum pro usu Imaginum in Ecclesia monumentum præbet nobis haud dubie pervetusta Synodus Illiberritana circa tertium medium seculum celebrata, Can. XXXVII. perperam ab hæreticis adversus Imaginum usum, ac venerationem Catholicæ Ecclesiæ objectum, quem, alii Theologi eruditissimi ab ineptis eorum interpretationibus egregie vindicarunt.

IV. Extant etiamnum Romæ in Cœmeteriis variæ Sanctorum Imagines tempore persequutionis in illorum parietibus expressæ, quas non semel ipsimet vidimus, quasque etiam curiosus sacræ antiquitatis studiosus observare poterit in celebri Opere, *De Cæmeteriis*, a Viro Clarissimo Marco Antonio Buldetho Italico Idiomate exarato, & apud doctissimum Virum Petrum Franciscum Fogginium, *De Romano Divi Petri itinere, & Episcopatu, ejusque antiquissimis Imaginibus*, Exercitatione XX. ubi inter alia scitissime observat, quod jam diu hominibus familiare erat, ut aut Deorum, aut Majorum suorum figuris, quibus in mensis utebantur, vasa exornarent, etiam, primævæ Ecclesiæ Christianos facere consuevisse, quippe qui vasa, quæ in mensis suis adhibebant, variis veteris, novique fœderis historiis, præcipue vero SS. Petri, & Pauli Imaginibus exornabant. Legendus integer Auctoris tractatus, in quo tanta eruditione, ac doctrina Romanum S. Petri iter, ejusque Episcopatus asseritur, ac propugnatur, ut nihil amplius ad confodiendos hæreticos perpetuos Romani Pontificis hostes desiderari videatur. Ut omittam multa alia in ipsius Auctoris exercitatinoibus contenta, atque explicata, quibus & Patrum oracula, & vetera Ecclesiæ monumenta egregie illustrantur.

V. Sed ut de eadem re aliqua Patrum testimonia proferamus, qui eodem, quo data est pax Ecclesiæ, seculo floruerunt, Christum cum Apostolis, Petro, & Paulo pictum fuisse, dilucide, ostendit S. Augustinus Lib. I. *De consensu Euangelistarum*, Cap. X. Ibi enim de quibusdam Gentilibus agens, qui libros nescio quos a Christo scriptos ad Apostolos illos esse fingebant, cur istos potius elegerint, hanc rationem assignat; *Cum enim vellent tale aliquid fingere, Christum scripsisse ad Discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse, facile crederetur, tanquam ad illos, qui ei familiariter adhæsissent; quibus illud quasi secretum digne committeretur; & occurrit eis Petrus, & Paulus. Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt; quia merita Petri, & Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius, & solemniter Roma commendat.* Idem S. Doctor Sermone XCIV. de, diversis, qui est de natali S. Stephani, meminit Imaginis pictæ, in qua martyrium Sancti Illius erat expressum: *Dulcissima pictura est hæc*, inquit, *ubi videtis, S. Stephanum lapidari: videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem.* Abrahami quoque filium suum in Sacrificium offerentis picturam commemorat idem Augustinus Lib. XXII. contra Faustum, Cap. LXXIII. eamque multis in locis conspici ait.

VI. Augustino adjungimus ejus amicos, coævosque, Hieronymum, Ambrosium, & Paulinum, quorum primus in Cap. IV. Jonæ Prophetæ, hæc habet: *Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo Saucomarias vocant, solent Apostolorum Imagines adumbrari.* Alter vero in Epistola LIII. Pauli effigiem itidem coloribus expressam fuisse docet, ubi de SS. Gervasio, & Protasio sibi per visum oblatis loquitur: *Cum quadam*, inquit, *mihi tertia apparuerunt persona, quæ similis esse Beato Paulo Apostolo videbatur; cujus me vultum pictura docuerat.* Paulinus tandem in Natali IX. S. Felicis refert, se in Basilicæ porticibus Testamenti veteris historias eam ob rationem pingendas curasse, quod ad celebrandum S. Felicis diem Festum, ingens rusticorum, & imperitorum turba conflueret, quæ cum legere nesciret, librorum instar pictas istas figuras haberet. Fuisse hunc apud veteres morem, ut in Templis, & in sacra supellectile Ecclesiæ, historiæ veteris, ac novi Testamenti depingerentur, alii etiam Scriptores tradunt, ejusque antiqui moris meminimus jam in Opere nostro, *De Codice Sancti Euangelii &c.* Lib. III. Cap. XLI. Porro testatur in Epistola sua duodecima ad Severum idem Paulinus, conditam a se Basilicam picturis, & Imaginibus fuisse ornatam, sacramque Sanctissimæ Trinitatis effigiem, musivo opere expressam in Basilica, quam in honorem S. Felicis ædificarat, versibus hisce, exponit.

Pleno coruscat Trinitas Mysterio.
Stat Christus agno: vox Patris Cælo tonat.
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ sunt corona Apostoli.
Quorum figura est in columbarum choro.

VII. Idem usus, ac cultus Imaginum priscis seculis in Ecclesia usurpatus constat etiam ex testimonio Græcorum Patrum, inter quos S. Gregorius Nyssenus in Oratione de Deitate Filii, & Spiritus Sancti, meminit Abrahami, ejusque Sacrificii in tabulis depicti, & ad hujus aspectum, magnam se vim profudisse lacrymarum asserit: qui locus in Actione V. hujus Synodi relatus legitur. Idem præterea S. Pater in Oratione de S. Theodoro Martyre non modo scribit, Sancti hujus Reliquias magno in honore habitas fuisse, ac Basilica magni operis extructa, in ea esse reconditam illarum thecam, verum etiam parietes Templi ait picturis fuisse decoratos, quibus memorati Martyris certamina graphice coloribus expressa visebantur: *Solet enim*, inquit, *pictura tacens in pa-*

riete

riete loqui, maximeque prodesse. Erat sane mos, ut in Ecclesiæ parietibus vel historiæ veteris, ac novi Testamenti depingerentur, vel Martyrum certamina, in quorum honorem Basilicæ ipsæ Deo erant dicatæ. Sic Asterius Amaseæ in Ponto Episcopus in panegyrica Oratione de S. Euphemia Martyre ejus Templum describens, tabulam pictam, & ad ejus loculum appensam eleganter exponit, qua Sanctæ Virginis effigies, ac totius historia Martyrii continebatur: *Pictor vero*, inquit, *etiam ipse religiose per artem suam totam pro viribus in lintea designatam historiam ibidem juxta thecam sacram appendit, ac proposuit spectaculum*. Theodoretus autem in vita S. Simeonis Stilitæ egregium exhibet testimonium de antiquo, ac frequenti usu, & veneratione Imaginum; ait enim, *Romæ passim in officinarum propylæis erectas fuisse Sancti illius Imagines, ut hanc sibi tutelam, ac præsidium adjungerent*.

VIII. Nilus tandem Abbas Sanctissimus, & S. Joannis Chrysostomi discipulus in Epistola ad Olympiadorum Præfectum, cujus locus laudatur in Actione IV. hujus nostræ Synodi, consulenti huic, cujusmodi picturis Templum, quod ædificare statuerat, exornaret, suadet ut Crucis effigiem, & veteris, ac novi Testamenti historias eligat: *Ut qui literas, nesciunt*, inquit, *neque sacras literas possunt legere, picturæ contemplatione in memoriam revocent illorum præclara facta, qui vera Deo sincere servierunt*. Atque hæc est ratio præcipua, cur sacris Imaginibus usa est Ecclesia, ut nimirum, quemadmodum etiam docet S. Gregorius Lib. VII. Epistola CX. ad Serenum Episcopum Massiliensem, *hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent*. Quo in loco rationem, ut dixi, affert Gregorius, cur Imagines, & picturæ in Ecclesiis proponendæ sint, & aptam, & a plerisque Catholicis usurpatam; ad quam Germanus Patriarcha Constantinopolitanus alteram affert non minus idoneam, quæ in ipsa etiam Actione IV. hujus Synodi refertur. Sic enim inquit: *Domini figuræ secundum carnem in Imaginibus effingi speciem, ad hæreticorum confutationem pertinet, qui adumbratione sola, non revera hominem illum esse factum delirantes asserunt; tum ad eos docendos, ac veluti manu deducendos, qui in sublime contemplationis spiritalis attollere se nondum omnino queunt, sed corporali quadam consideratione opus habeat ad eorum confirmationem, quæ auditu perceperunt*. Ubi nota priorem illam quam Germanus attulit rationem, Christi præsertim effigiem vel ea de causa effingi oportuisse, ut Manichæorum, ac similium pestium, quos Phantasiastas vocarunt, excludatur insania, qui veram carnem, ac nostræ similem detrahebant Christo Domino.

IX. Quamquam vero multæ sint utilitates, quæ ex sacrarum Imaginum usu, & aspectu in populum Christianum derivant, quæque a Theologis passim recensentur, illa hoc loco minime omittenda est utilitas, ac ratio illarum usus; estque, ut in ipsis Imaginibus sacris honoretur, atque colatur Christus, ejusque Sancti, & quidem juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, ac Patrum traditionem, uti docent in VII. Actione nostræ hujus Synodi Patres, ubi postquam definierunt, exhibendam esse Imaginibus sacris salutationem, & honorariam adorationem, ita protinus addidere: *Sic enim Sanctorum nostrorum Patrum optima disciplina, & Ecclesiæ Catholicæ habet traditio*. Sed & in fine Synodus ipsa ita etiam exclamavit: *Omnes sic credimus. Hæc est Fides Patrum. Nos antiquæ Ecclesiæ legislationi insistimus. Nos decreta Patrum custodimus*. Potest autem hæc veritas ita declarari, nam Imagines quidem, uti passim Theologi docent edocti a sacris Conciliis, non sunt per se, ac principaliter factæ, ut adorentur, sed potius, ut per eas colantur, & honorentur personæ, quas repræsentant, simulque, ut ad sacrum Templorum cultum, & ad spiritualem utilitatem fidelium inserviant.

X. Porro legi de ea re potest celeberrimum Decretum Oecumenicæ Synodi Tridentinæ de veneratione Sacrarum Imaginum, ubi inter alia ait, atque definit, *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquod petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; itaut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur*. Plura, quæ afferri hic possent, omitto, quod fuse passim hæc res a sacris Theologis pertractetur, præsertim vero a Bellarmino, Petavio, & doctissimo Suarez Lib. II. contra Regem Angliæ, Cap. XI. & XII. Vide quæ diximus nos nostro II. Tomo Commentariorum in Partem alteram Romani Pontificalis, ubi egimus de ritu benedicendi sacras Imagines.

Argumenta hæreticorum adversus sacrarum Imaginum usum, & cultum refelluntur.

CAP. II.

I. PRæcipua argumenta, quæ ab hæreticis contra usum, ac venerationem sacrarum Imaginum hodie adseruntur, olim etiam a veteribus Iconomachis allata, & in nostra hac VII. Synodo, ab aliisque Patribus multis doctissime confutata sunt. Primum est ex Cap. XX. Libri Exodi, Cap. V. Deuteronomii, ubi recensetur illud Dei præceptum: *Non facies tibi sculptile, neque similitudinem omnem, quæ est in Cælo, desuper & in terra deorsum, neque eorum, qui sunt in aquis sub terra*. Sed respondent passim Theologi, non omnem ea auctoritate prohiberi sculpturam, aut picturam, alioquin contra divinum istud præceptum venisset Moyses, qui & Cherubin in Tabernaculo, & serpentem æneum in Deserto fecit: prohibetur igitur omnis sculptura, vel pictura, quo pacto ea ab Ethnicis habebatur, quorum quidam arbitrabantur, Idolum illud, aut Imaginem esse Deum, dicentes ligno, ut legitur Jeremiæ Cap. II. *Pater meus es; & lapidi, tu me genuisti*: de quibus multa videre est, Isaiæ Cap. XLIV. Sapientiæ Cap. XIII. & in Psalmis non uno in loco. Sic Exodi Cap. XXXII. dixerunt: *Isti sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de Ægypto*. Alii paulo sapientiores dicebant, idola esse corpora Deorum, aut eorum habitacula, quibus illi tamquam Spiritus corporibus insidenies

non parum sanctitatis darent. Sic teste S. Augustino Lib. VIII. *De Civitate Dei*, Cap. XIII. docuit Hermes Trismegistus. Varro alio, sed simili errore implicitus fuit, ut idem Augustinus ostendit Lib. VII. *De Civitate Dei*, Cap. V. & seqq. Epicurei vero existimarunt quidem, Deum in Cælis versari, sed corporeum; ideoque docuerunt, idola Dei esse figuras, atque Imagines.

II. Ab his erroribus ut populum suum Deus abduceret, vetuit fieri sculptile, hoc est aliquam Imaginem, quam putarent esse Deum, ut primi illi, qui vel aliquid habere Numinis, ut Varro, Hermes, Porphyrius; vel divinitatem posse ulla similitudine referre. Cum enim Deus infinitæ sit majestatis, atque naturæ, nulla est imago, non modo corporea, quæ oculis, sed nec spiritualis, quæ intellectui, vel hominis, vel Angeli, divinam naturam repræsentare possit. Neque vero hoc pacto Ecclesia Dei picturas veneratur, ut Imagines putet, naturæ divinæ effigiem expressam continere, ut scitissime docet Augustinus in Psalmum CXIII. Christi autem, & Sanctorum Imagines in Ecclesia habentur, quod eorum corpora fingi, pingi, sculpi, & repræsentari possint. Quod si Adversarii nobis objiciant Imagines Dei, & Sanctissimæ Trinitatis, quæ passim in Ecclesiis habentur; dicimus nos, nulla ratione Christianos colere, vel asservare Sanctæ Trinitatis, vel Dei Patris, vel Spiritus Sancti Imagines. Nam quod Pater depingatur ut senex dierum, non imago est Patris, sed repræsentatio visionum Danielis Prophetæ, & Joannis Apostoli. Rursus columba picta non est Imago Spiritus Sancti, sed illius columbæ, sub cujus aspectu in Jordane Spiritus Sanctus descendit, ubi Christus baptizatus est a Joanne, uti habetur Matthæi Cap. III. Porro tolerantur hodie hujusmodi Imagines ob mysticam ipsarum significationem, & quod periculum nullum subsit Idololatriæ. Sciunt enim Catholici, Deum corporis expertem esse, atque incircumscriptæ, & infinitæ Majestatis; hæresimque esse Anthropomorphitarum, Deo corpus tribuere.

III. Alterum argumentum desumunt hæretici ex Epistola S. Epiphanii, quam ajunt ab ipso scriptam ad Joannem Hierosolymitanum, & a S. Hieronymo latinitate donatam, in qua narrat ipse Epiphanius, in Palæstina, cum ad vicum quemdam venisset, qui dicitur Anablatha, Imaginemque Christi, vel Sancti cujusdam velo suspensam dilacerasse. Verum omissa nonnullorum Theologorum responsione ajentium, Epistolam illam fuisse ab Iconomachis confictam, rectius alii respondent, Imaginem illam ideo rescissam ab Epiphanio fuisse, vel quod non congrue esset expressa, vel quod superstitionis alicujus, aut erroris occasionem rudibus Anablathensibus præberet. Quod & nunc in simili occasione deberent Episcopi facere ex Decreto Concilii Tridentini de veneratione Imaginum. Ceterum dici & illud potest, nondum in Ecclesiis Cypri, & Palæstinæ receptum fuisse, ut Imagines in Ecclesia proponerentur, ideoque S. Epiphanium exhorruisse, cum depictam in velo pro foribus Templi Anablathensis suspenso conspexit Imaginem, quasi Christi, vel alicujus Sancti, & velum illud conscidisse. Puto equidem, illam Imaginem, quam Epiphanius dilaceravit, nequaquam fuisse Imaginem Christi, vel Sancti alicujus, sed cujusdam hominis potentioris, quam forte pro foribus Templi appenderent, ob collatum aliquod Templo beneficium; eaque est opinio eruditissimi Francisci Roye Lib. I. *De juribus honorificis in Ecclesia*, Cap. VIII. ubi eo Epiphanii testimonio utitur ad probandum antiquum morem appendendi in Ecclesiis Imagines Potentiorum.

IV. Urgent præterea hæretici Canonem XXXVI. Illiberritanum, cujus verba hæc sunt: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Difficultate hujus Canonis oppressus Baronius, anno LVII. levissimis rationibus Canonem ipsum supposititium existimavit, quas tamen egregie refellit Gonzalez in sua ad illum Canonem expositione. Canon genuinus est, ejusque variæ a doctis Viris traduntur interpretationes ad asserendum sanctarum Imaginum cultum, & debitum honorem. Ajunt enim nonnulli, eo Canone rejectas esse Imagines pictas, non sculptas ob Idololatriæ metum, ut de Salvatore in forma Jovis picto tradit Nicephorus Lib. V. Cap. XXIII. Alii censent, id ideo constitutum, ne imminente persequutione Christiani Imagines ipsas in pariete pictas auferre secum, aut occultare non possent, & ita essent ludibrio Judæis, & Paganis. Quidam etiam hanc ejus Decreti rationem reddunt, ne picturæ ipsæ facile deformentur, parietum crustis dejectis, & inde amissa venerabili forma, potius contemtui sint, quam venerationi. Sunt & alii qui ajunt, pro temporum varietate, statuta variari humana, ideoque sublatum fuisse in Provincia Bætica, ubi Synodus Illiberritana celebrata est, Imaginum usum, & cultum actualem ex Ecclesiis, quia partem illam disciplinæ minus expedire Christianis tunc temporis inter Idololatras viventibus judicarunt Illiberritani Patres. Stare namque posse Christianam Religionem absque usu Imaginum, nec Apostolicas Traditiones ab Ecclesia violari, si legitimas ob causas Imaginum usus in aliquibus locis ad tempus aboleretur, docet inter alios Joannes Antonius Delfinus Lib. III. *De Ecclesia*. Estque ea de re celebre exemplum in sacris literis, ubi narrant, Ezechiam serpentem æneum, quo populum abuti ad superstitionem videbat, pie, prudenterque subvertisse, quem alias Moyses Dei mandato erexerat. Objiciunt & alia multa hæretici, præsertim Joannes Dallæus Minister Calvinista, adversus usum & cultum sacrarum Imaginum, quos tamen egregie confutat Natalis Alexander in historiam Ecclesiasticam VIII. Seculi, Dissertatione VI.

De Synodi Francfordiensis Decreto circa Imaginum cultum a nostra hac Nicæna Synodo assertum, & de Conventu Parisiensi circa eandem rem habito, ac de libris Carolinis.

CAP. III.

I. Habita est Francfordiensis Synodus anno DCCXCIV. ad Moenum amnem (est enim altera ejusdem cognominis Urbs ad flumen Oderam) convocatis ex Gallia, Italia, Germania, atque Britannia CCC. ut minimum Episcopis. Ejus Canones sex & quinquaginta primus publicavit Sirmundus eruditissimus; antea enim duo tantum prodierant, quorum primus hæresim damnat Elipandi Toletani Episcopi, & Felicis Episcopi Urgelitani, qui Jesum Christum hominem nega-

negabant filium esse Dei naturalem, sed asserebant, tantummodo esse adoptivum, Deique servum. Alter est de adoratione Imaginum, quem hæretici passim Catholicis objiciunt, estque hujusmodi: *Allota est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitium renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

II. Hanc ut objectionem refellant Alanus Copus, Gregorius de Valentia, Vasquezius, Suarez, Binius, aliique non pauci ajunt, Patres Francfordienses nequaquam eo Canone damnasse Synodum Nicææ ad restituendum Imaginum cultum habitam, & vere VII. atque Oecumenicam, sed eam, quæ ab Iconomachis Constantinopoli tribus & triginta ante hanc nostram Nicænam annis ad evertendas Imagines celebrata fuerat. Sed futilis est hæc responsio, facileque refellitur. Constat enim ex ipsis verbis recitati Canonis damnatam fuisse a Patribus Francfordiensibus Synodum, quæ de adorandis Imaginibus in Græcia celebrata fuerat; non vero illam, quæ ab Iconomachis habita, expresse statuit ex Ecclesiis ejiciendas esse Imagines, & confringendas. Porro quod ipsi Patres Francfordienses dicant, se rejicere Græcorum Synodum, Constantinopoli habitam, nihil omnino futili citatorum Theologorum opinioni patrocinatur; vocant enim Nicænam Synodum Secundam, idcirco Constantinopolitanam, quia Constantinopolim convocata fuerat, unde Nicæam translata est, uti ex historia Nicænæ ipsius Synodi constat.

III. Siquis autem hic roget, cur Synodus Francfordiensis Decretum illud adversus cultum Imaginum, & Concilium VII. Oecumenicum edidit, ratio illa reddi potest ex ipsis Francfordiensis Canonis verbis, quia scilicet putarunt Patres, contra id quod veritas haberet, adorationem Latriæ, quæ soli Deo debetur, a Nicæna II. Synodo fuisse Imaginibus decretam, sicut Deificæ Trinitati, lato in eos, qui refragarentur, anathemate; & hanc solum adorationem, & servitutem rejecerunt, atque damnarunt, non vero religiosam qualemcumque venerationem. Itaque recte docent doctissimi Cardinales Baronius, Bellarminus, Perronius, aliique insignes Viri, Patres Concilii Francfordiensis Septimam Synodum errore facti deceptos damnasse, sed constitutum ab ea dogma de Imaginum veneratione non impugnasse, aut ab ea de summa Fidei dissensisse.

IV. Quod autem in facto erraverint, nec plane perspectam, ac exploratam habuerint Synodi Septimæ sententiam, indicant ipsa recitati superius Canonis verba. Primo enim errant, quod dicant Synodum Constantinopoli celebratam, cum habita sit Nicææ. II. quod Constantinopolim esse Bithyniæ Urbem asserunt, cum sit Thraciæ. III. quod affirment, fuisse illam Græcorum Synodum sine Romani Pontificis consensu habitam, cum tamen constet, fuisse ab Hadriano Papa indictam, & approbatam, ejusque Legatos in ea præsedisse. IV. quod eamdem Synodum constituisse inquiant, ut Imagines eodem cum Deo cultu colerentur, cum alias in ipsius Nicænæ Synodi Actione I. Basilius Ancyræ Episcopus olim Iconomachus non aliter a Nicænis Patribus admissus fuerit, nisi profitendo palam, sacras Imagines esse venerandas, & adorandas, modo ne Latriæ cultu, qui soli Deo debetur. Cum qua Fidei protestatione in III. IV. & VII. Actione alii similiter reconciliati sunt Episcopi, & Ecclesiæ, ac unitati fidelium redintegrati, modo scilicet ne Latriæ cultu soli Deo competenti sacræ Imagines adorentur. Atque hic obiter nota, quod, ut omnis verborum tollatur ambiguitas, Latriæ cultum intelligunt quidem Nicæni Patres absolutum illum cultum, qualis a Gentilibus deferebatur Idolis, quæ absolute ab eisdem ut Dii colebantur, existimantibus Numen in illis statuis residere; cum tamen Fidelium cultus erga Imagines sit respectivus ad Deum, vel Sanctos per Imagines repræsentatos, ut possit ejusmodi cultus pro exemplarium dignitate coram Imaginibus delatus dici Latriæ, vel hyperduliæ, vel duliæ cultus, uti distinguunt Theologi; & respectivus quidem, quoad Imaginem; absolutus autem quod attinet ad exemplar, seu prototypum per Imaginem repræsentatum.

V. Dici quoque & illud potest cum eruditissimo Mabillonio in Præfatione ad priorem partem Seculi IV. Benedictini, Gallos tam in memorata Synodo Francfordiensi, quam in Conventu Parisiensi anni DCCCXXV. culpa non vacasse, si non ritu colendi Imagines, saltem in modo impugnandi Decretum Nicænæ Synodi, quam universalem esse pernegabant, ut probat Auctor Libri Carolini, Lib. IV. Cap. XXVIII. Ceterum perspectam probatamque Romanis Pontificibus Gallorum Religionem in Imagines sacras satis apparere, tum ex Responso Hadriani Papæ, qui eos nusquam erroris notat, tum ex aliis Pontificibus, qui nullum de hac re negotium Gallicanæ Ecclesiæ facesserunt, pluribus docet laudatus Mabillonius, quem ex omnibus Auctoribus, qui de ea materia egere, solidius eam tractasse, & in sensum Auctorum eo tempore viventium melius penetrasse tradit Pagius in Vita Papæ Hadriani. Fatetur nihilominus Joannes Cabassutius in Notitia Conciliorum Cap. LXXVI. in fine, ubi agit de Synodo Francfordiensi, Librisque Carolinis, *constare certe ex Anastasii Præfatione ad VII. Synodum Gallos nonnullos Imaginum venerationem respuisse.*

VI. Quod tandem Libros Carolinos spectat, docet Natalis Alexander Dissertatione VI. in historiam Ecclesiasticam Seculi VIII. §. VI. illorum Auctorem esse quidem Carolum Magnum, non vero hæreticum aliquem Iconomachum, uti visum est Surio, Bellarmino, aliisque Scriptoribus non paucis. Id quod postquam variis argumentis ostendere conatus est, tum §. VII. relictis aliquorum Scriptorum responsionibus, qui Librorum Carolinorum Auctorem, & totam eo tempore Ecclesiam Gallicanam, venerationem Imaginum impugnasse leviter fatentur, diserte ait, pluribusque etiam ostendit argumentis, Carolinos Libros solum cultum Latriæ, uti de Francfordiensi Synodo, & Parisiensi Conventu dictum fuit, per se Imaginibus abdicare, qui scilicet Deo soli debitus est. Hunc scilicet cultum a Synodo Nicæna II. sancitum arbitrabantur Gallicani Præsules, & Carolus Magnus. Cultus enim, quo Imagines propter insidentem sanctitatem colerentur, & in ipsis collocarent Christiani spem suam, & ipsis servirent, & qui vetitus est hoc præcepto Legis divinæ: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*; est cultus Latriæ. Hunc autem solum illicite deferri contendit Imaginibus Auctor Librorum

rum Carolinorum, quem a Nicæna Synodo ipsa adjudicatum putabat, erravitque iccirco & ipse, sicut & Patres Concilii Francfordiensis, & Conventus Parisiensis errore facti.

An Patres Synodi Nicenæ II. senserint, definierintque, Angelos esse corporeos; & an hodie de Fide sit esse incorporeos.

CAP. IV.

I. Actione hujus Synodi quinta inter quamplurima Sanctorum testimonia locus adducitur Joannis Thessalonicensis Episcopi, sive Dialogus, in quo cum gentili Sanctus quidam disputans inducitur; ubi asseritur, Sanctos Dei Angelos, Sanctorumque animas figuris corporeis sufficienter repræsentari, eo quod utrisque Ecclesia Catholica corporeas substantias attribuat, tenuissimas quidem utpote igneas, aut aerias; id quod Auctor ille confirmare conatur, tum Regii Prophetæ Davidis, & Pauli Apostoli testimonio, ajentium: *Qui facit Angelos suos Spiritus, & Ministros suos flammam ignis*; tum etiam Athanasii, Basilii, Methodii, aliorumque Patrum complurium auctoritate. Lecto Joannis Thessalonicensis loco, Tharasius Patriarcha, quid inde consequens foret, colligens; *Ostendit*, inquit, *Pater, etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt, Sancta Synodus dixit: Etiam Domine*.

II. Dici nequit, quantum is recitatus locus Theologos non paucos torserit, quia scilicet illam de Angelorum corporibus Joannis sententiam approbasse Synodus Oecumenica videtur; conatique iccirco sunt variis modis eam difficultatem explicare. Sed recte docet Petavius eruditissimus Lib. I. *De Angelis*, Cap. II. Num. VII. nihil necesse esse, etenim Tharasius ex Joannis oratione id unum arripuit, cui & Synodus assentitur, circumscriptos esse Angelos, & humana specie esse conspectos, ideoque illos fas esse pingere; de eorumdem corporibus tacuit; adeoque nullum ex eo præjudicium ad illam controversiam fieri potest. Docet præterea Estius in Distinctionem VII. Libri II. §. III. utcumque se habeat opinio Joannis Episcopi Thessalonicensis, cujus in laudata Synodo verba lecta fuerunt, Patres Synodi non ipsam opinionem approbasse, sed quod ex ea veluti consequens idem Episcopus deducebat, quodque suis deinde verbis Tharasius Patriarcha repetebat, videlicet, Angelos recte pingi, nam de sacrarum Imaginum usu in ea Synodo agebatur. Ad ejus autem rei probationem variæ proferebantur sententiæ Patrum, quæ quidem eatenus approbatæ fuere, quatenus ad statuendum usum ipsum sacrarum Imaginum valebant.

III. Neque vero ob id infirma probatione Synodus utebatur; probabat enim suam doctrinam argumento ducto ab auctoritate, & sententiis Patrum, qui præcesserant, etiamsi illi ad confirmandas suas sententias non ubique certa, & solida attulissent argumenta, nec veras semper sumptiones; fit enim interdum, ut ad probandum, quod verum est, utantur Auctores argumentis parum firmis. Ceterum dici etiam potest, quod una cum Estio Theologi passim docent, Synodum nostram respexisse ad unam dumtaxat, eamque extremam probationis partem, qua, nimirum dicitur, Angelos sæpe numero hominibus apparuisse in forma humana. Hoc enim & verum est, & per se sufficiens ad probandum, quod iu hujusmodi forma recte pingantur, sive natura sua corporei sint, sive incorporei.

IV. Quod attinet ad alteram Quæstionis partem, videtur quidem nonnullis ad Fidem pertinere, scilicet Angelos esse incorporeos, nec habere corpora sibi naturaliter unita, & proinde non sine errore Fidei contrario posse contrarium asseri. Quorum potissimum argumentum est ex Decreto Concilii Oecumenici Lateranensis IV. in quo Can. I. definitur conditam a Deo esse *creaturam spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam*. Ubi si spiritualis creatura extenderetur etiam ad corpora subtiliora, qualis est aer, jam non consisteret distinctio, quam in eo Decreto Concilium intendit, inter creaturam spiritualem, & corporalem: nam utroque membro aer contineretur, priori quidem juxta suppositionem factam; posteriori vero, quia aer cum sit unum ex quatuor elementis, pertinet haud dubie ex intentione Concilii *ad corporalem*, idest *mundanam creaturam*, sicut & elementum ignis.

V. Eumdem intellectum probant ex eo, quod sic Angelica creatura vocatur ibi spiritualis, sicut anima rationalis vocatur spiritus, cum subjungit: *Ac deinde humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam*. Denique ex eo quod corporalia, & spiritualia in eodem Decreto vocantur visibilia, & invisibilia, quemadmodum & in Symbolo Constantinopolitano. Invisibilia autem in sacris literis intelliguntur, quæ pure spiritualia sunt, & incorporea, ut docet Apostolus in Epistola ad Romanos Cap. I. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt &c.* Et in Epistola ad Colossenses, Cap. II. *Qui est Imago Dei invisibilis*. Et in Epistola I. ad Timotheum, Cap. I. *Invisibili soli Deo honor, & gloria*. Quibus addunt alias Scripturas, ubi Angeli tam mali, quam boni spiritus vocantur, sicut Deus vocatur spiritus.

VI. Tradit hæc idem Estius ex aliquorum Theologorum sententia, aliosque laudat, qui moderatius, & rectius existimant, memoratis quidem argumentis effici, quo minus absque temeritate aliqua post Lateranensis Concilii Decretum affirmari possit, Angelos esse corporeos, aut habere corpora. Satis enim evidenter ex ipso Decreto apparet, hanc fuisse mentem Patrum illius Concilii, quod Angelica creatura sit spiritualis, eo modo quo anima humana spiritus est; non autem eo modo quo aer, & ventus, aut aliud quodcumque subtile corpus. Ceterum id ab Ecclesia definitum esse, & proinde ad Fidem pertinere negant; eaque in sententia esse ait laudatus Estius loco citato §. IV. S. Thomam, Sixtum Senensem, Bartholomæum Carranzam, Cajetanum, & Dominicum Bannes, qui in I. S. Thomæ partem, Quæstione LI. Articulo I. temeritatis quidem notat adversam sententiam, maxime propter Lateranense Decretum, sed eam tamen ab hæresi liberat. Ceterum enim apud Patres, & præcipuos Ecclesiæ Doctores res fuerit ambigua, aliis affirmantibus, Angelos esse incorporeos, aliis negantibus, aliis dubitantibus, non est verisimile Patres Concilii Lateranensis, de re quæ apud illos incertæ fuit traditionis, definitam proferre sententiam.

COM-

COMMENTARII IN CANONES
CONCILII NICÆNI II.
TITULI CANONUM.

CANON I.

His, qui sacram sortiti sunt dignitatem, testimonia, & directiones Canonicarum præceptionum formæ consistunt. Quas libenter suscipientes cum Deiloquo David canimus ad Dominum Deum, dicentes: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Et mandasti justitiam testimonia tua in æternum: Intellectum da mihi, & vivam.* Et si in æternum Prophetica vox mandat nobis custodire testimonia Dei, & vivere in illis, im-

immaculata profecto, & immota permanent. Et quia Dei inspector Moyses ita dixit: *In illis non est addendum, & ab eis non est auferendum*. Et divinus Apostolus in eis gloriatus clamat: *In quem desiderant Angeli prospicere*. Et: *Si Angelus euangelizaverit vobis, præter quod accepistis, anathema sit*. His ita se habentibus, & protestantibus, exultantes in eis, sicut qui invenit spolia multa, divinos Canones amplectabiliter in pectore recondamus, & integram illorum præceptionem, ac immobilem teneamus; tam scilicet illorum, qui ab almis, & laudabilissimis Apostolis Sancti Spiritus tubis editi sunt, quam eorum, qui a sex sanctis, & universalibus Synodis, atque his Conciliis, quæ localiter collecta sunt, in expositionem hujusmodi Decretorum promulgati sunt, necnon & eorum, qui a sanctis Patribus nostris prolati fuisse probantur. Ab uno enim eodemque Spiritu illustrati definierunt quæ expediunt, & quidem quos anathemati transmittunt, & nos anathematizamus; quos vero depositioni, & nos deponimus; quos autem segregationi, & nos segregamus. Porro quos Epitimio, idest, pœnæ, tradunt, & nos quoque simili modo submittimus. *Sine avaritia namque sunt mores, contenti præsentibus*; Paulus aperte clamat divinus Apostolus, qui in tertium Cælum ascendit, & audivit ineffabilia verba,

COMMENTARIUS.

I. Testimonii nomen passim iu sacris literis usurpatum occurrit, præsertim vero in Psalmo cxviii. ex quo loca etiam aliqua Canon attulit. Est igitur primo, quid testimonii nomine intelligatur, explicandum: *Sunt ergo testimonia*, ut definit Zonaras, *supremi Numinis constitutiones, quæ nobis, & quo pacto vita instituenda, & quibus suppliciis puniendi sunt, quicumque divina imperia contempsere, testantur, atque ob oculos ponunt*. Tum vero hæc statim addit: *Qui vero sacri Ordinis dignitate honestati sunt, iis divinos Canones, quæque illorum auctoritate descripta, & constituta sunt, testimonii loco esse debere, hujus Synodi Patres affirmant. Quis enim vitæ modus, quæ ratio unicuique servanda, testantur, quæque illorum pœnæ luendæ sint, minantur, atque præmonstrant*.

II. Ecclesiasticos Canones, ubi legitime editi sunt, ac probati, recte vocari divinos, constat sane ex S. Leone Magno Pontifice Maximo, qui in Epistola lxxxiv. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, Cap. II. loquens de Canonibus Concilii I. Nicæni, illos ait esse *spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos*. Verum Constantinopolitanos, Chalcedonenses, vulgares Apostolicos, & præsertim Trullanos Canones, quos Apostolica Sedes dudum abjecit, longe abesse ab ea dignitate, quam legitimis Canonibus, ac probatis S. Leo, ac alii Patres asserunt, recte notat Lupus eruditissimus in suo ad hunc Canonem Scholio; ubi etiam docet, eorum quosdam numquam, quosdam dumtaxat dispensatorie ab ipsa Apostolica Sede, & quidem ægre fuisse admissos. Porro & omnes Trullanos, & singulos in primo Trullano expressos Canones, Canon noster confirmat, divinosque appellat, atque ita omnino excedit, ac fallitur, eumque errorem jam plures viri eruditi fatentur. Quod mirum videri non debet, cum enim de facti tantummodo quæstione agatur, falli haud dubie potuit Oecumenica Septima Synodus, II. Nicæna, ubi præsenti hoc Canone I. spurios etiam Canones confirmavit, divinosque asseruit. Quod quidem non recte factum est, non semel enim jam supra ostendimus, in multis lapsos fuisse Patres Trullanos.

III. Ad hæc cum in hoc asserantur Canone, & confirmentur Canones a sex universalibus Conciliis editi, compertumque jam sit, nec a Quinta, nec a Sexta Synodo ullos editos esse Canones, addubitari certe nequit, quin Patres Synodi hujus, Trullanos Canones universalibus Synodis, idest, Quintæ, & Sextæ adscripserint, eosque sub hoc titulo confirmaverint. Cum enim Synodus Trullana ad supplementum Quintæ, & Sextæ coacta fuerit, atque iccirco *Quini-sexta* appellata, Canones illius Synodis ipsis adscribi potuisse videntur. Extat sane perspicuum ejus rei in hac ipsa Septima Synodo argumentum. Quum enim Actione iv. prolatus esset Canon lxxxii. Trullanus sub nomine *sanctæ, & universalis Sextæ Synodi*, & nonnulli ambigerent, num hic Canon esset Synodi Sextæ, sanctissimus Patriarcha Tharasius dixit: *Quæ est hæc ignorantia, qua plerique laborant circa hos Canones? Scandalum enim est dubitare, num sint Sextæ Synodi*. Quod sensu jam allegato intelligi, Tharasius ipse in sequentibus exposuit, ut scite observat Vanespen in Nota ad hunc Canonem, ubi mox & illud subjungit, Canones Synodorum localium, sive quæ localiter coactæ sunt, atque in præsenti Canone confirmantur, esse indubie Ancyranos, Neocæsarienses, aliosque in II. Canone Trullano expressos, atque hoc rursus titulo non mediocrem hisce Canonibus accedere auctoritatem.

IV. Varia Scripturæ loca quibus Canon utitur ad constabiliendam præcedentium Canonum auctoritatem, quos ipse confirmat, fuse ac scite exponit Zonaras. Quod autem attinet ad ea Canonis verba: *Porro quos epitimia, idest, pœnæ tradunt, & nos quoque simili modo submittimus*, sciendum est, Epitimium quidem hic cum pœna confundi, quæ tamen alibi ab ea distinguitur; cum illud

illud mera quandoque increpatio fuerit, quæ pœnam solet præcedere; hic autem pro quavis pœnitentiæ satisfactione sumitur, quæ solemnioris olim pœnitentiæ loco indicta est. Recte igitur Anastasius Bibliothecarius in Scholiis marginalibus ad Octavam Synodum, Actione 1. *Epitimia*, inquit, *multi quidem increpationes interpretantur; sed isto, & multis in locis pro pœnis ponuntur, quas Ecclesia unicuique pro qualitate culparum præcipit observandas, utpote jejunia, fletum, abstinentiam ciborum, genuflexiones, & his similia.* Id quod etiam ex Latina hujus Canonis versione addiscimus, ait enim *Epitimio*, *idest pœnæ*, ut cuique legenti Canonem patet.

CANON II.

Quoniam psallentes repromittimus Deo: *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos*: Omnes quidem Christianos hoc servare saluberrimum est, sed præcipue hos, qui Hierarchicam consequuti sunt dignitatem. Unde definimus, omnem, qui ad Episcopatus provehendus est gradum, modis omnibus Psalterium nosse; ut ex hoc etiam omnis Clericus, qui sub eo fuerit, ita moneatur, & imbuatur. Inquiratur autem diligenter & Metropolita, si in promtu habeat legere scrutabiliter, & non transitorie tam sacros Canones, quam divini Apostoli Librum, & omnem divinam Scripturam: atque secundum Dei mandata conversari, & docere populum sibi commissum. Substantia enim Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, idest, vera Scripturarum divinarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius. Quod si disceptaverit, nullatenus consecretur. Ait enim Prophetice Deus: *Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

COMMENTARIUS.

I. Quandoquidem Leo Isaurus Imperator, ac ejus successor, ac filius Constantinus Copronymus Episcopales Cathedras impiis hominibus, atque imperitis impleverant, qui Ecclesias, & Episcopalia munia fastidiebant non modo, sed & aversabantur, statuit merito Canon, neminem ad Episcopatum evehendum, nisi in Psalterii, ac ceterarum Scripturarum cognitione, & in sacrorum Canonum scientia versatus sit, ut hoc pacto ab illo Clerici quoque initiari, hoc est, eadem cognitione imbui discant. Examinari porro Episcopum vult ab eo, a quo renuntiandus est, Metropolitano, an ad sacros Canones, Evangelium, Apostoli Librum omnia denique divinæ Scripturæ monumenta perlegenda paratus sit, ac ita quidem, ut reconditas, abditasque illius sententias scrutetur, proindeque & uniuscujusque rei rationem intelligat, & populo sibi commisso erudiendo sit idoneus, ipsumque interrogantibus, ex Principis Apostolorum Petri præcepto in Epistola sua 1. Cap. III. sine cunctatione respondeat. Jubet ille siquidem fideles paratos esse semper respondere omni petenti ab ipsis rationem de ea, quæ in nobis est, spe.

II. Si autem, ut ait Canon, omnes quidem fideles in justificationibus Dei meditari, nec illius sermonum oblivisci oportet, eos autem maxime, qui sacri ordinis dignitate præditi, atque ornati sunt, jam non mirum videri debet, si ante hanc Nicænam II. Synodum, Concilium IV. Carthaginense anni CCCXCVIII. Can. 1. statuerit, eum qui Episcopus ordinandus est, antea examinandum, *si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius*; & inter alia, *si in Lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus.* Hinc narrat Theodorus Lector in Collectaneis, Archiepiscopum Leonem in more habuisse, ut neminem in sacrum Ordinem accenseret, qui Psalterium nesciret. Prodit etiam Nicephorus Libro XV. Historiæ, Cap. XXIII. Gennadium Constantinopolitanum, qui non prius Psalterium sedulo in ore habuisset, Sacerdotem ordinare noluisse. Quin & ipse S. Gregorius Magnus Lib. XII. Epistola VI. Rusticum Diaconum electum in Episcopum Anconitanum, eo quod Psalmos ignoraret, ordinare recusat; & Lib. IV. Epistola XLV. contra Joannem Presbyterum Ravennatis Ecclesiæ electum Episcopum ita Andreæ Scholastico scribit: *Sed nec Joannem Presbyterum Psalmorum nescium præsumsimus ordinare; hæc enim res minus sui profectus habere studium demonstrat.* Idipsum de S. Cæsario Arelatensi Episcopo testatur in ejus Vita Cyprianus Lib. 1. Cap. XVIII. ubi postquam dixit, quod numquam in Ecclesia sua Diaconum ordinabat ante trigesimum ætatis annum, ita statim subjicit: *Verum etiam hoc addidit, ut nec in qualibet majore ætate unquam ordinaretur, nisi quatuor vicibus in ordine libros veteris Testamenti legerit, & quatuor novi.*

III. His concinunt variæ Synodi tum ante, tum post hanc Nicænam habitæ, quibus quidem cautum est, ut qui Psalterium, Cantica, Hymnos, aliosque Scripturæ Libros memoriter nescirent, minime ordinarentur: *Nullus cujuscumque dignitatis Ecclesiasticæ deinceps percipiat gradum, qui non totum Psalterium, vel Canticorum usualium, & Hymnorum perfecte noverit supplementum.* Verba sunt Canonis Concilii VIII. Toletani anni DCLIII. Can. II. Quod ipsum repetit Coyacensis Syn-

Synodus anni ML. Can. v. statuens, *ut Archidiaconi tales Clericos constitutis quatuor temporibus ad Ordines ducant, qui perfecte totum Psalterium, Hymnos, & Cantica, Epistolas, & Evangelia, & Orationes sciant*. Plura his exempla, & Concilia adjicere possemus hujusmodi, sed satis est, recensere Canonem, *Quæ ipsis*, apud Gratianum, Distinctione xxxviii. ubi inter cetera, quæ Sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, expresse nominatur *Psalterium*, & Sacerdotis nomen vix in eo constare dicitur, qui illud ignoraverit.

IV. Nosse ergo Episcopus debet Psalterium, & omnem sacram Scripturam, quia scilicet, uti docet S. Isidorus Lib. II. *De Officiis Ecclesiasticis*, Cap. v. *Si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest, sic vivens: porro si & doctrina, & sermone fuerit eruditus, potest ceteros quoque instruere, & docere suos, & adversarios revincere, qui nisi refutati fuerint, atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere*. Citatur locus hic in Concilio Aquisgranensi i. sub Ludovico Pio, Cap. ix. & desumtus est magna ex parte ex Commentario S. Hieronymi in Epistolam Pauli ad Titum, Cap. i. ubi etiam idem S. Doctor quosdam sui, ac nostri ævi Episcopos graviter arguit, *qui inertiæ se, & otio, & somno dantes, putant peccatum esse, si scripturas legerint, & eos, qui in Lege Domini meditantur die, & nocte, quasi garrulos, inutilesque contemnunt*. Quam necessarium sit Episcopis studium ipsum divinarum Scripturarum, non uno in loco memoratus Hieronymus luculentissime ostendit, præsertim vero in Commentariis Aggæi Prophetæ, Cap. i. ubi loquens de iis qui non plene in Psalterio, ac aliis divinæ Scripturæ libris versati, ad Episcopales Cathedras provehuntur, ita alios sui pariter, ac nostri temporis carpit: *Saltem illud habeant, ut postquam Sacerdotes fuerunt ordinati, discant legem Dei, ut possint docere quod didicerint, & augeant scientiam magis, quam opes, magisque noctes, & dies, in scripturarum tractatu, quam in ratiociniis, & supputatione consumant*.

V. Est abusus hic jam olim damnatus a Concilio Carthaginensi iv. Can. xx. quo cautum fuit, *ut Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni, & orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet*. Ita sane; sed audiamus S. Bernardum Episcopos nonnullos, qui relicta animarum cura, toti erant in curandis rebus domesticis, graviter sugillantem Lib. iv. *De consideratione*, Cap. vi. *Quid Episcopo turpius, quam incumbere supellectili, & substantiolæ suæ: scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moveri ad quæque perdita, vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam ejusmodi, scrutantium quotidie omnem substantiam suam, numerantium singula, de minutis, & quadrantibus exigentium rationem &c.* Fœda erat Seculo xii. quo vivebat Bernardus Ecclesiæ facies ob corruptos sacrorum hominum mores, sua quærentium, non quæ Jesu Christi. Longe autem fuisse fœdiorem Seculo xi. Alexandro II. & Gregorio VII. Pontificibus Maximis, deplorant passim ejus ævi Scriptores, inter quos S. Petrus Damiani Lib. i. Epistola xv. eam causam tradit, quod Episcopi sacrarum Scripturarum eloquia ignorantes, sola Legum scita, & forense litigium noscerent.

VI. Quicquid sit de hodierno hoc more, mandat Canon noster Nicænus, eum, qui ad Episcopatum provehendus est, examinandum esse a Metropolita, *si in promtu habeat legere scrutabiliter, & non transitorie tam sacros Canones, & sanctum Evangelium, quam divini Apostoli librum, & omnem divinam Scripturam: atque secundum Dei mandata conversari, & docere populum sibi commissum*. Statimque hanc subdit causam, substantiam scilicet, animamque, & vitam Sacerdotii in meditatione Scripturarum divinarum versari: *Substantia enim Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, idest, vera scripturarum disciplina*. Hæc igitur si quidem Episcopus se facturum recipiat, ipseque hanc vitæ normam amplecti, tum in aliorum quoque moribus componendis, studium, ac laborem suscipere non recuset, insigniri sacro Ordine, titubantem vero, quique se in eo genere studii, ac vitæ, docendique munere amplectendo tardiorem ostendat, rejici Canon jubet: *Quod si disceptaverit*, idest ejusmodi professionem non lubens fecerit, *nullatenus consecretur*. Ad hæc, verba illa Dei ore prolata apud Prophetam Oseam Cap. iv. subjicit, quibus irregularitas illa nititur, quam ex defectu scientiæ appellant: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*.

VII. Ecquid autem causæ sit, quærit in hunc nostrum Canonem Balsamon, quamobrem eo præcipiatur, ut electus in Episcopum jam Psalterium teneat; Canones vero, & reliquos Scripturæ Libros spondeat se in posterum continuata lectione, & meditatione frequentaturum: *Dixerit quispiam, quomodo sancti Patres non dixerunt, eos debere ordinari, qui sacros Canones norunt, sanctum Evangelium, & reliqua, sed eos, qui Psalterium tantum norunt, curam gerere &c.* Respondet idemmet Auctor, quod ob diutinam, & sævissimam Iconoclastarum persecutionem oppressa, & extincta pene fuissent inter Catholicos literarum studia, dispensatione illa utendum fuit, ut Psalterium saltem tenerent, qui in Episcopos electi essent, quod ne prima quidem possent vel Clerici professionis suæ tenere elementa, nisi laudes divinas canere didicissent; *Scire quidem Psalterium, ut requisitum ex necessitate, a sanctis Patribus postulatum est, eos qui extra condemnationem debent ordinari; reliquarum autem doctrinarum comprehensio non est postulata, eo quod nondum ab eis jure exigi potest, ut qui docendi auctoritatem, & munus nondum sunt assequuti*.

VIII. Quamquam vero vetet Canon inaugurari Episcopum, qui Psalterium saltem non teneat, ob ignorantiam scilicet ejus temporis; jubet tamen, ut electum Episcopum, antequam consecretur, examinet Metropolitanus, an possit, an velit intelligentia, & diligentia pari lectitare *scrutabiliter, & non transitorie*, Canones, Evangelia, Epistolas Pauli, Scripturas omnes; & divinas has leges ubi addidicerit, servare, aliisque servandas infundere. Ea indulgentia tunc opus fuit, ut eligerentur in Episcopos, qui licet Scripturarum intelligentiam non haberent, possent tamen ac vellent facti Episcopi illam acquirere juxta doctrinam S. Hieronymi in Commentario ad Caput II. Aggæi Prophetæ, cujus egregium locum supra descripsimus. Atque huc forte spectat Concilium Cabilonense II. anni DCCCXIII. Can. i. ubi ita statuit: *Decrevimus juxta sanctorum Canonum constitutionem, & ceterarum sanctarum Scripturarum doctrinam, ut Episcopi assidui sint in lectione, & scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinæ fulgore splendeant, & verbo-*

rum

rum Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent, & cum David quotidie Domino dicant, Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. *Ita videlicet, ut illas scripturas notissimas habeant, quæ Canonicæ appellantur; & earum sensum per Patrum tractatus inquirant. Canones quoque intelligant, & librum beati Gregorii Papæ de cura pastorali, & secundum formam ibidem constitutam & vivant, & prædicent.*

IX. Quanto in pretio fuerit olim apud Gallos is S. Gregorii Liber, fuse explicuimus Tomo III. Commentariorum in Romanum Pontificale ad Titulum XXVIII. *De scrutinio, quo antiqui utebantur, antequam electus in Episcopum consecraretur*, §. x. ubi etiam Edictum illud enarravimus, quod consecrato Episcopo a Metropolitano dabatur, continens regulas ex sacris Canonibus sumtas ad vitam Episcopalem recte instituendam. Quod enim præter Scripturam, scire etiam & Patres, & Canones deberent Episcopi, constat ex Epistola v. S. Innocentii I. Papæ ad Maximum, ac Severum Brutiorum Episcopos, ubi ita ait: *Ecclesiasticorum Canonum norma nulli esse debet incognita Sacerdoti, qui nescire hæc a Pontifice satis est indecorum*. Idipsum docet S. Cælestinus I. Papa in Epistola sua III. ad nostræ Calabriæ, & Apuliæ Episcopos missa, sic inquiens: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare*. Quibus concinit Toletana IV. Synodus anni DCXXXVI. Can. XXV. quo exponitur in quantum discrimen veniat Ecclesia, ubi doctrinæ, legisque Divinæ, & Ecclesiasticæ imperiti sunt ii, qui præcones, & vindices esse debent: *Ignorantia*, inquit, *mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt; Sacerdotes enim legere Scripturas admonentur, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum*; Intende lectioni, exhortationi doctrinæ, semper permane in his: *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones &c.*

X. Jam afferri possent innumeræ pene de ea re Synodi, sed non omittenda Synodus Matisconensis I. anni DLXXXI. Can. IX. statuens, ut a die Festo S. Martini usque ad diem Christi natalitium tribus per hebdomadam quamque diebus jejunaretur, utque illi jejuniorum dies impenderentur sacris Canonibus lectitandis. Hæc ejus verba: *Ut a feria S. Martini usque ad Natale Domini, secunda, quarta, & sexta Sabbati jejunetur, & sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus Canones legendos esse speciali definitione sancimus, ut nullus se fateatur per ignorantiam deliquisse*. Porro, ut alia omittam, quæ alias explicuimus Tomo I. Commentariorum in primam Partem Romani Pontificalis, ad Titulum *De consecratione electi in Episcopum*, etiam hodie ex ipsius Pontificalis Romani præscripto idipsum Consecrator Episcopus ab ordinando exigit, quod Concilia tantopere exigendum inculcant, ubi eum sic primo interrogat: *Vis ea, quæ ex divinis Scripturis intelligis, plebem cui ordinandus es, & verbis docere, & exemplis?* Cui respondente Ordinando, *Volo*; ita deinde ipsum interrogat, dicens: *Vis traditiones Orthodoxorum Patrum, ac Decretales Sanctæ, & Apostolicæ Sedis constitutiones veneranter suscipere, docere, atque servare?*

XI. Hinc elucet invariabilis Ecclesiæ spiritus, etiam hodie requirens ab Episcopis, ut divinarum Scripturarum, & sacrorum Canonum periti sint, eosque Subditos suos doceant. Sed hoc summopere dolendum, quod hæc sanctissima, & summe necessaria documenta cum ex Ritualibus, aut Pontificalibus Libris proponuntur, tandem ut quidam externi ritus, & formulæ recitentur, & accipiantur. Observatum est tamen a Baronio ad annum CCCXCVIII. illud ipsum quod Concilium IV. Carthaginense constituit, accuratissimum de Episcopis promovendis examen a Clemente VIII. Pontifice Maximo Romæ institutum fuisse, designatis Cardinalibus, Theologisque, & Canonistis peritissimis, ad eos excutiendos, qui Episcopi inaugurandi sunt: *ut plane nullus*, inquit Baronius, *nisi bene disertis ad Episcopatum aditus patere sinatur, unde ambitiosus lugeat imperitus*. Utinam res voto Baronii successerit.

C A N O N III.

Omnis electio a Principibus facta Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi irrita maneat secundum Regulam, quæ dicit: *Siquis Episcopus secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur; & segregentur omnes, qui illi communicant*: Oportet enim, ut qui provehendus est in Episcopum, ab Episcopis eligatur, quemadmodum a Sanctis Patribus, qui apud Nicænum convenerunt, in Regula definitum est, quæ dicit: *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & aliis per litteras consentientibus, tunc consecratio fiat. Firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Antistiti.*

C O M M E N T A R I U S.

I. Quemadmodum & ceteris, ita & huic sanciendo Canoni causam dedere Iconomachi, qui Principum ope, ac violentia Ecclesias invadebant. Testis est Cedrenus, & S. Joannes Damascenus, Leonem Isaurum, expulso S. Germano Patriarcha, ab Ecclesia Constantinopolitana, quod illum suavissima & doctissima oratione ab impietate, & sacrile-

crilegio revocare conaretur, ejus loco Anastasium impium Iconoclastam sedere in Throno Constantinopolitano jussisse, quem tamen, ut multi historici docent, Gregorius Secundus Pontifex Maximus anathemati subjecit, ita etiam adversus eundem Imperatorem in Epistola II. graviter scribens: *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates Regias deferendi: sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi*. Porro Anastasium illum intrusum pessime excepit Constantinus Copronymus licet eadem hæresi contaminatus, qui eum publice cæsum, summaque cum ignominia facie in caudam obversa, asino impositum per Urbem traduxit, eique successorem, eum diu quæreret, & minime inveniret, eundem Sedi restituit, ut testes sunt Theophanes, Zonaras, aliique historici Græci.

II. At vero cum obiisset tandem anno DCCLIII. Anastasius, venit & illud in mentem impio Copronymo creandi sui nominis hominem Patriarcham Constantinopolitanum (fuerat is Monachus, Sylæi Episcopus, vir impurus) quem & hoc modo anno sequenti, ut iidem Auctores Græci referunt perridicule designavit: *Ascendit Constantinus Caballinus Ambonem, tenens Constantinum Monachum, qui erat Episcopus Sylæi, & precatus, dixit elata voce: Constantino Oecumenico Patriarchæ multos annos*. Non solum ergo designat, sed inaudito portento renuntiat, ordinatque ipse Patriarcham. Verum quum Constantino Imperatori alia hæresis ex cerebro pullulasset contra Christi Divinitatem, & Beatissimæ Virginis maternitatem, & consilio cum Patriarcha communicato, is silentium, fidemque minime servasset, mox Imperator crudelissimus Patriarcham comprehendi, abradi, per circum raptari, atque ignominiose verberari jussit; cumque ab eo faventem sibi protestationem in carcere extorsisset, capite demum truncari, cadaver ad corvos projici mandat. Tum in illius locum Nicetam Patriarcham creat, de quo ita Zonaras, & Cedrenus scripsere: *Illius loco seligit Nicetam Patriarcham*, Eunuchum, & sclavum, exectum, neque ex ingenuo, sed ex servili genere, *ac vix legere scientem: fuerat enim circa mulierum custodiam occupatus*. Fatale tunc erat Constantinorum nomen, nam eodem tempore Constantinus Pseudopapa intruditur in Romanam Sedem a Totone Duce Nepesino ipsius fratre post obitum Pauli I. Pontificis.

III. Ergo abusum hunc damnans Canon, & Virum Principum violentiam, qui potentia freti contra Canonum sanctiones Episcopos creabant, aliosque Sacerdotes, ac Diaconos fieri pro potestate jubebant, nihil ejusmodi imposterum licere decernit, profertque Apostolicum Canonem XXXI. quo siquis Episcopus Magistratuum opera Ecclesiam obtinuerit, illum depositione simul, ac segregatione, magno videlicet supplicio, qui id fecerit, dignum existimans, nec illum tantum, sed & quicumque ab ejusdem communione non abstinuerit, puniri jubet: *Siquis Episcopus*, inquit Canon ex versione Dionysii Exigui, *secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat deponatur, & segregentur omnes, qui illi communicant*. In versione Herveti legitur: *Deponatur, & segregetur*. Porro ab Episcopis, eum qui ad Episcopatum eveheadus est, renuntiari Canon noster jubet, ac quarti Canonis a Sanctis Patribus in Nicæna Synodo editi, quem nos Tomo primo fuse suo loco explicuimus, mentionem adjungit.

IV. Eam fuisse Ecclesiæ disciplinam, ut usque ad seculum Christi duodecimum suprema electionum potestas solos esset penes Episcopos, constat sane ex variis Synodis, atque Scriptoribus, qui per ea tempora floruerunt. Refert Eusebius Lib. II. *Historiæ*, Cap. I. ex Clemente, Jacobum cognomento Justum electum fuisse Episcopum Hierosolymitanum a Petro, & Joanne. Idem Auctor scribit Lib. III. Cap. XI. Apostolos mortuo Jacobo subrogasse Simeonem Cleophæ filium. Ait quoque Lib. VI. Cap. IX. Dium ab Episcopis vicinis datum esse successorem Narcisso Episcopo Hierosolymitano, qui in Eremum secesserat Antonino Imperatore: *Ubi Narcissus se in locum desertum subduxisset, & a nemine esset pro certo cognitum, quo se recepisset, his qui finitimis Ecclesiis præerant, visum fuit, ut alterum Episcopum suffragiis crearent. Dius igitur, hoc enim nomine erat, delectus est*. Praxim Seculi III. docet nos quidem S. Cyprianus in Epistola LXVIII. ad Clerum, & Plebes in Hispania consistentes, ubi ita inquit: *Propter quod diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione servandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsenti, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit*. Ubi nota, traditionem esse Divinam, & Apostolicam observationem, ut tota electionum potestas sit penes Episcopos.

V. Quid Concilium Nicænum I. quod habitum est anno CCCXXV. Can. IV. edicat, constat ex nostro hoc Canone, qui ipsum descripsit. Diserte enim jubet, ut ad constituendum Episcopum adsit Metropolitanus cum omnibus Provinciæ Episcopis, si id fieri possit, sin minus, ut tres saltem præsentes sint, quibus ceteri, qui absunt, scripto consenserint. Nec obest quod laudatus Canon Nicænus ordinationis tantum, non autem electionis meminisse videtur, nam I. uti alibi a nobis observatum fuit, prioribus seculis electionem statim consecratio subsequebatur. II. Græca vox *Chirotonias*, non minus electionem, quam ordinationem significat, uti ostendimus nostro I. Tomo Conciliorum in Commentario ad memoratum Canonem IV. Nicænum. III. Si de sola consecratione vox illa esset intelligenda, jam non erat opus cunctis Provinciæ Episcopis ad ordinandum consecrandumque novum Episcopum. IV. Canon hic noster Concilii II. Nicæni, ut potestatem eligendi Episcopum ad Episcopos spectare ostendat, Canone ipso Concilii I. Nicæni utitur, eumque de electione omnino loquutum esse intelligit.

VI. Disciplinam Seculi V. perspectam habemus ex Concilio Regensi anni CDXXXIX. Can. II. ubi etiam irrita declaratur electio Ebrodunensis Episcopi, quod sine Metropolitani, Comprovincialiumque Episcoporum consensu a duobus tantum Episcopis peracta fuisset. Seculo sexto in Oriente eam consuetudinem confirmavit Justinianus Novella sua Constitutione CXXIII. Cap. I. ut a Clero, & Populo tres deligerentur, ex illis vero a Metropolitano aut Episcopo ejus vicem tenente eligeretur, quem crederet dignissimum. Similem huic sanctioni anno Christi DXCIX. edidit in Hispania Synodus Barcinonensis, estque Ca-

Canon XVIII. quo edicitur, ut, duo, tresve a Clero, ac Populo eligerentur, ex quibus Metropolitanus, & Episcopi Provinciæ unum deligerent, vel sortito, ut Canonis verba innuunt, vel ratione quavis alia legitima: *Ita tamen, ut duobus, aut tribus, quos ante consensus Cleri, aut Plebis elegerit, Metropolitani judicio, ejus Coepiscopis præsentatis, quem sors, præeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante, monstraverit, benedictio consecrationis accumulet*. Seculo VII. Concilium IV. Toletanum anni DCXXXVI. Can. XVIII. totam electionem ponit in Populi, Cleri, & Episcoporum voluntate: *Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec Populus propriæ Civitatis elegerit, vel authoritas Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum assensio exquisivit*. Quantumcumque in societatem electionum vocaretur Clerus, Populusque, Episcopi soli semper principem locum tenuere, & ante omnes Metropolita, etiam in Oriente ex Concilio Trullano labente Seculo VII. celebrato, Can. XXXIX. Unde non mirum, si sequenti Seculo Nicæna II. Synodus habita, idest anno DCCLXXXIX. Episcopum eligendi potestatem Provinciæ Episcopis tribuit. Cui adhærens Octava Synodus Oecumenica, IV. Constantinopolitana anno DCCCLXX. Can. XXII. quascumque Episcoporum electiones uni commisit Episcoporum cœtui.

VII. Viguisse eundem Ecclesiæ morem Seculo X. ut in eligendis Episcopis maximum auctoritatis pondus penes Episcopos esset, docet Decretum electionis Arnulphi Remensis Archiepiscopi in Concilio Remensi editum anno CMLXXXIX. *Nos Episcopi Diœceseos Remorum Metropolis, cum omni Clero, diversi Ordinis populo acclamante, orthodoxis nostris Regibus consentientibus, eligimus nobis in Præsulem &c.* Abdicato Arnulpho paucis post annis, nempe anno CMXCI. iidem Episcopi Gerbertum elegerunt, qui postea ad summum Pontificatum, & Petri Sedem sublimatus, Silvester II. dictus est. Decretum vero electionis his conceptum verbis legitur: *Nos Episcopi Remorum Diœceseos favore, & conniventia utriusque Principis nostri, domni Hugonis Augusti, & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum, qui Dei sunt, in Clero, & Populo, eligimus nobis Archiepiscopum Abbatem Gerbertum*. Seculo adhuc XI. ac XII. Comprovinciales Episcopos nonnihil adhuc habuisse auctoritatis in Episcoporum electione, ostendit Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. XI.

VIII. Seculo tandem XIII. desiit prorsus ea disciplina, sicut & alii, qui prius fuerant sanctissimi Ecclesiæ usus; etenim Innocentius III. populum prorsus, & provinciæ Episcopos, ab Episcoporum electione arcuit, & rem totam ad solum Cathedralis Ecclesiæ Capitulum revocavit, sive potius usum istum jam invalescentem firmavit; proposito in Synodo sua IV. Lateranensi Oecumenica, Can. XXIV. triplici tantum electionum genere, Scrutinio scilicet, Compromisso, & adoratione, seu inspiratione, de quibus suo loco dicemus, ubi scilicet Deo dante Canonem ipsum XXIV. Lateranensem explicabimus. Quamquam duodecim seculis tum apud Græcos, tum apud Latinos Laici partes suas in Episcoporum electionibus habuerint, ut constat ex testimoniis superius allatis, & ex aliis pene innumeris, quæ afferri potuissent, submoti sunt tamen demum ab ipso Innocentio ab ea facultate, propter tumultuosas factiones, ex quibus extrema vis, atque etiam cædes erumpebant. Unde Concilium Bituricense anni MCCLXXVI. quod nondum ubique obtineret laudatus Canon XXIV. Lateranensis, coactum fuit anathema in eos intorquere, qui ejusmodi facinorum essent authores: *Multitudine populi per iniquitatis filios concitata in Electores impetum faciente, electiones ipsæ in nonnullis Ecclesiis impediuntur totaliter*. Eum populi abusum jam olim compescere conata est Laodicena Synodus anni CCCXIV. Can. XIII. ubi statuit: *Turbis non esse permittendam eorum, qui in Sacerdotio sunt constituendi, electionem facere*.

IX. Licet autem tum Patres, tum Synodi damnarint passim Episcoporum electiones a Regibus, & Principibus, atque ab Imperatoribus factas; fateri nihilominus cogimur, tum ex laudatis superius locis, tum ex aliis plurimis, usos fuisse ipsos ea potestate eligendi Episcopos, sive quod patroni essent Ecclesiarum, sive quod a Conciliis, vel a summis Pontificibus auctoritatem illam acceperint. In Concilii Chalcedonensis Actione XI. contestatus est contra suum Competitorem Bassianus Ephesiorum Episcopus electum se tum a Populo, tum a Clero, ac Episcopis, confirmatum tandem fuisse ab Imperatore: *Multa necessitate inthronizaverunt me in eadem Civitate Ephesi, Populus, & Clerus, & Episcopi. Agnoscens autem hæc piissimus Imperator, repente hoc confirmavit, & repente per communicatorium aperte declaravit, confirmans Episcopatum. Postea direxit iterum sacram per Eustachium Silentiarium, quæ confirmaret Episcopatum*. Simile exemplum videre est in Ecclesia Romana, cum scissis hinc, & hinc suffragiis, alii Symmachum, alii Laurentium elegissent, Theodorici Regis Ariani quidem, sed alioqui sapientissimi judicio causa permissa est, uti constat ex Libro Pontificali in Vita Symmachi: *Hoc instruxerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici. Qui dum ambo introiissent Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt, ut qui primo ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in Sede Apostolica*.

X. Sed ut aliqua de ea Principum potestate in Episcoporum electione memoremus Concilia, damnavit quidem in Gallia anno DXXXV. Arverna Synodus electiones, quæ Principum & Optimatum favore, ac potestate fierent; at vero easdem Aurelianensis V. Synodus in Gallia ipsa habita anno DXLIX. decrevit fieri cum voluntate Regis, ita tamen, ut suffragia Cleri, Populi, & Episcoporum inconcussa constarent. Concilium Toletanum XII. anni DCLXXXI. Can. VI. indulsit Hispaniarum Regibus, ut Regni, cui præerant, Episcopos ipsi deligerent, ea tamen lege, ut antequam ordinarentur, de vita, moribus, & doctrina examinarentur a Toletano Metropolita: *Unde placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ, ut salvo privilegio uniuscujusque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscumque Regalis potestas elegerit, & jam dicti Toletani Episcopi judicium dignos esse probaverit, in quibuslibet Provinciis, in præcedentium sedibus præficere Præsules, & decedentibus Episcopis eligere successores*. Similes Canones, quibus ea facultas præbetur Principibus, plurimos in Conciliis, atque in Ecclesiastica Historia invenire est.

XI. Non me latet apud Latinos, in eam Principum potestatem, quam ipsimet sibi arrogabant, & Synodos pugnasse, & Romanos Pontifices complu-

plures, præsertim S. Gregorium VII. Urbanum II. Paschalem II. Callixtum II. Innocentium II. Alexandrum III. volentes liberas esse debere electiones Canonicas juxta laudatum Apostolicum Canonem XXXI. & IV. Nicænum; verum & illud quoque constat, perstitisse Principes multos in ea sententia, ut ipsi Episcopos nominarent, sive ob suum in Ecclesiis patronatum, sive ob concessionem ab aliis Pontificibus acceptam. Quicquid sit, obsoleta jam tum disciplina, qua suprema electionum potestas duodecim seculis penes Episcopos fuit, tum etiam illa, quam Innocentius III. in Lateranensi IV. Synodo præscripsit, quamque hodie solæ fere Germaniæ Ecclesiæ servant, in quibus Cathedralium Capitula Episcopos eligunt, vivimus hodie jure Concordatorum, quæ Pontifices inter, ac Reges duobus, tribusve ab hinc seculis inita sunt. Sicque Canon hic noster Concilii II. Nicæni, aliorumque similium non quamvis electionem a Principibus factam damnat, sed eam, quæ sine privilegio, & jure patronatus, aut Concordato usurparetur.

C A N O N IV.

Prædicator Ecclesiæ Paulus divinus Apostolus ac si Canonem ponens Ephesiorum Presbyeris, imo vero & omni sacratæ multitudini, ita fiducialiter perhibuit dicens: *Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi, omnia ostendi vobis, quod jam oportet sic laborantes suscipere infirmos*. Beatius existimans dare. Propter quod & nos edocti ab eo, definimus, nullatenus Episcopum turpis lucri gratia excogitare ad excusandas excusationes in peccatis, & expetere aurum, vel argentum, aut aliam speciem ab Episcopis, vel Clericis, aut Monachis, qui sub ipso sunt. Ait enim Apostolus: *Iniqui regnum Dei non possidebunt*. Et: *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*. Quisquis ergo propter exactionem auri, vel alterius cujuslibet speciei, aut propter proprium vitium inventus fuerit coercens a ministerio, vel sequestrans aliquem Clericorum, qui sub se degunt, aut venerabile Templum claudens, ne in eo Dei ministeria celebrentur, ad insensata suam transmittentes insaniam, insensatus veraciter est; ac per hoc simili poenæ eo subjecto, convertatur dolor ejus in caput ejus, ut in transgressorem mandati Dei, & mandatorum Apostolorum. Præcipit enim & Petrus principalis Apostolorum summitas: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coacte, sed spontanee secundum Deum, non turpis lucri gratia, sed prompte, neque, ut dominantes in Clero, sed forma facti gregis: & cum apparuerit Princeps Pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam*.

C O M M E N T A R I U S.

I. Aliquid Episcopum sui emolumenti causa a subditis exigere hic Canon omnino vetat, Paulumque Apostolum ita de se Cap. XX. Actuum Apostolorum loquentem inducit: *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi &c.*, ut suo ipsemet exemplo omnibus ad imitandum proposito, eundem vitæ cursum a fidelibus retinendum, ac assidue laborantibus infirmorum curam suscipiendam esse commonefaceret. Infirmorum appellatione hoc loco non qui morbo aliquo tenerentur, sed omnes, qui aliqua calamitate quomodocumque vexarentur, ac misericordia indigerent, intelligens, ut scite exponit Zonaras; addens, si hæc universis ita praecipiuntur, ea multo accommodatius Episcopis convenire. Statuit itaque recte Canon, ne quid Episcopos sordidi quæstus aviditate adductus, commentitiarum causarum obtentu a subjectis sibi Episcopis, Clericis, aut Monachis sive aurum, sive argentum, sive aliquid quidpiam exigat. Injusta enim ejusmodi exactio est, nam, ut idem ait Apostolus in Epistola II. ad Corinthios: *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*.

II. Urget hæc Apostoli loca Synodus III. Oecumenica Lateranensis ab Alexandro III. Pontifice Maximo celebrata anno MCLXXIX. Can. IV. qui est contra importunas, ac graves, scandalosasque Episcoporum exactiones, quibus Ecclesias, dum ipsas visitarent, vexabant. Statim enim ibi oculis objicitur Paulus Apostolus, qui ut se a Pseudo-Apostolis separaret, se, suosque labore, & opere manuum sustentabat: ut jam nemo satis mirari possit, Episcopos Pauli successores in visitandis Parochiis eos facere sumptus, quibus impares Parochi cogantur vestes, & vasa Ecclesiæ divendere, & longa inedia luere delicias ipsorum Episcoporum, & epulas unius horæ: *Cum Apostolus se, & suos propriis manibus decreverit exhibendos, ut locum prædicandi auferret Pseudoapostolis, & illis, quibus prædicabat, non existeret onerosus, grave nimis, & emendatione fore dignum dignoscitur, quod quidam Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum ita graves in procurationibus suis subditis existunt, ut pro hujusmodi causa interdum ornamenta Ecclesiastica subditi compellantur exponere, & longi temporis victum brevis hora*

hora consumat. Et paulo post, graves alias Episcoporum exactiones damnans, quibus subditos onerabant, aliom Apostuli locum usurpans, ita inquit: *Cum enim dicat Apostolus*: Non debent parentibus filii thesaurizare, sed parentes filiis; *multum longe a paterna pietate videtur, si Præpositi suis subditis graves existant, quos in cunctis necessitatibus, Pastoris more fovere debent*.

III. At veru cum de ejusmodi Episcuporum exactionibus in visitatione Ecclesiarum extortis opportunius sit nobis dicendum in Commentario ad Canonem ipsum Concilii III. Lateranensis, generatim hic dicimus, pervetustum hunc esse abusum, ut commentitiarum causarum obtentu Episcopi pecunias extunderent. Grassatus præsertim est in sedibus Patriarchalibus; etenim, uti observat in hunc Canonem Lupus, multas, & quidem Metropolitanas Ecclesias per Patriarchæ Constantinopolitani exactiunes fuisse ad inopiam, & æs alienum deductas, questus est in Synodi Chalcedonensis Actione XVI. Eusebius Ancyræ Episcopus, primæ Galatiæ Metropolita. Sicut autem Patriarchæ Metropolitis, ita Metropolitæ Episcopia, Episcopi antem Clericia, Monachis, ac etiam Laicis onerosi erant; estque hoc adeo antiquum malum, & generale, ut omnes orthudoxos Episcopos aliquando calumniatus sit Tertullianus tum in Libro *De fuga in persecutione*, Cap. XIII. tum in Libro *De jejuniis adversus Psychios*, Cap. XIII.

IV. Sed audiamus Concilium Toletanum III. anni DLXXXIX. Can. XX. ubi hæc de Episcopis ejus ævi Hispanis habet: *Multorum querela hanc constitutionem exegit; quia cognovimus Episcopos per Parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire; & dum scriptum sit*: Forma estote gregi, neque dominantes in Clero; *exactiones Diœcesi suæ, vel damna infligunt. Ideoque, excepto quod veterum constitutiones a Parochiis habere jubent Episcopos, alia quæ hucusque præsumta sunt, denegentur; hoc est, neque in angariis Presbyteros, & Diaconos, neque in aliquibus fatigent indictionibus; ne videantur in Ecclesia Dei exactores potius, quam Dei Pontifices nominari*. Mandat tum Clericis tam localibus, quam Diœcesanis, qui se se ab Episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad Metropolitanum deferre; Metropolitano autem, hujusmodi præsumptiones districte coercere. Angariæ, & indictiones pro qualibet exactione, & injuria in hoc Canone, sicut & aliis accipiuntur; unde apud Matthæum Parisium legimus: *Legentibus innotescit, quot angariis, & injuriis nos miseros Anglos exagitat Curia Romana*.

V. Porro permittit Canon, *quod veterum Constitutiones a Parochiis habere jubent Episcopos*, idest duos solidos tantum juxta Canonem II. Concilii II. Bracharensis, ubi omnia alia Episcoporum exactio omnino damnatur: *Placuit, ut nullus Episcoporum, cum per Diœceses suas ambulant, præter honorem Cathedræ suæ, idest duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat: neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in Ecclesiis Parochialibus requiret, sed illa tertia pars pro luminariis Ecclesiæ, vel recuperatione servetur, & singulis annis Episcopo inde ratio fiat. Nam si tertiam partem Episcopus tollat, lumen, & sacra sustulit Ecclesiæ*. Damnat mox aliud gravamen, quo Clerici ab Episcopia affligebantur, jubetque idcirco, *ut Parochiales Clerici servili more in aliquibus operibus, Episcopis servire non cogantur, quia scriptum est*; scilicet in Epistola I. Principia Apostolorum, Cap. V. *Neque ut dominantes in Clero*. Quem locum ad damnandum Episcoporum fastum, imperium, exactionesque importunas, non modo noster hic Canon Nicænus, sed & Toletanus superius descriptus, & Bracharensis, ac alii etiam complures usurpant.

VI. Deberi Episcopo ab Ecclesiis, earumque Presbyteris, & Clericis Cathedraticum, quod etiam Synodaticum, ac Synodum, appellant, idest, duos annuatim solidos, in honorem Cathedræ Episcopalis, alii etiam prisci Canones mandant, eamque exactionem confirmavit in sua Lateranensi Synodo anni MDCCXXV. Benedictus XIII. Pontifex Maximus, Tit. VIII. Cap. IV. At vero ea non contenti Episcopi, dici nequit, quantis hodieque, tametsi redditibus abundent, variarum futilium causarum obtentu Ecclesias exactionibus vexent. Dici sane posset quod olim dolens Toletana VII. Synodus anni DCXLVI. Can. IV. de Episcopis ejus ævi loquuta est: *Indiscreto moderamine parochianas Ecclesias prægravantes, dum in exactionibus superflui frequenter existunt, pene usque ad exinanitionem extremæ virtutis quasdam Basilicas perduxisse probantur*.

VII. Varias artes, quibus Episcopi in Gallia extundere soliti erant pecuniam Ecclesiis, ac Clericis suis, præter alia Concilia, quæ afferri possent, pluribus Canonibus exponit Synodus Cabilonensis anni DCCCXIII. Ut enim alios omittam, Can. I. statuit, ut nequid amplius a Presbyteris exprimerent Episcopi ad Chrisma, & ad lampades Ecclesiæ suæ, quantumvis antiqua venditaretur consuetudo in eam rem duos vel quatuor denarios exigendi: *Quidam Fratres dixerunt, consuetudinis antiquæ fuisse in eorum Ecclesiis, ut pro balsamo emendo ad Chrisma faciendum, sive pro luminaribus Ecclesiæ concinnandis, binos, vel quaternos denarios Presbyteri darent*. Damnat hanc consuetudinem, aitque, ut Episcopi facultatibus Ecclesiæ balsamum emant, & luminaria singuli in Ecclesiis suis concinnanda provideant. Canone XVII. censum proscribit duodecim, vel quatuordecim denariorum, quos nescio cujus causæ obtentu Episcopi ipsi a Presbyteris extorquebant: *Inventum est, quod in quibusdam locis Presbyteris duodenos, vel quaterdenos denarios Episcopis in censum annis singulis darent: quod penitus abolendum esse decernimus*. Canone tandem XVIII, qui intra prohibitos consanguinitatis gradus matrimonio jungerentur, collata pecunia Episcopia libere in incæstu vivebant; imo & quidam Presbyteri impune plura perpetrabant crimina, modo Episcopis pecuniam largirentur, quam inter se dividerent, datis etiam pecuniæ loco pignoribus, seu vadimoniis. Quod tamen penitus abolendum decernit.

VIII. Longum esset varias artes hic persequi, quibus Episcopi solerent pecuniam ab Ecclesiis, atque a subditis suis emungere. Rigidissime vetat noster Canon detestandam illam avaritiæ speciem, qua Episcopi quidam absolutionem auro venditturi, Clericos, Laicos, Ecclesias, suspendebant, excommunicabant, interdicto subjiciebant. Theodorus Balsamon ait, damnari duplicem Græcorum Episcoporum ex avaritia insolentiam. Non modo enim Clericos degradabant, aut suspendebant, Laicos excommunicabant, & Ecclesias ad extorquendam pecuniam, aut alia munera interdicebant; verum etiam legitimas ejusmodi Censuras

ſuras pro pecunia, & muneribus relaxabant, Utramque inſolentiam divino non ſolum, ac naturali juri, & ſacris Eccleſiæ Canonibus, ſed & variis Laicorum Principum legibus repugnare, irritaſque illas eſſe Cenſuras oſtendit.

IX. Viguiſſe & in Eccleſiis latinis utramque Epiſcoporum inſolentiam, oſtendit Lupus in ſuo ad hunc noſtrum Canonem Scholio, ex S. Gregorio VII. Pontifice Maximo, S. Petro Damiani Cardinale, Hincmaro Remenſium Metropolita, aliiſque teſtibus. Sed hiſce omiſſis primam certe inſolentiam in Couveotrenſis Eccleſiæ Archidiaconis notat, ac damnat Alexander III. Cantuarienſi Archiepiſcopo ita ſcribens: *Accepimus autem quod Archidiaconi Conventrenſis Epiſcopatus pro exceſſibus, & criminibus puniendis a Clericis, & Laicis pœnam pecuniarum exigunt, in examinatione ignis, & aquæ triginta denarios a viro, & muliere quærere præſumunt, & pro annua exactione pecuniæ perſonas quandoque ſuſpendunt, & Eccleſias interdicunt &c.* Mandat, pravam hanc conſuetudinem omnino eliminari, tamquam a radice cupiditatis, & avaritiæ prodeuntem. Relata eſt ea Epiſtola Decretalis in Cap. III. *De pœnis*, Graſſabatur ipſe abuſus præſertim in Anglia, etenim in Londinenſi Synodo anni MCCXXXVII. apud Matthæum Pariſium adverſum cunctos Angliæ Archidiaconos Otho S. R. E. Cardinalis, Gregorii IX. Pontificis Legatus ſtatuit, *ne ſententiis aliquos involvant injuſte, quo ab eis pecuniam poſſint extorquere*.

X. Quantum ad alteram inſolentiam attinet, pro pecunia ſcilicet Cenſuras relaxandi; viguit & ipſa in Anglia; etenim quod etiam venerabilis Theobaldus Archiepiſcopus Cantuarienſis ab excommunicatis Laicis pecuniariam redemtionem in abſolutione exegerit, iſtumque morem damnarit, & ad omnium acceptorum reſtitutionem coegerit in Remenſi Synodo Eugenius III. Pontifex Maximus, teſtatur quidem Guilielmus Thorne ad annum MCXCIV. Præterea quod Normandiæ quoque Epiſcopi quadraginta octo libras a quovis excommunicato exegerint, eamque peſſimam conſuetudinem nec ad Alexandri Papæ III. ejuſve Legatorum Cardinalium Theoduini, ac Alberti juſſum deſerere voluerint, qui conſuetudinem ipſam in Synodo Rotomagenſi damnarant, teſtis eſt Rogerus Hovedenus, ſic in ſua Anglicana Hiſtoria inquiens: *De novis libris excommunicatorum, & de quadraginta, & octo libris, quæ pro abſolutione exiguntur, nihil perfectum eſt, quia Epiſcopi Normandiæ illud Decretum recipere noluerunt*. Porro in excommunicatione quaque pertinaciter defunctos, pro data per eorum conſanguineos pecunia, aut prædiis, abſolvebant olim, ac terræ ſanctæ etiam tradebant, Leodienſes Archidiaconi, *aſſerentes ex ejuſmodi rebus Palatia ſtare, Eccleſias inſtaurari*. Sed vide adverſus eoſdem apud Baldricum Tornacenſem Epiſcopum in ſuo Cameracenſis Eccleſiæ Chronico Lib. III. Capite XXV. elegantiſſimam Gerardi Epiſcopi Cameracenſis Epiſtolam, qua ſolide oſtendit, ex ejuſmodi ſordibus palatia ruere, ſubverti Eccleſias, gravibuſque ſcandalis, & calamitatibus obrui.

XI. Ea verba Canonis, quibus Epiſcopus ſugillatur, & inſenſatus dicitur, qui venerabile Templum claudit, ne in eo Dei miniſteria celebrentur ad id, quod non eſt ſenſu præditum, ſuam transmittens inſaniam; ſignificant quidem, uti exponit Balſamon, quod Epiſcopus, ut *aurum vel argentum extorqueat, non ſinat propterea in divino Templo divinum celebrare miſterium, & ſic in id, quod non eſt ſenſu præditum, ſive in Templum inauditam ſuam inſaniam effundat*. Similem huic abuſum damnavit jam olim in quinta ſua Romana Synodo S. Gregorius VII. Can. X. ubi poſtquam dixit, ne *Epiſcopus gravamen, ſeu ſervile ſervitium ex uſu contra Eccleſiaſticam normam Abbatibus, ſeu Clericis ſuis imponat*; ita ſtatim ſubjungit: *Interdictum Sacerdotale officium pretio interveniente non reſtituat. Quod ſi fecerit, officii ſui periculum ſubeat*. Quare æquiſſima fuit Germanorum Procerum ad Hadrianum VI. Pontificem Maximum contra Epiſcopos, qui illos gravabant, inter alias querimonia numero L. notata: *Si forte ſine armis, pugnis tantum, & lapillis, in Cœmeterio duo pluresve manus conſerant, aut rixam habeant ad ſanguinis uſque quantumvis modici effuſionem, tunc ad Interdictorum ſeveritatem recurrunt Eccleſiaſtici, nec prius publica Chriſtianorum redintegrant officia, quam Civium univerſitas Cœmeterium denuo magna pompa, gravibuſque, nec minoribus profecto impenſis conſecrari curaverit, quamprimum ex profano redditus ſit ſepulturæ is locus ſacer. Quæ omnia in caput tandem redeunt Laicorum*.

XII. Quoniam vero Monachos quoque nominatim exactionibus vexari Canon vetat, nonnihil etiam nominatim de ea Epiſcoporum inſolentia dicendum eſt. Et quidem tametſi Ilerdenſis Synodus anni DXXIV. Can. III. & aliæ complures ab Epiſcoporum exactionibus Monaſteria exemerint, quod tamen ipſi nimis moleſti, & importuni Monachis, & Monaſteriis eſſent, factum eſt tandem, ut omnino ab eorum poteſtate liberati ſint. Sic cum Monachis Ariminenſibus nimis gravis & infeſtus eſſet Caſtorius Epiſcopus, motus eam ob cauſam eſt S. Gregorius Magnus, ut eoſdem a poteſtate Epiſcopi liberaret, uti idemmet Pontifex teſtatur, Lib. IV. Epiſtola XLI. & ſeq. ex quibus contextus eſt Canon, *Luminoſo*, qui extat in Decreto Gratiani ad Cauſam XVIII. Quæſtione II. Sequioribus ſeculis, adeo infeſtos fuiſſe Monachis Epiſcopos, ſcribit Petrus Abbas Cluniacenſis Lib. I. Epiſtola III. *ut non ſicut paſtores gregem paſcere, ſed ſicut vere ſecundum Evangelium mercenarii ad lanam tollendam, & lac emulgendam toto anniſu intendere viderentur*. Cui concinit id quod ſcribit Anſelmus Abbas Beccenſis, tum Cantuarienſis Archiepiſcopus Lib. II. Epiſtola XXXIII. ad Urbanum II. qua petit privilegium pro Monaſterio Uticenſi: *Non enim*, inquit: *ignotum eſſe puto veſtræ Excellentiæ, quia plures Epiſcopi non tantum gaudeat monaſteria pietate paterna nutrire, & Epiſcopali cura erudire, quam dominatione, & propria voluntate gravare*. De nimia Wigberti Ravennatis Archiepiſcopi in ſuum Monaſterium duritie graviſſime queritur S. Petrus Damiani Epiſtola V. Similibus querimoniis referti ſunt plerique antiqui Monaſteriorum Annales.

XIII. Quamquam denique Canon is noſter Nicænus aliquid Epiſcopum a ſubditis exigere omnino vetet, hoc ita tamen intelligendum eſt, cum ſui emolumenti cauſa aliquid exigat, extorqueatque. Poteſt enim ob aliquam Eccleſiæ neceſſitatem Clero æque, ac Populo ſuo collectas, & exactiones indicere, uti ex variis Apoſtolicarum Epiſtolarum locis liquido conſtat. Ita ſeſtertia centum millia nummum e Cleri & Populi ſui collatione

tione collegit, & redimendis e barbarorum captivitate fidelibus Numidiæ ad ipsorum Episcopos misit S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, uti ipse testatur in Epistola sua LX. ubi etiam addit, in similes casus similia subsidia omnino non defutura: *Misimus autem sestertiu centum millia nummorum, quæ istic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia præsumus, Cleri, & Plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt, quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis. Et optamus quidem, nihil tale de cetero fieri, & fratres nostros Domini majestate protectos ab ejusmodi periculis incolumes servari. Si tamen ad explorandam nostri animi caritatem, & examinandam nostri pectoris fidem tale aliquid acciderit, nolite cunctari nuntiare hæc nobis literis vestris, pro certo habentes, Ecclesiam nostram, & fraternitatem istic universam, ne hæc ultra fiant, precibus orare, si facta fuerint, libenter, & largiter subsidia præstare.* Legenda integra Epistola data ad ipsos Episcopos Numidas de redemtione fratrum ex captivitate barbarorum.

XIV. Earumdem exactionum jam ante Cyprianum meminit in Libro, *De fuga in persecutione*, Cap. XIII. Tertullianus, itemque in Libro *De jejuniis*, Cap. XIII. ubi adjungit, eam *conferendarum stipium industriam esse capturam nostrorum Episcoporum, ut regno suo secure frui possent sub obtentu procurandi*. Quod nempe citra necessitatem exigerent, & prætextu pietatis, inde ipsi luxuriarentur. Lapsus erat tunc temporis in hæresim Montani Tertullianus, ideoque forsan Orthodoxos Episcopos perperam calumniatur. Nam & Sanctum Athanasium, quod subjectas sibi Ecclesias linearum vestium exactionibus dure vexasset, acriter, & falso apud Constantium Augustum Eusebiana factio accusavit. Quicquid sit, præter Cathedraticum, de quo nonnihil superius dictum est, justus Episcopalis exactionis titulus est ille, qui vocatur charitativum subsidium, quod non imponitur nisi ex gravi necessitate, uti edicit in Concilio III. Lateranensi Oecumenico Cap. IV. Alexander III. Pontifex Maximus. Postquam vetuit, *ne subditos suos talliis & exactionibus Episcopi gravare præsumant*, ita statim addit: *Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare*. Debet esse gravis necessitas, ut docent passim in eum locum Canonici juris Interpretes. Est enim relatus in Cap. *Cum Apostolus* VI. *De censibus &c.* §. *Probibemus*.

CANON V.

Peccatum ad mortem est, quando quidem peccantes incorrepti persistunt. Hoc vero deterius est, si & arroganter elati insurgunt adversus pietatem, & veritatem, & præferentes mammona Dei obedientiæ, nullatenus regularibus ejus præceptis intendunt. In his non est Dominus Deus, nisi humiliati a proprio resipuerint fortasse excessu. Oportet enim eos magis accedere ad Deum, & cum contrito corde remissionem hujus peccati, & indulgentiam petere, & non gloriari in illicito dato: *Juxta enim est Dominus his, qui tribulato sunt corde*. Eos igitur, qui gloriantur, se per dationem auri ordinatos in Ecclesia, & in hac maligna consuetudine, quæ alienat a Deo, & omni Sacerdotio, sperant, & ex hoc impudenti facie, & non aperto ore exprobrabilibus verbis eos, qui ob virtutem vitæ a Sancto Spiritu electi, & constituti sine datione auri sunt, inhonorant, primo quidem novissimum gradum sui ordinis definimus: quod si permanserint, per Epitimium corrigantur. Si vero quis claruerit super consecratione hoc aliquando faciens, efficiatur secundum Apostolicam Regulam, quæ dicit: *Siquis Episcopus per pecuniam dignitatem hanc obtinuerit, vel Presbyter, aut Diaconus, deponatur & ipse, & qui eum consecravit, & excidatur omnimodis etiam a communione, quemadmodum Simon Magus a me Petro*. Similiter & juxta secundam Regulam Sanctorum Patrum, qui apud Chalcedonem convenerunt, quæ ait: *Siquis Episcopus per pecunias consecrationem fecerit, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum, vel Chorepiscopum, sive Presbyteros, aut Diaconos, aut quendam eorum, qui in Clero connumerantur; aut præposuerit per pecunias Oeconomum, vel Defensorem, sive Mansionarium, aut prorsus quemquam, qui sub Regula est, turpis lucri gratia, qui hoc conatus fuerit, agere, si convictus fuerit, proprii gradus periculum subeat, & qui consecratus est, nihil proficiat ex consecratione, vel promotione, quæ per negotiationem effecta est; sed sit alienus a dignitate, & sollicitudine, quam per pecunias consecutus est. Si vero quis mediator apparuerit, in hujusmodi turpibus, & illicitis datis, siquidem*

Clericus fuerit, proprio gradu decidat; si vero Laicus, vel Monachus, excommunicetur.

COMMENTARIUS.

I. Quum nonnulli in Clerum legendi pecunias Ecclesiæ offerre, Deoque dicare soliti essent, quibus deinde fidentes, seque in auro illo gloriose jactantes, quicumque nulla data pecunia ob virtutem forte, vel etiam ob dicendi facultatem Clero adscripti fuerant, proterve conviciis insectabantur: hujusmodi homines primo quidem de gradu dejici, ac in extremum Ordinis sui locum amandari, tum si adhuc a malitia non discederent, pœnas quoque, ut per eas corrigerentur, affici Canon constituit, exordium ab Apostolo, & Euangelista Joanne mutuatus, cujus verba in prima Catholica Epistola, *Est peccatum ad mortem*, de iis, qui commissum scelus eluere pœnis ultro susceptis negligerent, interpretatur. Et vero, uti notat Zonaras, nequiores adhuc illos esse asserit, ut re vera sunt, qui patrato nefario facinore, tollere cornua, hoc est, se se impudenter offerre minime verentur; ac facinus quidem illud appellat, in oblata nimirum pecunia se se gloriosius jactare, divinique præcepti auctoritati, Canonicisque Constitutionibus mammonam, pecuniam videlicet, anteferre. Impudentiæ vero nomine, convicia, & contumelias, quæ illi, in Clerum absque pecuniæ præbitione cooptatis ingerunt, intellexit: *Non est his*, inquit, *Dominus Deus*, hoc quoque ex Libro Regum tertio usurpans. Eos igitur, magna demissione Deo supplicare, ac peccati veniam exposcere, non contra, iniqua largitione efferri oportere demonstrat.

II. Rursus ut alias Canonis nostri particulas explicemus, eodem adnotante Zonara, iniquam appellat eam largitionem, non quod ipsa sit ejusmodi. Si enim iniqua fuerat, cur admissa? aut cur e Clero qui dedit, non prorsus ejicitur? Cur in eum, qui data pecunia in Clerum adlectus est, non animadvertitur? Non igitur, quod reipsa sit talis, iccirco hæc iniqua dicta donatio est, sed quod ejus vitio, qui se ob illam jactat, & se æqualibus anteponit, ut proinde inanem auram, popularesque ramusculos captare ea donatione voluisse suspicari liceat, existimatione hominum, speciem induit pravitatis. Quod etiam satis ex sequentibus declaratur. Nam si quem, inquit Canon, ob impositionem manuum id aliquando fecisse, pecuniam videlicet obtulisse compertum fuerit, Canonum in eo constitutiones servari placet: Canonum scilicet Apostolorum XXXVIII. ex versione Herveti, & II. Chalcedonensis Synodi: quemadmodum ergo hoc loco, iniqua donatione intercedente, & qui ordines contulit, & qui suscepit, uterque pœnis afficitur, idem de illa quoque donatione si ea re vera legibus adversaretur, constitutum fuisset.

III. Quamquam autem quod in prima Canonis parte continetur, non agat quidem de sacrorum Ordinum emptoribus, sed de iis, qui opima sua patrimonia titulari suæ Ecclesiæ dabant, eoque fuco pauperibus ob virtutum merita ad eumdem gradum promotis insultabant, ac priorem locum impudenter prætendebant, uti Lupus explicat: altera tamen parte Canonis declaratur plane pœnis simoniacorum laudato Canone XXVIII. Apostolorum, & II. Chalcedonensi expressis subjacere, qui ab initio non ita liberali, & sponte suscepta voluntate, ait Balsamon, sed ut ordinetur, vel in Clerum cooptetur, vel aliquo alio modo in Ecclesia eligatur, oblationem fecit. Atque huic conforme est, quod Innocentius III. Decano Beluacensi rescribens, uti videre est in Capite, *Tua nos*, XXXIII. *De Simonia*, ait, apud Deum, Simoniacum esse, qui bona sua Ecclesiæ donavit, ea intentione ductus, *ut per temporalia quæ offert, spiritualia*, idest Canonicatum, *valeat adipisci*. Plura in eum locum videri possunt apud Juris Canonici Interpretes, & apud Theologos, qui unanimi consensu, Patrum, & Canonum auctoritate fulti Simoniam non modo realem, conventionalemque, sed & mentalem damnant.

IV. At hisce omissis, notandum nunc nobis est illud, nequaquam nostro Canone veterem illum improbari morem, quo Episcopi, aliique Prælati sine ulla prorsus intentione ambitionis illius, ac superbiæ, quam ipse Canon hucusque damnavit, in Ecclesia instituendi, bona sua Ecclesiæ ipsi offerebant. Laudatur enim S. Ambrosius, qui eo tempore, quo Episcopus ordinatus fuit, aurum omne suum, & argentum, necnon prædia inter pauperes, & Ecclesiam distribuit. Idem de Joanne Eleemosynario Patriarcha Alexandrino refert in ejus Vita Leontius; eumque morem probavit etiam Justinianus Imperator in Novella sua Constitutione CXXIII. Cap. II. ita inquiens: *Si quis Episcoporum, sive ante suam ordinationem, sive post ordinationem voluerit proprias res, aut partem earum Ecclesiæ offerre, cujus Sacerdotium accepit, non prohibemus, & omni condemnatione, & pœna præsentis Legis liberum esse sancimus, sed etiam omni laude dignum judicamus, quoniam hoc non est emptio, sed oblatio.*

V. Improbat sane Canon eam oblationem, quæ a quibusdam fiebat, ut eo fuco cæteris antea promotis in Ecclesia præferrentur. Fuere enim tam Latini, quam Græci in observanda ea lege, quæ tam sancte, tam juste, Clericis æque, ac Episcopis, nulla habita ratione, nobilitatis, doctrinæ, oblationisve pecuniarum Ecclesiæ factæ, locum juxta tempus ordinationis assignat. Hinc cum audisset aliquando S. Leo Papa, a Doro Episcopo Beneventano primum ante alios honoris locum in Ecclesia attributum esse Presbytero recens ordinato, eique consensisse e Presbyteris duos antiquiores, illum in celebri Epistola sua V. graviter objurgavit, quod Canonicum Cleri ordinem invertisset; *Cognovimus apud te novo ambitu fœdoque colluvio, Presbyterii ordinem fuisse turbatam, itaut unius festina, & immatura provectio, quædam eorum dejectio facta sit, quos ætas commendabat, & nulla culpa minuebat*. Et statim: *Quod si ambientis intentio, aut imperita faventium studia id, quod numquam habuit consuetudo, poscebant, ut incipiens emeritis, & novellas præferretur antiquis: tuæ fuerat industriæ, atque doctrinæ, at injuste petentium desideria, rationabili auctoritate cohiberes, ne quem in Sacerdotali propere provehebas honore, ad injuriam eorum, quibus sociebatur, inciperet.*

VI. Declarat tum Leo ipse, non potuisse seniores Presbyteros locum suum cedere, imo prodere,

dere, & hac sua injuria jus deprimere eorum, qui juniores, eisque proximiores erant: *Si vero, ut asseritur, primi, secundique Presbyteri, circa Epicarpium sibimet præponendum, tam huic ossentatio fuit, ut illum cum sui dedecore poscerent honorari, nec hoc quidem illis, proprio se judicio dejicientibus, tribui debuit, quod volebant, cui tam miseræ voluntati to dignius fuerat obviare, quam credere. Deformis autem, & ignava subjectio bene sibi conscii, & non irritam facientibus gratiam Dei, præjudicare non potuit, ut primatus suos quocumque commerito in alterutrum transferentes, subsequentium suorum minueret dignitatem*. Denique, ut horum Primatus sui proditorum ignaviam plectat, jubet, in extremum eos descendere, & retro agi locum inter Presbyteros Ecclesiæ ejus: illis etiam posthaberi, quorum smbitiosis conatibus obsecundarunt; ceteros vero omnes suum quemque juxta ordinationis tempus locum constantissime tueri. Addit, quod plusculum etiam stuporis hæc legenti injicere possit, tantum inesse flagitii in hsc duorum Presbyterornm sive ignavia, sive adulatione, ut deponi omnino esse deberent, nisi ex indulgentia remissum esset aliqnid de juris rigore: *Prædicti igitur Presbyteri, qui indigni se honoris sui ordine sunt professi, licet privari etiam Sacerdotis mererentur; tamen ut eis Apostolicæ Sedis pietate parcatur, ultimi inter omnes Ecclesiæ Presbyteros habeantur. Et ut judicii sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet prætulere, ceteris omnibus Presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis suæ tempus adscripsit*.

VII. Antiquissimam illam seu legem, seu consuetudlnem de servando inter Presbyteros, & Diaconos ordine juxta ordinstionis tempus, innovavit postea Gelasius Papa in Epistola IX. dicens: *Nec cujuslibet utilitatis causa, seu Presbyterum, seu Diaconum his præferre, qui ante ipsos fuerint ordinati*. Antiquissimum esse hunc Ecclesiasticæ disciplinæ ordinem, atque ab Apostolis traditnm, docet quidem Joannes Diaconus, ubi de S. Gregorio Magno ejus disciplinæ tenscissimo ita scribit: *Antiquissimam Ecclesiasticæ consuetudinis ordinem ab Apostolis traditum, & ad sua usque tempora solemniter consecratum Gregorius adeo studiosissime retinebat, ut nullum quantalibet sanctitate, sapientia, nobilitateve polleret, anterioribus Clericis in Conventu, consessu, statione, sive subscriptione præponeret*. In Epistola Gelasii vox *utilitatis*, & apud Joannem Diaconum vox *nobilitate* palam demonstrant, ambitum a nostra Synodo damnatum istis quoque temporibus non defuisse, uti observat in suo Scholio ad hunc Canonem Lupus. Quicquid sit, idem inter Episcopos jam olim statuit Concilium Milevitanum anni CDXVI, Can. XIII. ut nullus scilicet Episcopus audeat se iis, qui prius ordinati sunt, præferre. Hoc eodem Concilio statutum & illud est Can. sequenti, *ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur, literas accipiant ab Ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes Consulem, & diem, ut nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur*.

VIII. Ex laudatis hucusque Pontificum, ex Csnonum locis juverit sane hic obiter observare, posse quempiam aliquando etiam pietstis instinctu, imo & teneri quandoque suum sibi locum, & ordinem tueri. Docet id inter alios eruditissimus Thomssinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. III. ubi post explicatam memoratam S. Leonis ad Dorum Epistolsm, ait, ex hoc exemplo cum primis memorando suggeri nobis rationem, & sterni viam, qua non innoxie tantum, sed pie & cum laude locum, & ordinem nostrum tueamur, nec inerti, & fucata humilitate cedamus, sed laudabili vigore, & animi magnitudine obluctemur eis, qui aperta vi, aut per cuniculos, qui arte, & fraudulentia grassantur, nec dejicere nos loco possunt, quin orbem perturbent Cleri, Canones conculcent, legesque labefactent, quibus ordo, pax, pulchritudo, & concordia Ecclesiæ constabilitur. Nec nos hic exstimulare debet, aut secendere, honoris privati cupiditas, sed ordinis, pacisque, quinimo & officii ratio, ac necessitas, ut dignitatem, qua induti sumus, juribus, honoribusque suis non sinsmus exui, & qualem, quantsmque accepimus, transmittamus successoribus. Hanc ego sane sequutus aliquando rationem, cum in Domo S. Hieronymi Charitatis degerem, solus pene honorem Domus contra adversarios multos nullis parcens laboribus, verbo, ac scripto propugnavi. Quia scilicet de pnblico honore domus agebatur, nam alias quod meam spectat personsm, paratus semper equidem fui, revereri omnes, & quibusvis humuncionibus cedere.

IX. Tsndem ut e diverticulo in viam redeam, quod noster hic Canon abominatur in Clericis, id a Fratribus suis, qui suas divitias Monasterio obtulerunt, cavendum, solicite sdmodum inculcat S. Augustinus Cap. I. Regulæ, sic inquiens: *Qui aliquid videbantur esse in seculo, non habeant fastidio Fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerant. Magis autem studeant non de parentum dignitate, sed de pauperum Fratrum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt, nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas monasterio partiuntur, quam si eis in seculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo*,

C A N O N VI.

Quoniam quidem Regula est, quæ dicit: Bis in anno per singulas Provincias oportere fieri per conventum Episcoporum regulares inquisitiones, propter fatigationem, & ut opportune habeantur ad iter agendum, hi qui congregati sunt: definierunt Sextæ Synodi Sancti Patres, omni excusatione remota, modis omnibus semel in anno fieri, & depravata corrigi. Hunc ergo Canonem & nos renovamus. Et si quisquam Princeps inventus fuerit hoc pro-

prohibere, communione privetur. Siquis vero Metropolitanorum hoc neglexerit agere absque necessitate, vel vi, seu aliqua rationabili occasione, Canonicis pœnis subjaceat. Dum autem Synodus agitur super Canonicis, & Euangelicis negotiis, oportet congregatos Episcopos in meditatione & solicitudine fieri custodiendorum divinorum, & vivificorum Domini mandatorum, in custodiendis enim illis retributio multa; quia & lucerna mandatum: lex autem lux, & via vitæ argutio, & disciplina est; & mandatum Domini lucidum illuminans oculos. Porro non habeat Metropolitanus licentiam ex his, quæ defert Episcopus secum, sive jumentum, sive aliam speciem expetendi. Quod si hoc egisse convictus fuerit, solvat quadruplum.

N O T A.

Nihil est, quod hic Lectorem moremur; agit Canon de tempore Concilii Provincialis habendi; cum enim de ea re abunde dixerimus nostro I. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem XIX. Concilii Chalcedonensis, ubi etiam præsentem hunc Canonem explicuimus, supervacaneum est quæ ibi diximus iterum hoc loco repetere.

C A N O N VII.

Ait Paulus divinus Apostolus: *Quorumdam peccata manifesta sunt, quorumdam autem & subsequuntur*. Peccatis ergo prævenientibus & alia peccata his accidunt. Impiam itaque Christianos accusantium hæresim & aliæ impietates subsecutæ sunt. Sicut enim venerabilium Imaginum aspectum abstulerunt ab Ecclesia, ita & alios quosdam mores deseruerunt, quos & oportet renovari, & secundum scriptam, & non scriptam legislationem denuo detineri. Quotquot ergo venerabilia Templa consecrata sunt absque sanctis Reliquiis Martyrum, definimus, in eis Reliquiarum una cum solita oratione fieri positionem. Et si a præsenti tempore inventus fuerit Episcopus absque Lipsanis consecrare Templum, deponatur, ut ille qui Ecclesiasticas traditiones transgreditur.

C O M M E N T A R I U S.

I. Causam sanciendi hujus Canonis, idem ipse Canon edicit. Iconomachi enim, qui Ecclesias Sacrarum Imaginum ornamentis spoliavere, scelera sceleribus cumulantes, antiquas etiam consuetudines perperam neglexere, quæ quidem, ut simul & scriptis consignata lex, & non scripta quoque consuetudo servetur, Canonis hujus Decreto renovantur. Consuetudo porro prætermissa ea fuit, ut numquam divina Templa consecrarentur, quin aliquæ simul in eis Sanctorum Reliquiæ conderentur. Quæcumque ergo Templa absque conditis Sanctorum Reliquiis consecrata sunt, in eis sacras ipsas Reliquias collocari mandat: qui vero Templum iis non adhibitis consecraverint, eum veluti consuetudines, quas a Majoribus accepimus, negligentem deponi jubet.

II. Late jam de hoc ritu dedicandi Ecclesias cum Sanctorum Reliquiis diximus Tomo II. Commentariorum ad Partem alteram Romani Pontificalis, Tit. II. ubi etiam hunc Canonem explicuimus. Ut autem hic etiam oonnihil dicamus, recte ait Canon, Ecclesiasticam esse, & quidem antiquam tum apud Græcos, tum apud Latinos traditionem, ut cum Sanctorum Reliquiis Ecclesiæ, & Altaria consecrarentur. Sed & dici etiam posset ritus esse Apostolicus, etenim Sanctorum animas sub Altari Dei S. Joannes Apostolus in Apocalypsi Cap. VI. vidit, ad eumque locum alludunt passim antiqui Libri Pontificales, ubi Ecclesiæ, vel Altaris consecrandi ritus describunt. Quicquid sit, cœpit hic primum ritus in Ecclesia Romana observari, & ab ea ad alias deinde Ecclesias dimanavit. De S. Felice I. Romano Pontifice Maximo ita scribit Pontificalis: *Hic constituit supra sepulchra, aut memorias Martyrum Missas celebrari*. Ex hoc ritu ait Schelstratius in Notis ad Librum ipsum Pontificalem sub Felice, profluxisse ritum Ecclesiæ, consecrandi Altaria cum Martyrum Reliquiis, quæ sub illis ab Episcopo consecrante reconduntur.

III. Ad eum Ecclesiæ morem allusit quidem S. Hieronymus, ubi Vigilantium, qui ausus erat Martyrum Reliquias, & cultum impiis scriptis suis convellere, consutabat: *Male ergo Romanus Episcopus facit, qui super mortuorum hominum, Petri, & Pauli, secundum nos, ossa veneranda, secundum te, vilem pulvisculum, offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum, Christi arbitratur altaria?* Quare labi videtur Liber Pontificalis in vita S. Gregorii Magni, ubi de illo ait: *Hic præcepit, ut supra Beati Petri, & Pauli corpora Missa celebraretur*. Jam enim teste Hieronymo longe ante Gregorium mos invaluerat, ut Romæ Sacrificium a Romano Pontifice supra corpora Principum Apostolorum, Petri, & Pauli celebraretur. Porro morem antiquum Romanum

manum dedicandi Ecclesiam laudat S. Ambrosius in Epistola LIV. ad Marcellinam sororem, ubi ita inquit: *Cum Basilicam dedicare vellem, mihi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes, sicut in Romana, sic Basilicam dedices. Respondi, faciam, si Martyrum Reliquias invenero.* Invenit autem Sanctorum Gervasii, & Protasii corpora, & Basilicam Romano more dicavit.

IV. Neque vero ad hoc necessaria erant integra Sanctorum corpora, aut membra; sufficisse enim parva ex eis frusta, docet Theodoretus in Epistola CXLIV. ad Romanos Milites, dicens: *Nos persæpe Sanctorum Apostolorum, & Martyrum Templa nuncupamus, atque hoc Dionysii fortasse, illud Juliani, vel Cosmæ dicimus, tametsi non ignoramus, exiguas plerumque Corporum Reliquias in his esse, animas vero divinioribus in locis requiescere.* Quod ipsum repetit in Epistola ad Timotheum Episcopum. Ex quibus etiam illud addiscimus, morem etiam antiquum apud Græcos fuisse consecrandi Altaria, ac Templa cum Sanctorum Reliquiis. Hinc apud Sozomenum Lib. V. *Historiæ*, Cap. VIII. legimus, Zenonem Episcopum Gazæ Ecclesiam ædificasse, Altare in ea erexisse, ibique reposuisse Reliquias Sanctorum Martyrum. Theophanes quoque in Justiniano, facta refert apud Constantinopolim encænia Apostolorum, & recondita Lipsana Andreæ, & Lucæ Apostolorum, quæ solemni pompa a Menna Episcopo in Templum delata sunt. Cum itaque hic mos ab Iconomachis convelli, & abrogari cœpisset, quod nempe sicut sacrarum Imaginum, ita & Reliquiarum Sanctorum hostes essent acerrimi, merito noster Canon statuit, ut quæcumque Templa sine Martyrum Reliquiis consecrata erant, in iis Reliquiæ reconderentur: & si quis Templum sine Reliquiis consecraret, deponeretur tamquam transgressor Ecclesiasticarum traditionum.

V. Multa de eo ritu affert quidem Joannes Bona S. R. E. Cardinalis eruditissimus Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XIX. Num. V. Longe plura attulimus nos in laudatum Commentarium nostrum ad Titulum II. Tomi II. Romani Pontificalis. Lubet tamen finem huic Commentario imponere eum iis, quibus idem Vir clarissimus memoratum Caput XIX. conclusit. Hæc autem, inquit, Martyrum veneratio ex eo dogmate Fidei orta est, qua sanctorum communionem credimus, & fatemur. Fideles etenim, ut hoc factis profiterentur, in iis locis ad Orationem, & divina Mysteria participanda conveniebant, in quibus Sanctorum Lipsana posita erant, ut ea ratione, quam status defunctorum permittit, cum illis communicarent. Per illa siquidem repræsentatur Ecclesia triumphans, quæ sic aliquo modo cum militanti communicat, & Sacrificio nostro interest. Nam licet ipsa Lipsana, & ossa Sanctorum absente anima sensu careant, respectum nihilominus dicunt ad animam, quæ in Cœlis est, & ipsis inest semen quoddam resurrectionis, & æternitatis. Hac eadem de causa veteris Ecclesiæ Patres Episcopos Orthodoxos sub Altari sepelire consueverunt, ut cum ipsis Sacrificia, & Ordinationes fierent: quia ad servandam Fidei unitatem, & ad legitimam successionem indicandam, communionem viventis Episcopi cum Antecessore defuncto necessariam existimabant. Apparet hujus moris vestigium in Collatione Catholicorum cum Donatistis habita Carthagine tempore Innocentii I. Cognitione I. cap. CCIV. Nam ibi Donatus Episcopus Sitifensis Orthodoxus dixit: *Supra corpus Episcopi Catholici Presbyterum ordinavi, & Deo volente ordinabitur illic Episcopus.*

CANON VIII.

Quoniam errantes hi, qui ex Hebræorum superstitione consistunt; subsannare se Christum Deum existimant, simulantes Christianizare, ipsum autem negant, clam, & latenter Sabbatizantes, & alia Judæorum more facientes: definimus, hos neque in communionem, neque in orationem, neque in Ecclesiam suscipi, sed manifeste sint secundum Religionem suam Hebræi: neque pueros eorum baptizari, neque servum emi, vel acquiri. Si vero ex sincero corde, ac fide converterit se quis eorum, & confessus fuerit ex toto corde, divulgans mores eorum, & res, ut alii etiam arguantur, & corrigantur, hunc suscipi, & baptizari, & pueros ejus, quin & observari eos, ut recedant ab Hebraicis adinventionibus, definimus; alias autem nullatenus admittendos.

COMMENTARIUS.

I. Impetit is etiam Canon, ut scite admonet Lupus, præsumptionem Leonis Isauri, de quo Theophanes inter alia scribit: *Leo Imperator coegit Judæos baptizari. At vero baptizati contra propositum suum diluerunt Baptisma: & comedentes sancto munere participabantur, & contaminabant fidem.* Comedebant in contemtum Eucharistiæ, quam post cibum quidem sumere soliti erant, contra Apostolicam traditionem, & Ecclesiæ disciplinam. Hinc si non omnes, certe ex Judæis quidam, ut noster Canon docet, se fidei studio teneri, Christianamque Religionem amplecti velle simulabant, at vero Christum mox ipsi subsannabant, hoc est, Christo, privatim ab eo deficientes, illudebant, Sabbata secreto colebant, & alios Judæorum ritus retinebant. Ejusmodi homines nec ad communionem, nec in conventu sacræ precationis recipi, sed ab Ecclesiæ ingressu omnino arceri, Hebræorumque rursus publice profiteri sectam, nec ipsis mancipium emendi

emendi facultatem esse decernit. Quod si eorum quispiam ex pura, & sincera fide, hoc est, puro animo, atque omni simulatione sublata, fidei Mysteriis assensus ad sanitatem redierit, atque ex toto corde confiteatur, hoc est, nobiscum in omnibus plane consentiat, & de suorum moribus institutisque quibuscumque triumphum agat, hoc est, se nihil simile facturum aperte profiteatur, ac spondeat, ut ex eo alii quoque erroris socii refutentur, ac resipiscant, admitti hominem, ipsumque, & filios baptizari, studioseque ipsos, ut ab Hebraicis se institutis abjungant, observari, secus vero, omnino repelli jubet.

II. Mandat hæc quidem Canon, & quantum ad illam partem, qua dicitur, non esse hominem præsertim Judæum recipiendum ad fidem, nisi prius ex animo ostendat, velle illam amplecti, consonat quidem Canonum, ac Patrum doctrinæ, qui non modo vetant, Judæos invitos, ac renuentes cogi ad Baptismum, sed & frequenter inculcant, nonnisi diligenter examinatos, probatosque ad ipsum esse admittendos: *Piæ Religionis proprium est non cogere, sed suadere*, inquit S. Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes. Ambrosius quoque exponens illa Apostoli verba in Epistola II. ad Corinthios cap. I. *Non quia dominamur fidei vestræ*, eam rationem docet: *Quoniam fides non necessitatis, sed voluntatis res est*. Eadem passim alii Patres docent, inter quos pervetustus Scriptor Tertullianus in Libro adversus Scapulam Cap. II. inquit: *Sed nec Religionis est cogere Religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi, cum & hostiæ ab animo libenti expostulentur*. Id quod etiam testatus est Theodericus Gothorum Rex apud Cassiodorum nostrum Lib. II. variarum, Epistola XXVII. ubi ita ait: *Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus*.

III. Hanc sequutus Patrum doctrinam, ac rationem S. Gregorius Magnus, certior, quod Massiliæ in Gallia plurimos Judaicæ Religionis viros vi magis ad fontem Baptismatis, quam prædicatione perductos Lib. I. Epistola XLIV. ad Virgilium Arelatensem Archiepiscopum, & Theodorum Episcopum Massiliensem data, laudat quidem ipsorum zelum, sed modum improbat, sic scribens: *Dum enim quispiam ad Baptismatis fontem non prædicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur*. Et statim: *Fraternitas ergo vestra hujusmodi homines frequenti prædicatione provocet, quatenus mutare veterem vitam magis de Doctoris suavitate desiderent; sic enim & intentio vestra recte perficitur, & conversi animus ad priorem denuo vomitum non mutatur*. Tum ita concludit Epistolam: *Adhibendus ergo est illis sermo, qui & errorum in ipsis spinas urere debeat, & prædicando, quod in his tenebrescit, illuminet, & pro his admonitione frequenti mercedem Fraternitas vestra capiat, & eos, quantum Deus donaverit, ad novæ regenerationem vitæ perducat*. Hanc regulam omnino recepit, ac semper servavit, servatque hodie Romana Ecclesia, ad Fidem minime Judæos cogens, sed tantum ut concioni intersint, quam ad ipsos habere solet unoquoque Sabbato Dominicanæ familiæ Concionator in Oratorio Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum de Urbe.

IV. Romanæ Ecclesiæ praxim sequuta fuit jam olim Synodus IV. Toletana Can. LVII. ubi citans Apostoli locum ex Epistola ad Romanos, Cap. IX. hæc habet: *De Judæis autem hoc præcepit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult, Deus, miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ*. Quod egregia hac ratione theologica probat: *Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate, serpenti obediens periit, sicut vocante gratia Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur*. Et mox: *Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi*. Damnat Canon modum, quo usus fuerat Sisebutus Gothorum Rex, qui Judæos in Hispania commorantes ad baptismum coegerat: *Qui autem jam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus Gloriosissimi Principis Sisebuti*. Plane constat ex Lege III. Tit. III. Lib. XII. Legum Wisigothorum, sanxisse hunc Principem ut Judæi, qui in Hispania degebant, baptizarentur, quisquis vero transgressor repertus fuisset, turpiter decalvatus, centum flagella susciperet, & bonis ejus Fisco applicatis, in exilium mitteretur. Rem ex variis authoribus narrat Gonzalez in Cap. *Sicut Judæi* IX. *De Judæis &c.* num. 6. ubi etiam ex aliis refert, quod cum eorum aliquot millia in Galliam effugerent, turpe visum id fuerit Dagoberto Galliarum Regi, ejectos a Gothia Judæos Regno suo consistere; qui iccirco diem ipsis præscripsit, intra quam qui Christianam Religionem non profiterentur, capitis pœnam subirent.

V. Quicquid sit de eo Dagoberti Edicto, Legem certe Sisebuti, qui in Hispania dominabatur, improbarunt non modo in eo Canone Toletani Patres, sed & ante illos S. Isidorus Hispalensis Episcopus in Chronico suo Gothorum æra DCXLI. ubi ita inquit: *Sisebutus post Gundemarum regali fastigio evocatur, regnans annos VIII. menses VI. Qui in initio Regni sui Judæos ad fidem Christianam permovens, æmulationem quidem Dei habuit, sed non secundum scientiam. Potestate enim compulit, quos provocare fidei ratione oportuit*. Appellatur tamen Gloriosissimus Princeps a Patribus Toletanis non quidem propter factum ejusmodi cogendi ab baptismum Judæos, quod improbant, sed propter zelum erga Christianam Religionem. Fuse enim ostensum est ex Patrum Doctrina, & variis rationibus, quas ipsi tradunt, neminem esse ad Fidem cogendum: unde recte etiam docent Theologi, estque hæc Ecclesiæ praxis, ut nec Judæorum filii infantes invitis, ac insciis parentibus baptizentur; nisi mortis periculum iis immineat, quia tunc adest causa judicandi Sacramentum ab illis infantibus pollutum non iri.

VI. Sed hanc quæstionem relinquentes Theologi, adeamus iterum laudatum Canonem LVII. Concilii IV. Toletani, ubi ita demum de Judæis ipsis violentia Principis baptizatis, Patres concludunt: *Quia jam constat, eos esse Sacramentis divinis associatos, & baptismi gratiam percepisse, & Chrismate unctos esse, & Corporis Domini, & Sanguinis extitisse participes, oportet, ut fidem etiam, quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen divinum blasphemetur, & fides, quam susceperant, vilis, ac contemptibilis habeatur*. Cum ergo constet, Baptismum Regia, aut alia quavis coactione susceptum esse omnino validum, at firmum, ac propterea, eos qui

vi,

vi, aut necessitate Fidem susceperant, oportere illus eam tenere, palam labitur Canon is noster Concilii II. Nicæni, mandans Apostatas Judæos Ecclesia ejici, & in prioris superstitionis aperta professione impunes relinqui, eorumque filios, ac servos baptizari vetans. Esse unum hunc ex illis Canonibus, quos Romana Ecclesia numquam admisit, ex Anastasio Bibliothecario tradit Lupus in suo ad ipsum Canonem Scholio. Porro quod Baptizati, si ad ritus Judaicos, vel Paganos redierint, cogi debeant eos relinquere, & Fidem, quam semel professi fuerunt, custodire, inter alias mandat Synodus IV. Oecumenica Lateranensis Capite LXX. quod relatum est in Cap. *Quidam* IV. *De Apostatis &c.* Plura in eum locum videri possunt nostro III. Tomo Conciliorum, & apud Canonici Juris Consultos. Vide etiam Textum in Cap. *Ad abolendum*, & ibi Canonistas, *De hæreticis*.

C A N O N IX.

Omnia puerilia lubrica, insanasque debacchationes, atque conscripta; quæ falso contra venerabiles Imagines facta sunt, dari oportet in Episcopio Constantinopoleos, ut recondantur cum ceterorum hæreticorum libris. Si vero quis inventus fuerit hæc occultare, siquidem Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus fuerit, deponatur. Si vero Monachus, aut Laicus, anathematizetur.

C O M M E N T A R I U S.

I. QUi rabiose, inquit Zonaras, sacras Imagines insectati, eas Idoli quoque nomine vocitarunt, ac illarum præterea dignitati scriptis etiam Libris insultavere. Quos quidem Canon hic noster puerorum ludicra oblectamenta, insanasque Bacchationes nominat. Bacchæ namque mulieres erant, quæ sociato cœtu furentes Bacchum comitabantur. Bacchus vero deus a Græcis idololatris habebatur, ebrietati præfectus, quippe qui ebrius ille quoque semper, & plenus amentiæ censeretur. Quemadmodum ergo Bacchæ illæ, dum furor gliseeret, nullam modestiæ, & gravitatis rationem habuere, sed sola eas stimulante insania ferebantur, sicut & hodie feruntur innuptæ æque ac nuptæ Romanæ feminæ, dum vindemiæ peraguntur, ita qui scripta in sacras Imagines edidere, eos Canon furore, & amentia, non aliqua gravi, & sedata ratione ad eam scriptionem impulsos esse affirmat. Ejusmodi porro scripta a nemine occultari, sed ab iis qui habent, cum aliis hæreticorum Libris seponenda proferri Episcopo Constantinopolitano jubet; & qui occultaverit, si quidem Episcopus, aut alias sacris initiatus fuerit, depositione; Laicus vero, & Monachus segregatione, idest excommunicatione puniendos esse decernit.

II. Vetus sane fuit Ecclesiæ mos, ut quemadmodum venena, ita etiam Libri improbatæ lectionis ab omni huminum usu removeri deberent, & Illa quidem quod corpora, il vero quod animas corrumperent. Quocirca & Jureconsultis placuit, ut libri adulterini, veluti magici, ac similes, in judicium familiæ hereiscundæ deducti a Judice non quidem dividantur, sed protinus igni absumendi consignentur, uti constat ex Paulo Lib. V. Sententiarum, Tit. XXIII. ff. *ad legem Corneliam de Sicariis*, & ex Ulpiano in Lege IV. §. *Tantundem* ff. *Familiæ hercifcundæ*. Maxime observatum id legimus apud Romanus, cujus negotium Magistratibus etiam datum est, ut nimirum Libros, qui Religioni adversarentur, cremari juberent. Qua ratione, referente Valerio Maximo Lib. I. Cap. I. in Agro L. Petilii scribæ sub Janiculo duabus arcis lapideis repertis, quarum in altera libri reconditi erant Latini septem de jure Pontificum, totidemque Græci de disciplina sapientiæ, Latinos magna diligentia asservandos curarunt; Græcos vero, quia aliqua ex parte ad solvendam Religionem pertinere existimabantur, Petilius Prætor Urbanus ex auctoritate Senatus, per victimarios facto igne, in conspectu populi cremavit. Apud Græcos quoque, ac præsertim Athenis imbrobatæ lectionis Libros igni tradi solitos declarat exemplum combustorum Protagoræ Voluminum, apud Ciceronem Lib. I. *De natura Deorum*.

III. Hæreticorum Librorum uti lectionem, ita & detentionem rigidissime semper interdixit Ecclesia. Tradit Sosomenus Lib. I. *Historiæ*, Cap. XX. una cum Ario, etiam ejus scripta fuisse damnata, ac præcipue Librum *Thaliam*, hoc est Convivium, seu Crapulam, inscriptum, numeris metricis adeo lascive, & dissolute conscriptum, ut quamvis de summis Theologicis assertionibus disputaret, Sotadicas tamen turpitudines, sicut & carminum formam, imitaretur: quem & sæpius exprobrat Arianis Athanasius in Oratione contra Arianos. Porro Constantinum tum hoc, tum alia quæcumque impii Arii, ejusque Sectatorum scripta ubique comburi jussisse, pœna capitis adversus occultatores sancita, idem Sozomenus narrat; extatque ipsius de ea re Edictum apud Socratem Lib. I. Cap. VI. ubi etiam edixit, ut quemadmodum Porphyrius, qui nefarios Libros contra Religionem Christianam edidisset, mercedem dignam laboribus recepit, ut ipsa turpissima infamiæ labe aspersus fuerit, atque ejus impia scripta deleta penitus, & extincta; sic etiam Arius, ejusque Sectatores Porphyriani dici deberent, ut cujus sequuti essent mores, ejus quoque nomine censerentur.

IV. Similem Legem labente Seculo IV. adversus Nestorium, ejusque Sectatores, ac Libros edidere Theodosius, & Valentinianus Augusti ad Leontium Præfectum Urbis datam, in qua etiam de memorato Constantini Edicto mentionem faciunt, estque Lex ultima Codicis Theodosiani ad Titulum, *De hæreticis*, ubi sic inquiunt: *Damnato portentuosæ superstitionis Auctore Nestorio, nota congrui nominis ejus inuratur gregalibus, ne Christianorum appellatione abutantur: sed quemadmodum Ariani Lege divi memoriæ Constantini ob similitudinem impietatis Porphyriani nuncupantur,*

tur, sic ubique participes nefariæ sectæ Nestorii, Simoniani vocentur; ut cujus scelus sunt in deserendo Deo imitati, ejus vocabulum jure videantur esse sortiti. Tum, quod libros spectat, ita subjiciunt: *Nec vero impios libros execrandi Nestorii adversus venerabilem Orthodoxorum Sectam, decretaque sanctissimi cœtus Antistitum Ephesi habiti scriptos habere, aut legere, aut describere quisquam audeat. Quos diligenti studio requiri, ac publice comburi decernimus*. Eandem fortunam habuisse aliorum Hæreticorum libros, quos longum est hic recensere, tradit passim in suis Annalibus Cardinalis Baronius.

V. Illud quoque constat ex sacris Historicis, consuevisse olim libros hæreticorum ante sacrarum Ædium fores plerumque comburi. Testatur id quiddm in Vita S. Gelasii Anastasios Bibliothecarius, sive alius ejus nomine Auctor Vitarum Romanorum Pontificum, sic dicens: *Hujus temporibus inventi sunt Manichæi in Urbe Roma, quos exilio deportari præcepit, quorum Codices ante fores Basilicæ sanctæ Mariæ incendio concremavit*. In vita quoque S. Hormisdæ eumdem ritum tradit, ubi ita inquit: *Hic invenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum, exilio deportavit, quorum Codices ante fores Basilicæ Constantinianæ incendio concremavit*. Romæ ille mos invaluit, ut Libri, qui impietatem aliquam continent, sive blasphemiam, atque injuriam in Deum, vel ejus in terris Vicarium, manu Carnificis in majorem & libri, & Auctoris contemptum ante fores Ecclesiæ S. Mariæ super Minervam, quæ est Ordinis Fratrum Prædicatorum, præsente populo comburantur.

VI. Quamquam vero a primis Christianæ Religionis sæculis ad nostra hæc usque tempora Hæreticorum libri comburi soleant, noster tamen Canon, ut scitissime observat Lupus, imitatur Synodum Constantinopolitanam, Marcelli Ancyrani Episcopi, ac Librorum ejus damnatricem, de qua Synodalis Epistola Conventiculi Philippopolitani ait: *Ejus aliquos pravissimos sensus contra Fidem rectam, Ecclesiamque sanctissimam, propter memoriam posteriorum, cautelamque in Archivo Ecclesiæ condiderunt*. Addit de eadem Synodo Sozomenus Lib. II. *Historiæ*, Cap. XXXI. *Scripsit item ad Galatiæ Ecclesiam, ut Marcelli librum conquirerent, cremandumque curarent*. Quocirca unicum dumtaxat exemplar conditum fuerit in Ecclesiæ Archivo, & quidem, ut ait memorata Epistola Synodalis, *propter memoriam posterorum, cautelamque*. Etiam hodie eandem ob causam in Bibliothecarum insigniorum Archivis Hæreticorum Libri recondi solent, ut confutentur, & ut in occasionibus, quæ occurrunt, ex eorum venenis antidota præparemus.

VII. Tandem, ut idem observat Lupus, fuerat Constantinopoli nobilissima Bibliotheca, habens trecenta & tria millia Codicum, & duodecim in adjunctis amplissimis Ædibus Bibliothecarios doctissimos, de quibus Constantinus Manasses: *Tanta in opinione virtutis erant, ut ne ipsi quidem Imperatores novi quidquam & insuetati vel moliendum, vel agendum sibi putarent, illis ad consilium non adhibitis*. Sed cum Bibliothecam ipsam insignem, & Ædes, atque Doctores istos sapientissimos, quod sacras Imagines defenderent imperterriti, impius Leo Isaurus viros exuri fecisset, barbaram istam jacturam noster hic Canon restaurat, mandans, ut cum aliis hæreticorum libris, Codices quoque Iconomachorum *in Episcopio Constantinopoleos recondantur*, idest in ejus Bibliotheca, seu Archivo, ne passim legantur. Ex quo etiam addiscimus, hæreticorum libros, aliqua scilicet eorum exemplaria solum permitti in Archivis insignium Episcoporum recondi, non autem in privatis Laicorum domibus, quibus hujusmodi librorum non modo lectio, sed & detentio, Ecclesiasticis Legibus strictissime, & sub gravissimis Canonicis pœnis vetita est omnino.

C A N O N X.

Quoniam quidam Clericorum parvipendentes Canonicam Constitutionem, relinquunt Parochiam propriam, & ad alias Parochias convolant, & maxime in hac a Deo servanda Regia Urbe se se apud Principes locant, in eorum Oratoriis Missas facientes: hos absque proprio Episcopo, & Constantinopolitano Antistite non licet suscipere in qualibet Domo, vel Ecclesia; quod si hoc fecerit, & ita perseveraverit, deponatur. Quotquot autem cum conscientia prædictorum hoc fecerint Sacerdotum, non licet eis mundanas, & seculares curas suscipere, præsertim cum hoc agere prohibeantur a sacris Canonibus. Quisquis autem apparuerit eorum, qui dicuntur Majores, curam tenere, aut desinat, aut deponatur; potius autem maneat ad magisterium tam puerorum, quam famulorum, relegens eis divinas Scripturas; ad hoc enim etiam Sacerdotium consequutus est.

COMMENTARIUS.

I. INnovat Canon Canones XIII. & XXIII. Concilii Calcedonensis, itemque Canones, XXXI. & LIX. Concilii Trullani, aliosque complures in variis Synodis editos, quos cum Græci, ac Latini quoque minime observarent, præsens iccirco Canon editus est, duas res simul, quarum utraque sacris Canonibus repugnaret, omnino prohibens. Altera est, ne ex alia Urbe in aliam, ne Constantinopolim quidem, quam Urbem Regiam vocat, Clerici alieni discurrant, neque

que se Magistrātibus adjungant, ac in eorum privatis Sacellis, nisi impetrata tum Episcopi, a quo discesserunt, tum Constantinopolitani, cujus in ditionem venerunt, facultate, Sacra faciant, alioqui depositione mulctandi. Altera, ne, quamvis in privata Ædicula Sacra celebrandi, ab iis, quos diximus Episcopis facultatem obtinuerint, profanis se se, ac secularibus negotiis implicent, procuratorisve, aut ratiocinatoris, aut aliud quodcumque munus ejusmodi suscipiant. Quod si nonnullos ejus generis negotiis vacare animadversum sit, eos Canon, aut ab incepto desistere, aut deponi jubet.

II. Ait præterea Canon, deponendum quoque esse Clericum, qui eorum, *qui dicuntur Majores*, curam teneret. Quodnam autem esset eorum munus, qui Majores appellabantur, conjicere facile est ex Canone XI. primæ, & secundæ Synodi Constantinopoli in Templo Sanctorum Apostolorum habitæ, quam affert Zonaras post hanc Synodum II. Nicænam. Sed audiamus primum Zonaram ipsum, qui in suo ad hunc Nicænum Canonem Scholio Majorum munus ita exponit: *Eorum porro, qui Majores dicebantur, de quibus hoc Canone mentio, munus illud erat, ut ex undecimo Canone primæ, & secundæ Synodi in Templo Sanctorum Apostolorum congregatæ conjicere facile est, ut in Agris Magistratuum, in quibus & Majorum nomine appellabantur, curationem, quæ dicitur, exercerent.* Occurrit ea vox etiam apud Latinos Scriptores, uti videre est apud eruditum Dufresne verbo *Major*, in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario. At vero putat Lupus, prohiberi a Canone domesticas Capellanias præsertim Clericis Majoribus, *idest in nobiliori aliquo Ecclesiæ ministerio constitutis*.

III. Quicquid sit, vetat Canon sacris Ordinibus initiatis negotia secularia tractare; quod quidem quantum sit malum, & ab Ecclesiastico Ordine omnino alienum, fuse ostendimus in Commentariis nostris ad alios Canones, ac nuper in Notis ad Epistolam S. Hieronymi ad Nepotianum de vita Clericorum, & Sacerdotum. Id unum vero Clericis hic Canon permittit, Magistratuum scilicet filios, & servos erudire, moribus illorum formandis operam suam impendere: *Potius autem maneat ad Magisterium tam puerorum, quam famulorum, relegens eis divinas Scripturas; ad hoc enim etiam Sacerdotium consequutus est.* Utinam hæc esset hodierna Capellanorum domesticorum Principum, ac Magnatum sancta occupatio. Utinam Principes ipsi, ac Magnates religiosiores, & doctiores Presbyteros filiis suis quærerent, qui & pietatem illis, & bona studia instillarent; non pauci enim inventi sunt, qui non modo malo suo exemplo, sed & nefario opere corruperunt. Peccant autem in eo passim Magnates, quod profuso in equos, ac currus auro, tenuissima deinde mercede conducant Presbyteros, qui & pueros doceant, & iis famulentur, & Capellanos agant, & literas scribant, & curam etiam vel infimarum rerum gerant,

IV. His adde, in Aulis Magnatum, nullos hodie tam parvipendi, quam ipsos Presbyteros puerorum Magistros, a pueris æque ac eorum parentibus. Quod quam turpe sit, atque horrendum, docet exemplum Theodosii Imperatoris, qui Arsenium filiorum suorum Magistrum tanto honore prosequutus est, ut Patrem etiam suum appellari jusserit. Testatur id quidem in Arsenii Vita Metaphrastes apud Surium die XIX. Julii, ubi ita scribit: *Arsenium autem maximo apud se dignatus est honore & familiaritate. Primum enim eum esse decrevit ex ordine Senatorio, & Patrem non solum filiorum suorum, sed suum quoque esse, & nominari.* Rursus, ut idem testis est Metaphrastes, *cum Imperator in scholam præter spem accessisset, & sic vidisset quidem pueros in sedibus considere, illum autem stare, & eum eis disserere, id non leviter tulit, & verbis gravioribus animum tetigit Arsenii, ei objiciendo & quod prius dederat mandatum, & exprobrando, quod id minime servasset. Is autem illi dixit cum qua par fuit reverentia*: O Imperator, rebus recte uti oportet, & cum recta distinctione eis ea, quæ convenit, tribuere, nempe adolescentiæ quidem doctrinam, Imperio autem honorem. *His vero magis iratus Imperator*: Quis autem, *inquit*, eos elegit Imperatores? Numquid tu, qui & jam consequenter eis honorem tribuis? *Quæ cum dixisset, ab eis quoque abstulit insignia Imperii; & divinum quidem Arsenium, vel invitum in Throno collocavit; illos autem sic nudatos adduxit in ejus conspectum.*

V. Digna res est hæc, quæ ad Principum, Regumque aliorum, imo ad Magnatum, ac nobilium, divitumque quorumcumque nostri ævi, qui non Diaconum, uti Arsenius erat, sed Presbyterum domi habent filiorum suorum Magistrum, aures, mentesque perveniat. Ceterum ut externos etiam adeamus, & Gentiles, scribit de Marco Antonio Capitolinus, tantum honoris Magistris suis detulisse, *ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus, semper honoraret.* De Magistrorum tandem singulari apud Sinas cultu hæc habet Nicolaus Trigau Lib. I. Cap. VIII. digna quæ hic inserantur: *Magistros omnino religiosius, quam nostri venerantur; ac tametsi alter alteri per unum diem se se pro discipulo subjecerit in qualibet scientia, vel arte, per vitam deinceps universam, eum Magistrum appellat, & pro Magistro colit: nam illi nonnisi ad latus in qualibet congressu assidet, & Magistralibus cum titulis, ac ritibus cohonestat.*

C A N O N XI.

Cum simus debitores omnes Sacras Regulas custodire, & eam quæ dicit, in unaquaque Ecclesia Oeconomos esse, modis omnibus inviolabilem conservare debemus. Et siquidem unusquisque Metropolitanus in sua Ecclesia constituerit Oeconomum, bene utique habet: sin, ex authoritate propria Constantinopoleos Episcopo licentia est præponendi Oeconomum in ejus Ecclesia. Similiter & Metropolitanis, si Episcopi, qui sub ipsis sunt, non sat- ege-

egerint Oeconomos statuere in suis Ecclesiis. Idipsum autem servandum est in Monasteriis.

COMMENTARIUS.

I. Quamquam vigesimosexto Syoodi Chalcedonensis Canone constitutum sit, ut in quacumque Ecclesia sit Episcopus, ea Oeconomum quoque ex ejusdem Ecelesiæ Clero delectum habeat, a quo ex Episcopi sui sententia Ecclesiasticæ facultates administrentur, quod tamen id in plerisque Ecclesiis neglectum esset, mandat iccirco Canoo, ut in Ecclesiis Metropolitanis, in quibus nulli ordinati sunt Oeconomi, Patriarcha Constantinopolitanus Oeconomos constituat, Metropolitani autem in Ecclesiis suffraganels, si in constituendis Oeconomis negligeotes fuissent. Tum ait, hoc ipsum servari etiam in Monasteriis oportere. Quia scilicet, uti notat Baisamon, res Monasterii a Laicis administrari nefas visum est.

II. Fuit jam olim apud Orientales Oeconomos Monasterii unus e senioribus, qui votis Fratrum eligebatur, ejusque munus erat oblationes, & stipes fidelium suscipere, ex Cassiano Collatione XXI. Cap. I. ubi de Abbate Theona sermonem istituens, ita inter alia inquit: *Cum ergo hic unius lustri tempus cum conjuge peregisset, venit ad Abbatem Joannem, qui tunc temporis merito sanctitatis electus Diaconiæ præsidebat. Non enim ad hunc gradum quilibet propria voluntate, aut ambitione provehitur, sed is, quem cunctorum seniorum cœtus, ætatis prærogativa, & fidei, atque virtutum testimonio, excellentiorem omnibus sublimioremque censuerit. Ad hunc inquam beatum Joannem cum piæ devotionis studio prædictus tunc juvenis advenisset, deferens religiosa munera inter cæteros possessores, qui certatim decimas, vel primitias frugum suarum memorato seni de suis substantiis offerebant &c.* Oblationes scilicet, & stipes fidelium referebantur in Diaconiam, idest in Ærarium, & Arcam Monasterii, ut impenderentur in usus Fratrum, peregrinorum, & pauperum indigentium.

III. Erat prӕteres munus Oeconomi res Monasterii curare, ac præsertim invigilare, an Coquinæ Hebdomadarius suo diligenter fungeretur officio. Id enim tradit laudatus Cassianus Lib. IV. *De institutione Cœnobitarum*, Cap. XX. *In septimana*, inquit, *cujusdam Fratris, cum præteriens Oeconomus tria lenticulæ grana vidisset jacere in terra, quæ Hebdomadario festinanti, dum ea præparat coctioni, inter manus cum aqua, qua diluebantur, elapsa sunt, confestim super hoc Abbatem consuluit.* In Oriente per singulas hebdomadas vicissim Fratres ad necessaria ministeria Cœnobii constitui consuevisse, testatur idem Cassianus Cap. XIX. sic dicens: *Per cunctam namque Mesopotamiam, Palæstinam, & Cappadociam, ac totam Orientem, singulis hebdomadibus vicissim Fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt.* Atque hunc morem servarunt olim Romæ jussu S. Philippi Nerii, alumni Illius primi in domo S. Joannis Nationis Florentinorum degentes, cum enim præ inopia Laicum hominem non haberent, qui cibos pararet, *per aliquos annos ipsimet*, ut Baccii verbis utar in Vita S. Philippi Lib. I. Cap. XV. Num. IV. *sua quisque hebdomada rem coquinariam administrabant, idque tam ex animo, tantaque alacritate, ut Baronius in camini fronte scriptum reliquerit:* Cæsar Baronios cocus perpetuus. *Factumque est, ut sæpenumero Viri nobiles, literisque præditi eum linteolo præcinctum patinas, ollasque lavantem reperirent.*

IV. Aliud Oeconomi munus fuit, ut apud ipsum servandæ deponerentur vestes Novitiorum, testaturque id etiam memoratus Cassianus citato Libro IV. *De institutione Cœnobitarum*, Cap. VI. *Illa vero*, inquit, *quæ deposuit vestimenta, Oeconomo consignata, tandiu reservantur, donec profectus, & conversationis ejus, ac tolerantiæ virtutem, diversis tentationibus, ac probationibus evidenter agnoscant.* In summa curabat apud Græcos Oeconomus res, & negotia omnia Monasterii, uti etiam constat ex Lege Justiniani, quæ incipit, *Qui in Monasteriis*, Cod. *De Episcopis, & Clericis*. Vocabatur autem Oeconomus aliis etiam nominibus, nempe, Procurator, Apocrisarius, seu Responsalis Monasterii, uti docet eruditus Altaserra Lib. IX. *Originum rei Monasticæ*, Cap. X. itemque Cellarius, Cellararius, Cellarii custos, Provisor, aliisque etiam nominibus, uti videre est apud doctissimum Haeftenum, *Disquisitionum Monasticarum*, Lib. III. Tractatu VII. Disquisitione IV. ubi varia scitu digna de eo Cœnobii Ministro docet.

CANON XII.

Quisquis Episcopus inventus fuerit, vel Abbas de salariis Episcopii, sive Monasterii transferre quicquam in Principum manus, vel etiam alii personæ conferre, irritum sit, quod datum esse constiterit, secundum Canonem Sanctorum Apostolorum, qui dicit: *Omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopus sollicitudinem habeat, & dispenset eas, tamquam Deo contemplante; non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur, sed non sub eorum occasione quæ sunt Ecclesiæ defraudentur.* Quod si & excusationem prætenderint, damnum facere, & nihil ad profectum agrum existere, nec sic Principibus, qui per loca illa sunt, tribuatur ager, vel locus, sed Clericis, vel agricultoribus. Quod si calliditate usus fuerit, & a colono, vel

Cle-

Clerico emerit Princeps agrum, etiam ſiç irrita ſit venditio, & reſtituatur Epiſcopio, vel Monaſterio, & Epiſcopus, vel Abbas; hoc faciens abjiciatur, Epiſcopus quidem ab Epiſcopio, Abbas autem a Monaſterio, tamquam qui diſperſit male quæ non collegit.

COMMENTARIUS.

I. STabilem agrorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem hic Canon retineri jubet, profertque Canonem vulgo Apoſtolorum XXXIX. quo rerum Eccleſiaſticarum procuratio Epiſcopo demandatur, ut eas ille, veluti inſpectante Deo adminiſtret, nec ex iis aliquid intervertat, hoc eſt, ſibi tamquam proprium vendicet, neque propinquis largiatur. Eo Apoſtolorum Canone uſa eſt inter alias Synodus Oecumenica Tridentina, ubi Seſſione XXV, in Decreto de reformatione, Cap. I. S. R. E. Cardinales, omneſque alios Eccleſiarum Prælatos monuit, ne Conſanguineos familiareſve ſuos ex bonis Eccleſiæ augeant: *Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant; cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed, ſi pauperes ſint, eis ut pauperibus diſtribuant, eas autem non diſtrahant, nec diſſipent eorum cauſa; imo quammaxime poteſt eos ſancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant*. Atque hæc quidem Epiſcopos ſpectant, nam de ceteris Beneficiariis, ac præſertim de S. R. E. Cardinalibus ita ſtatim ſubjungit: *Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque beneficia Eccleſiaſtica tam ſecularia, quam Regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione obſervari, ſed & ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit: quorum conſilio apud ſanctiſſimum Romanum Pontificem cum univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non iis etiam virtutum inſignibus, ac vivendi diſciplina eos fulgere, quæ merito omnium in ſe oculos convertant*.

II. Multi hac de re Canones editi ſunt, ac pene innumeri, ſed exſcindi tamen adhuc mala peſtis haud potuit, quæ ubique fere locorum graſſatur, Epiſcopis, ceteriſque Beneficiariis Cognatos ſuos ditantibus, rebus ex Eccleſiaſticis proventibus coemptis, vel pecuniis ipſis; cum alias ex ſententia Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, nec ex ea quidem redituum portione, quæ alendo Beneficiario dicata eſt, decerpi quidquam poſſit, & in proximos ſpargi, niſi pauperes ſint, ut ſcilicet paupertate aliquantum leventur, non vero ut ditiores fiant: *Dicendum*, inquit II. II. Quæſtione CLXXXV. Articulo VII. *quod bona Eccleſiarum non ſunt ſola expendenda in uſus pauperum, ſed etiam in alios uſus, ut dictum eſt. Et ideo ſi de eo, quod uſui Epiſcopi, vel alicujus Clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubtrahere, & conſanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, ideſt, ut non indigeant, non autem, ut ditiores fiant. Unde Ambroſius dicit in Libro de officiis*: Hæc eſt approbanda liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas, non tamen ut illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus.

III. Ea ſane erat Seculo XIII. Theologorum vulgatiſſima doctrina, etiam a ſacris Synodis approbata; etenim Pariſienſis Synodus anni MCCXII. Parte III. Cap. XV. Abbatibus, aliiſque Regularibus Beneficiariis cum varias oſtendiſſet pœnas ipſamque depoſitionem, Canonem edidit, quo his eos pœnis addixit, ſi rerum Monaſterii quidvis cognatis largirentur, niſi pauperibus tamquam pauperibus: *Idem conſtituimus, ſi dederint Cognatis ſuis bona Eccleſiæ ſuæ, niſi pauperibus, & ut pauperibus, vel circa hæc aliquid in fraudem fecerint. Niſi forſan aliquando, & raro, & moderate ſecundum facultatem Monaſterii darent; & nihilominus admoneantur, quod non faciant. Sub eadem pœna interdicimus, ne de proprietate Monaſterii reditum, vel proventum aſſignent cognatis*. Ejuſmodi Canones afferri poſſent complures, quos tamen legere eſt apud Thomaſſinum Parte III. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. XLVI. ubi etiam ad eam conſtabiliendam ſententiam mira ac luculenta exempla affert Clementis IV. Martini IV. Clementis VI. Urbani V. atque aliorum Romanorum Pontificum, qui carnem, & ſanguinem minime reſpicientes, a ditandis propinquis ſuis alieni prorſus fuere.

IV. Ceterum, ut ad noſtrum Canonem redeamus, quo ſuburbana, & agri Eccleſiæ alienari prohibentur, ſciendum eſt, ei ſanciendo Canoni occaſionem dediſſe, quod cum tempore hujus Nicænæ II. Synodi, Regum, ac Principum favore ad Dignitates Eccleſiaſticas aditus frequenter pateret, Clerici, æque ac Monachi ambitionis æſtu incitati, facile Principibus aliqua e rebus Eccleſiæ addicebant, ſi modo ad Dignitates ipſas, eorum patrocinio pervenirent. Ut vero ſimoniacæ huic pollicitationi ſatisfacerent, variis prætextibus, Eccleſiæ agros in ſuos Patronos transferre ſtudebant. Quibus occurrere volens Synodus, penitus vetuit, ne agros ipſos Principibus Epiſcopus, vel Abbas addiceret, etiamſi ſteriles eſſent, ac proinde Eccleſiæ inutiles, ait enim addicendos potius illos Clericis, quia inferiores, & ſubjecti ſunt; vel agricolis, qui ruri degentes, in humiliore, atque abjectiore fortuna verſantur. Quod ſi verſute, ac doloſe Clerico quidem, aut agricolæ dedatur ager, ſed ab eo poſtea cuipiam e Magiſtratibus mancipetur, totum illud negotium, ſive venditione, ſive alia quacumque ratione tranſactum, irritum eſſe, poſſeſſionemque Eccleſiæ reſtitui jubet: qui vero rem hujuſmodi admiſerit, ut per fraudem videlicet, vel etiam manifeſto, & palam Principibus, Patroniſve Eccleſiaſticas poſſeſſiones proderet, ſive Epiſcopus, ſive Monaſterii Præfectus ſit, e dignitatis gradu, quippe qui ea quæ ipſe haud collegit, male diſperdat, dejici, ac deturbari eum decernit. Atque hic quidem Canon de agris Eccleſiæ, vel Monaſterii ſtatuit, ex aliis tamen Canonibus, ac præſertim ex Romanorum Pontificum Conſtitutionibus res quoque aliæ, quamvis fructum non afferant, ſi pretioſæ ſunt, & magni valoris, ſine permiſſu Apoſtolicæ Sedis diſtrahi prohibentur.

C A N O N XIII.

Quoniam propter calamitatem, quæ pro peccatis nostris, Ecclesiis facta est, subreptæ sunt a quibusdam viris quædam venerabiles domus, tam videlicet Episcopia, quam Monasteria, & facta sunt communia diversoria; siquidem voluerint ii, qui hæc retinent, reddere ea, ut secundum antiquitatem restaurentur, bene, & optime; alioquin si de sacrato Catalogo fuerint, hos deponi præcipimus; si vero Monachi, vel Laici, excommunicari; quos nimirum constat condemnatos esse a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto; & deputentur, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, qui voci Domini adversantur, quæ dicit: *Non faciatis domum Patris mei domum negotiationis*.

N O T A.

Eadem quæ hic Canon constituit, constituta jam sunt in Canone XLIX. Synodi Sextæ Trullanæ, & Canone XXIV. Concilii Chalcedonensis, in cujus Commentario & memorati Trullani Canonis, & hujus quoque Nicæni explicationem reperies.

C A N O N XIV.

Quia ordo debet in sacratione custodiri, omnibus liquet, & cum diligentia conservare Sacerdotii promotiones, Deo est prorsus acceptum. Et quoniam videmus sine manus impositione a parvula ætate tonsuram Cleri quosdam accipientes, nondum ab Episcopo manus impositione percepta super Ambonem irregulariter in collecta legentes: præcipimus amodo id minime fieri. Idipsum quoque conservandum est etiam inter Monachos. Lectoris autem manus impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio Monasterio solummodo faciendi, si dumtaxat Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem præficiendorum Abbatum, dum constet, illum esse Presbyterum. Simili modo secundum antiquam consuetudinem Chorepiscopos præceptione Episcopi oportet promovere Lectores.

C O M M E N T A R I U S.

I. Quamquam perantiqua sit in Ecclesia Clericalis Tonsura, uti fuse ostensum est nostro I. Tomo Commentariorum in I. Partem Romani Pontificalis, cum tamen Clerici privatim tonsi, nulla ab Episcopo accepta manus impositione, in Ecclesia libros sacros publice legerent, damnavit iccirco abusum hunc Canon noster, quia scilicet in sacro Ordine, ordinis rationem habendum esse, manifestum, & apertum est ex sacris Canonibus, & veteri Ecclesiæ Disciplina. Illud igitur ne fiat in posterum, Canon decernit, eademque constitutione Monachos quoque teneri jubet; quia scilicet & ipsi Monastici instituti homines illud sibi quoque blandiebantur, quasi Tonsura Monastica id valeret, ut jam hinc Lectores censerentur. Privilegium autem Abbatibus concedit, ut si Presbyteri sunt, & Episcopali benedictione consecrati, Monachis suis manus imponendo, Lectores eos crearent, non aliter quam prisci Canones eam Chorepiscopis potestatem indulserant, ut Episcopo annuente Lectores ordinarent.

II. Eam potestatem tribuit quidem Chorepiscopis Synodus Antiochena anni CCCXLI. Can. X. ubi de ipsis Chorepiscopis agens ita inquit ex versione Dionysii Exigui: *Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare, præter Civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est*. Lectores igitur non modo, sed & Subdiaconos, Exorcistasque suo olim arbitrio, Diaconos autem, & Presbyteros nonnisi de Episcopi licentia ordinare Chorepiscopi poterant, qui in vicis, ac pagis, constituti erant, eamque facultatem non parum noster Canon restringit, dum sine Episcopi licentia nullam prorsus ordinationem ne quidem Lectorum Chorepiscopis permittit: *Simili modo secundum antiquam consuetudinem Chorepiscopos præceptione Episcopi oportet promovere Lectores*. Ait, antiquam esse consuetudinem, quia scilicet plures etiam olim Episcopi non sinebant Chorepiscopis ordinare Lectores, nisi habita prius ab ipsis Episcopis facultate, uti constat ex Epistola S. Basilii ad Chorepiscopos.

III. Quod Abbates spectat, tradit Balsamon, ea id privilegii illis de causa indultum esse, quod nec ipsis, nec eorum Monachis facile sit, ex locis remotissimis, ubi plerumque sita sunt Monasteria, ad Urbes ventitare, & ad Episcopos accedere, qui Lectores ordinarent: *Quoniam autem, ut consentaneum est, hoc Monachis difficile vide-*

videbatur, qui eremos ut plurimum habitant, & non possunt Urbes obire, nec Episcopos facile adire, concessum est eorum Præfectis, qui ab Episcopis characterem accepere, Presbyteris quidem necessario existentibus, Monachos Lectores in proprio Monasterio facere, ut ipsi citra ullum impedimentum, divinas in suggestu Scripturas legant. Plerique hodie Abbates apud nos Latinos præsertim ii qui gaudent ornamentis Pontificalibus conferunt non tantum Lectoratum, sed & primam Tonsuram, & reliquos Minores Ordines; de eoque indulto agit Concilium Tridentinum Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. x. mandans inter alia, ut nullo prætextu Tonsuram, aut minores Ordines cuiquam conferant, qui Regularis sibi subditus non sit; idque conformiter ad hunc Canonem, & ad Textum in Capite, *Cum contingat*, XI. *De ætate & qualitate*, quod est Innocentii III. Responsum ad Archiepiscopum Rotomagensem, in quibus dumtaxat permittitur Abbatibus Lectore ordinare *in proprio Monasterio*.

IV. Quæstionem hanc aliam attingit idem Balsamon, in qua aliud alii Canonum Interpretes sentiebant. An scilicet Abbates præter ordinationem suam, & benedictionem Episcopi, ejus etiam permissione indigeant, ut in Monasteriis suis Lectores ordinent. Aliis necessaria videbatur cum Episcopi licentia, propterea quod ordinandi potestas Episcoporum propria est, & quod nec cum licentia Episcopi possint Presbyteri alii Lectores ordinare: *Cum nullus Sacerdos possit Lectorem ordinare, etiamsi ei ab Antistite hoc permissum fuerit*. Existimat tamen ipse, minime necessariam esse eam Episcopi licentiam, cum illa ipsi ejus vel ordinationi, vel benedictioni implicata fuerit: *Ego vero intelligo, hoc Monasterii Præfectis indistincte a Canone concessum esse*. Id quod cuilibet Canonem legenti patet. Porro præter Abbates, Romæ etiam Cardinales in Ecclesiis, quarum sunt Titulares, conferunt & ipsi minores Ordines sciente Summo Pontifice, estque unum hoc ex pene innumeris Cardinalium privilegium. Plura de ea Abbatum facultate conferendi Tonsuram, ac Ordines minores videri possunt nostro I. Tomo Commentariorum ad Partem alteram Romani Pontificalis, ad Titulum XV., *De benedictione Abbatis*.

CANON XV.

Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim est hoc & turpis commodi proprium, ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Audivimus enim ex ipsa Dominica voce: *Quia nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet*. Unusquisque ergo secundum Apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, & in una locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt a Deo. Ad vitæ vero hujus necessitatem studia sunt diversa: ex his vero qui voluerit, acquirat corporis opportuna. Ait enim Apostolus: *Ad omnia quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*. Et hæc quidem in hac a Deo conservanda Urbe; ceterum in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

COMMENTARIUS.

I. Beneficiorum pluralitas, in quam sancti Patres, & sacræ Synodi, ac præsertim decimus Canon Chalcedonensis tantopere invehuntur, cum ob sacrorum hominum ingluviem per universam Ecclesiam misere grassaretur, coacti sunt Patres novo hoc Canone constituere, nequis Clericorum in duabus Ecclesiis adscribatur, fulti rationibus,quod juxta Christi Domini oraculum Matthæi Cap. VI. *nemo potest duobus Dominis servire*: idest, uti in præsentia Patres explicant, duabus Ecclesiis; sive ut ait Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Cap. VII. unusquisque in quo vocatus est, in hoc debet manere. Hæ sane rationes omnem prorsus beneficiorum pluralitatem excludunt, persuasum enim omnibus esse debet, qui veterem Ecclesiæ disciplinam vel paululum norunt, nullum olim fuisse beneficium, quod personale officium non requireret per ipsos beneficiarios in ea Ecclesia præstandum, cui per beneficii institutionem erant adscripti.

II. Quæ causæ vel praesi fuerint abusus a Chalcedonensi Concilio damnati addecusationis pluriurn beneficiorum in una eademque persona, fuse jam a nobis explicatæ fuerunt in Commentario ad Canonem decimum Chalcedonensem: hic breviter unum subjungimus, quod postquam invaluit distinctio inter beneficia requirentia residentiam, & residentiam non requirentia, beneficiorum ipsa pluralitas, sive compatibilitas antiquo Ecclesiæ mori ignota, quasi naturaliter sequuta est. Quum enim, ut ad hunc Canonem notat Vanespen, crederent beneficiarii, se non tantum ab officio præstando immunes, sed etiam a residentia personali in Ecclesia, cui servire deberent, absolutos, nihil obstare sibi putarunt, quin una cum beneficio nec personale officium, nec residentiam personalem requirente, aliud, cujus officium præstare possent, obtinere valerent.

III. At vero scite subjungit laudatus Auctor, prædictam beneficiorum distinctionem non a Canone, sed a consuetudine, sive potius insolito abusu originem suam duxisse. Quum enim circa Seculum X. & XI. omnes passim dignitates, ac beneficia etiam curam animarum habentes residentiam ne-

negligerent, functionesque facras vicariis delegarent; Pontifices, ac Synodi occurrere volentes abusui, repetitis constitutionibus, canonibusque edixerunt, ut obtinentes dignitates, beneficia eum cura animarum, aut etiam Canonieatus, residere tenerentur, nulla facta reliquorum inferiorum beneficiorum mentione, inde perperam creditum fuit ea pristinæ consuetudini, sive potius vetusto abusui esse relicta; eaque causa est, cur Canonistæ unanimi prorses consensu fateantur, omnia beneficia de jure communi requirere residentiam; aliqua vero ex consuetudine ab ea esse exempta. Atque hae distinctione apud ipsos stabllita, & praxi jam confirmata, compatibilitas pluralitasque beneficiorum sua sponte quoque invaluit.

IV. Mirum itaque videri non debet, si noster Canon nullam benefieiorum pluralitatem, aut compatibilitatem admittat, etiamsi onum benefieium satis non sit ad honestam Clerici sustentationem: quia scilicet eo ævo illa beneficiorum compatibilium, atque incompatibilium distinctio nondum innotuerat, omnia enim personalem residentiam exigebant. Certe beneficia id genus duo, qnæ residentiæ obnoxia sunt, quantumvis tenuia, hodie quidem nee ipsa Synodus Tridentina admittit Sessione xxiv. De reformatione Cap. xvii. ita inquiens: *Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere capiens, præsenti decreto, quod in qaibuseumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat abservari; statait, ut inposterum unum tantum benefieium Eeclesiastieam singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, eui confertar, boneste sustentandam non sufficiat, liecat nihilominus aliud simplex suffieiens, dummoda utrumque personalem residentia non requirat, eidem conferri.* Sicque nemo hodie est, qui beneficia quantumvis tenuia, si residentiam exigant, pro incompatibilibus non habent, & in una eademque persona licet Cardinalatus honore fulgeat, addensari non posse eenseat.

V. Dicet quispiam, si olim omnia beneficia residentiæ obnoxia erant, qua ratione Clerici vitam sustentare poterant, si minus quantum ipsis sufficeret, ab una Ecclesia suppeditabatur? Respondet huic objectioni Canon, diversa studia esse, sive varios modos, quibus ea, quæ ad victum pertinent, comparentur; unumque ex iis suggerit, quo ad vitam sustentsndam tum suam, tum aliorum Apostolus usus est, ut ipse testatur in Actis Apostolicis Cap. xx. dicens: *Ad ea quæ mibi opus erant, & bis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*. Victum inquit sibi, ae aliis labore manuum comparasse. Quin & ceteros Apostolos piseationi vacasse, postquam etiam Christus resurrexerat, nec innoxiæ illi arti adversari Apostolatum, cum ea sstisfiat naturæ necessitati, observat S. Augustinus Tractatu cxxii. in Joannem: *Respondendum est*, ait, *non eos fuisse probibitss arte sua, lieita scilicet, atque concessa, victum necessarium quærere, Apostolatus integritate servata, si quando unde viverent, aliud non baberent*.

VI. Si sequiorem Ecclesiæ disciplinam inspiciamus, etiam post datam Ecclesiæ pscem, ex Concilio quidem Charthaginensis iis. quod habitum fuit anno CCCXCVIII. Can. lis. permissum est, ut *Clerieus victum, & vestimentum sibi artificialo, vel agrieultura absque officii dumtaxat detrimento præparet*. Ex quo facile intelligitur, permodici culturam agelli, vel artificioli aliquid satis esse Clerico posse, quem cibo, & veste mediocri contentum esse æquum est; nam inquit Canon, *victum, & vestitum præparet*; non vero, ut divitias eongreget, palatia ædificet, luxurietur vestibus, convivia instrust, histriones ditet, aliaque agat, quæ vel quempiam Christianum Laicum quammaxime dedecent.

VII. Quamquam vero ex ipso Coneilio Carthaginensi Can. liii. cautum sit, ut *omnes Clerici, qui ad operandum validiores sunt, & artificiola, & literas diseant*; constanter assero, nulla lege, nulloque necessitatis vinculo ad opus manuum obligari Clericos; tantumque illud iterum atque iterum repetam, posse illos tum ex Synodalibus constitutis, tum exemplo sanctorum Episcoporum æque ae Clericorum, non modo ad vitam sustentandam, sed ad vitandam etiam otiositatem, manibus laborare. Certe pervetustus Constitutionum Apostolicarum Auctor Libro II. Cap. mihi lxviii. juniores Clericos omnes, Apostolorum imitatione, qui piseabantur, qui tentoria texebant, qui terram colebant, ad opus inflammans, ita inquit: *Qui in Ecclesia juvenes estis, earate in omnibus rebus neeessariis sedula ministrare, eum omni sanctitate operis vestris vaeate, ut omni tempore, & vobis, & egentibus suppeditare possitis, ne Ecclesiam Dei oneretis. Etenim nos quoque vaeantes verbo Euangelii sueeissivas operas non negligimus. Alii enim ex nobis piscatores sunt, alii tabernaculorum opifices, alii agricolæ, ne unquam otiosi simus.*

VIII. Rursus narrat Socrates Lib. i. *Historiæ*, Cap. viii. S. Spiridionem in Insula Cypri Episcopum, qui una cum celeberrimis sanctitate & doctrina Episcopis Concilio Nicæno i. interfuit, etiam Episcopali officio fungentem curam ovium gregis egisse: *Qui eum Episcopatus munere fungeretur, propter singularem animi modestiam oves etiam pavit*. Si qua fides dialogis S. Gregorii, Lib. iii. Csp. i. habemus, S. Paulinum familia & opibus clarum Episcopum Nolanum, agrum eolere consuevisse; cum enim ut viduæ filium servitute eximeret, servum se addixisset, pereontatus a domino, quam artem calleret, respondit: *Artem quidem aliquam nescio, sed bortum bene excolere scio*. De S. Hilario Archiepiscopo Arelatensi, qui etiam, uti scribit Surius ad diem v. Maji, exemplo suo Clerum adduxit, ut facris altarium functionibus opus adjiceret manuum, & operis sui proventibus pauperes sustentaret, ita in Libro de Scriptoribus Ecclesiastieis inquit Gennadios: *Hilarius paupertatis amator, & erga inopum provisionem non solum mentis pietate, sed & corporis sui labore sollicitus fuit. Nam pro reficiendis pauperibus etiam rustieationem contra vires suas bomo genere clarus, & longe aliter educatus exercuie.*

IX. Jam certe mirabitur nemo, si & Presbyteri etiam ultro manibus laborarint. Presbyterum quendam Canonum peritum, atque in Monastica disciplina diu versatum, quod pauper ipse, & paupertatis amator eum collegis suis operi manuum incumberet, meritissimis laudibus ornat S. Basilius Epistola cccxix. sic scribens: *Peritum Canonum, fide solidum Presbyterum, in ascetica, & eontinenti vita ad bunc usque diem versatum, pauperem, neque reditus aliquos in boc seculo possidentem, imo adeo indigentem, ut nec panis ipsi copia suppetat, sed manuum labore una eum fratribus, qui eum illo sunt, victum sibi extundat*

tundat necessarium. Constat ex ipso Basilio in Epistola CCLXIII. numerosum ipsi fuisse Clerum, sed nullum tamen Clericum fuisse, qui mercaturæ vacaret, sed aliis artibus, quibus victum quærerent: *Mercaturam non exercent, artes autem colunt maxime sedentarias, unde victum sibi quisque acquirunt quotidianum.* Tandem de S. Felice Presbytero & Martyre scribit S. Paulinus Carmine V. de ejus vita, quod tria agri sui jugera manibus suis excoleret, ejusque proventibus seipsum non modo, sed & pauperes pasceret.

Hunc retinens animum, tria macri jugera ruris,
Nec proprio sub jure tenens, conducta colonus
Ipse manu coluit, famulo sine, pauperis horti
Possessor. Sed & has de cespite dives egeno
In Dominum confundit opes, cum paupere semper
Collectum divisit olus, cum paupere mensa
Una dies illi curam consumpsit habendi.

X. Hæc, & alia, quæ afferri possent exempla Sanctorum Presbyterorum, & Episcoporum, qui manibus laborabant, sive ad sustentandam vitam, sive ad exercendam humilitatem, sive ad otiositatem vitandam, eo quidem spectant, ut Canonem nostrum confirment, quo edicitur, non posse quempiam in duabus Ecclesiis conscribi, tametsi una minime ad alendum ipsum sufficiens sit. Potest enim Clericus eo esse contentus, quod ex uno percipit beneficio, & si quid illi ad victum, vel ad vestitum desit, ex manuum labore quærere, vel, si delicatulus est, ex paternis bonis excipere. Res enim est digna luctu, quod unus duo tria, quatuor, decem, & centum, ac mille, si posset, beneficia obtinere curet, etiam quæ compatibilia appellant; ut scilicet exquisitiores epulas paret, ornatissimo apparatu incedat, & vitam sæcularem potius quam Ecclesiasticam vivat. Paucis dicam, quum multa in decimum Chalcedonensem Canonem dixerim, pluralitas ista beneficiorum, etiamsi compatibilium, *est omnino avaritia, sacrilega negotiatio, turpe lucrum, Clericali sanctitati penitus adversum.* Pauca sunt quidem, sed fortia, quæ ad hunc nostrum Canonem notat sapientissimus Lupus.

XI. Forte nobis objiciet quispiam extremam hujus Canonis clausulam, ubi postquam dictum est neminem debere in duabus Ecclesiis conscribi, ita demum subjungitur: *Cæterum in villis, quæ foris sunt propter inopiam hominum indulgeatur.* Non enim, ut scite post alios notat Vanespen, hic permittitur, ut Clericus duabus Ecclesiis adscribatur, sive, ut phrasi moderna loquamur, duo beneficia habeat, quo possit suæ necessitati consulere; sed solum permittitur, ut unus duabus Ecclesiis sibi vicinis deserviat ob hominum inopiam: idest in villis, sive, ubi tanta est hominum inopia, ut unaquæque Parochia Presbyterum habere nequeat, permittit Canon unum Presbyterum duabus Ecclesiis operam exhibere, non ut ejus inopiæ succurratur, uti hodie per beneficii simplicis compatibilis combinationem permittitur, sed ut hominum, seu incolarum necessitati provideatur. Atque hic sensus Canonis est, quem ita etiam non obscure explicat Zonaras, in suo ad illum Scholio inquiens: *Quibus in locis hominum penuria est, unum duarum Ecclesiarum ministerio Clericum addici licere decernitur.* Respicit ergo Canonem ad hominum seu incolarum, non ad Presbyteri necessitatem, ubi finit unum Presbyterum in duabus conscribi Ecclesiis. Unde non bene ex nostro Canone infert Lupus Scriptor cæteroqui doctissimus: *Sola Clericorum inopia excusat istam pluralitatem.*

CANON XVI.

Omnis jactantia, & ornatus corporeus est a Sacerdotali ordine & statu alienus. Episcopos ergo, vel Clericos, qui se splendidis, & insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet: sin autem permaneant, Epitimio tradi: similiter & eos, qui sunt unguentis delibuti. Quoniam autem radix acerbitatis sursum pullulans, fuit nostræ Ecclesiæ inquinamentum, Christianos scilicet accusantium hæresis, & qui eam susceperunt, non solum Imaginum picturas, sed omnem etiam pietatem, ac religionem extruserunt, in eos qui pie, & honeste vivunt, invehentes, & in eis impletum fuit quod scriptum est: *Abominatio peccatorum religio, & verus Dei cultus.* Si inventi itaque fuerint nonnulli eos irridentes, qui vilem, & modestum amictum induti sunt, Epitimio corrigantur. A superioribus enim usque temporibus omnis vir Sacerdotalis cum moderato, & honesto indumento versabatur. Quidquid enim non propter usum, sed ostentatorium ornatum assumitur, in nequitiæ reprehensionem incurrit, ut ait Magnus Basilius. Sed nec ex sericis texturis variatum quis vestimentum habebat: neque in vestimentorum fimbriis adjecta erant alieni coloris additamenta. Ex divina enim lingua audierunt: *Quia qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.*

COMMENTARIUS.

I. De hominum, qui Clero adscripti sunt, indumentis, extat Canon vigesimus septimus Concilii Trullani, quem nos jam suo loco explicuimus. Sed cum ritus Ecclesiasticos Iconomachi hæretici perturbassent, idcirco de eadem re nostra hæc Synodus iterato Decreto

creto cavendum existimavit, ut nimirum siquis Episcopus, aut Clericus pretiosam vestem ad ornatum, cultumque corporis adhibuerit, aut unguenta odorifera oboluerit, primum quidem admoneatur, tum si perstiterit, pœnis quoque in eum animadverti debeat.

II. Causam huic edendo Canoni dedisse Iconomachos, qui non modo sacris Imaginibus bellum indixere, sed totius quoque religiosæ modestiæ prorsus obliti, eos quorum moribus, ac vitæ gravitas inesset, oderant, & aversabantur, irridebant, & populi ludibrio exponebant, si demissum ac modestum habitum instar Monachorum gestarent, ex ipso recitato Canone perspicue addiscimus. Cui quidem nonnihil lucis affert, quod in sancti Stephani Auxentiani Vita legimus apud Laurentium Surium de Constantino Copronymo, qui vestem Monasticam vocari jusserat vestem tenebrarum, & ipsos Monachos tenebricosos, idololatras, immemorandos: *Stolidam multitudinem in concionem advocat, ac veneranda Crucis ligna, una cum Dominici corporis, & sanguinis mysteriis, atque omni labe puris Evangeliis palam proponit, atque ita per ea universos jurejurando adstringit, numquam se divinas Imagines adoraturos, nec communionem a Monacho accepturos, nec salutantibus quidquam humanitatis vicissim exhibituros. Verum si quisquam eorum Monachum uspiam obviam habuisset, tenebricosum eum, immemorandum, & idolorum cultorem appellaturos, ac demum lapidibus ipsum appetituros.*

III. Sane vero nihil luculentius afferri potest ad explicandam nostri Canonis mentem, quam id quod legimus apud Ignatium Archiepiscopum Nicænum in Vita S.Tharasii Patriarchæ Constantinopolitani, qui ipsum Canonem executioni mandare studuit, ubi Episcoporum, & Clericorum abusui occurrit, qui ut impio Copronymo placerent, suum avitum habitum, humilem certe, ac modestum despexerant, modestiam illius demutantes in fulgidas, & insignes, sericisque texturis variatas vestes, apponentesque in illarum fimbriis variorum colorum ornamenta. Sic autem inquit memoratæ Auctor Vitæ Cap. IV. apud Surium die XXV. Februarii: *Multis ex eis, qui erant relati in numerum Clericorum, qui suos lumbos zonis cingebant aureis, & ornati erant variis, & pretiosis vestibus sericeis, aurum quidem ademit; fecit autem succingere lumbos cingulis contextis ex pilis caprarum. Eis vero, qui toti corpori ex eisdem filis purpureis vestes habebant contextas, excogitat tunicas remotas a curiositate nimia, & deliciis, ut quæ essent vestitus honestus, & convenirent eis, qui Deo servire statuerunt, & profitentur humilitatem.* Mox addit illud inde evenisse, ut *tolleretur quidem quicquid damni nascebatur; honoraretur autem frugalitas, ut thesaurus quispiam pretiosissimus.*

IV. Hinc illud perspicuum fit, quantopere complures sacri homines hallucinentur, qui necdum extricati a vanissima hac vecordia pretiosæ vestis gestandæ, inde sibi patrocinium quærunt, quod vestium pompa honestetur Sacerdotium, & a Laicis impense colatur. Est hæc vanissima cavillatio, qua semper Clerici molles, ut simplicibus imponerent, usi sunt. Proscindebant quidem Iconoclastæ heretici Orthodoxos, qui vilem, & modestum amictum induti erant; non autem Catholici, qui illos semper honorarunt Clericos, atque impensius coluerunt, qui modestiam in vestibus præseferrent. Patrocinantur iis passim, & Patres, & Canones, profiteturque noster Canon, hactenus semper Clericos mediocri veste usos, a sericis semper abhorruisse, & ab iis elegantioribus additamentis, quibus pretii, & splendoris non parum accedere existimatur: *Sed nec ex sericis texturis variatum quis vestimentum habebat, neque in vestimentorum fimbriis adjecta erant alieni coloris additamenta.*

V. Hanc disciplinam summo studio conati sunt semper zelosiores Pontifices restituere, potissimum vero S. Carolus in Conciliis suis Mediolanensibus; ut enim alia omittam, in I. provinciali Synodo prohibitæ Episcopis sunt sericæ vestes, panni pretiosiores, odorumque suavitates: *In veste serieum non adhibeat, nec pretiosis pellibus utatur, unguenta ne sumat, neve alias odorum suavitates.* Aurea rursus ibidem proscripta est, & argentea supellex, præter cochlearia; itemque serica aulæa iisdem vetita, & elegantia tabellarum, picturæ, & operis cujuscumque pretiosioris: *In ejus supellectili nihil aureum, nihil argenteum sit, præter levissima, ac tenuissima quædam instrumenta ad cibum ori admovendum comparata. Nihil auro, argentove ornatum, nihil sericum, aut serico distinctum; non colorum varietas, non aulæa, aut tapetia, nihil acu pictum, nihil auro textum, nihil studiosius elaboratum. Denique non pluris sit artificium, aut manupretium, quam rei necessitas postulet.* Mandat etiam memorata Synodus, ut Episcopus *habeat Clericos, qui nonnisi Clericali vestitu utantur, sericum, aurum, & argentum, colorumque varietatem omnino excludentes.* Similia legere est in variis aliorum Episcoporum Synodis post Tridentinam habitis, de quibus nos alias diximus.

VI. Sed clament, ut volunt Concilia, & sancti Ecclesiarum Præsules, ea semper a vanis quibusdam sacris hominibus excusatio urgebitur, ideo ipsos vestium, ac supellectilis uti pompa, ut Laicis erga Sacerdotium venerationem instillent. Verum quis est adeo simplex, qui vanos hosce prætextus non parvipendat, præsertim cum in Concilio Carthaginensi IV. Can. XV. scriptum sit, amplitudinem Episcopatus dignitate vitæ, morum innocentia, & fidei puritate, non vero vana, & pretiosa supellectile, aut mensa opipara ostentari: *Episcopus vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem quærat, & dignitatis suæ authoritatem fide, & vitæ meritis quærat.* Et ne quis putet, veterem esse hanc disciplinam, similia legere est in Conciliis recentioribus, ac præsertim in Toletano anni MDLXV. ubi post damnatum vanorum Præsulum luxum ea subjungitur ratio, quod Episcopatus scilicet splendore & puritate virtutum, non seculari sumptu illustretur: *Episcoporum siquidem authoritas non his delitiis, vanisque splendidioribus, sed fide, ac vitæ meritis quærenda est.*

VII. Teste Carolo a Basilica in Vita S. Caroli Lib. VII. Cap. VI. nullum sanctus hic Archiepiscopus, & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, nullum sericum adhibuit indumentum; eorumque qui Dei ministri essent, dignitatem, ac existimationem, dicebat non in humanis ornamentis, sed in religiosis virtutibus consistere. Tum laudatus Auctor vitæ concludit: *Res ipsa declaravit, & superius narrata demonstrant, Caroli abjectionem, morum gravitate, sanctitateque conjunctam, summit, atque infimit tanto semper in honore fuisse, quan-*

quantum nulla terreni ſplendoris ornamenta conſequi potuiſſent. Quam impenſe Conſtantinus I. Imperator, & qua religione, ac reverentia Epiſcopos veneraretur, qui veſte vili utebantur, tradit Euſebius in Vita Conſtantini Lib. I. Cap. XLII. *Proinde menſæ ipſius adhibebantur homines, externe quidem habitu, ac veſtitu deſpicabiles, ſed quod ille minus deſpicabiles judicabat: quippe qui non externam hominis ſpeciem, quæ oculis ſubjecta eſt, ſed Deum ipſum introſpiceret*. Si Iconoclaſtas excipias, vix Hæreticos invenies, qui vilem, ac modeſtum ſacrorum hominum habitum deſpiciunt, ſed potius inde occaſionem capiunt Epiſcopos, Clericos, Monachos irridendi, populorumque ludibriis atque oblatrationibus exponendi, quod nullam in veſtibus, ac ſupellectili humilitatem præſeferant.

VIII. Interim tametſi ex memoratis hucuſque Sanctorum exemplis, Conciliorum Decretis, ac rationum momentis, alieni eſſe deberent ſacri homines a vana, & ſuperflua veſtium pompa, adhuc plerique ex iis ſericea adhibent indumenta, undulata, ac ſtudioſius, & multo artificio texta, ut nimirum quid intus ſunt, exteriori hac pompa indicent. Clemens Alexandrinus Lib. II. *Pædagogi*, Cap. X. adeo ſerici veſtimenti mollitiem execratus eſt, ut ne feminis quidem illud permittat. Jubet namque valere Indicos ſeres, & operoſos bombyces, eo quod ſuperflua hæc, & ſplendida mentem minime conſtantem arguant. Hinc juſto zelo accenſus S. Chryſoſtomus Homilia IX. in Epiſtolam ad Philippenſes, indignum Sacerdotio dicit, qui ſerico utitur veſtimento. Ex laudato Clemente Alexandrino, *eſt bombyx primum vermis, deinde aſpera ex eo naſcitur eruca, poſtquam in tertia metamorphoſi innovatur papilio, quam nonnulli Græci appellant* νήματα. *Ex quo longum flamen naſcitur, quemadmodum ex aranea tela aranea*.

IX. Narrat Procopius Lib. IV. *De bello Gothico*, Cap. XVII. & Zonaras in Juſtiniano, tempore hujus Imperatoris, duos Monachos ex India Byzantium reverſos, rationem conficiendi ſerici, & alendi vermiculos e mori foliis, quorum fœtus eſt ſericum, Romanis tradiſſe, ut omnino, quod ante cum Perſis celebre erat, atque impendioſum ſerici commercium tolleretur. Præ omnibus Italiæ regionibus noſtra quidem Calabria ſerico abundat, uti videre eſt apud Barrium, & in Notis Amici Noſtri Viri Clariſſimi Thomæ Aceti ad ipſum Barrium. Sed hoc obiter notato, ut ea, quæ Canonem ſpectant, perſequamur, noſtri Clerici præſertim qui beneficiis, & penſionibus Eccleſiaſticis abundant non contenti ſericeis, quæ apud Noſtros texuntur, nullis parcentes ſumtibus, ea volunt, quæ in longinquis regionibus elegantiori artificio elaborantur, ut iis non modo ad proprii corporis, ſed & parietum indumentum utantur. Eſt ſane malum quod ſacri homines tantum luxum in veſte, ac domeſtica ſupellectili adhibeant, præſertim, quia, ut ſcitiſſime docet S. Baſilius a noſtro Canone laudatus: *Quicquid enim non propter uſum, ſed oſtentatorium ornatum aſſumitur, in nequitiæ reprehenſionem incurrit*. Sed certe peſſimum illud eſt, quod ſacros Eccleſiæ reditus, qui pauperum ſunt, in iis vanitatibus inſumant, & perdant. Vide ſuperius in Commentario ad Canonem XXVII. Concilii Trullani alia ad hunc præſentem Canonem pertinentia, & quæ dicemus in Commentariis noſtris ad Cæremoniale Epiſcoporum Tomo I. Cap. I. in Commentario ad §. I.

C A N O N XVII.

Quidam Monachi ſuis Monaſteriis relictis, ut qui imperare deſiderent, & parere recuſent, Oratoria ædificare adgrediuntur, cum ea non habeant, quæ ad perfectionem pertinent. Siquis ergo hoc facere adgreſſus fuerit, prohibeatur ab ejus loci Epiſcopo. Siquis autem ea habet, quæ ad perfectionem ſufficiunt, quæ ab ipſo deliberata ſunt, ad finem deducantur. Idem autem ſervetur in Laicis, & in Clericis.

C O M M E N T A R I U S.

I. JAm pridem tum ſacris Canonibus, tum Legibus Imperatorum iterum, atque iterum cautum fuit, ne Eccleſiæ, vel Monaſteria ſine dote fabricæ, miniſtris, aliiſque neceſſariis ſufficienti conſtruantur. Fuſe id quidem oſtendimus nos Tomo II. Commentariorum ad Romanum Pontificale ad Titulum I. *De benedictione, & impoſitione primarii lapidis pro Eccleſia ædificanda*; & nonnihil etiam noſtro I. Tomo Conciliorum de ea re diximus ad Canonem IV. Chalcedonenſem. Porro in præſenti Canone non obſcure indicant Patres, ſe iccirco ipſum edidiſſe, quod quidam Monachi cum in Monaſteriis propriis ſubeſſe nollent, nova conſtruere Monaſteria aggrederentur, quibus imperitarent, cum alias ea non haberent, quæ ad illorum perfectionem pertinant. Abuſum hunc Canon vetat, jubetque Epiſcopis, ne novas Eccleſias, Oratoria, vel Monaſteria extrui Monachis, Clericis, vel Laicis permittant, niſi ea ſuppetant, quæ ad perfectam fundationem ſufficere poſſint.

II. Jam non poſſe Eccleſias, vel Monaſteria ædificari ſine Epiſcoporum conſenſu, in laudatis Commentariis dictum a nobis fuit; ab eorum enim auctoritate, & conſenſione tum memorata Chalcedonenſis Synodus, tum aliæ complures, ejuſmodi fundationes pendere ajunt; horum quippe ſtudium erat diligenter inquirere, num ea, quæ a fundatore offerebantur, operi abſolvendo ſufficerent. Hæc diſciplina ſi obſervaretur, facile occurri poſſet nonnullorum gloriolæ, atque ambitioni, qui vix habentes quid ipſi manducent, Eccleſias, vel Monaſteria conſtruere aggredientes, & opus deinde perficere non valentes, non immerito Chriſti Domini oraculo ſugillantur: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare*.

III. Siquis autem roget, pro quot Monachorum numero, qui novum habitaturi sunt Monasterium, constituendi sunt reditus, dicam quod scite observat Hugo a S. Victore Lib. II. *De claustro animæ*, Cap. II. ubi docet tantundem a majore, quantum a minore, quam par sit, Monachorum numero, periculi in Monasteria impendere: hinc enim ait lites succrescere, & jurgia innumera ex ingenti prædiorum copia, quæ tot alendis Monachis sit satis, si numerosior congregatio: illinc vero vix, aut nec vix posse inquit servari diligenter Claustralem, & Monasticam disciplinam, ac regulam, ubi duo, tres, quatuor, aut quinque tantum Monachi constituti sint: *Qui multos congregat, necesse est, ut eorum victui multa quærant, & dum quærunt plura, crescit exteriorum cura, sparguntur fratres, soli inter seculares habitant, nolentes pati fraudem, sed judicio contendere parati. Qui per cellas duo, vel tres, aut etiam quatuor, vel quinque simul habitant, claustrali non coarctantur lege, loquuntur, & quando, & cui, & quomodo volunt*. Cellæ, sicut & Obedientiæ, ac Prioratus minuscula erant monasteria, in Abbatiæ alicujus ditione posita.

IV. Sane illud ex variis Synodis cautum est, ut ubi parva hæc monasteria idonea tribus saltem alendis Monachis non essent, vel unirentur simul, vel amotis Monachis, per sæculares Clericos regerentur. Constat id quidem ex Concilio Mompessulano, quod anno MCCXIV. celebratum est, Can. xxx. & xxxi. *Cum monasteria, & Canonicæ Regulares Prioratus, seu Obedientias habeant, & in ipsis singulos fratres ponere consueverint, qui ibidem regulariter vivunt, & quandoque ab uno consumitur, de quo possit pluribus provideri: statuimus, ut si talis fuerit Prioratus, in quo tres fratres valeant commorari, tres ad minus fratres ponantur ibidem, & unus ex eis Prior sit, qui curam omnium habeat; si vero tot fratribus non sufficit Prioratus, duæ, vel tres Ecclesiæ juxta arbitrium Episcopi, vel Abbatis, ubi non præest Episcopus, jungantur in unum, & illi Priori, qui instituetur, respondeant, Et idem Prior in illis Ecclesiis, in quibus non sunt fratres, per seculares Capellanos ministret*. Ubi nota I. tres saltem Monachos in quolibet Prioratu esse debuisse: id quod & in Narbonensi Concilio anni MCCXXVII. & in aliis confirmatum est. II. potuisse Episcopos, vel Abbates, ubi tamen Episcopus non præesset, in unum pinguiorem Prioratum plures tenuiores conflare. III. tandem Prioratus ipsos, quorum ea esset redituum tenuitas, ut tribus Monachis non sufficeret, secularibus Clericis commendari.

V. Sed non desunt aliæ Synodi, quæ duos etiam Monachos in Prioratibus commorari sinunt, ut enim alias omittam, Londinensis certe, quæ anno MCCLXVIII. celebrata est Can. XLIII. decretum illud denuo inculcat, ut Clericis secularibus cederent Prioratus, quorum fructibus duo Monachi sustentari non possent: *Quod si forte pauperes habent Ecclesias, quæ duobus non sufficiant Monachis exhibendis, faciant illas per seculares Clericos deserviri, ut sic nec debitis Ecclesiæ fraudentur Ecclesiis, nec regularis frangatur integritas disciplinæ*. Ubi etiam obiter nota, ex plerisque hujusmodi Prioratibus a Monachis relictis emersisse beneficia, quæ vulgo simplicia appellant, quorum reditibus in suam ipsorum voluptatem plurimi sacri homines abutentes, nullum Ecclesiis servitium præstant, cum alias ex recitato Canone Seculares Clerici suffecti Monachis, & in Ecclesiis illis residere, & pietatis officia, quæ in iisdem Monachi peragebant, persolvere tenerentur. Porro in aliis Conciliis, ac præsertim in Salmuriensi anni MCCLXXVI. Can. x. expresse edicitur, ne Clericis secularibus minusculi Conventus dentur, si in iis duo Monachi sustentari possunt: *Probibemus, ne quis Abbas, vel alius Prioratum, in quo possunt ad minus duo Monachi sustentari, vel consueverint morari, cuiquam seculari conferre præsumat: si secus actum fuerit, id irritum decernentes*. Quibus omnibus egregie patrocinatur Balsamon, qui in Scholiis ad Canonem nostrum asserens ædificari a quopiam posse monasterium, si ea conferat quæ ad Templi perfectionem, & trium Monachorum habitationem, & provisionem sufficiunt, ex eo probat, quod ore divino dictum sit: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum*.

VI. Ergo utilius semper multo esse videtur, si præsertim in locis parvis vel minuta monasteria serventur, in quibus pauci commorantur Monachi, quam iis remotis, reditus ab aliis insumi, qui longe a locis ipsis alibi ad suum comodum vivunt. Ecquis enim nescit, paucos illos Monachos, qui in parvis monasteriis degunt, multum afferre utilitatis incolis, quibus verbum Dei, & sacramenta ministrant. Sed neque incolæ tanta injuria afficiendi sunt, ut postquam temporalia sua Monasteriis præbuerunt, ut inde spiritualia perciperent, sua pietate frustrentur, aliique extranei, quos numquam noverunt, oblatos Deo reditus devorent. Certe publicata ab Innocentio X. anno MDCLII. Constitutione, quæ incipit, *Instauranda*, qua parvos omnes Conventus Italiæ, & circumjacentium insularum suppressit, extintisque reipsa in Italia, ac præsertim in nostro Regno Neapolitano non paucis, dici nequit, quantum inde populi detrimenti senserint; unde cum multi ex iis qui fuerant excisi, iterum redintegrati fuissent, & alii eam cladem evasissent, idem Pontifex anno MDLXIV. parvos illos conventus servari, iis temperamentis jussit. I. ut essent in eis saltem sex monachi, quorum quatuor saltem Sacerdotes essent, & maturioris ætatis. II. Ut ii subjicerentur Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. III. hæc locum habere, usque dum eorum reditus augescerent, possentque ex iis duodecim monachi sustentari. Vide Fagnanum in Cap. *Relatum*, *Ne Clerici, vel Monachi*, & Thomassinum in sua disciplina Parte I. Lib. III. Cap. LXIX.

VII. Fateor equidem, tum ex Pontificum, & Conciliorum decretis, tum ex ipsis Regularium constitutionibus, optatissimum semper eam disciplinam fuisse, ut duodecim saltem Monachi in singulis Monasteriis alerentur; testisque est Fagnanus in Cap. *Non amplius*, *De institutionibus*, Gregorium XV. anno MDCXXI. solemni diplomate sanxisse, ne deinceps Cœnobium ullum extrueretur alterutrius sexus, nisi ali ex reditibus commode possent duodecim Monachi, Monialesve, sive ex agrorum proventibus, sive ex piis erogationibus annui illi reditus affluerent. Decretum istud ex votis Congregationis Cardinalium, quæ consultationibus præest Episcoporum, & Regularium manasse Fagnanus ipse affirmat, qui ejusdem Congregationis a secretis fuit.

VIII. Habent profecto hæc locum, ubi novum extruendum est monasterium, non vero in monasterio jam extructo, quod tametsi paucos alat

alat aliquandiu monachos, potest tamen, ut sæpe accidit, ex piis oblationibus, legatis, hæreditatibusque relictis multum augescere, & non modo duodecim, sed multo etiam plures Monachos sustentare. Ceterum ut finem huic commentario faciam, duo sunt quæ reformatione indigent; primum est, ut in parvis Cœnobiis, præsertim iis, quæ in parvis sita sunt locis, Religiosi probi, atque ætatis provectæ, uti præcipit Innocentius X. a Superioribus constituantur, non enim illè ferendus abusus homines discolos ad illa assignandi. Alterum est, quod multa Cœnobia hodieque extant, in quibus plures ali possent, quam in eisdem commorantur.

IX. Pertinuit jam olim ad Episcopos hujusmodi abusui occurre, uti constat ex Concilio Remensi anni MCCLXXI. Can. IV. ubi præcipiuntur Episcopi observare numerum Monachorum, qui in uno quolibet minusculo Cœnobio ali debent, ne Abbates illum imminuant ad amplificandos monasterii sui reditus. Idem jam antea præceperat anno MCCLXIV. Can. II. Concilium Namnatense. In Concilio autem habito ad Vallem Guidonis anno MCCXLII. præcepti sunt Abbates, ut operam darent redintegrandis Prioratibus, idest parvis Conventibus, qui exhausti pene fuerant pensionibus, censibusque gravissimis, quos Abbatibus exolvere cogebantur: *Prioratuum dirupta loca propter pensiones, quas singulis annis Abbatibus suis solvere compelluntur*. Ex quibus omnibus patet, non mirum videri debere, si Conventus minusculi reditibus in dies aucti, Fratrum non augent numerum, gravati enim sunt variis, frequentibus, & importunis exactionibus.

C A N O N XVIII.

Sine offensione esse etiam iis, qui extra sunt, inquit Divinus Apostolus. Mulieres autem in Episcopiis, seu Monasteriis versari, est omnis offensionis causa. Si quis ergo ancillam, vel liberam in Episcopio possidere deprehensus fuerit, vel in Monasterio ad ministerium aliquod obeundum, puniatur: sin autem perseveret, deponatur. Si vero etiam in suburbanis mulieres esse contigerit, & voluerit Episcopus, vel Monasterii Præfectus, illic iter facere, præsente Episcopo, vel Monasterii Præfecto, mulier eo tempore nullo modo ministerium obeat, sed alio in loco seorsim degat, donec recesserit Episcopus, aut Monasterii Præfectus, ut omnis reprehensionis occasio vitetur.

C O M M E N T A R I U S.

I. Quamquam tertio jam primæ Nicænæ, & quinto sextæ Synodi Canone, aliisque plurimis aliarum Synodorum Decretis, quæ longo agmine in nostris ad prædictos Canones Commentariis recensuimus, de iis quæ domi habebantur subintroductis mulieribus, definitum sit, ut nimirum nequaquam liceret Episcopo, Presbytero, Diacono, aliisque Clero adscriptis subintroductam habere mulierem, præterquam matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt, ut tertius Nicænæ I. Synodi Canon loquitur; hic nihilominus Canon, quem in præsentia enucleamus, non modo in Episcopalibus ædibus, aut in virorum Monasteriis feminam commorari vetat, verum etiam qui illas cujuscumque causæ obtentu in his locis habuerint, pœnis in eos animadverti, ac nisi ejecerint, sacris initiatos deponi jubet: quia scilicet, uti inquit Canon, *mulieres in Episcopiis, vel Monasteriis versari est omnis offensionis causa*. Rursus, ut omnis reprehensionis occasio vitetur, jam neque in suburbana loca, in quibus ministeria per feminas exercentur, Episcopos, aut Abbates abire Canon permittit, nisi illæ in alium locum, quoadusque hi discesserint, se conferant.

II. Causam huic sanciendo Canoni, sicuti & aliis compluribus hujus nostræ Synodi præbuisse Iconoclastas, liquet ex toties laudata Vita S. Stephani Auxentiani. Ipsi enim, sicuti hodie Lutherani, & Calvinistæ, Monachos omnes, Episcopos, & Clericos orthodoxos de incontinentia calumniantes, ludibrio populi, & irrisionibus plebis ipsos exponere delectabantur. Quamobrem merito noster Canon hæreticorum oblatrationibus occurrens, omnem suspicionis ansam demolitur ex celeberrima illa Apostoli regula in Epistola ad Titum, Cap. II. *Ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*. Cui concinit egregia illa interpretatio ab Auctore Epistolæ ad Occanum, Cap. XVII. quam S. Hieronymo tribuunt adhibita ad eum Apostoli locum, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*. Id enim accipit de elongatione a sexu femineo; quasi qui male non audit ea in parte, sit extra offensionis, & reprehensionis aleam.

III. Eam ob rationem varii in sacris Conciliis procusi sunt Canones, qui in sacrorum hominum ædibus feminas versari vetant. Fuse de ea re disseruimus in Canonem III. Concilii I. Nicæni, sed lubet hic etiam nonnulla adjicere, quibus præsens hic magis magisque illustretur Canon Concilii Nicæni II. Concilium Meldense, quod anno DCCCXLV. celebratum est, Can. XXVI. enixe obtestatur Reges, ut cum ad Episcoporum ædes diverterent, pro sanctitate Ordinis Episcopalis omnia agerent, illucque mulieres introducere abstinerent: *Habitaculis Episcopalibus reverenter inhabitet, & non diversoria feminarum, magnificentia sua, & religio venerabilis fieri permittant*. Sed perspicua est ratio, quam mox ipsum Concilium subjicit: *Quia si secundum Leges Canonicas, in mansiones Clericorum, introitus feminarum prohibentur: quanto magis domus Episcopi ab hujusmodi inhabitatione, & con-*

& conversatione, etiam & a legitimo connubio conjugatorum debet immunis esse, & aliena.

IV. Fuit ea in re cautior æque, ac diligentior S. Augustinus, de quo in ejus Vita scribit Possidius Cap. XXVI. *Feminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit ne quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens, multo tempore usque in diem obitus sui præposita Ancillarum Dei vixit. Sed neque Patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant; quas personas sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat vero, quia etsi de sorore, & neptibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio; tamen quoniam illæ personæ sine aliis secum manentibus feminis esse non possent, & quod ad eas etiam aliæ de foris intrarent, de iis posse offendiculum, aut scandalum infirmioribus nasci.* Sane austerior fuit Augustinus Decreto Canonis tertii Synodi primæ Nicænæ, qui iis, qui in Clero sunt, permittit habitare in eadem domo cum matre, sorore, amita, aliisque personis, quæ suspicionem effugiunt.

V. Hoc Augustini exemplo excitati deinde Patres, quod scirent cognatarum mulierum occasione, alias irrepere posse in Presbyterorum ædes, a Presbyteralibus ædibus feminas omnes ablegarunt, uti aliis in locis diximus. Quod autem Episcopos spectat, legem tulit Justinianus, qua statuit, ut Episcopus e sede sua dejiceretur, si quam in Episcopali domo pateretur feminam, etiam ex iis quas ex Niceno Canone aliis permittebat. Sic autem loquit in Novella sua Constitutione CXXIII. Collatione IX. *Episcopum vero, nullam penitus mulierem habere, aut cum ea habitare permittimus: si autem probetur, nequaquam hoc custodiens, Episcopatu projiciatur.* Cui concinit Lex, *Episcopo*, Cod. *De Episcopis, & Clericis*, ubi ita idem Imperator jam antea statuerat Canonicis constitutis se conformans: *Episcopo nullam mulierem secum habere permittitur, sed si habere probetur, ab Episcopatu dejiciatur.*

VI. Ergo vitandum est sacris hominibus, ac præsertim Episcopis omne femineum contubernium, cum æque periculosum sit feminas in Episcopio habere, ac in suburbanis, ubi illæ versantur. Isidorus Pelusiota Lib. II. Epistola CCLXXXIV. Palladium Episcopum egregie adhortans, ut mulierum vitet congressus, ea ratione utitur, quod eos qui Sacerdotum munere funguntur, sanctiores, ac puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt: *Siquidem illi*, inquit, *& sui, & plebis, hi autem sui dumtaxat curam gerunt: atque illi in hujusmodi dignitatis fastigio collocati sunt, omnesque vitam eorum perscrutantur, & explorant; hi autem in spelunca sedent, aut sua vulnera curantes, aut vitia obtegentes, aut etiam coronas sibi ipsis texentes.* Præcidendæ igitur Episcopis turpium suspicionum occasiones, præsertim in suburbanis, & villarum amœnitatibus, in quibus hodieque liberiores, ac in civitatibus solent esse mulieres. Legendus S. Hieronymus in Epistola ad matrem, & filiam, de vitando suspecto contubernio, ubi inhonesta quædam describit, quæ in suburbanis, ac villis peragi solent. Ait enim inter alia, sic filiam alloquens: *Dabit tibi barbatulus quilibet manum, sustentabit lassam, & pressis digitis aut tentabitur, aut tentabit. Erit tibi inter viros, matronasque convivium, spectabis aliena oscula, prægustatos cibos &c.* Sed quid amplius in hac re immoramur, de qua fuse egimus in Canonem III. Concilii I. Nicæni, & in aliis multis nostrorum Operum locis.

CANON XIX.

Tanta execrabilis avaritiæ labes Ecclesiarum Præfectos invasit, ut nonnulli eorum virorum, ac mulierum, qui pii, ac religiosi dicuntur, Domini mandati obliti fallantur; & eos, qui ad Sacerdotalem Ordinem, & vitam Monasticam accedunt, pecuniis admittant; & quorum reprobum est principium, universum quoque rejiciendum est, ut ait Magnus Basilius: nec enim Deo licet, & mammonæ servire. Siquis ergo inventus fuerit hoc facere, qui hoc facit, si sit quidem Episcopus, vel Monasterii Præfectus, vel ex Sacerdotali ordine, vel cesset, vel deponatur, ut vult secundus Canon Chalcedonensis Synodi. Si autem Monasterii Præfecta, a Monasterio extrudatur, & alii Monasterio tradatur ad subjectionem. Similiter & Monasterii Præfectus, qui Presbyteri ordinationem non habet. De iis autem quæ dantur liberis a parentibus instar dotis, vel rebus suis propriis oblatis, profitentibus iis, qui ea offerunt, esse Deo consecrata, statuimus, ut sive maneant, sive exeant, ea in Monasterio maneant, ut fuit ipsorum professio, nisi is, qui præest, in culpa fuerit.

COMMENTARIUS.

I. ET Clero quemquam adscribi, & in Monasterium intercedente pecunia recipi ab iis, quorum ductu Ecclesiæ reguntur, Episcopis nempe, & Monasteriorum Præfectis, præsens hic noster prohibet Canon, pœnamque depositionis intorquet in Episcopos, Abbates, & Abbatissas, qui præter divinas leges, & Decreta Concilii Chalcedonensis pecuniam ab iis exigunt, qui ad sacros Ordines, vel ad vitam Monasticam admitti desiderant. Sed notatu dignum, quod ait Ca-

Canon; scilicet, enorme hoc vitium ita eo tempore usitatum fuisse, ut a quibusdam etiam pietatis fama commendatis, viris pariter, ac mulieribus, Episcopis nempe, & Abbatibus, atque Abbatissis, nonnisi soluta pecunia quemquam aut sacris Ordinibus adscriptum, aut in Monasteria admissum fuisse; ex quo illud plane eveniret, quod ait S. Basilius, ut cujus prava initia extitissent, alia quoque omnia damnanda consequerentur.

II. Quoniam vero de Simonia, quæ ordinationem fœdat, satis jam diximus in laudatum Canonem secundum Chalcedonensem, nostrum in præsentia studium erit de ea re disserere, quæ in ingressu Monastico, & professione religiosa committitur. Neque enim dubium est, quin illi in Simoniacorum classem referri debeant, qui in admittendis Monachis, vel Monialibus pecuniam exigunt; cum non modo id passim a Canonistis, & Theologis tradatur, verum etiam & a nostro Canone perspicue insinuetur, ubi ejus flagitii, & sacrorum Ordinum nundinationis nullum facit discrimen. Id quod ex Concilio etiam Meldensi anni MLXXXIX. Can. VII. confirmari potest, qui postquam prohibuit distrahi pecunia Episcopatus, Dignitates Capitulorum, & Canonicatus, statim ad Abbates descendens, eos vetat, quidquam exigere in Monachorum admissione: *Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt, aliqua placiti occasione præsumat.* Quem Canonem totidem verbis Concilium Romanum ab Urbano II. anno MXCIX. habitum Can. XVII. & Londinense anno MCLXXV. Can. VIII. innovant.

III. Sane ad profligandam teterrimam hanc Simoniæ luem tot procusi sunt tum in generalibus, tum in peculiaribus Conciliis Canones, ut vix ad ea omnes describendos integer justæ molis liber sufficeret; nonnullos autem referam, præsertim ex iis, quos Synodus tertia, & quarta Lateranenses edidere, ne deinde cum Deo dante de hisce Conciliis Tomo III. dicturi sumus, rem iterum, iterumque agere cogeremur. Ergo Alexander III. qui Concilio III. Oecumenico Lateranensi præfuit anno MCLXXIX. Can. X., hac eos inurit nota, qui vel exigerent quidpiam, vel darent, vel acciperent ad receptionem Monachorum: *Monachis sub pretio non recipiantur in Monasterio: Si quis exactus autem aliquid dederit, ad sacros ordines non ascendat: is autem, qui eum receperit, officii privatione mulctetur.* Confirmat Canonem, quem in Concilio Turonensi ediderat anno MCLXIII. ubi etiam Canone VI. quem legere est Lib. V. Decretalium Tit. III. *De Simonia* Cap. VI. postquam prohibuit, *ne ab eis, qui ad religionem transire voluerint, aliqua pecunia requiratur*, ingenue fatetur, hoc simoniacum esse, auctoritate Sanctorum Patrum manifeste declarari; additque idcirco, *quisquis hoc de cetero attentare præsumserit, tam qui dederit, quam qui receperit, partem se cum Simone habiturum*; cum illo scilicet, qui uti habetur Cap. VIII. Actuum Apostolorum, aurum S. Petro obtulit, ut Spiritum Sanctum ab eo emeret, credens donum Dei largitione pecuniæ possideri.

IV. Mitto alias Synodos, cum omnium, quæ ad confodiendum hoc monstrum afferri possunt, celeberrima certe sit quarta Oecumenica Lateranensi ab Innocentio III. anno MCCXV. celebrata. In ea quippe dolens Pontifex, omnes pene Moniales, in quarum monasteriis lues illa grassabatur, frivolis calliditatibus, & vano, ac fucato paupertatis obtentu, nullam fere sine pretio in sua Cœnobia admitterent, nostri Canonis Decreto adhærens, ipsas a Monasteriis posthac ejiciendas decernit, quæ ea se lue inquinarint, & in alia austeriora impingendas, ubi perpetuæ addicantur pœnitentiæ: quæ vero hactenus ita admissæ fuere, eas vel in alia detrudendas Cœnobia, aut in eisdem, ubi primum perperam receptæ fuerant, collocandas, novam ibidem elicientes professionem, & in extremas sedes rejiciendas. Sic enim inquit Can. LXIV. quem legere est in Tit. *De Simonia*, Cap. XXXIX. *Quoniam Simoniaca labes plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætexta volentes hoc vitium palliare, ne id de cetero fiat, penitus prohibemus; statuentes, ut quæcumque de cetero talem commiserint pravitatem, tam recipientes, quam recepta, sive sit subdita, sive Prælata, sine spe restitutionis, de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de Monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur. Quod si forte propter nimiam multitudinem, alibi nequiverint commode collocari, ne damnabiliter in seculo vagentur, recipiantur in eisdem Monasteriis dispensative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis.*

V. Hoc eodem Decreto constringit Pontifex etiam Monachos, aliosque Regulares, quos eidem pœnæ subjectos vult, si in admissione Religiosorum ad sua Monasteria, pecuniam exigant: *Hoc etiam circa Monachos, vel alios Regulares decernimus observandum.* Jussi sunt tandem ab eodem Pontifice, qui memoratæ Synodo quartæ Oecumenicæ Lateranensi præerat, Episcopi, hæc Decreta per Diœceses suas quotannis publicare, ne quis posset sibi ignorationis prætextu, vel affectatæ simplicitatis blandiri: *Verum ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœceses publicari.* Quam constanter in ea eradicanda lue fuerit semper memoratus Innocentius III. passim ex ejus Epistolis liquet, ac præsertim ex illis, quas Archiepiscopo Cantuariensi scripsit, qui illum certiorem fecerat, in perlustranda Diœcesi compertum a se fuisse, in Monasteriis, & Canonicis Regularibus, & Religiosis locis adeo Simoniacam pravitatem pullulasse, *ut in eis multo pretio sunt recepti, qui potius gratis recipi debuissent, imo etiam ad religionis observantiam invitari.* Præcipit ergo Pontifex, ut Canonum rigorem distringeret in Monachos æque, ac in Abbates, qui ob ingressum Religionis, pecuniam dederant, acceperantve; ut scilicet illi a Monasteriis remoti, in quibus pretio fuerunt recepti, ad alia arctiora detruderentur: Abbates vero, Abbatissæ, Priores, Prælati, aliique officiales, qui pecuniam exegerant, a sacrorum Ordinum executione suspensi essent, donec pœnitentiam competentem peregerint. Postremo autem addit, illud dumtaxat ab eis accipi posse, *quod sine taxatione fuerit gratis oblatum.* Recensentur hæ literæ in Cap. *Dilectus*, XXX. *De Simonia*.

VI. Nihil Decretis hisce Innocentii III. ad extirpandam Simoniacam luem exigendæ pecuniæ pro ingressu Religionis, atque ad futiles paupertatis Monasteriorum prætextus confodiendos validius, luculentiusque afferri potest: indefinite enim

enim loquuntur, nulla habita distinctione inter Monasterium opulentum, & egenum, præsertim cum longe ante, & post Innocentii III. ætatem Summi Pontifices, ac sacræ Synodi districte inhibuerint, ne plures ad Monasteria reciperentur, quam in eisdem de ipsorum Monasteriorum reditibus ali possent. Quod quidem ex Synodo Arelatensi, quæ habita est anno DCCCXIII. liquido patet, dum Canone VIII. ita statuit: *Non amplius suscipiantur in Monasterio Canonicorum, atque Monachorum, seu etiam puellarum, nisi quantum ratio permittit, & in eodem Monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possunt*. Est is Canon summæ auctoritatis, utpote relatus in Cap. I. Libri III. Decretalium, Tit. *De institutionibus*. Quod autem a laudato Concilio ea in re statutum fuit, illud ipsum eodem tempore in Conciliis, Moguntino, Can. XIX. Turonensi III. Can. XXXI. Remensi II, Can. XXVII. & in aliis multis sancitum est.

VII. Post memoratam superius Synodum IV. Lateranensem Oxfordiensis Synodus anno MCCXXII. habita Cap. LXIV. Episcopis jubet, ut *provideant quod Moniales in omnibus necessariis competenter sustentari possint de bonis Monasterii; nec sustineant ultra numerum aliquam admitti; nec etiam suscipiatur aliqua, quousque redactæ fuerint ad numerum illum*. Concilium Burdigalense an. MCCXXXVIII. Can. XX. de rebus Monasterii sustentari Monachos jubet, & ne ulli admitterentur, qui nequeant de communibus Monasterii proventibus vivere: *Nec aliquos recipiant pacto, vel conditione, vel pecunia mediante: sed si Monasterii non sufficiant facultates, pauciores habere liceat, quam hactenus fuerit consuetum: & deinceps nulli admittantur, donec de communi possint vivere, sicut superius est expressum*. Ubi nota, satius duxisse Concilium pauciores in Monasteriis locari Monachos, & de eorum ali reditibus, quam plures, si pecunia admitti debeant. Statuit quoque Concilium Langescense anni MCCLXXVIII. Can. II. ut Abbates, vel Abbatissæ, Priores, vel Priorissæ *ne plures reciperent, quam ex locorum facultatibus competenter poterant sustentari*. Tum Episcopis præcipit, ut numerum reditibus admetiantur: *Certum instituant numerum personarum, prout pensatis facultatibus viderint expedire*.

VIII. Eodem seculo decimo tertio, quo hæ Synodi celebratæ sunt, Constitutionem illam celebrem, quæ incipit, *Periculoso*, edidit Bonifacius VIII. extatque in Cap. I. *De statu Regularium*, in VI. qua iterum prohibuit, ne Monialium non mendicantium Monasteria plures admitterent, quam quas suis reditibus alere possent, irritam decernens ceterarum professionem: *Districtius inhibemus, ne in Monasteriis Ordinum non Mendicantium aliquæ recipiantur de cetero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis, sive proventibus absque penuria sustentari: si secus autem fuerit, irritum decernentes*. Non inficior, scopum hujus Constitutionis fuisse, ut occurreret scandalosis Monialium evagationibus, sed & illud nihilominus pro certo haberi debet, voluisse etiam Pontificem fœdis pecuniæ exactionibus occurrere, quæ in receptione Monialium fiebant. Sic enim docet Dionysius Carthusianus Lib. II. *De Simonia*, Articulo II. *Imo & hæc potius videtur fuisse intentio Constitutionis illius, ne occasione receptionis ultra numerum prætaxatum, moniales habeant causam, aut excitamentum exigendi aliquid a persona recipi postulante, aut faciendi pactum aliquod cum ea de dando aliquod temporale ante absolutam receptionem ipsius ad Ordinem*.

IX. Eam fuisse causam edendæ Constitutionis, colligi etiam potest ex Conciliis paulo post celebratis, in quibus ob Monachorum, Monialiumque ad Religionem ingressum, omnis pecuniæ exactio quovis nomine, coloreque palliata interdicitur. Ut autem varias de ea re Synodos præteream, Concilium Coloniense anni MCCCX. Can. XXVIII. ita statuit: *Ne in aliquo Monasterio in admissione, vel receptione Monachi, seu sanctimonialis pecunia exigatur; vel pro receptione talis personæ ad Religionem pacta, conditiones, aut conventiones de pecunia, vel alia re temporali ipsi Religiosi faciant, quovis nomine, vel colore ad hoc quæsito*. Non dissimulo, admitti a laudato Concilio oblationes, sed quidem, illas quæ a parentibus, & cognatis, amicisque post celebratam professionem, sponte, pure, ac libere, & sine ullo pacto, remota quavis fraude, & ludificatione fiant: *Sed id quod ex post facto parentes, & amici personæ receptæ, pro eleemosyna, & devotionis nomine, absque pacto libere contulerint, recipere valeant: dum tamen id fiat pure, & simpliciter sine fraude*.

X. Etsi autem tot Concilia, & Summi Pontifices, tam constanter, & tam conspirate in Cœnobia Monachorum, Monialiumque etiam tenuissima exarserint, quæ pecuniam a profitentibus exigerent; dolens nihilominus vicem sui temporis Urbanus V. qui anno MCCCLXII. renunciatus fuit Pontifex Maximus, quod in nonnullis Ecclesiis, Monasteriis, aliisque locis religiosis tam virorum, quam mulierum detestabilis, & a Canonibus reprobata vigeret abusio exigendi ab illis, qui ad Monasteria recipiuntur, pecuniam, pastus, prandia, cœnas, jocalia, aliaque id genus, sub gravioribus pœnis quam antea essent inflictæ, Constitutione sua, quæ incipit, *Sane ne in vinea*, legiturque in Extravagantibus communibus, ad Titulum, *De Simonia*, districtius inhibuit, Abbatibus, Prælatisque quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, & exemtorum, *ne tam a maribus, quam a mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domus, seu loca, in earumdem personarum receptione, aut ante, vel post illam, quoscumque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo præsumant; sed eas potius cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu, & vestitu, sicut alias personas suarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Domorum, & locorum sincera charitate pertractent. Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes, pure, & sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Domibus, & locis hujusmodi voluerint; cum gratiarum actione licite recepturi*.

XI. Ex tot clausulis, quibus in recitata Constitutione usus est Pontifex, distinctio illa Monasterii opulenti, & egeni omnino præciditur. Cum enim districte inhibeat, omnibus Monasteriorum Prælatis, ne quidquam in quemcumque etiam pium usum impendendum, *directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo præsumant*, perspicue ostendit, eam quorumdam ceteroqui insignium Theologorum, qui ante Urbanum V. floruerunt

ruerunt ſententiam eliminaſſe, qui ajebant, poſſe exigi, vel recipi, ubi Monaſterium majori numero alendo ob annuorum redituum penuriam non eſſet ſufficiens. Nihil ſane de noſtro aſſerimus, Dionyſius quidem Carthuſianus doctus æque ac pius, qui duobus libris, quos adverſus Simoniam circa ingreſſum in Religionem edidit, oſtendere conatus eſt, quod nec titulo paupertatis aliquid ab ingredientibus peti, vel exigi poſſit, verba dictæ Conſtitutionis in eam ſententiam adeo clara, & plena eſſe putavit, ut nullam *prorſus recipiant interpretationem ad oppoſitum*.

XII. Sed audiamus ipſiſſima ejus verba Lib. II. *De Simonia*, Articulo x. ubi ita inquit: *Quod Urbanus V. tam evidenter, imo clariſſime, omnifarie, & rigoroſe prohibuit omnem hujuſmodi exactionem directe, indirecteve factam, ſive ſub ratione pretii, ſive ſub colore indigentiæ, & ſuſtentaculi vitæ, ut Conſtitutio illa nullam prorſus recipiat inflexionem, retorquentiam, epykizationem, ſeu interpretationem ad oppoſitum, quemadmodum jam luce clarius ex verbis ipſius eſt demonſtratum*. Ait mox, ipſam Urbani Conſtitutionem confirmatam fuiſſe ab ejus ſucceſſore Gregorio XI. *abſque exceptione, & interpretatione*. Tum vero hæc ſtatim ſubjicit: *Ideo dato, quod Thomas, Ulricus, Raymundus, Joannes, & qui ante Urbanum V. fuerunt, intenderint dicere, quod aliquid per modum ſuſtentaculi vitæ exigi poſſit a perſona recipienda, ſeu recepta, & quod hoc non ſit ſimoniacum ex ſui natura, attamen omnia illorum ſcripta, & dicta ceſſant, atque ſolvuntur per hoc quod Dominus Apoſtolicus poſt eos determinavit, & juſſit oppoſitum, per cujus diffinitionem, & prohibitionem omnis talis exactio, quæ per verba Doctorum jam prædictorum a quibuſdam licita probatur, ac reputatur, abſolute prohibetur, imo & ſimoniaca eſſe cenſetur*. Idem laudatus Auctor Lib. II. Articulo II. occurrens illorum calliditati, qui ajebant, ſervari non poſſe memorati Urbani V. Pontificis Conſtitutionem, ubi Monaſterium egenum eſt, eam tradit reſponſionem multis ſacris Canonibus roboratam, *ſcilicet ut non recipiant ultra numerum, quem prævaleat ſuſtentare, nec deſiderio plures ſuſcipiendi, exactiones, & pactiones nefarias, ſcandaloſas, iniquas committant*.

XIII. Alienus ab hiſce exactionibus, pactionibuſque fuit procuidubio Angelicus Doctor Sanctus Thomas Aquinas, qui ad uſum ſui ævi ſe accomodans (integro enim ſeculo Urbanum V. præceſſit) concedebat quidem, ubi Monaſterium tenue eſſet, a ſupernumerariis aliquid accipi poſſe, non ut profeſſionis pretium, ſed ad alimentorum expenſas. En ejus verba in Secunda Secundæ, Quæſtione c. Articulo III. ad IV. *Dicendum quod pro ingreſſu Monaſterii non licet aliquid exigere, vel accipere quaſi pretium. Licet tamen ſi Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem Monaſterii ingreſſum exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi adhuc non ſufficiant Monaſterii opes*. Sua ſemper nitent perſpicuitate ſanctiſſimi Doctoris verba, ex quibus tria hæc præſertim addiſcere licet. I. Exigendi licentiam concedi Cœnobiis, ubi aliquid exigendi a ſupernumerariis redituum annuorum penuria majori impar numero cogit. II. quod petitur, vel accipitur, ſine pactione accipiendum, nihil prorſus a Monaſterio opulento etiam ad ſupernumerarias nutriendas idoneo accipi poſſe. Cui ſententiæ inter alios concinunt duo Eccleſiæ lumina, S. Bonaventura in Libello Apologetico: *In eos, qui Ordini Minorum adverſantur*. Quæſtione XVIII. & in ſua Summa S. Raymundus de Pennafort ſacrorum Canonum, & Decretorum compilator doctiſſimus.

XIV. Scripſit poſt Conſtitutionem Urbani V. Sanctus Antoninus juris utriuſque, ac ſacræ Theologiæ Doctor, nullaſque prorſus iniri poſſe pactiones ait pro ingreſſu Religionis quantumvis pauperrimum ſit Monaſterium. De opulentis vero Cœnobiis poſtquam dixit, ſceleſtum eſſe non modo aliquid exigi, ſed etiam de ea re quidpiam tractari, ſtatim in ſui ævi abuſum ſtomachatur, quo ditiora Monaſteria majores volebant a Monialibus dotes. Sic enim inquit in ſua Summa Tom. II. Tit. I. Cap. V. Num. XVIII. *Si Monaſterium ſit abundans, nullus debet ibi eſſe tractatus de temporalibus in receptione. Et hoc eſt contra communem abuſionem, quia quanto Monaſterium eſt abundantius, tanto volunt majores dotes*.

XV. Unum itaque optandum, quod alias paſſim inculcant Pontifices Maximi, Epiſcopi, & Synodi, ut voluntariæ admittantur dumtaxat oblationes, pactiones autem, ac ſcandaloſæ exactiones penitus eliminentur; præſertim, quod ob earum cauſam, ut in ſua extravaganti Conſtitutione laudatus Pontifex Urbanus teſtatur, *complures tam execratione hujuſmodi criminis, quam expenſarum onere, a ſacræ Religionis propoſito retrahantur*. Probatiſſimum inter alia eſt Concilii Senonenſis anni MDXXVIII. temperamentum, ubi Can. XXVIII. Monialium numerum defigit, ſupernumerarias cum penſione annua ſuſcipi non vetat, ita tamen, ut pauperes ſemper admittantur ad numerum præfixum: *Non tamen in locum numerariarum ſuccedat, ſed decedentibus numerariis, aliæ novæ, & pauperes ſubrogentur*. Ceterum ſi Tridentinam, aliaſque ejus ævi Synodos conſulamus, in id profecto omnes conſpirant, quod jampridem aliæ Synodi conſtituerant, nempe, ut admittantur Moniales ſine pactione, & eo numero, qui reditibus, atque ſtatis eleemoſynis conſentiat. Poſtquam enim omnibus Monaſteriis tam virorum, quam mulierum etiam Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Franciſci, Capuccinorum, & eorum, qui Minores de Obſervantia vocantur, conceſſiſſet, ut deinceps bona immobilia poſſidere liceret, Seſſione XXV. De regularibus, Cap. III. ita ſubjungit: *In prædictis autem Monaſteriis, & Domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur, ac inpoſterum conſervetur, qui vel ex reditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari*.

XVI. Nihil in hoc Decreto exprimitur, quod non redoleat ſanctiſſimam diſciplinam innumeris Canonibus conſtabilitam. Plura profecto continet, quæ nullatenus omitti debent. Primo enim mandat, quod & ſuperiores Synodi juſſerunt, tot admitti Moniales, quot commode alendis ſufficiunt Monaſterii reditus, & eleemoſynæ. Secundo nec exigere, nec paciſci ſinit pecuniam Concilium Tridentinum, ſicut nec ſuperiores Synodi, ob numerum ſcilicet Monialium præfixum, quæ gratis ſuſtentari poſſint ex Monaſterii proventibus, & conſuetis eleemoſynis. Tertio, conſuetas eleemoſynas a Tridentino Concilio eas profecto intelligi, quas Fratres Ordinum Mendicantium a Fidelibus

libus petere; & accipere solent; uti ex contextu verborum perspicue patet. Cum enim præmisisset Synodus, quædam Cœnobia Ordinum Mendicantium bona immobilia possidere, quæ ita partim ex propriis reditibus, partim ex solis eleemosynis victitarent; quædam vero, quæ nulla immobilia possidebant, ex solis dumtaxat viverent eleemosynis, statim subjunxit, in omnibus iis Monasteriis illum numerum constituendum, qui vel propriis Monasterii proventibus, vel consuetis eleemosynis consentiat. Voluit itaque Synodus, ut in præfigendo Religiosorum numero in Monasteriis Ordinum Mendicantium, haberetur ratio consuetarum eleemosynarum, ex quibus Fratres illorum Ordinum vivere solent, sicuti Religiosi aliorum Ordinum ex propriis Monasteriorum proventibus. Atque hinc est quod permulti superius laudati Canones, sicut & Decretalis Bonifacii VIII. quæ incipit, *Periculoso*, quia de Religiosis Ordinum non Mendicantium non agunt, ideo nullam consuetarum eleemosynarum mentionem faciunt. Ex quo illud tradit Vanespen in Tractatu *De Simonia*, Parte II. Cap. IV. §. VIII. Synodum Tridentinam per consuetas eleemosynas intellexisse eleemosynas illas, quas Fratres Ordinum Mendicantium a fidelibus petere, & accipere solent.

XVII. At vero inter alios Viros Clarissimos aliter sentit eruditus Thomassinus, ubi Parte III. *Disciplinæ*, Lib. I. Cap. LIV. Num. III. consuetas eleemosynas, quarum meminit Synodus Tridentina, pro Monialium dotibus sumit, quæ super numerum admittuntur, vocatque illas etiam spontaneas dotales eleemosynas, voluntarias oblationes, & dona spontanea. Sed dicent forte mox alii, quomodo elemosynæ, alioque simili specioso nomine vocari possunt, dotes Monialium, quæ ad certam, & multam aureorum summam solemni stipulatione, & pactione determinantur; qui etiam nisi prius Monasterio numerentur, & quidem usque ad minimum quadrantem, ad professionem exacto etiam tyrocinio non admittuntur, nisi certum de exactione sit Monasterium?

XVIII. Sunt qui variis distinctiunculis, frivolisque calliditatibus Concilii Tridentini Decretum interpretantes, audacter contendunt, ab eodem non modo probari, verum etiam præscribi dotes Monasterio solvendas a numerariis æque ac supernumerariis, quæcumque illæ sint, quæ religionem ingredi cupiunt. Sed operam perdunt, perspicuum enim est laudatum Concilii Decretum, in quo nulla penitus fit dotis mentio, nullumque pactionis, exactionisve pecuniæ ob ingressum Religionis. Hoc unum dicit, tot in Monasterio recipiendas, quot illud capax est sustentare. Videri potest eam in rem laudatus Vanespen, qui memoratum Synodi Tridentinæ Decretum tuetur in Tractatu, *De Simonia*, Parte II.

XIX. Non inficior, non modo ab usu, sed & variis Decretis sacræ Congregationis Concilii, & Congregationis negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ merito eam disciplinam probari pariter, & juberi, ut dotes vel a Monialibus numerariis persolvantur, ob eam scilicet rationem, quod ex penuria, multa mala proveniunt præsertim in Monasteriis Monialium. Legere est id genus Decreta Sacrarum Congregationum apud Thomassinum Parte III. *Disciplinæ*, Lib. I. Cap. LIV. Num. VII. His plane assentior, siquid enim duriuscule dictum est, non eo a me animo dictum est, ut novam disciplinam ab usu, & summis Pontificibus probatam ego contemnam, sed, ut quid olim statuerint Canones, ingenue referrem, ac sine fuco, & calliditata explicarem. Quod autem hodieque exigantur dotes a Monialibus religionem professuris, absonum plane non est veteri Ecclesiæ usui, quinimo ei egregie concinit.

XX. Legimus enim passim, Sanctos Patres, parentibus solitos fuisse irasci, qui filias suas Christo sponso se devoventes non eadem saltem donarent dote, quam aliis traderent, quæ viris nupsissent. Vide S. Hieroymi Epistolam ad Demetriadem, *De virginitate servanda*. Atque his adde quod ad hunc nostrum Canonem docet Lupus, quicquid a profitentibus accipitur, quasi tacitam esse concordiam, & compensationem hæreditatum, quæ professis obtingere possent: *Ante professionem Monachi cum parentibus, aut aliis consanguineis de hæreditate stipulantur, accipiuntque quid præsentis, & modici pro grandi futuro*. In his pactionibus, exactionibusque ne umbram quidem simoniæ esse ait, sed quasdam ad summum avaritiæ sordes aspergi posse Cœnobiis opulentis, si dotem accipiant: *Non itaque de Monastici ingressu, aut professionis, sed de spectantis ad nos hæreditatis pretio paciscimur, ubi nulla vel species est simoniæ. Opulenta, & fratrum suorum sufficientem sustentationem habentia Monasteria ad summum de avaritia notari possunt*. Sed utinam hæc avaritia a sacris Cœnobiis penitus eliminetur, eaque forta causa est, ut postquam illa ditata sunt, variis prætextibus, ejectis Monachis, Monialibusve, aliis applicantur, Laicis etiam, ac Militibus, ut passim dolent prisci Scriptores.

XXI. Tandem si nostrum spectemus Canonem, meminit & ipse opum, ac dotis, quæ Monasteriis tradi jam olim consueverunt, ubi quis ad illa recipiebatur. Nam ait, quæ parentes liberis nomine hæreditatis, aut dotis seponunt, si Deo oblata, consecrataque fuerint, ea sive in Monasterio postea is, a quo sunt consecrata permanserit, sive eo relicto abscesserit, nisi illa qui præest discessionis causa fuerit, repeti nulla ratione licere. Quod quidem concinit Legi LV. Imperatoris Justiniani Cod. *De Episcopis, & Clericis*, ubi ita de Monachis ait: *Quod si illi Monasteria, aut Ecclesias relinquunt, atque mundani fiant, omne ipsorum jus ad Monasterium, aut Ecclesiam pertinet*. Ex quibus illud perspicue patet, pro temporum varietate, variari disciplinam, & quod aliquando improbatum fuit e alio tempore approbari.

C A N O N XX.

A præsenti statuimus, minime duplex fieri Monasterium, quia scandalum id & offendiculum multis efficitur. Si vero aliqui cum cognatis mundo abrenunciare, & Monasticam vitam sectari voluerint, debent quidem viri virorum adire Cœnobium, feminæ vero mulierum ingredi Monasterium; in hoc

hoc enim placatur Deus. Quæ autem hactenus sunt dupla, teneant secundum regulam Sancti Patris nostri Basilii, & secundum præceptionem ejus ita formentur; non habitent in uno Monasterio Monachi, & Monachæ: adulterium enim intercipit cohabitationem. Non habeat aditum Monachus ad Monacham, vel Monacha ad Monachum secreto ad collocutionem. Non cubet Monachus in muliebri Monasterio, neque singulariter cum Monacha convivetur. Et quando necessaria vitæ a virorum parte ad Regulares deferuntur, extra portam hæc suscipiat Abbatissa Monasterii feminarum cum quadam vetula Monacha. Porro si contigerit, ut aliquam propinquam suam videre voluerit Monachus, in præsentia Abbatissæ huic confabuletur per modica, & compendiosa verba, & in brevi ab ea discedat.

COMMENTARIUS.

I. QUo Monastica disciplina tuta sit, atque immunis a turpi suspicione, merito nostro hoc Canone vetatur Monasterium duplex. Scite docet eruditus Raynaudus in Dissertatione, *De sobria alterius sexus frequentatione per sacros, & Religiosas homines*, Cap. VIII. duobus modis accipi posse Monasterium aliquod duplex suisse. Nimirum primo, itaut in eo indiscriminatim degerent Monachi, & Monachæ. Secundo, itaut sub eodem quidem ambitu, aut etiam tectu degerent, sed pariete quopiam discreti, hinc viri, inde mulieres. Priorem notionem amplexa videtur Glossa ad Canonem, *Definimus*, XVIII. Quæstione II. qui ex hoc nostro Canone a Gratiano desumtus est, & suæ Collectioni insertus.

II. Prioris profecto generis fuisse videntur Monasteria illa, quæ S. Gelasius I. Pontifex Maximus labente Seculo V. a Seneca Pelagianæ factionis Presbytero constituta silentibus Episcopis in Epistola sua VII. ad Episcopos Piceni scripta gravissime damnat, ita de ipso Presbytero inquiens: *Leges dedit libenter, exceptus, ut servi Dei cum puellis sacris congregatione dedecorissima miscerentur. Nam cum spirituales animi etiam cum desint ista consortia, imaginariis infestentur illecebris, quemadmodum alterni sexus intuitu qui illicite nolentes non vehementer incitentur?* Tum recte mandat, ut *discreta suis habitationibus virorum, atque feminarum, sicut sanctum propositum decet, exerceatur circumspecta devotio.*

III. Recensetur præterea a Gratiano in suo Decreto Canon, *In nullo*, Causa XVIII. Quæstione II. tanquam S. Gregorii Constitutio adversus Monasteria duplicia, quam ipsi etiam Gregorio Ivo, & Burchardus adscribunt, estque his verbis concepta: *In nullo loco Monachos, & Monachas permittimus in unum Monasterium habitare, sed nec ea quæ duplicia Monasteria vocantur, & si quid tale est, religiosus Episcopus mulieres quidem in suo loco manere studeat, Monachos autem aliud Monasterium ædificare cogat. Si autem plurima sint talia Monasteria, separentur in aliis Monasteriis Monachæ, & in aliis Monachi. Res autem quas habent communes, secundum jura eis competentia distribuantur.* Notat Raynaudus, legi hanc Constitutionem apud Julianum Antecessorem, citatque ad marginem Novellam CXXIII. Cap. LIV.

IV. Certe in Novella sua Constitutione CXXIII. Justinianus Imperator multa sanxit ad Monastici Ordinis disciplinam, præsertim vero Cap. XXXVI. ubi postquam vetuit, ne ulla inposterum essent utriusque sexus duplicia Cœnobia, & ubique abjunxit Monachos a Monialibus, statuit quoque, ut examini Episcoporum subessent, Presbyter, vel Diaconus, quem Moniales elegissent ad Eucharistiam ad eas deferendum, & ad earum causas in se recipiendas. En ejus verba: *In nullo loco nostræ Reipublicæ esse Monasteria permittimus aliter. Ubi autem Monasterium invenitur, omnibus modis jubemus, viros a feminis separari, & feminas quidem in quo sunt Monasterio remanere; viros autem aliud Monasterium sibimet facere. Si vero plura sunt Monasteria, ut necesse non sit nova Monasteria ædificare, locorum sanctissimus Episcopus Monachos cum Monachis, & feminas cum feminis separare, & in aliis Monasteriis congregare procuret, quæcumque vero habentur communia, inter eos secundum competens jus dividere. Feminis autem quemcumque ipsæ elegerint, sive Presbyterum, sive Diaconum ad faciendum eis responsum, aut sanctam eis communionem portandam, sanctissimus Episcopus, sub quo sunt, deputet, quem rectæ fidei, & vitæ bonæ esse cognoverit.*

V. Rursus si nullo adhuc Ordine sacro decoratus esset, quem Moniales illæ elegissent, & ei muneri idoneum Episcopus censuisset, mandat Imperator, ut illum protinus ordinaret Episcopus, oneraretque cura Monasterii, in quo tamen manere haud unquam posset: *Si vero, qui ab eis electus est, non sit Presbyter, aut Diaconus, dignum tamen eum hujusmodi ministerio Episcopus judicaverit, ordinationem ei imponat, qui dignus esse videbitur, ut responsa, sicut dictum est, Monasteriis distribuat, ita tamen, ut neque sic electus ad responsa feminarum, in Monasterio maneat.* Non ergo amplius, ut scite observat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. XVI. Num. X. Moniales Monachorum magisterio, & curæ subjacuerunt, post illam duplicium Monasteriorum separationem, sed spiritalis earum directio tantum erat penes Presbyterum, vel penes Diaconum, qui communionem Eucharisticam ad eas deferebat, ab ipsis electus, & ab Episcopo confirmatus.

VI. Idem fere temperamentum legere est in Concilio Hispalensi II. anni DCXIX. Can. XI. ubi ita a Patribus administratio spiritalis permittitur Monachis, modo æquo distent intervallo Monachorum, & Monialium Monasteria, solusque Abbas Abbatissam solam alloquatur de rebus ad æter-

nam salutem spectantibus, idque raro, & præsentibus duabus, tribusve aliis Monialibus. Quoad res autem temporales, mandat laudatus Canon, ut cum Episcopi consensu deleget Abbas unum aliquem ex Monachis suis, qui curam gerat agrorum, proventuumque Monasterii Virginum, quæ vicissim vestes Monachorum consuent, sarcientque, Hasce atque alias id genus Constitutiones complexus est S. Isidorus Episcopus Hispalensis Libro II. *De Officiis Ecclesiasticis*, Cap. xv. ubi de Monachis agens, ita inter alia inquit: *Simili modo extant & Cænobia feminarum, hoc est, monarbales virgines solicite costeque servientes Deo; quæ habitaculis suis segregatæ, ac remotæ a viris, quam longissime, pia tantum sanctitate, & castitate junguntur, & imitatione virtutis; ad quas nullus juvenum accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum, & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum, necessaria præbendi quibus indigeat gratia*, Et paulo post: *Lanificio etiam corpus exercent, atque sustentant, vestesque ipsas Monachis tradunt, ab his invicem, quod victui opus est, resumentes*,

VII. Ergo hæc probabiliter suberat causa olim duplicia Monasteria construendi, ut scilicet opus manuum, hinc Monachorum, hinc Monialium, mutuo hinc inde esset solatio, & adjumento. Licet autem obliquæ suspiciones sive falsis maledicorum rumoribus, sive humana sacrorum hominum fragilitate perstreperent, iterum atque iterum Patres iis obviandis non modo dissita virorum Cœnobia a feminarum Monasteriis voluerunt, sed & congressus, & colloquia vetuere; *Monasteria puellarum*, ajunt Patres Concilii Agathensis anni DVI. Can. xxviii. *longius a Monasteriis Monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocentur*. Id sane spectavit Pachomius Abbas, quem ait Palladius in Historia sua Lausiaca Cap. xxxix. duo Monasteria, unum virorum, alterum mulierum in agro Tabennensi ad utramque Nili ripam ex adverso collocasse, caute medio flumine divisa, ut a crocodilis hinc inde tutus esset accessus.

VIII. Plura hac in re afferri possent exempla, & Canones Conciliorum permulti, qui tamen abusui duplicium Monasteriorum, in quibus scilicet Monachi, & Monachæ indiscriminatim degebant, minime occurrere potuerunt. Certe hujusmodi Monasteria, quæ in Compostellana Provincia ad initium usque seculi duodecimi fuerant, sustulit Paschalis Papa II. in Epistola x. ad Didacum Compostellanum Episcopum, quæ est anni Domini MCIII, *Illud*, inquit, *omnino congruum est, quod per regionem vestram Monachos cum sanctimonialibus habitare audimus: ad quod resecandum experientia tua immineat, ut & qui in præsentiarum simul sunt, divisis longe habitaculis separentur, prout arbitrio, & religiosorum virorum consilio melius visum fuerit, neque inposterum consuetudo hujusmodi præsumatur*. Prævaluit prava nihilominus consuetudo, nam ne Sanctimoniales, & Canonicæ, cum Canonicis, Monachisve in eadem Ecclesia, & Choro horas Canonicas decantarent, vetuit non multo post in sua Lateranensi II. Synodo anni MCXXXIX. Innocentius II. Can. xxvii. *Simili modo prohibemus, ne sanctimoniales simul cum Canonicis, vel Monachis in Ecclesia in uno Choro conveniant ad psallendum*.

IX. Suum hunc Canonem non fuisse sortitum effectum ex eo patet, quod anno MCXLVIII. Joannes Gilbertus de Semplingham Anglus plura construxit Monasteria communia servorum, & ancillarum Dei authoritate Eugenii III. & de consilio S. Bernardi Abbatis Clarevallensis, ut ait Nicolaus Harpsfeldius Historiæ Anglicanæ Seculo xii. Cap. xxxvii. Guillelmus Neubrigensis rerum Anglicarum Lib. i. Cap. xvi. & inter velatas sepultus est anno MCLXXXIII. teste Rogero Hovedeno in Henrico II. Anglorum Rege. Verum harum famæ minime pepercit Nigellus ejus ævi satyricus, ita scribens;

Harum sunt quædam steriles, quædam parientes,
Virgineoque tamen nomine cuncto tegunt,
Quæ pastoralis baculi dotatur honore,
Illa quidem melius, fertiliusque parit.
Vix etiam quævis sterilis reperitur in illis,
Donec eis ætas talia posse neget.

Atque hic nota, quod etiam superius dictum est ex Concilio Agathensi Can. xxviii. Monasteria feminarum longius a Monasteriis virorum collocanda, *aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum*.

X. Merito itaque duplicia Monasteria noster Canon extinguit, quia scilicet suspecta sunt, periculis, scandalisque obnoxia, præsertim vero quod Iconoclastæ pessimis illa calumnis onerarent, uti patet ex vita Sancti Stephani Auxentiani apud Laurentium Surium. Ex quo perspicue addiscimus Iconoclastas huic nostro edendo Canoni occasionem dedisse. Qui tamen Canon licet duplicia Monasteria deinceps extrui vetet, tolerat nihilominus quæ jam extructa essent, inducta secretione, & compositione ad normam Cœnobiorum duplicium S. Basilii, de quorum structura, & disciplina descripta utcumque a S. Gregorio Nysseno Episcopo in vita sororis suæ S. Macrinæ dici posset quod legimus in Psalmo cxi. *Ab auditione mala non timebit*, ut ad nostrum Canonem notat eruditissimus Lupus,

XI. Tradit Franciscus Suares in Tractatu viii. *De religione*, Cap. x. Num. i. duplicia hujusmodi Monasteria ex viris, ac feminis constantia secundum S. Basilii Regulam fuisse permissa, sed a nostro Canone ita expositam fuisse Regulam, ut aditus ab uno ad aliud Monasterium non pateret, & quando necessaria a parte virorum ad Monachas deferrentur, ea susciperet extra Monasterii portam Abbatissa cum aliqua vetula Monacha. Verum observat laudatus Raynaudus, hæc ad Monasterium bipartitum, & septo dividente conclusum, quæ est altera duplicis Monasterii notio, potius pertinent, quam ad primam, in qua versamur. Neutrius vero modi Monasteria duplicia a S. Basilio fuisse permissa, facile sibi persuaserit, qui apud eundem toties, tamque efficaciter scriptum legerit, procul esse oportere sacros a muliebri genere homines. Itaque juxta Raynaudum, quod Canon mandat, Monasteria duplicia secundum Sancti Basilii præceptum componi debere, sensus est, ut juxta formam a S. Basilio constitutam in Monasteriis duplicibus jam constructis, secernantur utriusque sexus domicilia, nec commeare ullo pacto liceat ab uno ad aliud diversi sexus Monasterium, nullaque sit Monachorum, & Monialium familiaritas secundum ea, quæ suis Monachis, Virginibusque edixit S. Basilius,

XII. Altera duplicium Monasteriorum notio, in quibus scilicet, uti initio Commentarii notatum est, viri cum mulieribus in eodem quidem Monasterio degebant, sed pariete quopiam discreti,

minus

minus videtur habuisse incommodi, & iccirco a nostro Canone constitutum est, ut quæ fuerant prioris modi Monasteria duplicia, in hanc formam redigerentur. Hinc non mirum, si longe post Synodum nostram S. Birgitta Sueca sub Urbano V. anno MCCCLX. Romam profecta ritum vitæ a se institutum probari obtinuit, *ut* (quemadmodum refert Volaterranus Libro XXI. Antropol. §. *De Eremitanis*) *cœnobium commune utrique sexui foret, murorum tamen, ac aspectus separatione; ut virgines superiora habitarent, Monachi vero inferiora, Templum utrisque commune: omnibus autem Abbatissa præesset*. Hæc duplicia S. Birgittæ Monasteria a quibusdam impugnata, & damnata, ad Erici quidem Suecorum Regis, & ejus Episcoporum preces probavit, & confirmavit Synodus Basileensis.

XIII. Similia exempla afferri possent permulta non modo vetera, sed & recentiora, cum multis in locis extent hodieque Monasteria, in quibus Monachi cum Monialibus sola murorum, ac aspectus separatione discreti, degunt. Hujusmodi est Monasterium S. Claræ Neapoli, ubi Fratres Minores S. Francisci complures, quos reformatos vocant, una cum Monialibus degunt, eisque in divinis inserviunt. Sed quod non parum mireris, jam olim quidem S. Fructuosus Bracharensis Archiepiscopus in sua Regula, Cap. VI. non tantum de viris, & feminis, sed & de uxoribus, & filiis ita statuit: *Cum venerit quispiam cum uxore, & filiis parvulis, idest infra septem annos, placuit sanctæ communi regulæ, ut tam parentes, quam filii in potestatem se tradant Abbatis*. Legendum integrum Caput, itemque Caput decimumquintum, quo præscribit, ne Monachi cum sororibus simul degant, aut in uno sint Conclavi. Licet enim una simul Monachi, Monialesque inhabitarent, muro tamen, aspectuque separati erant. Id quod etiam tradit S. Eulogius Lib. III. Memorialis Sanctorum, Cap. X. ita inquiens: *Claustra feminarum a cellulis Monachorum altis interjectis disparata maceriis, licet unius Patris gubernaculo regerentur. Hæ tamen sequestratis se mansiunculis retrudentes, nulli omnino contuendi se facultatem præbebant*.

XIV. His adde Templum a S. Geva anno MCXXIX. Frekenhorsti in Westphalia constructum, cui Cœnobium Virginum adjunctum est, & Domus Canonicorum; utrisque ad idem Templum convenientibus, & divina Officia peragentibus, sed horis diversis, ut refert Joannes Gamansius Commentario de S. Thaildide nepte S. Gevæ §. III. Templi ichnographia a S. Petro signata proditur, tripartita distinctione; nam primo est ibi Chorus Canonicorum, tum Chorus exterior, utrinque ad latera Crucis forma diffusus; in cujus læva parte Sacellum Thiadildis, & supra illud, Odeum Canonicarum. Denique in gremio totius Basilicæ, quod cancellis ab exteriore Choro secernitur, est Baptisterium. Ad finistrum Templi latus, jacet amplum claustrum Canonicorum, circum Chorum platea interjecta. Canonici una cum Decano ex adversa Templi parte degunt, &, uti dictum est, distinctis quotidie choris, ac horis diversis eodem in Templo Virgines, & Canonici divina peragunt officia. Est & in hac forma duplicis Monasterii minus periculi, habet tamen & ipsa suos nævos, & gravia incommoda, ut scite observat Raynaudus. Quare servanda omnino videtur regula a Concilio Agathensi hanc in rem tradita, ubi Can. XXVIII. superius semel ac iterum recensito mandat, Monasteria puellarum longius a Monasteriis Monachorum collocanda propter insidias diaboli, & propter oblocutiones hominum.

XV. Est & illud quoque scitu dignum, in hisce duplicibus Monasteriis duplicem olim fuisse regiminis formam, adeoque duplex incommodum; aliquando enim feminæ viris, aliquando viri feminis subjecti erant. S. Hildegardis, uti in ejus Vita legimus, in monte S. Disibodi, ubi Monachorum erat cœnobium inclusa vixit sub obedientia Abbatis, quem sibi Magistrum proposuerat, Dicitur autem ex illo suæ reclusionis habitaculo una cum decem & octo puellis Deo sacratis ad montem S. Roberti prope Bingam commigrasse, easque omnes antea Abbati S. Disobodi subjectas fuisse.

XVI. Ex adverso in Ordine Fontis Ebraldi Monachi æque ac Moniales Abbatissæ subsunt, quæ in omnes tum viros, tum feminas summum jus obtinet, & quidem ex veteri instituto, de quo Baronius anno MCXVII. agens refert, Robertum de Arbuscellis instituti illius Auctorem statuisse, ut viri S. Joannis Euangelistæ exemplo parerent mulieri sacram Virginem Deiparam repræsentanti, & Religiosos habenti pro filiis, ut esset hæc veluti perpetua memoria illorum Christi verborum ad Matrem: *Mulier ecce filius tuus*; & ad Joannem: *Ecce mater tua*. Tradit & hæc Miræus Libro II. Originum Monasticarum, & alii non pauci Scriptores. Auctor vero est Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi XXVI. Februarii, usitatum fuisse in prima Cisterciensis Ordinis fundatione, ut multi ad statum Monachorum, seu conversorum, in ipsis feminarum Monasteriis admitterentur, ut in Vita B. Beatricis de Nazareth aperte habetur, & passim apud antiquos Scriptores legitur.

XVII. Hoc præsertim fuit familiare in Monasterio, quod dicitur Camera B. Mariæ, ubi præter conventum Virginum, viri permulti Religiosi residebant, e quibus aliqui divinis ministeriis vacabant, alii rerum temporalium administrationi incumbebant. Expressam de iis mentionem facit Henricus Henrici primi Ducis Brabantiæ filius in privilegio eidem Monasterio concesso, quod extat inter donationes Belgicas Miræi Lib. I. Cap. XCIX. In Hispania quoque Monachos alicubi Abbatissæ fuisse subjectos, auctor est Yepez ad annum Christi DXXXVII. Fateor equidem, Monasteria hæc duplicia, quibus viri feminis moderarentur, aut viris feminæ præessent, licet olim frequentiora essent, rem esse plenam periculi, adeoque in Ecclesia non ulterius admittendam.

XVIII. Illud insuper optandum superest, ut non modo duplicia Monasteria ab Ecclesia eliminentur, sed & ille abusus omnino tollatur, qui passim grassatur in virorum æque ac fœminarum Cœnobiis, quibus secularium domus, & officinæ adjunctæ sunt, quas eisdem Monachi locant. Sed hisce omissis, nostrum hunc Canonem spectant ad evitanda periculosa consortia regulæ istæ S. Basilii: *Non habeat Monachus aditum ad Monacham, vel Monacha ad Monachum secreto ad collocutionem. Non cubet Monachus in muliebri Monasterio. Si contigerit, ut aliquam propinquam suam videre Monachus, in præsentia Abbatissæ huic colloquatur per modica & compendiosa verba, & in brevi ab ea discedat*. Hasce Basilii regulas Canon iste restaurat. Quibus adde Concilium Parisiense sub Gregorio Papa IV. habitum, Lib. I. Cap. XLVI. *Ne Clerici, vel Monachi cum sanctimonialibus collo-*

colloquantur, nisi ex consensu, & ex causa necessitatis. Et ut videas, quam gravis, & periculosa sit res, de qua agimus, illud etiam mandat laudatum Concilium, *ne ullus Sacerdos alicujus monialis confessionem audiat, nisi coram testibus haud procul adstantibus.*

CANON XXI.

Non oportere Monachum, vel Monacham Monasterium proprium relinquere, & ad alia proficisci. Quod si contigerit hoc, recipi hunc hospitio necesse est; assumi autem sine voluntate Abbatis ejus non convenit.

COMMENTARIUS.

I. PRimum inter Monasticæ professionis vota juxta Regulam S. Benedicti obtinet quidem locum stabilitas, cui veluti fundamento universa religiosæ conversationis exercitia superædificantur, morumque conversio, & obedientia ancillantur: *Suscipiendus autem*, inquit S. Benedicti Regula Cap. LVIII. *in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conversione morum suorum, & obedientia coram Deo, & Sanctis ejus.* Votum stabilitatis est plane hujusmodi, quo Monachus solemnem suam professionem emittens ex voto promittit stabilitatem non modo in Religione, verum & in ipso Monasterio, in quo profitetur, juxta interpretationem S. Bernardi Abbatis Claravallensis, qui in Epistola VII. ad Adam Monachum scribit: *Duo præcipue nobis in Monasteriis conversantibus observanda traduntur, subjectio Abbati, & stabilitas in loco, & ita observanda, quo neutrum præpediat alterum, nec alterutrum sibi præjudicent, ut verbi gratia sic te stabilem in loco exhibeas, ut Abbati subjici non contemnas; sic obedias subjectus Abbati, ut stabilitatem non amittas.*

II. Est id plane conforme iis, quæ in laudato regulæ suæ capite S. Benedictus habet, ubi de Novitio agit, sic dicens *Suscipiatur in Congregatione, sciens lege regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat de Monasterio egredi, nec collum excutere de sub jugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare, aut suscipere.* Quibus verbis stabilitatis votum perspicue explicavit, nam mox subjungit: *Suscipiendus autem, in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua &c.* Hac lege itaque Monachus semel professus in Monasterio quasi vinctus egredi Monasterio sine causa non poterat. Unde laudatus S. Bernardus ejus voti reum Clericum Regularem ad se venientem, & importune, ut in Monachum reciperetur postulantem minime audivit, sed eundem monuit, ut ad Ecclesiam suam reverteretur, uti legitur in ejus Vita Lib. III. Cap. VI. his verbis: *Stabilitatis scilicet transgressorem non tulit vir divinus, memor præcepti Apostolici: Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Est hoc Apostoli præceptum in Epistola I. ad Corinthios, Capite VII. Juxta hanc regulam ita de se scribit idem Bernardus in Epistola CCXXVII. *Decretum est mihi ultra non egredi Monasterio, nisi ad conventum Abbatum apud Cistertium semel in anno.*

III. Putant nonnulli, inter quos Haeftenus Disquisitionum Monasticarum Lib. IV. Tractato VI. hanc disciplinam stabilitatis in eo Monasterio, in quo quis professionem emittit primo inductam a S. Benedicto, licet aliis longe antiquior esse videatur hæc Monasticæ institutionis disciplina, ut nempe Monachi in eo perpetuo degerent Monasterio, quod semel fuerant amplexi, adeo ut ne uno quidem Monasterio egressos alio suscipi sineret S. Basilius, ita scribens in Constitutionibus Monasticis, Cap. IX. *Atque illi etiam devitandi sunt, qui instabiles identidem locum demutant, & modo ad hos, modo ad illos fratres se conferunt, & irrequieto acti impetu se in circumlustrandis assiduis Monasteriis occupant, & per simulationem spiritalis charitatis, carnis libidinibus obsequuntur: quorum in animis nihil firmitatis, nihil solidi, nihil quod disciplinæ conveniat ordinis, nihil denique prudentiæ inest, aut gravitatis: contraque summa curiositas, morum perversitas, levitas, inconsiderantia, dolus, hypocrisis, mendacia, & veteratoriæ orationis plenissima assentatio in istis redundant. Hi enim & lingua rudes, & ventre intemperantes sunt.* Vide Commentarium nostrum in Canonem IV. Concilii Chalcedonensis Numero XXXV. & XXXVI. ubi Monachi quidem carpuntur, quod vagari solerent, & de uno ad aliud Monasterium migrare turpis lucri gratia, vel ut pinguiores mensas explorarent.

IV. Porro non inficior, jam olim non raro usitatum, ut Monachi, qui uni Monasterio nomen dederant, si in eo permanere noluissent, de Superiorum licentia alio migrare potuerint. Sic Malchus Monachus ab Abbate suo abeundi licentiam petivit obtinuitque, teste in ejus vita S. Hieronymo, quam legere est in ejusdem S. Doctoris Epistolis selectis, quas notis nonnullis illustravimus. Sic quoque S. Joanni Calybitæ facta est copia Monasterium deserendi, & parentes adeundi, uti in ejus Vita habetur apud Surium ad diem XIV. Januarii. Sic & latro quidam Monachus effectus, sumptis vestimentis secularibus, cum venia Abbatis sui e Monasterio exivit, in quo novem jam annos vixerat, & ivit Diospolim, uti legitur in Prato spirituali, Cap. CLXVI. His adde exemplum Chronii Presbyteri, qui apud Palladium in Historia Lausiaca, Cap. XXVI. ita de se ipso loquitur: *Cum essem junior ab initio, & propter languorem animi, ac tristitiam fugerem de Monasterio mei Archimandritæ, errans perveni ad montem S. Antonii.* Ubi receptus in disciplinam ab Antonio non legitur reprehensus de priore Monasterio deserto. Estque hoc notabile exemplum, quo addiscimus, sine Abbatis sui licentia Monachum ad aliud Monasterium processisse, & in eo receptum.

V. Canone XXVII. Concilii Agathensis certe illud cautum fuit, ut *Monachum nisi Abbatis sui permissu, aut voluntate ad alterum Monasterium commigrantem nullus Abbas suscipere, aut retinere præsumat: sed ubicumque fuerit, Abbati suo auctoritate Canonum revocetur.* S. Benedictus in

sua

ſua Regula Cap. LXI. vetuit Monachos noti Cœnobii recipi ſine conſenſu, & literis commendatitiis proprii Abbatis, quia ſcilicet ſcriptum eſt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. De Monacho autem non ſatis cognito, mandat recipi eum veluti hoſpitem hoc pacto: *Si pro hoſpite voluerit habitare in Monaſterio, & contentus fuerit conſuetudine loci, quam invenerit, & non ſuperfluitate ſua turbat Monaſterium, ſuſcipiatur, quanto tempore cupit*. Mox addit, eum, ſi bene ſe gerat, & voluerit ſtabilitatem ſuam firmare, talem voluntatem minime eſſe renuendam. Ex Concilio Pariſienſi V. quod celebratum fuit anno Chriſti DCXV. Cap. XII. extatque in Lib. VII. *Capitularium*, Cap. CCLVI. ſi Monachus, vel Monialis ſe de Monaſterio ſubtrahentes, paternam, vel propriam domum petierint, & ab Epiſcopo ſuo per Epiſtolam admoniti redire ad Monaſterii ſepta diſtulerint, uſque ad exitum vitæ communione dicuntur ſuſpenſi, nec prius ad Euchariſtiæ gratiam admittuntur, quam ad ovile ſuum, de quo ſe vagationis inſolentia viſi ſunt ſubtraxiſſe, cum humillimæ ſupplicationis, & pœnitentiæ ſatisfactione reverſi.

VI. Juxta Canonis noſtri præſcriptum jam nullus ſuſcipi poteſt in altero Monaſterio ſine permiſſu Abbatis Monaſterii illius, a quo diſceſſit, ejuſque præſcripti ratio eſt, ne inter Monaſteria rixæ, jurgia, & contentiones oriantur; unde in Regula Serapionis, Macarii, & aliorum Cap. XIII. ita præſcriptum legitur: *Nec tacendum eſt, qualiter inter Monaſteria pacem firmam obtineant. Non licebit de alio Monaſterio ſine voluntate Patris fratres recipere. Quod ſi precatus fuerit ab eo, qui præeſt, Patre, ut in alio Monaſterio ingrediatur, commendetur ab eo ei qui præeſt, ubi eſſe deſiderat, & ſic ſuſcipiatur*. Clarius eandem cauſam explicat Ferreolus in ſua Regula Cap. VI. ubi ita inquit: *Hinc enim plerumque non tantum inter Abbates, ſed etiam inter Monaſteria lites inſanabiles oriuntur, dum unus nititur defendere quem recipit, alter revocare quem perdidit &c.*

VII. Notanda inſuper eſt illa ejuſdem noſtri Canonis exceptio, dum mandat, eum hoſpitio recipi, qui Monaſterium proprium deſerens ad alia proficiſcitur; eſtque id conforme Euangelio, in quo Chriſtus hoſpitalitatem ſæpe commendat. Unde non mirum, ſi S. Hieronymus in Apologia contra Ruffinum ita ſcribit: *Nobis in Monaſterio hoſpitalitas cordi eſt, omneſque ad nos venientes læta humanitatis fronte ſuſcipimus. Veremur enim, ne Maria cum Joſeph locum non inveniat in diverſorio; ne nobis Jeſus dicat excluſus*: Hoſpes eram, & non ſuſcepiſtis me. *Solos hæreticos non ſuſcipimus*. Concinit Hieronymo S. Ambroſius Sermone XXXII. ita inquiens: *Magna hoſpitalitatis eſt gratia, nec facile violanda: omnibus aperta eſt: omnibus parata eſt; & ſanctos libenter ſuſcipit, & peccatores tolerat patienter*. Merito itaque mandat Concilium, non denegandam Monacho deſerenti Monaſterium hoſpitalitatem, quinimo nec Moniali, uti ibidem legitur.

VIII. Non enim id mirum videri debet, cum & ipſis feminis hoſpitalitatem impendi charitas, vel neceſſitas inevitabilis ſuadeat. Hinc S. Pachomius feminas quoque ad xenodochium Monaſterii ſui recipiebat, uti ex illius Regulæ Articulo XXIX. liquet: *Si ſeculares homines*, inquit, *aut debiles, aut vaſa infirmiora, ideſt, mulierculæ venerint ad Oſtium, ſuſcipient ſingulos in diverſis locis juxta ordinem Præpoſiti; & ſexus ſui, præcipue feminas majori honore, & diligentia curabunt, cum omni timore Dei, & locum ſeparatum ab omni virorum vicinia eis tribuent, ut nulla ſit occaſio blaſphemandi*. Non ergo intra Monaſterii ſepta, ſed foris excipi debent, ſicut etiam in uſibus Ciſtercienſibus habetur Cap. CXX. *Pueri parvuli non ſolent duci ad orationem: ſed nec qui cum mulieribus veniunt, recipi; ſed foris cum mulieribus victus datur eis*. Singula Monaſteria habebant ſuum xenodochium, quo excipiebantur hoſpites, & peregrini, uti ex Palladio addiſcimus, qui in Hiſtoria Lanſiaca Cap. VI. de Nitrienſi in Ægypto Monaſterio, ita ſcribit: *Prope Eccleſiam autem poſitum eſt xenodochium, in quo venientem hoſpitem toto tempore accipiunt, etiamſi biennium, aut triennium voluerit manere donec velit ſua ſponte recedere*.

IX. Quamquam vero magna olim fuerit Monachorum hoſpitalitas, qui juxta Regulam S. Benedicti Cap. LIII. omnes supervenientes hoſpites tamquam Chriſtum ſuſcipiebant, *vix* quidem hodie Monachi ſui ejuſdem Ordinis hoſpitalitatem inveniunt. De Joanne de Vercellis qui fuit ſextus Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter, in Chronico Generalium Magiſtrorum prædicti Ordinis legimus, quod cum incognitus una cum ſocio ad quendam Teutoniæ Conventum hora prandii perveniſſet, vix a Priori recepti, in ultimo menſæ loco collocati fuere. Cum autem ceteri fratres bonos & exquiſitos piſces comederent, hoſpiti autem vix unum ferculum datum fuiſſet, petenti Joanni, ut & ipſis piſces darentur, quod laſſi eſſent, & jejunarent, reſpondens Prior, alta voce clamavit: *Non habemus piſces pro Lombardis*. Quæ verba ad noſtram hanc uſque diem in proverbium tranſiere. Sed tandem ubi Fratres noverunt, illum eſſe ſupremum Ordinis Præſulem, quem male habuerunt, conſternati, & verecundia, ac confuſione repleti, quid agerent, neſciebant. Mandans autem Joannes pulſari ad Capitulum, illud ingreſſus, aſſumpſit pro themate: *Non habemus piſces pro Lombardis*; & increpata duriſſime inhumanitate Prioris, & Fratrum, facta viſitatione Priorem removit, & Fratres, ac Conventum in melius reformavit.

CANON XXII.

Deo quidem totum committere, & non propriis voluntatibus deſervire, magna res eſt. *Sive enim manducatis, ſive bibitis*, divinus Apoſtolus dicit, *omnia in gloria Dei facite*. Chriſtus ergo Deus noſter in Euangeliis ſuis initia peccatorum recidere præcepit. Non enim mœchia ab eo tantum inhibetur, ſed & motio cogitationis ad mœchiæ commiſſum damnatur, dicente eo: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœcatus eſt eam*

in

in corde suo. Hinc ergo edocti cogitationes debemus mundare. Nam etsi omnia licent, sed non omnia expediunt, ut ex Apostolica voce docemur. Necessarium ergo est omni homini manducare, ut vivat, & quidem inter eos, quibus vita est nuptiarum, & natorum, atque laicalis affectus, manducare viros, & mulieres, nulli detractioni patet; tantum ut ei, qui dat escam, gratias agant, & non ab eis per quasdam thymelicas voluptates Satanæ imago cantantibus, citharisque, atque meretriciis contorsionibus coli videatur. Quibus superveniet prophetica maledictio, quæ ita dicit: *Væ qui cum cithara, & psalterio vinum bibunt, opera autem Domini non intuentur, & opera manuum ejus non intelligunt*. Et si usquam fuerint inter Christianos hujusmodi, corrigantur. Sin autem, obtineant super eis quæ sunt ante nos regulariter edita. Quibus autem vita est solitaria, & unius moris, ut eis videlicet, qui Domini jugum se singulare tollere spondent, sedere, & tacere convenit. Sed & his, qui sacratam elegere vitam, nullo modo licet secreto cum mulieribus convivari; nisi forte cum quibusdam Deum timentibus, & reverendis viris, vel etiam mulieribus, quatenus & ipsa convivatio ad directionem spiritualem proficiat, & inter consanguineos quoque idipsum efficiatur. Rursusque si contigerit in itinere Monachum, vel sacratum virum non circumferre quæ victui opportuna sunt, & propter necessitatem divertere, sive in xenodochium, sive in domum alicujus, licentiam habebit hoc faciendi tamquam urgente necessitate.

COMMENTARIUS.

I. DUo hic Canon statuit. Primum est, ut qui communi more cum uxoribus suis, ac liberis habitantes degunt, cum mulieribus cibum capere minime prohibeantur, nec eos quisquam ob id reprehendat, si meritas interea divinæ liberalitati gratias agant, neque inter epulas, cantiones meretricias adhibeant. Alterum vero, ut Monachi, & Sacris initiati homines cum feminis minime comedant, etiamsi eorum revera cognatæ sint. Sed nota dignum est exordium Canonis, nam primo ad Deum omnia referenda esse demonstrat, dictumque Apostoli profert ex Epistola I. ad Corinthios, Cap. x. *Sive manducatis &c.* Tum sermonem aggreditur, atque ex Christi præcepto peccatorum initia a fidelibus resecanda esse ostendit. Illis namque verbis in Evangelio Matthæi desumtis Cap. v. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo*, non adulterium solummodo, sed ipsa quoque pravi motus initia castigat. Cum enim, ut scite observat Zonaras, in mulieris forma contemplanda quispiam curiosus est, admisso pravæ affectionis initio, nempe cupiditate, ex eo ipsius quoque cogitatio, & ratio ad crimen suscipiendum impellitur. Proinde, *cogitationes*, inquit, *debemus mundare*; ne videlicet mentem impuris cogitationibus contaminari sinamus, sed eas quamlongissime amandemus Christi Domini præcepto edocti, cujus verba etiam hic Canon affert.

II Sed age explicemus primam Canonis partem, quo iis qui communi more cum uxoribus suis & liberis habitantes degunt, convivari cum mulieribus permittitur, modo Christianam disciplinam in mensa servent, choreis, meretriciisque saltationibus, & cantilenis ab ea exclusis juxta frequentissima Patrum monita, ex quibus etiam habemus orationum formulas, ac hymnos, quos ante & post cibum Christiani homines recitabant, ut ex Prudentio patet, ut vel inde intelligas, quam alieni simus a primorum sæculorum spiritu, quum in conviviis nostris non jam Ecclesiasticis precibus, sacrisque lectionibus delectemur, sed obscœnis canticis, per sacros Canones, & per repetitas Pontificum Constitutiones a fidelium mensis, conviviisque rigidissime proscriptis.

III. Quod Monachos spectat, & homines Sacris initiatos recte admodum altera nostri Canonis parte cantum est, ne extra illi Monasterium, & præsertim cum feminis manducent. Vitanda a Clericis secularium convivia, etiam eorum qui honoribus tument, docet S. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum, *De vita Clericorum*, Cap. XI., quam nos Notis illustravimus; ejusque admonitionis rationem hanc reddit Cap. XV. ibidem: *Facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat*. Sane a conviviis, ubi feminæ accumbunt, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obsceni motus corporum choreis, & saltationibus efferuntur, alia ratione abesse debent Clerici, quam tradit Concilium Agathense Canone XXXIX. quem etiam legere est apud Gratianum in Can. *Presbyteri*, Distinctione XXXIV. *Ne auditus*, inquit, *& obtutus sacris ministeriis deputati, turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluantur*.

IV. In Regulis Patrum, qui religiosos Ordines instituerunt, illud potissimum cautum est, ut extra Monasterium nihil prorsus manducent: *Nemo extra Monasterium* (inquit in sua Regula S. Augustinus) *sine præcepto manducet, sive bibat; non enim ad disciplinam pertinet Monasterii*. Ad quem locum respexit profecto Smaragdus, ubi eandem Regulam præscripsit, sic inquiens: *Antiqui Patres dixerunt: Nemo extra Monasterium manducet*,

cet,

eet, aut bibat; hoc enim Regulæ non respicit disciplina, ut vel poma vilia præsumantur. Et paulo post: *Siquis vero extra conscientiam Abbatis, vel Præpositi qualemcumque locum egressus, gulæ, vel ebrietati se sociaverit, aut si in proximo transmissus, pro suæ mentis levitate, vel gulæ, non statim, expedita necessitate, ad cellulam redierit, aut cum in id facinus fuerit detentus, ut Canones docent, aut triginta diebus a communione separetur, aut virgis cæsus emendetur.* Atque ut alios omittam Ordinum Regularium, tum Monachorum, tum Fratrum Constitutiones, quæ laudabilem hanc & vere religiosam disciplinam præscribunt, testatur eruditissimus Antonius Caracciolus in Notis ad Constitutiones sui Ordinis Clericorum Regularium Parte II. Cap. III. in domibus secularium comedere minime ipsis licere, nisi peregre profectis.

V. Quamquam vero S. Hieronymus in persona Nepotiani Clericis omnibus inculcet, vitanda ipsis convivia secularium, non dissimulanda est nihilominus Canonis nostri indulgentia, qui licet Monachis æque ac Clericis privatim edere una cum mulieribus vetet, permittit tamen si id quandoque necessario fiat, cum eisdem discumbere, modo præsentes sint honesti viri, ac mulieres, ita ut spiritualem aliquem fructum ipsa illa convivendi societas pariat. Forte nostro hoc Canone edoctus Theodulphus Aurelianensis Episcopus in suo Capitulari ad Parochos, seu Sacerdotes anni DCCXCVII. Cap. XIII. post interdicta illis convivia cum feminis, aut cum quibuslibet impuris personis, ita subjungit: *Nisi forte Paterfamiliae quilibet vos ad domum suam invitaverit, & cum sua conjuge, & prole velit vobiscum spiritali gaudio lætari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem charitatis officio exhibere. Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis spiritualibus.* Ubi vides, permitti a Theodulpho Sacerdotes accedere invitatos ad prandium Patrisfamilias alicujus, sed oportere ait, ut ipsi vicissim carnali pasti cibo, invitantem spiritualibus reficiant epulis.

VI. Multa huc afferri possent exempla Sanctorum, qui tametsi Sacerdotes, non raro invitati accedebant ad prandia secularium, etiam mulierum, earumque nuptiali convivio aderant. Unum proferam S. Philippum Nerium, quem, ut omnes lucrifaceret, ait Baccius in ejus Vita Libro II. Cap. XI. Num. V. & Cap. XIX. Num. XI. una cum Cæsare Baronio, Francisco Maria Taurusio, & Joanne Francisco Bordino nuptiis filiæ Gabrielis Cortonensis, quam proprio ære dotatam in Matrimonium collocaverat, & convivio interfuisse, Cæsarique Baronio jussisse, ut lectionis loco totum Psalmum *Miserere* clara voce caneret. Solitum fuisse Philippum hisce exercitationibus alumnos suos ad humilitatem deprimere, narrat passim in ejusdem Vita Baccius, qui etiam Lib. II. Cap. XIX. Num. XV. tradit Antonium Galionium unum e priscis Congregationis Oratorii S. Mariæ in Vallicella Presbyteris, nonnullas cantiunculas Nursinorum more modulari scientem, quoties viri nobiles, ac dignitate præstantes se ad Vallicellam conferrent, ut coram caneret, a Philippo ipso non modo rogatum, sed etiam præcepto compulsum. Sed hæc obiter; quod autem nostram rem spectat, eos indistincte minime commendarem, qui prætextu spiritualis directionis mulierum mensas frequentant; contra illos enim invehit S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum, ubi ait, fuisse qui e Patribus spiritualibus in patres carnales evaserint, & filias spirituales, matres fecerint.

VII. Neque illud ommittendum est, quod in nostro Canone edicitur, nempe non solum quandocumque cum alienis, sed etiam si cum propinquis mulieribus Monachi, aut Sacris initiati cibum capiunt, modestia spectatos homines adhiberi oportere. Hoc enim pacto suspicio omnis removeri potest, ne alias qui ex adverso sunt, habeant turpe aliquid dicere de nobis, & sacros homines calumniari, præsertim cum sciant, nonnullos ex illis propinquarum vel opera, vel occasione usos, ut cum alienis turpiter versarentur. Hinc de S. Augustino legimus apud Possidium, feminarum, & in eis sororis, & fratris filiæ contubernium familiaritatemque vitasse, quippe qui diceret, etsi propinquæ mulieres suspectæ non essent, tamen quæ ad eas ventirent, posse suspicionem efficere. Ceterum pauca sunt sed fortia illa S. Hieronymi verba in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis: *Nequis sibi de sanguinis propinquitate confideret, in illicitum Thamar sororis Ammon frater exarsit incendium.* Sed & Concilium Namnatense, quod Moguntini nomine adducitur a Gregorio IX. in Tit. *De cohabitatione Clericorum & mulierum*, etiam in illis mulieribus, quas Canones, ac præsertim tertius Concilii I. Nicæni retineri a Clericis concesserant, matre, inquam, sorore, amita, instigante diabolo scelus perpetratum reperiri. Sed de his vide quæ diximus in Commentario nostro ad ipsum Canonem tertium Nicænum nostro I. Tomo Conciliorum.

VIII. Cautum est demum ex nostro Canone, in itinere, ubi alius commorandi locus non suppetat, sacrato homini, aut Monacho impune esse ad cauponam divertere, aut in alterius cujuspiam domo instanti necessitati satisfacere. Quod ita intelligendum censeo, ubi scilicet Monasteria, vel alia loca Religiosa desunt, alias enim minime illis liceret ad popinas divertere, uti passim Patrum Regulæ, & sacri Conciliorum Canones jubent, quos una cum aliis scitu dignis fuse recensui in Commentario ad Canonem IX. Concilii Trullani.

IX. Unum est quod hic adnotandum superest, *thymelicas voluptates*, quarum noster Canon meminit, dictas fuisse a thymelicis, id est gesticulatoribus, qui in pulpito orchestræ, quo thymelem vocabant, fabulæ subserviebant, & histrionibus in scænam abditis, populum gesticulatione retinebant. Meminit horum Vitruvius, diversosque eos facit a scenicis. Scenici enim dicebantur histriones, qui in scena fabulam agebant. Thymelici vero, qui personam ex fabula non habentes ante scenam in orchestra saltabant, & scenæ subserviebant: *Apud Græcos*, ait Vitruvius, *tragici, vel comici actores in scena peragunt; reliqui autem artifices suas per orchestram præstant actiones. Itaque ex ea scenici, & thymelici Græce separatim nominantur.* Thymelicorum etiam meminerunt in Titulo, *De pistoribus*, & in Titulo, *De scenicis*, Codex Theodosianus, Synodus Laodicena Can. LIV. & S. Isidorus Hispalensis lib. XVIII. *Originum* cap. XLVII. *Thymelici*, inquit, *erant musici scenici, qui in organis, & lyris, & cytharis præcinebant, & dicti thymelici, quod olim in orcistra stantes cantabant super pulpitum, quod thymele vocabatur.*

De-

Definitio sanctæ magnæ, & universalis in Nicæa Synodi secundæ, una cum subscriptionibus Episcoporum, apud Labbæum Tomo VIII, Conciliorum Pag. 1524. & seqq.

Sancta, magna, & universalis synodus, quæ gratia Dei, & juxta pium Christi amantium imperatorum nostrorum Constantini, & Irenes illius matris Decretum, secunda in splendida Nicææ metropoli, quæ est in Bithynia, in sacra Dei ecclesia Sophiæ congregata, traditionem catholicæ ecclesiæ secuta, hæc definivit subjecta.

QUi nobis cognitionis suæ lumen gratis dedit, & tenebras, caliginemque idolorum insaniæ discussit, nosque ab ea liberavit Christus Jesus Deus noster, qui suam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam sibi desponsavit, eam diligenter custodiendam esse præcepit, & discipulis sanctis confirmavit, dicens: (a) *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Hanc vero promissionem non solum illis, sed & nobis fecit, qui per illos credidimus in nomen illius. Hanc igitur donationem quidam contemnentes, ab impostore, & defraudatore inimico elatores facti, a recta ratione desciscentes, catholicæque ecclesiæ opponentes sese, circa veritatis intelligentiam peccarunt: & ut dicit proverbialis sermo, axes propriæ agricolationis errare fecerunt, & manibus congregaverunt sterilitatem. Quandoquidem sacrarum dedicationum, & oblationum Deo decentem ornatum calumniari non dubitarunt, appellantes se sacerdotes, cum revera non sint. De his Deus per prophetam clamat: (b) *Multi pastores destruxerunt vineam meam, contaminaverunt portionem meam*. Minime enim sancte viros, qui sibiipsi multa tribuunt, secuti sanctam nostram ecclesiam, quam sibi Deus adaptavit, accusarunt, (c) *neque inter sacrum & profanum ullam discrimen posuerunt*: nam imagines Dei, & Sanctorum suorum, similiter cum statuis satanicis idolorum nomine appellarunt. Igitur obedientiam suam ab insania istorum corrumpi amplius non ferens dominus Christus, nos undique sacerdotalis dignitatis præfectos secundum suum beneplacitum convocavit, accedente huc divino zelo, & nutu Constantini, & Irenes fidelissimorum nostrorum imperatorum, quo divina traditio ecclesiæ catholicæ communi suffragio auctoritatem accipiat. Igitur cum omni diligentia perscrutantes, & investigantes juxta scopum veritatis nobis propositum, nihil adjicimus, nihil demimus: sed cuncta ecclesiæ catholicæ dogmata conservamus, & sex universalibus Conciliis inhærentes, eorum acta comprobamus. Principio secundum Synodum in splendida Nicæa congregatam, deinde in regia urbe: Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium: & in unum dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri ante omnia sæcula, per quem cuncta facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato: passus & sepultus: Et resurrexit tertia die secundum scripturas: Et ascendit in cœlos, sedens ad dexteram Patris: Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, dominum, vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. In unam sanctam catholicam, & apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum, & expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Execramur, & anathematizamus Arium, & asseclas ejus, & qui communicant cum illius improbis opinionibus. Macedoniumque, & sodales illius, qui recte appellantur pneumatomachi, id est, impugnatores Spiritus. Confitemur etiam dominam nostram sanctam Mariam proprie, & vere Deiparam, ut quæ peperit unum sanctæ Trinitatis Christum Deum nostrum: quemadmodum prior Ephesina synodus constituit; & impium Nestorium, sociosque illius, tanquam dualitatem personarum inducentes, ab ecclesia depulit. Ad hæc duas naturas incarnati propter nos ex immaculata virgine Maria confitemur, perfectum Deum, & perfectum hominem cognoscentes, quemadmodum synodus in Chalcedone habita declaravit: Eutychemque, & Dioscorum, blasphemantes in illius divinitatem, exterminavit: adjicientes his Petrum, Severum, & catenam istorum blasphemam non concorditer connexam. Præterea Origenis, Evagrii, & Didymi fabulositates anathematizamus, quemadmodum synodus Constantinopoli conflata, quinta numero, docuit: deinde duas voluntates & actus secundum naturam proprietatem in Christo prædicamus, quemadmodum sexta Constantinopolitana Synodus definiit, detestamurque cum ea Sergium, Honorium (d), Cyrum, Pyrrhum, Macarium impios istos pietatis impugnatores, omnesque illis consentientes anathematizamus. Fatemur autem unanimiter nos ecclesiasticas traditiones, sive scripto sive consuetudine valentes, & decreta, retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio, ut quæ historiæ euangelicæ promissionis concinat, ad credulitatem veræ & non phantasticæ incarnationis Dei, & ad utilitatem similitudinis, quam nobis exhibet, utiliter inventam. His sic se habentibus, regiam viam incedentes, & sanctorum nostrorum & divinorum Patrum doctrinæ insistentes, & catholicæ Ecclesiæ, in qua Sanctus Spiritus inhabitat, traditionem observantes: definimus cum omni diligentia & cura, venerandas, & sanctas Imagines ad modum, & formam venerandæ, & vivificantis Crucis a coloribus & tessellis, aut alia quavis materia commode paratas, dedicandas, & in Templis sanctis Dei collocandas, habendasque: tum in sacris vasis & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus privatis, in viis publicis: maxime autem imaginem Domini & Dei servatoris nostri Jesu Christi, deinde intemeratæ dominæ nostræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde Sanctorum virorum. Quo scilicet per hanc imaginum picturam inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem & desiderium veniant, illisque salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non secundum fidem nostram, veram latriam, quæ

(a) *Matth. 28.* (b) *Jerem. 12.* (c) *Ezech. 22.* (d) Vide quæ de Honorio diximus post historiam VI. Synodi.

quæ solum divinæ naturæ competit: sed quemadmodum typo venerandæ, & vivificantis Crucis, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum, & luminarium reverenter accedimus, quemadmodum veteribus pie in consuetudinem hoc adductum est: imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum. Sic enim sanctorum nostrorum Patrum obtinet disciplina, vel traditio catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines Evangelium suscepit. Paulo ergo sic in Christo loquenti, omnique Apostolico cœtui, & & Patribus sanctis idem sentientibus inhærentes: (*a*) *Servamus traditiones, quas suscepimus*. Quare & victoriæ carmina ad ecclesiam eum Propheta accinimus: (*b*) *Gaude valde filia Sion, prædica filia Jerusalem, exulta & lætare ex toto corde tuo: a te Deus abstulit iniquitates adversantium tibi, liberata es de manu inimici tui. Dominus rex tuus in medio tui, & pax tibi in sempiterna sæcula*.

Igitur qui ausi fuerint aliud sentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum ecclesiasticas traditiones contaminare, aut novam quamdam vaniloquentiam inducere, aut quidquam de consecratis in Ecclesia abjicere, Evangelii inquam depictum codicem, aut figuram Crucis, aut imaginis alicujus picturam, aut reliquias Martyrum, quas sciverint esse germanas, & veras, aut contra ista vafre, & improbe aliquid excogitare, quod sit contra Constitutionem ecclesiasticam, aut uti, tanquam communibus, sacratis Deo, repositis pretiosis, aut monasteriis reverendis; si fuerint Episcopi, aut Clerici, deponuntor; si Monachi, aut laici, communione privantor.

Petrus miseratione divina protopresbyter sanctissimæ ecclesiæ Romanæ beati Petri, & locum retinens Hadriani papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.

Petrus indignus presbyter, & præses sancti patris nostri Sabbæ, & vices agens Hadriani papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.

Tarasius miseratione divina episcopus Constantinopolitanus novæ Romæ, patrum dogmatibus insistens, & catholicæ ecclesiæ adhærens, definiens subscripsi.

Joannes miseratione divina presbyter, assessor patriarchicus, & vices agens trium apostolicorum thronorum Orientis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum, patrum dogmatibus insistens, & catholicæ ecclesiæ inhærens, definiens subscripsi.

Agapius indignus episcopus Cæsareæ Cappadociæ, patrum dogmatibus insistens, &c. subscr.

Joannes indignus episcopus Ephesi in eamdem sententiam subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Heracleæ Thraciæ in eamdem sententiam subscripsi.

Basilius indignus episcopus Ancyræ, quæ est in Galatia, in eamdem, &c.

Nicolaus indignus episcopus Cyzici, &c.

Euthymius indignus episcopus Sardensium, in eamdem sententiam, &c.

Petrus indignus episcopus Nicomediæ in camdem sententiam subscripsi.

Elias indignus episcopus Cretæ in eamdem sententiam subscripsi.

Hypatius indignus episcopus Nicææ, &c.

Theophilus indignus episcopus Thessalonicæ in eamdem sententiam subscripsi.

Stauracius indignus episcopus Chalcedonis in eamdem sententiam, &c.

Leontius indignus presbyter, & vicem agens metropoleos Sydæ, in eamdem, &c.

Epiphanius diaconus, vicem agens Sardiniæ, in eamdem, &c.

Nicephorus indignus episcopus Dyrrachii, &c.

Nicolaus presbyter (*c*) presidi, & vicem agens metropoleos Tyanensium, in eamdem, &c.

Daniel indignus episcopus Amasiæ in eamdem sententiam subscripsi.

Gregorius presbyter, & vicem agens Mocesi, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Gangrorum in eamdem sententiam subscripsi.

Nicetas indignus episcopus Claudiopoleos in eamdem sententiam, &c.

Gregorius indignus episc. Neocesareæ, &c.

Gregorius indignus episc. Pessinunton, &c.

Theodorus indignus episcop. Myron, &c.

Eustathius indignus episcopus Laodiceæ, &c.

Michael indignus episcopus Synnadon in eamdem sententiam subscripsi.

Georgius indignus episcopus Antiochiæ, quæ est Pisidiæ, in eamdem, &c.

Theophylactus diaconus, & vicem agens sanctissimi episcopi Cariæ, &c.

Leontius indignus episcopus Iconii, &c.

Anastasius indignus episcopus Nicopoleos veteris in eamdem sententiam, &c.

Constantinus indignus episcopus Perges, &c.

Gregorius presbyter, & vicem agens Tyanopoleos, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Rhodi, &c.

Christophorus indignus episc. Phasidos, &c.

Manuel indignus episcopus Hadrianopoleos Thraciæ in eamdem sententiam subscripsi.

Nicolaus indignus episcopus Hierapoleos, &c.

Basilius indignus epis. Sylæi in eamdem, &c.

Theophylactus indignus episcopus Euchaiton in eamdem sententiam subscripsi.

Cyrillus monachus, ex persona Gotthiæ, &c.

Theodorus indignus episcopus Seleuciæ in eamdem, &c.

Stephanus indignus episcopus Sugdaon, &c.

(*d*) Antoninus monachus, & vicem agens Smyrnæ in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Rhegii, in eamdem sententiam subscripsi.

Joannes monachus, ex persona Patrarum, in camdem sententiam, &c.

Theodorus indignus episcopus Catanes in eamdem sententiam subscripsi.

Joannes indignus episcopus Tauromeniæ, in eamdem sententiam subscripsi.

Gaudiosus indignus episcopus Messenæ in eamdem sententiam, &c.

Theodorus indignus episcopus Panormi in eamdem sententiam subscripsi.

Stephanus indignus episcopus Bibonum, &c.

Constantinus indignus episcopus Leontenæ in eamdem sententiam, &c.

Joannes indignus episcopus (*e*) Trocaion in eamdem sententiam subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Tauriames, in eamdem sententiam, &c.

To.II. Oo Chri-

(*a*) 1. *Thess.* 2. (*b*) *Sophon.* 3. (*c*) *forte*, præses. (*d*) Antonius. (*e*) Traculon.

Christophorus indignus episcopus sanctæ Cyriacæ in eamdem, &c.

Basilius indignus episcopus Carines in eamdem sententiam subscripsi.

Theophanes indignus episcopus Lilybæi in eamdem sententiam, &c.

Theodorus indignus episcopus Trophæorum in eamdem sententiam, &c.

Sergius indignus episcopus Nicoteron, in eamdem sententiam, &c.

Theodorus indignus episcopus Byzies, in eamdem sententiam, &c.

Maurianus indignus episcopus Pompejopoleos, in eamdem sententiam subscripsi.

Joannes indignus episcopus sanctæ Saloninæ, in eamdem, &c.

Eustratius indignus episcopus Apameæ, quæ est in Bithynia, in eamdem, &c.

Petrus indignus episcopus Germiorum, in eamdem sententiam subscripsi.

Joannes indignus episcopus Arcadiopoleos, in eamdem sententiam subscripsi.

Constantinus presbyter, & ex persona Nicopoleos Armeniæ secundæ, in eamdem, &c.

Sisinnius indignus episcopus Parii, in eamdem sententiam, &c.

Epiphanius indignus episcopus Mileti, &c.

Nicetas indignus episcopus Prœconnesi, &c.

Joannes indignus presbyter, & vicem agens Coloniæ, in eamdem, &c.

Eustratius indignus episcopus Methymnæ, in eamdem, &c.

Leontius (a) indignus episcopus Chii, in eamdem sententiam subscripsi.

Ursus indignus episcopus ecclesiæ Baritianorum in eamdem, &c.

Joannes indignus episcopus Apron, in eamdem sententiam subscripsi.

Theophylactus indignus episcopus Cypselou, in eamdem, &c.

Laurentius indignus episcopus ecclesiæ Apsetianorum, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Carpathi, &c.

Eustathius indignus episcopus Troadis, &c.

Cyriacus indignus episcopus Driziparorum, in eandem sententiam, subscripsi.

Leontius indignus episcopus Mesembriæ, &c.

Gregorius indignus episcopus Derci, &c.

Theodorus indignus episcopus Heracleæ, &c.

Theodosius indignus episcopus Amnorii, &c.

Joannes indignus Episcopus Nyssæ, &c.

Georgius indignus episcopus Thermarum (b) Basizarum, in eamdem sententiam, &c.

Georgius indignus episcopus Camulianorum, in eamdem sententiam subscripsi.

Sotericus indignus episcopus Cicesson, in eamdem sententiam subscripsi.

Theophylactus indignus episcopus Hypæpon, in eamdem, &c.

Damianus indignus episcopus Mitylenæ, &c.

Theophylactus indignus episcopus Trallium, in eamdem sententiam &c.

Constantinus indignus episcopus Mastauron, in eamdem sententiam subscripsi.

Ignatius indignus episcopus Prienes, &c.

Georgius indignus episcopus Briulou, &c.

Constantinus indignus presbyter, vicem agens (c) Ages, in eamdem sententiam, &c.

Theodosius indignus episcopus Nyssæ alterius, in eamdem sententiam subscripsi.

Basilius indignus episcopus Magnesiæ, &c.

Basilius indignus episcopus Mæandri, &c.

Sabbas indignus episcopus (d) Aneon, &c.

Nicephorus indignus presbyter ex persona (e) Bargarorum, in eamdem sententiam, &c.

Gregorius indignus episcopus Paleaspoleos, in eamdem sententiam, &c.

Theophanes indignus episcopus Caloes, &c.

Leontius indignus episcopus Algizon, &c.

Nicodemus indignus episcopus Eugazon, &c.

Lycastus indignus episcopus Bareton, &c.

Theognius indignus presbyter vicem agens Sion in eamdem sententiam, &c.

Thomas (f) indignus episcopus Lebedi, &c.

Stratonicus indignus episcopus Cumerum, &c.

Eustathius indignus episcopus Erytheon, in eamdem sententiam subscripsi.

Theophilus indignus episcopus Thymnon, in eamdem sententiam subscripsi.

Cosmas indignus episcopus Myrrhines, &c.

Olbianus indignus episcopus Elææ, &c.

Pardus indignus episcopus Pitanes, in eamdem sententiam, &c.

Basilius indignus episcopus Pergami, &c.

Basilius indignus episcopus Antamynton, in eamdem sententiam subscripsi.

Marianus indignus episcopus Antandri, in eamdem sententiam, &c.

Joannes indignus episc. Assi, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Phoceæ, &c.

Joannes indignus episcopus Rhædesti, &c.

Joannes indignus episcopus Panii, &c.

Melchisedec indignus episc. Calliupoleos, &c.

Theophylactus indignus episcopus Chariopoleos, in eamdem sententiam subscripsi.

Leonidas indignus episcopus Madyti, &c.

Sisinnius indignus episcopus (g) Tzuruli, in eamdem sententiam, &c.

Thomas indignus episcopus Daonii, &c.

Gregorius indignus episcopus Theodoropoleos, in eamdem sententiam subscripsi.

Sisinnius indignus episcopus Chalcidos, in eamdem sententiam subscripsi.

Benjamin indignus episcopus Lizicon, &c.

Joannes indignus episcopus Bryseos, in eamdem sententiam subscripsi.

Spyridon (h) indignus episcopus Palææ, sive Chytron, in eamdem, &c.

Eustathius indignus episcopus Soiorum, in eamdem sententiam subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Citii, in eamdem sententiam subscripsi.

Georgius indignus episcopus (i) Trimithunton (k) alterius Badenæ, in eamdem, &c.

Alexander indignus episcopus (l) Trimithunton, alterius Badenæ, &c.

Constatinus indignus episcopus Heliopoleos, in eamdem, &c.

Synesius indignus episcopus Tabiæ, in eamdem sententiam subscripsi.

Theophilus indignus episcopus Anastasiopoleos, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Minzi, in eamdem sententiam subscripsi,

Pe-

(a) Supra *Leo*. H. (b) Badæ. (c) Ægeon, *al.* Ægeæ. (d) Ægeorum, *vel* Ænus Traciæ. (e) Pro, *Gargarorum*. H. (f) Theophanes. (g) *f.* Turzuli, *aut* Truzuli. (h) Spiridion. (i) Tremetuntun. (k) Hæ duæ voces videntur superfluæ. H. (l) Pro, *Amathunton*. H.

Petrus indignus epiſcopus Aſpones, &c.

Anthimus indignus epiſcopus Berinopoleos, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Michael indignus epiſcopus Melitopoleos, in eamdem, &c.

Siſinnius indignus epiſcopus Hadrianes, in eamdem, &c.

Theodorus indignus epiſcopus (*a*) Dermes, in eamdem, &c.

Baſilius indignus epiſcopus (*b*) Hadriani, in eamdem ſeotentiam ſubſcripſi.

Leontius indignus epiſcopus Pœmaninon, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Simeon indignus epiſcopus Oces, &c.

Strategius indignus epiſcopus Dardanes, in eamdem ſententiam, &c.

Joannes indignus epiſcopus Lampſaci, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Theodorus indignos epiſcopus Palæon, io eamdem ſententiam, &c.

Leontius indignus epiſcopus Troados, in eamdem ſententiam, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Abydi, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Nicetas indignus epiſcopus Ilii, &c.

Anaſtaſius indignos epiſcopus Tripoleos, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Leootius indignus epiſcopus Traculon, &c.

Stephanus indignus epiſcopus Salon, &c.

Joannes Indignus epiſcopus Gabalon, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Iſaias indignus presbyter, & vicem agens Thyatiron, io eamdem, &c.

Stephanus indignus epiſcopus Silandi, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Nicolaus indignus epiſcopus Pericommatos, in eamdem, &c.

Joannes indignos epiſcopus Sethon, in eamdem ſeotentiam ſubſcripſi.

Conſtantinus indignus epiſcopus Araſi, in eamdem, &c.

Theophanes iodignus epiſcopus Mæoniæ, in eamdem, &c.

Michael indignus epiſcopus Stratoniceæ, in eamdem, &c.

Georgius indignus epiſcopus Gordi, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Daides, io eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Euſtathius indignus epiſcopus Hyrcanes, in eamdem, &c.

Joſeph indignus epiſcopus (*c*) Attaliæ, &c.

Theopiſtus indignus epiſcopus Hermocapiloo, in eamdem, &c.

Zacharias indignus epiſcopus Hierocæſariæ, in eamdem, &c.

Michael indignus epiſcopus Caraſeon, in eamdem ſententiam, &c.

David indignus epiſcopus Helenopoleos, in eamdem, &c.

Cyrion indignus epiſcopus Lophi, in eamdem ſenteatiam, &c.

Baſilius indignos presbyter, & vicem agens epiſcopi (*d*) Daſcili, in eamdem, &c.

Theophylactus indignus epiſcopus Apolloniados, in eamdem, &c.

Conſtantinus indignus epiſcopus Cæſareæ, quæ eſt Bithyniæ, in eamdem, &c.

Georgios indignus epiſcopus Baſiilnopoleos, lo eamdem, &c.

Leontius indignus epiſcopus Neocæſareæ, aut Ariſtes, in eamdem, &c.

Nicephorus indignus epiſcopus Adranes Thraciæ, in eamdem, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Pruſes, &c.

Epiphanius indignus epiſcopus Lampes, in eamdem, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Heracleopoleos, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Anaſtaſius indignus epiſcopus Gnoſi, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Meletinus indignus epiſcopus Cydonii, in eamdem ſeotentiam, &c.

Leontius indignus epiſcopus Cyſami, in eamdem, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Sobriton, io eamdem ſententiam, &c.

Leontius indignus epiſcopus Phanicon, in eamdem ſententiam ſohſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Arcadiæ, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Epiphanius indignos epiſcopus Eleutheriæ, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Photinus indignus epiſcopus Caotani, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Siſinnios indignos epiſcopus Cherroneſi, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Gregorios indignus presbyter, & vicem agens Cephaleniæ, &c.

Philippus indignus epiſcopus Cercyron, in eamdem ſententiam, &c.

Antonius indignus epiſcopus (*e*) Trizenes, in eamdem, &c.

Petrus indignus epiſcopos Monembaſiæ, in eamdem, &c.

Gabriel indignus epiſcopus Ægines, in eamdem ſententiam, &c.

Lenntius indignus epiſcopus Porthmi, &c.

Philippus indignus epiſcopus Horei, io eamdem ſententiam ſuhſcripſi.

Leontios indignus epiſcopus Zacynthi, in eamdem ſententiam, &c.

Leontios indignus epiſcopus Liooes, in eamdem, &c.

Nicetas indignus epiſcopus Meies, io eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Neophytos indignos epiſcopus Gordoſerbon, in eamdem, &c.

Joannes indignus epiſcopus Etennon, in eamdem ſententiam ſuhſcripſi.

Leontius indignus epiſcopus Aſpendi, in eamdem ſententiam, &c.

Conſtantinus indignus epiſcopus Zeiorum, in eamdem ſententiam, &c.

Gregorius indignos epiſcopus Sioopes, in eamdem ſententiam, &c.

Maurianus indignus epiſcopus vicem agens (*f*) Antrapon, in eamdem, &c.

Gregorius indignus epiſcopus (*g*) Amaſtris, in eamdem, &c.

Heraclius indignus epiſcopus (*h*) Junopoleos, in eamdem, &c.

Nicetas indignos epiſcopus Dabyron, io eamdem ſententiam, &c.

(*i*) Theophanes indignus epiſcopus Soroo, In eamdem, &c.

(*a*) Pro, *Germes*. H. (*b*) Hadrianes. (*c*) Athaliæ. (*d*) Daſcylii. (*e*) Pro, *Troezenes*. H.
(*f*) Pro, *Andrapon*. (*g*) Amaſtridis. (*h*) Junopolis. (*i*) Theophanes.

Joannes indignus episcopus Heracleæ Ponti, in eamdem, &c.

Theophilus indignus episcopus Plusiados, &c.

Constantinus indignus episcopus Cratini, in eamdem, &c.

Nicetas indignus episcopus Adrianopoleos, in eamdem, &c.

Nicetas indignus episcopus (*a*) Rhozæi, in eamdem sententiam, &c.

Constantinus indignus episcopus Polemonii, in eamdem sententiam, &c.

Theodorus indignus episcopus Cormanon, in eamdem sententiam, &c.

Joannes indignus episcopus Cerasunton, in eamdem, &c.

Nicephorus indignus episcopus Clanei, in eamdem sententiam subscripsi.

Leontius indignus episcopus Trocnadon, in eamdem sententiam subscripsi.

Joannes Indignus diaconus ex persona (*b*) Phasilidos, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Pinaron, in eamdem sententiam subscripsi.

Stephanus indignus episcopus (*c*) Canni, &c.

Anastasius indignus episcopus Pataron, in eamdem sententiam, &c.

Georgius indignus episcopus Nissæ, in eamdem sententiam subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Candibon, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Corydalon, in eamdem, &c.

Nicodemus indignus episcopus Didymorum, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Limyron, in eamdem sententiam &c.

Constantinus indignus episcopus Tlon, in eamdem sententiam, &c.

Petrus indignus diaconus ex persona Orycandon, in eamdem, &c.

Stephanus indignus episcopus (*d*) Anaxi, in eamdem sententiam, &c.

(*e*) Gregorius indignus episcopus (*f*) Hymandi, &c.

Constantinus indignus episcopus (*g*) Cobon, in eamdem, &c.

Stauratius indignus episcopus Zenopoleos, in eamdem sententiam, &c.

Gregorius indignus episcopus Cybires, in eamdem sententiam, &c.

Basilius indignus episcopus Tabon, in eamdem sententiam, &c.

Dorotheus indignus episcopus Neapoleos, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Alabandon, in eamdem sententiam, &c.

David indignus episcopus Jassi, in eamdem, &c.

Gregorius indignus episcopus (*h*) Mylassi, in eamdem, &c.

Sergius indignus episcopus Bargylii, in eamdem sententiam subscripsi.

Gregorius indignus episcopus Lami, &c.

Joannes indignus episcopus Mindi, in eamdem sententiam subscripsi.

Stauratius indignus episcopus Stadiæ, in eamdem sententiam.

Gregorius indignus episcopus Stratonicææ, in eamdem, &c.

Nicetas indignus (*i*) diaconus ex persona Halicarnassi, in eamdem, &c.

Michael indignus episcopus Cheretopon, in eamdem, &c.

Pantaleontus indignus episcopus Valentiæ, in eamdem, &c.

Gregorius indignus episcopus Peltarum, &c.

Christophorus indignus episcopus Atanassi, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Eumeniæ, &c.

Paulus indignus episcopus Acmoniæ, in eamdem, &c.

Gregorius indignus episcopus (*k*) Timæni ferarum, in eamdem &c.

Philippus indignus episcopus Tranopoleos, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Aleon, in eamdem sententiam subscripsi.

Nicephorus indignus episcopus Lundon, &c.

Georgius indignus episcopus Appiæ, &c.

Joannes indignus episcopus Sibiion, in eamdem sententiam subscripsi.

Zacharias indignus episcopus Trapezopoleos, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Sebastæ, in eamdem sententiam, &c.

Andreas indignus episcopus Cidissosi, in eamdem sententiam, &c.

Dositheus indignus episcopus Psonon, aut Colassæon, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Cotyæi, in eamdem, &c.

Nicetas indignus episcopus Nacoliæ, in eamdem sententiam, &c.

Leontius indignus episcopus Docimii, in eamdem sententiam, &c.

Theophylactus Indignus presbyter, & ex persona ipsi, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Eucarpiæ, in eamdem, &c.

Michael indignus episcopus Hierapoleos, in eamdem, &c.

Joannes indignus presbyter, & ex persona episcopi (*l*) Actorii, in eamdem, &c.

Nicolaus indignus episcopus (*m*) Phytiæi, in eamdem, &c.

Theophylactus indignus episcopus Cynnabareos, &c.

Damianus indignus episcopus Myri, in eamdem sententiam, &c.

Christophorus indignus episc. Promisi, &c.

Nicetas indignus episcopus Augustopoleos, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Ambladon, in eamdem, &c.

Stephanus indignus presbyter, & vicem agens Otri, in eamdem, &c.

Georgius indignus episcopus (*n*) Medæi, in eamdem sententiam, &c.

Gregorius indignus presbyter, & vicem agens Polyboti, in eamdem, &c.

Sisinnius indignus episcopus (*o*) Philomilii, in eamdem, &c.

Michael indignus episcopus Paenn, in eamdem sententiam, &c.

Sisin-

(*a*) Rhazæi. Rhysæi. (*b*) Phaselidos. (c) Pro, *Cauni*. H. (*d*) Pro, *Araxi*. H. (*e*) Gregentius. (*f*) Pro, *Oeniandi*. H. (*g*) Pro, *Combon*. H. (*h*) Mylasson. (*i*) *f.* presbyter. (*k*) Timænitheron. (*l*) Pro, *Steñorii*. H. (*m*) Pythiæ. (*n*) Pro, *Medaii*. H. (*o*) Philomelii.

Siſinnius indignos epiſcopus Apameæ, quæ eſt Ciboti, in eamdem, &c.

Conſtantinus indignus epiſcopus Comanes, in eamdem, &c.

Nicephorus indignus epiſcopus Adadon, in eamdem, &c.

Petrus indignos epiſcopus Potraſi, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Theodoſius (*a*) indignos epiſcopus (*b*) Sagalaſſi, in eamdem, &c.

Leontius indignus epiſcopus Bares, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Petrus indignos epiſcopus Seleociæ Piſidiæ, in eamdem ſententiam, &c.

Nicephoros indignus epiſcopus Phoglon, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Maurianus indignus epiſcopus Magydon, in eamdem, &c.

Leontius indignus epiſcopus Andidon, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Stephanus indignus epiſcopus Parnaſi, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Bardanus indignos epiſcopus Doaron, in eamdem ſententiam, &c.

Euſtratius indignus epiſcopus Debelti, in eamdem, &c.

Euphemius indignus epiſcopus Sozopoleos, in eamdem, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Bulgarophygi, in eamdem ſententiam, &c.

Georgios indignus epiſcopus Plutinopoleos, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Baſilius indignus epiſcopus Perbireos, in eamdem ſententiam, &c.

Michael indignus epiſcopus Pamphyii, in eamdem, &c.

Rubim (*c*) indignus epiſcopus Scodelon, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Siſinnius indignus epiſcopus (*d*) Garelles, &c.

Calliſtus indignus epiſcopus (*e*) Endonidos, in eamdem, &c.

Conſtantinus indignus epiſcopus (*f*) Laginon, in eamdem, &c.

Joannes indignus epiſcopus Codrulion, in eamdem, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Cremnon, in eamdem, &c.

Conſtantinus indignos epiſcopus Adrianes, in eamdem, &c.

Theophilus indignos epiſcopos Chii, &c.

Galatas indignus epiſcopos Meli, &c.

Sergius indignus epiſcopus Leri, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Manzones indignus epiſcopus Diocæſareæ, in eamdem ſententiam, &c.

Euſtathius indignus epiſcopus Celendereos, in eamdem, &c.

Zacharias indignus epiſcopus (*g*) Cordabendon, in eamdem, &c.

Siſinnius indignus epiſcopus Musbadon, in eamdem, &c.

Euſtathius indignus epiſcopus Lami, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Germanicopoleos, in eamdem ſententiam, &c.

Siſinnius indignus epiſcopus Syces, &c.

Conſtantinos indignus epiſcopus (*h*) Dalyſanes, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Leontius indignus epiſcopus Sibilon, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Stephanus indignus epiſcopus Philadelphiæ, in eamdem ſententiam, &c.

Eudoxius indignus presbyter, & vicem agens Metellipoleos, in eamdem, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Cadon, in eamdem ſententiam, &c.

Theophylactus indignus epiſcopus Moſynon, in eamdem, &c.

Baſilius indignus epiſcopus Dionyſiopoleos, in eamdem, &c.

Stephanus indignus (*i*) Sinai, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Conſtantinus indignos epiſcopus Andri, in eamdem, &c.

Euſtathius indignus epiſcopus (*k*) Tini, &c.

Joannes indignus epiſcopus Decateron, &c.

Joannes indignus epiſcopus Nicææ Thraciæ, in eamdem, &c.

Theophanes (*l*) indignus epiſcopus Lebedi, &c.

Joannes indignus epiſcopus Lithoproſopi, &c.

Nicephorus indignus epiſcopus Arcadiopoleos, in eamdem, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Heracleopoleos, ac Pidachtoes, &c.

Conſtantinus indignus epiſcopus Metron, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Lycaſtus indignus epiſcopus Phylladon, in eamdem ſententiam, &c.

Michael indignus epiſcopus Trallenſium, in eamdem, &c.

Joannes indignos epiſcopus Lemni, &c.

Leontius *indignus* epiſcopus (*m*) Amiſſi, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Michael indignus epiſcopus Tii, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Epiphanius indignus epiſcopus Pertorum, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus Thymbriadon, &c.

Stephanus indignus epiſcopus (*n*) Orynnon, in eamdem, &c.

Heraclius indignus epiſcopos Sami, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Joannes indignus epiſcopus (*o*) Præneſti, in eam ſententiam ſubſcripſi.

Sancta ſynodus exclamavit: Omnes ſic credimus, omnes idem ſapimus, omnes approbantes ſubſcripſimus. Hæc eſt fides Apoſtolorum: hæc eſt fides Patrum: hæc eſt fides Orthodoxorum: hæc fides orbem terrarum confirmavit. Credentes in unum Deum in Trinitate laudatum, venerandas Imagines amplexamur. Qui ſecus agunt, anathemate percelluntor: qui ſic non ſentiunt, ab Eccleſia depelluntor. Nos antiquæ eccleſiæ legislationi inſiſtimus, nos decreta Patrum cuſtodimus: nos, adjicientes aliquid, aut auferentes Eccleſiæ, anathematizamus; nos venerandas Imagines ſuſcipimus: nos, qui ſecus faxint, anathemate percellimus. Quicumque ſententias ſacræ ſcripturæ de idolis contra venerandas Imagines adducunt, anathema. Qui venerandas Imagines idola appellant, anathema. Qui dicunt quod Imagines Chriſtiani ut Deos adorent, ana-

(*a*) Theodorus. (*b*) Agalaſſi. (*c*) Ruben. (*d*) Pro, *Garieles*. H. (*e*) Pro, *Eudociados*. H. (*f*) Pro, *Lagnon*. H. (*g*) Pro, *Cardabundon*. H. (*h*) Daliſand. (*i*) *f.* Sinaon. Pro. *Synaai*. H. (*k*) Pro, *Teni*. H. (*l*) *Superius ſcribitur*. Thomas. (*m*) Amyzi. (*n*) Pro, *Orymnon*. H. (*o*) Pro *Praeneti*. H.

anathema. Qui scientes communicant cum illis, qui contra venerandas Imagines sentiunt, aut eas dehonestant, anathema. Qui præter Christum dominum Deum nostrum dixerit alium nos a cultu Idolorum liberasse, anathema. Qui audent ecclesiam catholicam dicere idola aliquando suscepisse, anathema. Multi anni imperatorum. Constantini, & Irenes ejus matris multi anni. Victorum imperatorum multi anni. Nuvo Constantino & novæ, Helenæ perpetua memoria. Deus imperium Augustorum conservet. Imperatur cælestis terrenos reges custodi. Cunctis hæreticis anathema. Rugienti conciliabulo contra venerandas imagines anathema. Impia hæreseon verbula æstimantibus anathema. Theodosio falsi numinis episcopo Ephesi anathema. Sisinnio cognomento Pastillæ anathema. Basilio maledico Tricaeabo anathema. Trinitas trium eorum dogma sustulit. Anastasiu, Constantino, & Victori, qui successive thronum Constantinopolitanæ ecclesiæ ascenderunt, non aliter, ac novo Ario, Nestoriu, Dioscoro, anathema. Sancta Trinitas horum trium dogma sustulit. Juanni Nicomediæ, & Constantino Nacoliæ hæresiarchis, anathema. In nihilum redegerunt imaginem Domini, & Sanctorum ejus: Dominus eos ad nihilum deduxit. Si quis ex Iconoclastarum hæresi aliquem existentem defenderit, anathema. Si quis Deum secundum humanitatem nun circumscriptibilem confessus fuerit, anathema. Si quis evangelicas narrationes per picturam repræsentatas nun acceptaverit, anathema. Si quis has non salutaverit in nomine Domini,& Sanctorum ejus, anathema. Si quis traditionem Ecclesiæ, sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema. Germani urthodoxi perpetua memoria. Joanni, & Georgii perpetua memoria. Præconum veritatis perpetua memoria. Trinitas hos tres approbavit. Hornm disputationibus inhærentes, digni reddamur misericordiis,& gratia primi,& magni supremi sacerdotis Jesu Christi Dei nostri, intercedente simul inviolata Domina nostra sancta Deipara, & umnibus Sanctis. Fiat, fiat. Amen.

Piissimis, & Serenissimis imperatoribus nostris, Constantino, & Irenæ matri, Tarasius indignus episcopus Dei observantis,& imperotricis nostræ urbis novæ Romæ, & universa sancta synodus, quæ secundum divinam voluntatem, & jussu imperatoris in hac splendida Nicensium metropoli secundo convenit.

CHristus Deus noster, fortissimi imperatures, caput ecclesiæ prædicatur: quoniam cor nostrum in manu ejus existens verbum bonum scaturiit: suo enim decreto, & mandato vos in numine suo convocavit, ut dogmatum ecclesiasticorum oracula fixa firmaque conservetis. Etenim quemadmodum caput vestrum auro & lapidibus pretiosis exornatum est, ita & mentes vestræ evangelicis Patrum doctrinis sunt excultæ: nam quorum sonus in universum terrarum orbem est egressus, cum sitis veluti discipuli, & consodales, universique Christiani populi duces,& principes, ad pietatem veritatis sermonem contulistis, & orthodoxæ fidei, pietatisque figuram descripsistis. Unde fidelibus tanquam faces ardentes relucetis, & periclitanti ecclesiæ manum porrexistis: nam & sanas doctrinas conservatis, & dissidentium unanimem concordiam gubernatis (absit verbo invidia) Dei beneplacito: pietatis, officia & honastæ actiones per vos sunt stabilitæ. Quamobrem (a) *os nostrum impletum est gaudio, & lingua nostra exultatione*: nam per scriptam nostram vucem res ipsas linguæ loquuntur. Quid enim splendidius magnificentiusque esse possit principi, quam ecclesiasticarum constitutionum firmitatem & stabilimentum integrum conservavisse? Quandoquidem autem quidam, Imaginem quidem pietatis circumferentes, sacerdotii dignitate conspicuos se exhibent, verum ipsum robur sacerdotii denegantes consurrexerunt, Babyloniorumque sacerdotum accusationem arripuerunt, quos & Propheta triumphat, dicens: (b) *Egressa est ex Babylone iniquitas*, Calaphaicumque conciliabulum cogerunt, facti parentes impiurum dogmatum, execrationis, & amaritudinis, quorum os non alio quam ad maledicendum spectat, & hinc gloriam, famamque venatur, linguam habentes blasphemam, & calamum bene huic inservientem, pugnantes verbis Dei, imperatorum majestatem monstrosis verbis corrumpentes: gentem sacram, quæ semel Christum induit, & ex gratia illius servata est, quasi in idolorum errore existentem, idololaditi, illis hactenus manus injecerunt, arbitrantes se posse obscurare venerandarum imaginum picturam, atque eas partim veluti communi suffragio exterminarunt, partim vero quæ ex cera fusæ erant in singularem ornatum, in turpes usus converterunt: quæ vero ex tabulis & assereulis depictæ erant, tum Christi, tum etiam Sanctorum illius, Igni tradiderunt: &, ut uno verbo dicam, omnes nostras ecclesias contaminantes, disturbarunt; & hierarchæ, id est, sacrarum rerum præsides antea existentes hæresiarchæ facti sunt: & pro pace rixas ad populum locuti sunt, pro frumentu zizaniam ecclesiasticis agris inseverunt: vinum cum aqua miscuerunt, & proximo putaverunt subversionem noxiam. Præterea cum essent lupi Arabiel, pellem ovinam egregie simularunt se gestare. Defraudantes quoque veritatem, mendacium vires cupiverunt acquirere posse. (c) Sed aspidum uva fregerunt, & secundum Prophetam, telam araneæ filarunt. Qui autem de ovis istis edere debebat, postquam confregisset ea, ventum inanem reperiens simul & basiliscum accepit veneno & lethali afflatu plenum. Quoniam autem hæc ita se habent, & veritatem ad tempus mendacium ademit, o vos mitissimi & fortissimi imperatores, non ferentes ejuscemodi pestilentem & animis lethalem errorem diutius in terris hærere, sed hunc Spiritus divini, qui in vobis inhabitat, afflatu obscurare contendistis, quo scilicet firma maneat ecclesiæ cunstitutiu, & totius populi coagmentum, ac imperium vestrum pacifice secundum numinis appellationem gubernetur. Neque putastis ferendum aut tolerabile, quod in reliquis umnibus rebus bene inter nos conveniret, de vitæ autem nostræ summa & præcipuo, nimirum pace ecclesiæ, inter nos essent dissidia, maxime cum nostrum caput unicum sit Christus, nos autem deinceps illius unius corporis membra, propter eam, quæ inter nos, communem fidem & sententiam. Quapropter vos sacrum hunc nostrom copiosum in hac Nicensium metropoli cunvenire jussistis cœtum, quo ecclesiarum dissensionem auferremus; & male disjuncta ad unitionem commodam reduceremus; & ut

eam,

(a) *Psal.* 125. (b) *Dan.* 13. (c) *Isai.* 59.

eam; quæ nuper ex spinosis confutata est sententiis, (*a*) vallam, hoc est falsam doctriuam convelleremus & difrumperemus; & vestem orthodoxæ fidei conservaremus illæsam. Quare Apostolieis & Patrum adhærentes traditionibus, ex afflatu Spiritus sancti in unum convenientibus animis, item ecclesiæ catholieæ, & sacrarum sex universalium Synodorum dogmsta habentes uobis concordantia, audemus anathematizare Arii insaniam, Macedonii rabiem, Apollinarii dementiam, Nestorii idololatriam iu homine, Eutychis, & Dioscori conspirantem vanitatem, & horum multorum capitum hydram, Origenis, Didymi, & Evagrii nugas, fabulasque, Sergii, Honorii, Cyri, & Pyrrhi, eorumque asseelarum unam voluntatem, imo malam, & improbam voluntatem.

Deinde & qui post hos vana & nova excogitarunt nugamenta contra venerandas imagines, eodem suffragio, & eonvenienter accepto a sancto Spiritu verbo, & pura fontis illius aqua, spongia divinorum dogmatum absterfimus & expunximus, iuventoresque nuperæ vaniloquentiæ longe extra ecclesiasticos muros ejecimus. Et quemadmodum pedes, & manus competenter animæ consiliis moventur, & nos a Spiritu aecepta gratia, & robur habentes fortitudinis vestræ coadjutaus, & pietatem reconciliavimus, & veritatem deprædicavimus. Quamobrem omnibus modis recipiendæ sunt venerandæ imagines domini nostri Jesu Christi, quatenus scilieet perfectus homo fuit, & hæ quoque omnes, quæ historicæ e saera evaugeliorum narratione depinguntur, nempe intemeratæ dominæ nostræ Deiparæ, Sanctorum, nam hominibus ipsi quoque In forma hominis visi sunt: item Sanctorum omnium, quorum prælia & certamiua tabulis & parietibus saeris item vestibus & vasis iusculpta amari debent: quemsdmodum catholiea ecclesia multis retro sæculis In hisce est instructa. Sic enim ea accepit, sic a sanctis nostræ disciplinæ ducibus, & eorum successoribus Patribus nostris statutum est. Sunt autem hæ adorandæ quoque, hoc est, exosculandæ, & amandæ. Idem enim gnifieaut hæc juxta autlquam Græciæ dialecton nam προσκυνεῖν, id est adorare, & ἀσπάζεσθαι, id est amplecti, & φιλεῖν, id est amare, significat. Præpositio autem πρὸς, intentionem significat desideril, quemadmodum in προσφέρω, & φέρω, κυρῶ, & προσκυρῶ, κυνῶ. & προσκυνῶ, quod significat & amplexum, & vehementem amorem. Nam quod quis φιλεῖ, (hoc est amst) id etiam προσκυνεῖ (hoc est amplectitur:) & quod adorat, sive amplectitur, nempe προσκυνεῖ, hoc etiam omnino φιλεῖ, id est amat. Testatur id sane humana natura, & affectio, qua erga amieos sumus affecti: sic enim inter duos res agitur, & hoc modo sibi occursantes agunt. Non solum autem apud Græcos hæc loquendi ratio in usu est, sed in divina quoque scriptura idem annotare licet. In libris enim Regum scriptum est; (*b*) *David surrexit, & cecidit in faciem suam, & adoravit ter Jonatham; & osculatus est eum.* Rursus nonne Dominus de Pharisæis dicit in Evangelio: (*c*) *Amant primos accubitus in conviviis, & salutationes in foro.* Certum est ἀσπασμὸν, id est salutationem, hoc loco a Domino appellari προσκύνησιν, id est adorationem. Pharisæi enim glorioso animo præditi, & seipsos justos existimantes, ab omnibus adorari studebant. Non enim ore osculari petebaut: suisset etenim hoc humilitatis signum, & haudquaquam Pharisaici supercilii. Iterum Paulus Apostolus divinus sane, quemadmodum in Actibus scribit Lucas: (*d*) *Nam cum* (inquit) *essemus nos Hierosolymis, libenter, & alacriter excerperunt nos fratres: sequenti autem die Paulus nobiscum ad Jacobum ingreditur, aderant autem omnes presbyteri: salutatis autem illis, singula, quæ in gentibus per illum fecisset dominus, exposuit.* Hic enim salutationem, honorificam adorationem mutuo factam, Apostolica sententia significat. Quemadmodum de Jacob legitur: (*e*) *Adoravit in summitate virgæ suæ.* Cum his eonvenit Gregorius cognomento Theologus dicens: (*f*) *Bethlehem venerare, præsepe adora.* Quis autem, modo recte, & sincere scripturas intelligat, ea quæ ita in scripturis occurrunt, uon viderit, inde latriam quæ fit per spiritum non dici, nisi omnino expers sit intelligentiæ, & plane in sententiis scripturæ, & Patrum rudis? Non enim in summo virgæ Jacob latriam feeit. Neque etiam Gregorius præsepi latriæ vocabulum addit, neququam. Rursus cum Crucem vivificam salutamus, convenienter canimus: Crucem tuam adoramus domine. Lanceam, quæ vivificans latus sanctitatis tuæ aperuit, adoramus. Quæ sane adoratio nihil aliud est, quam salutatio, sive amplexum malis dicere, quod indieat hoc, quod labiis quoque nostris propriis ea contingimus. Si vero sæpius in scriptura, & elegantibus nostris Patribus adorationem quis dixerit, pro cultu, sive latria, quæ in spiritu fit, sumi non negamus: nam cum vox sit multæ significationis, non potest non aliquando pro cultu adorationis in spiritu sumi. Adoratio enim est, cum venerationem, desiderium, & timorem significet: ita nos vestrum victoriosum, & placidissimum imperium adoramus. Est adoratio, quæ tantummodo victorem significat, quemadmodum Jacob adoravit Esau. (*g*) Est quæ gratism notat, quomodo Abraham (*h*) pro agro, quem accepit a filiis Chet in sepulcrum Saræ uxoris suæ, adoravit illos. Rursus, qui sperant beneficium se accepturos a potentioribus, eos adorant, quemsdmodum Jacob adoravit Pharaonem. Hinc divina scriptura dicens: (*i*) *Deum tuum adorabis, & illi soli cultum exhibebis*: *adorabis*, absolute ponit, neque adjicit, soli, ut significetur vox diversæ notionis, & æquivoca. *Cultum* sutem *exhibebis*, sive *servies soli* dixit: quam ob causam latriam uni Deo tribuimus, ad quem illam referimus. His ita se habentibus, in confesso, & sine ulla dubitatione credimus, acceptam & placitam coram Deo esse venerandarum imaginum depictionem, & earum quæ dispensationem Domini nostri Jesu Christi exprimuut, & Virginis quoque Mariæ Deiparæ intemeratæ, quin etiam gloriosorum Angelorum, & omnium Sanctorum, has quoque adorandas, & salutandas putamus. Qui vero ita non est animatus, sed eirca venerandarum imaginum adorationem laborat, & dubitat, eum anathematizat sancta & veneranda uostra Synodus, quæ efficacia divini Spiritus & ecclesiasticis Patrum traditionibus munita est, & cincta. Anathema autem istud, nihil aliud est, quam separatio a Christo. Si vero aliqui repugnaverint adversum ea, quæ statuta sunt, his non adhibentes fidem, sane contra stimulum calcitrant, & propriis animis injurii sunt. Nam & Christo adversan-

(*a*) *forte* vanam, *vel* novam. (*b*) 1. *Reg.* 20. (*c*) *Luc.* 14. (*d*) *Act.* 21. (*e*) *Hebr.* 11. (*f*) Nazianz. in orat. de Christi nativit. (*g*) *Genes.* 33. (*h*) *Genes.* 23. (*i*) *Gen.* 47. *Matth.* 4. *Deut.*

adversantur, & sycophantiis quæ adversus ecclesiam Dei exercentur, gaudent, ipsamque pietatem subvertere conantur: quare hæreticorum veterum asseclæ, socii, & contribules propter impietatem vere dicendi sunt. Nos autem fratres, & comministros nostros Dei amantes Episcopos, & cum his præsides, & clericos misimus, ut omnia quæ inter nos acta sunt, ad divinas aures vestras renuncient. Ad consignationem autem, & majorem certificationem eorum, quæ a nobis decreta sunt, & quo majestati quoque vestræ piissimæ satisfiat, auctoritates quasdam Patrum ex multis paucas subnexuimus, quarum splendore veritatis stabilimentum elucidari magis possit. Salvator autem omnium, & qui vobiscum regnat, Ecclesiæ suæ pacem pro præmio tribuat, vestrum autem imperium cum Senatu, & Ducibus, & fidelissimo militum exercitu, in multos annos conservet, & victoriam vobis concedat. Ipse enim dixit: (*a*) *Vivo ego, dicit dominus*: (*b*) *& glorificantes me glorifico*. Ipse est, qui accingens vos potentia, omnem hostilem impressionem a vobis auferet, obedientiam autem apud omnes conciliabit. Gaude igitur civitas, exulta nova Sion; (*c*) totius terrarum orbis veluti alta specula. Regnavit enim & illic David, & Davidice illam allocutus est: Dominus in medio tui, cujus nomen sit benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

Dei amantissimis sacerdotibus, & clericis sanctissimæ magnæ Dei ecclesiæ, & omnium ecclesiarum Dei colentis, & imperialis urbis, sancta Synodus quæ in Nicæa secundo congregata est.

CHristus Deus noster, vera veritas, Patris lumen, & splendor, qui e tenebris nos in mirandam suam lucem vocans, ex idolica insania nos liberavit, & nomina idolorum de terra delevit, ut nulla plane eorum sit posthac memoria, placitum sibi existimavit, pios, & in omnibus orthodoxos nostros fideles imperatores excitare, qui nos in splendidam metropolim Nicæam convocarent, ut novistis, quo dissidentia in unum per nos convenirent, & medius paries inimicitiæ sustolleretur, & vetusta ecclesia catholicæ legislationis auctoritatem obtineret. Igitur Spiritus sancti inspiratione in hoc ipsum convenientes, ejusdem cooperatione omnes in idem consensimus. Oriens, inquam, occidens, septemtrio, & meridies, in unam unionem, ut ita dicam, convenimus: sanctarum ecclesiarum pacificus status propter consentientem fidem, & sententias constitutus est: pedes enim nostros in rectam viam dirigens Dominus, truncum, qui ex zizaniis vetustæ, & improbæ hæreseos excreverat, funditus eradicavit. Ecce evangelizamus vobis in monte excelso stantes, ecclesiasticæ pacis gaudium, & celebrem festivitatem. Quid enim gratiosius est confidentis illius Isaiæ verbo: (*d*) *Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* Dignum autem fuisset & vestram devotam præsentiam rebus omnibus interfuisse, quo omnem a Deo electam nostram congregationem uno in loco inveniretis, & per Dei gratiam spectatores fieretis omnium, quæ acta sunt: ita & dissertationis vim quoque cognovissetis, quæ in confirmationem legalium ecclesiæ catholicæ traditionum, & destructionem eorum, qui insurrexerunt contra veritatem, & Apostolicas, & Patrum traditiones ab ecclesia catholica alienarunt, facta est. Sed quoniam inter nos, & vestram sanctitatem, & humidum iter est, & longa terrestris via; duabus rebus opus fuit, navibus scilicet, & jumentis, quibus deferri possetis. At quoniam utrorumque copiam non habentes, nobis corpore adesse non potuistis, certum est, vos mente & animo idem sentientes nobis adfuisse, quod sane ecclesiæ catholicæ magnum adjumentum existit. Quandoquidem autem inter nos membra sumus, habentia unum caput Christum Dominum nostrum, necessarium duximus omnem eorum quæ divine apud nos acta sunt seriem narrare: nam & linguæ res per litteras effari possunt, cæque ita subinde repræsentant omnia, quasi coram visa fuissent. Postquam igitur ex præscripto Patrum, & doctrina convenimus, omnes idem sentire cœpimus. Recordatique sumus carminis quod a Moyse factum est, & doctum: (*e*) *Interroga patrem tuum, & renunciabit tibi: quære seniores tuos, & dicent tibi*. Ita quoque & nos ecclesiasticæ ordinationi insistentes, neque quidquam illi adjecimus, neque etiam ademsimus, sed apostolice instructi, traditiones, quas accepimus, servamus, omnia scilicet suscipientes, quæ sancta catholica ecclesia & scripto & consuetudine admisit. Quorum de numero cum & venerandarum imaginum essent figurationes, de his peculiariter egimus. Rursus omnia quæ divini nostri Patres rejiciunt, ea quoque, & nobis indigna, & catholicæ ecclesiæ adversa, & hostica arbitramur, in quibus sane recensetur, & continuata vaniloquentia Iconoclastarum, & eorum qui falso Christianos accusant gangræna, hactenus ecclesiam depascens. Sed Deus Dominus noster eam in finem non sustinuit: nam postquam veritas detecta est, orthodoxa, & sincera fides omnibus resplenduit, mendacium cum tenebris sibi congenitis evanuit: nam si, ut ipsi asserunt, imaginum pictura idolis comparabilis existit, nostræ liberationis mysterium, quod Dei filius per suam in carne sine peccato præsentiam operatus est, vanum reputatur. (*f*) Quin etiam vanæ sunt prophetiæ promissiones, quarum quædam jubet nos eum adorare, & colere in sanctitate, & justitia omnibus diebus vitæ nostræ. Alia vero dicit: (*g*) *Surrexit tanquam ex somno Deus, tanquam potens a crapula vini; percussit inimicos suos, & dedit eis in posterum improperium sempiternum.* Si improperium sempiternum datum est inimicis nostris, hoc est, improbis potentiis per resurrectionem, quomodo rursus Christiani idolis serviunt? Vah eorum impietatem, & ruditatem. Utinam cogitassent illud: (*h*) *Qui scandalizat unum ex pusillis credentium in Christum, indignationem intolerabilem Dei incurrit*. Sed verbum Domini nihili fecerunt, ecclesiasticas traditiones cassaverunt, quam ob causam in nihilum rediget eos Dominus. Et cum Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinario, Nestorio, Eutychete, Dioscoro, Sergio, Honorio (*i*), & reliquis istis improbe sentientibus, conspiratio istorum connumerata est: nam horum stultitiam abstergentes, ipsi quoque stulta locuti sunt. Jam tamen funda veræ confessionis cum ipsis prostrati sunt, & acies eorum est dispersa. Non enim Deus in sæculum dimisit virgam

(*a*) 1. *Reg.* 2. (*b*) *Ibid.* (*c*) *Psal.* 45. (*d*) *Isai.* 52. (*e*) *Deut.* 32. (*f*) *Luc.* 1.
(*g*) *Psal.* 77. (*h*) *Matth.* 18. (*i*) Etiam & hic mentio de Honorio Papa, de quo nos alias.

gam eorum in sortem justorum, hoc est ecclesiæ: Judaice enim vana cogitarunt, & alteras in conciliabulo Judæ tulerunt: quare conciliabulum illorum Caiphaicum inventum est. Hoc enim contra Dominum conflatum est: sed Iconoclastarum adversus ejus imaginem illud conciliabulum, liberationem nostram per Christum factam, sibi, & aliis inscripsit. Hoc autem concilium profundum, non per Christum cœpit: confœderationes iniit, sed non per Spiritum illius, quia ornatum venerandorum templorum sustulit. In hoc conciliabulo nullus invenietur, qui imaginem (*a*) ad similitudinem Dei ferat, quia imaginem Domini, & Sanctorum illius ignominiose confringentes, igni tradiderunt. Hoc conciliabulum insania, & dementia occasionem dedit multarum, & satanicarum cædium. Hoc conciliabulum falso nomen sibi assumpsit, sacerdotale, & sacrum concilium: improba enim, & profana mente conflatum est. Hoc conciliabulum os habet intemperans: spiritu autem falso Christum, & veritatem simulavit, mendaciis vero in totum est confisum. Hoc conciliabulum catholica ecclesia tanquam zizania ex area dominica, hoc est, Ecclesia catholica extirpavit, & (*b*) sputo divini Judicii ejecit. Itaque ex ecclesia catholica ablatum est, & vafra ejus consilia redargutionem incurrere. Verum enim, & rectissimum ecclesiæ judicium innovari in se nihil patitur, neque ullam semel probatæ rei ablationem ferre potest. Nos igitur Patrum legibus insistentes, ab uno eodemque Spiritu gratia accepta, sine ulla novitia machinatione, & incontaminate cuncta ecclesiæ dogmata custodivimus, quemadmodum sacræ sex universales Synodi constituerunt. Et quæcumque in ecclesia honore affici jusserunt, sine omni controversia recipimus, e quibus est, ut antea diximus, Imaginum quoque apparatus. Quare eas honorabiliter adoramus, & salutamus: idem enim significant hæc duo verba. Quique eadem confitetur, hic catholicæ ecclesiæ verus, & germanus filius, & particeps illius existit. Cuncta itaque scandala abierunt, cuncta obscurata sunt. Veritas gubernat omnia, mendacium exterminatum est, seminator zizaniorum omnino defecit: frumentum, hoc est, devotus Christi populus, in unum horreum, nempe Christi ecclesiam, comportatum est. Orthodoxæ fidei lumen resplenduit, erroris tenebræ succubuerunt, mœror in gaudium versus est, luctus in exultationem commutatus est. Conversus est dolor noster in lætitiam, omnia in meliorem partem respexerunt. Quapropter & nos Apostolice vos alloquimur: Gaudete in Christo, gaudete. Terna gaudia Trinitas nobis peperit: quam decet omnis gloria, honor, & potentia in sæcula sæculorum. Amen.

Epistola Hadriani Papæ ad Carolum Regem de Imaginibus, qua confutantur illi, qui Synodum Nicænam secundam oppugnarunt, ex editione Severini Binii.

Dño Excellmo Filio nostroque spirituali compatri Carolo Regi Francorum, & Longobardorum ac Patricio (c) Romanorum Hadrianus Papa.

Dominus, ac Redemtor noster, qui provido suo consilio auctor est, dignatus est de Cælis ex sinu Patris descendere. . . . . Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Claves Regni Cælorum, & totius Ecclesiæ cura commissa est, Ipsi quippe dicitur (*d*) *Petrus amas me? Pasce oves meas.* Ipsi dicitur: (*e*) *Ecce satanas expetivit cribare vos, sicut triticum, & ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ipsi dicitur (*f*) *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam; & tibi dabo claves regni Cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælo; & quodcumque solveris super terram, solutum erit & in Cælo.* Ecce cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus committitur. Et ipse vices suas Vicariis (*g*) suis Pontificibus relinquere dignoscitur Ecclesiæ curam gerendi. Nam etiam claves Regni Cælestis accepit, & potestas ei ligandi, & solvendi tribuitur. Unde fiducialiter freti existimus, quod in vestra a Deo præfata Regalis excellentia erga ejus Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, & Nos, ut cœpit, usque in finem in amore, & dilectione fideliter extiterit, non solum eam ab omni peccati macula abluens eripiet, sed etiam in hoc mundo super omnes barbaras gentes cum ea committentes suffragiis suis victorias tribuet immensas, Insuper & Regnum Cælorum sine fine. Præterea directum a vestra clementissima præcelsa Regali potentia suscepimus fidelem familiarem vestrum, videlicet, Engilbertum Abbatem, & Ministrum Capellæ, qui pene ab ipsis infantiæ rudimentis in Palatio vestro enutritus est, & in omnibus consiliis vestris receptus, ut ideo, sicut a vobis in omni familiaritate recipitur, ita & a nobis reciperetur, & condecenter honoraretur. Unde pro nimio amore, quem erga vestram melliffluam gerimus Regalem excellentiam, sicut misistis cum nimio amore, dulcedinis eximiæ, eum suscipientes, prout voluit, & qualiter voluit, cum magna familiaritate nobis enarrantem; aure placabili, & mente benigna eum suscepimus, & quasi vestra corporali excellentia nobis narrante, nostrum ei patientius credidimus consilium, ad profectum sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, & vestræ a Deo protectæ Regalis potentiæ exaltationem. Inter quæ edidit nobis Capitulare adversum Synodum, quæ pro sacrarum Imaginum erectione in Nicæa acta est. Unde pro vestra melliflua Regali dilectione per unumquodque Capitulum responsum reddidimus, non quemlibet, absit, hominem defendentes, sed olitanam traditionem Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ tenentes priscam Prædecessorum nostrorum Sanctorum Pontificum sequimur doctrinam, rectæ fidei traditionem modis omnibus vindicantes.

Sequuntur mox variæ objectiones, ad quas omnes fuse, ac docte Pontifex ipse respondet, uti videre apud ipsum Binium superius laudatum, & apud Labbeum Tomo VIII. Conciliorum, ubi Epistola ipsa integra describitur. Nonnullas ex iis objectionibus jam nos superius confutavimus, tum Cap. II. post Historiam hujus Synodi, tum alibi. Vide Petavium, *De Incarnatione*, Lib. XV. Cap. XII.

(*a*) Pro, *ac*, vel *aut*. H. (*b*) ventilabro. (*c*) De Romano Patriciatu Caroli Magni videsis, quæ docte scripsit in egregio suo, *De Patriciis* Opere, Vir Clarissimus Octavianus Gentilius. (*d*) *Joannis* 21. (*e*) *Lucæ* 22. (*f*) *Matthæi* 16. (*g*) Vicarios non modo Christi, sed & Apostolorum Principis S. Petri dici olim consuevisse Romanos Pontifices, ostendimus in Commentariis ad Romanum Pontificalem.

HISTORIA
CONCILII GENERALIS VIII. CONSTANTINOPOLITANI IV.

I. LEone III. Pontifice Maximo, postquam Nicephorus Orientis Imperator, non sine divina ultione ob enormia sua ipsius scelera a Bulgaris misere trucidatus est, omnium Principum, ac Senatus, necnon Patriarchæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ consensu, anno Christi DCCCXI. III. Nonas Octobris cœpta jam a mense Septembri Indictione V. Michael Curopalates cognomento Rhancabenus, ejusdem Imperatoris Nicephori gener, vir multis egregiis virtutibus præditus, coronatus est Imperator, regnavitque magna cum laude biennium, donec Leo Armenus, cui Michael præfecturam Orientis crediderat, in suum Principem, ac benefactorem perduellis, Regnum invasit, ipsumque Michaelem haud sinens degere Constantinopoli, licet privatim inter Monachos profitentem, una cum conjuge ejus Procopia, Nicephori Augusti filia, & liberis relegavit in Insulam Protam, adjiciens ad crudelitatem, ut filios ejus Theophilactum natu majorem, & Ignatium, qui postea Sedem Constantinopolitanam ascendit, castrare jusserit.

II. Leo qua tyrannide, & nequitia Imperium invaserat, eadem administravit, hæresimque Iconoclastarum olim jam a Synodo VII. generali sopitam, atque damnatam, magna Ecclesiarum clade, & piorum omnium dira insectatione restituit, non minori rabie furens, ac rugiens, quam Leo ille Isauricus, a quo fuerat primum excitata. Sed exacto Imperii septennio, divina & ipse ultione interemptus est anno DCCCXX. a Michaele Balbo pariter Iconoclasta, cui post annos Imperii VIII. filius ejus Theophilus in Imperio, atque impietate successit, regnavitque XII. annis. Ergo anno DCCCXLII. ejus filius Michael hujus nominis III. adhuc admodum adolescens omnium consensu Imperii sceptra suscepit cum matre Theodora religiosa, virilisque animi femina, quæ filium Catholica religione imbuendum curaverat; tutoresque, ac curatores habuit ex testamento Patris Manuelem Magistrum, sive Militiæ Præfectum, & Theoctistum Magnum Logothetam, sive Cancellarium Imperii.

III. Horum consilio, atque opera divinitus promota paucos post dies factum est, ut publica disputatione habita de sacrarum Imaginum cultu, superatisque adversariis, Edictum promulgatum fuerit, quo cultui sacræ Imagines restitutæ sunt, Fideles ab exiliis, & carceribus liberati, & qui hæresim abjurare noluere, in exilium pulsi. Cum autem unus ex iis esset impius Joannes Pseudopatriarcha Constantinopolitanus, in ejus cum ignominia dejecti locum anno ipso DCCCXLII. continuo subrogatus est ingenti Orthodoxorum gaudio Sanctissimus Confessor Methodius, Presbyter doctrina, & moribus insignis, quem in Fide Orthodoxa invictum Michael Balbus in exilium damnaverat, quique munere Pastorali præclare quinquennio perfunctus ad Superos abiit, suffecto in ejus locum Ignatio Nicephori Augusti ex filia nepote, & Michaelis Curopalatis filio, qui, uti superius dictum est, Leonis Armeni tyranni jussu eunuchus factus, & insulam deportatus, in Monasterio Satyri appellato inclusus, eidem post egregia virtutum specimina præpositus Abbas fuerat. Tradit hæc pluribus quidem Joannes Curopalates nobilis Scriptor Græcus, & post eum alii complures: sed illa tamen de habita pro restitutione Imaginum disputatione, necnon de hæresis condemnatione, ejectioneque Joannis, ac subrogatione Methodii, nequaquam persunctorie facta esse, sed secundum Canones congregatam fuisse Synodum plurimorum utriusque partis Episcoporum, atque in ea mutante sententiam maxima hæreticorum parte, Nicænam II. Oecumenicam Synodum approbatam esse, in Oratione de Sancto Nicephoro Patriarcha tradit Theophanes Presbyter temporis hujus Scriptor Græcus.

IV. Ignatio Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinato Patriarcha anno Christi DCCCXLII. Orientalis Ecclesia & fidei sinceritate, & morum commendatione refulsit, tranquillaque pace multis annis potita est. Is inter alia sua egregia facinora, habita Constantinopoli Synodo anno DCCCLIV. impium Gregorium cognomento Arbestam, Syracusanum Episcopum seditionis, schismatis, aliorumque criminum reum convictum deposuit, ita tamen ut assensus Romani Pontificis requireretur: quo per Legatos a Leone IV. Papa, qui tunc temporis universam Ecclesiam Dei regebat, petito, distulit ille, donec pars altera audiretur; atque eodem interea decedente, anno scilicet DCCCLV. res ad successorem ejus Benedictum III. qui eodem anno creatus fuit Romanus Pontifex, delata est; qui cognitis cunctis, quæ spectarent ad causam, depositionem Gregorii anno DCCCLVI. confirmavit, dignumque judicavit, qui e munere Sacerdotali esset extorris, ut testatur Nicolaus I. Epistola VI. ad Photium, & Epistola X. ad Clerum Constantinopolitanum, confirmatque in Epistola sua ad Stephanum VI. Pontificem Maximum Stylianus Neocæsareæ Euphratesiæ Episcopus. Porro quod Orientalis Imperii pars adhuc Sicilia esset, & Constantinopolitano Patriarchæ parerent illius Provinciæ Ecclesiæ, ex quo illas cum omni Diœcesi Illyriciana Leo Isauricus a ditione Romani Pontificis abstraxerat, factum idcirco est, ut Ignatius Gregorium Syracusanum judicarit, deposueritque.

V. Depositus a suo Episcopatu Gregorius, dignitatis insignia servavit semper, patrocinante impio Barda, cui ut vicem referret, operam illi suam contra Ignatium pollicitus est. Erat Bardas infensissimo adversus sanctissimum Patriarcham animo, quippe qui pastoralis officii sui, & constantiæ specimen dederat, quum post sæpius a se frustra admonitum Bardam, ut a stupri consuetudine, quam repudiata uxore, cum propria nuru, gravi omnium scandalo, & offensione habebat,

bebat, desisteret, ad sacram Eucharistiæ Synaxim, solemni Epiphaniæ die anni DCCCLVII. ausum accedere, palam repulit, & ad pœnitentiam hortatus est. Ob censuram æquissimam Ignatio Bardas infensus, ulcisci se decrevit, atque ut Ignatium ob vitæ sanctimoniam perditissimo invisum Imperatori (qui jam anno DCCCLIV. amotis quos habuerat tutoribus, & matre piissima femina curatrice Imperii contempta, rerumque omnium administratione Avunculo Bardæ permissa, totum se ludis, aurigationibus, perpotationibus, omnibusque voluptatibus dederat, Neronis instar; effusæ in omnem intemperantiam libidini addens impietatem, qua rebus sacris illudebat, dum cinædos in honore habens, & sacras eos vestes induens, cogebat res divinas peragere, omnisque Pontificia munia in Religiosis contemtum publice etiam exercere) malis artibus apud ipsum velut reum Majestatis facilius traduceret, impio Michaeli adolescenti persuasit, ut matrem Theodoram velari juberet ab Ignatio, ne forte novum conjugium iniens, maritum ad Imperium, eo deturbato, provehere niteretur.

VI. Cum autem Augustam velari invitam recusaret Ignatius, maxime quod illi fidem solemni juramento, ut moris erat, obstrinxisset, postquam Patriarcha inauguratus est, hac accepta occasione Bardas Imperatori statim suggessit, Patriarcham Theodoræ Augustæ partibus addictum, cum ipsa res novas moliri: *Tunc Imperator*, ait Anastasius in Præfatione hujus Synodi, *aure tanti præstigii credulus, & iratus, Matrem cum sororibus tonsam Palatio pepulit, & Ignatium, schismaticorum, & Bardæ suggestione, a regimine Patriarchatus abegit, subrogatusque est pro eo præfati Bardæ favore Photius, probibentibus sacris Canonibus, & venerandis legibus, neminem ex laicali militia subito ad Sacerdotium promoveri*. Teste Niceta in S. Ignatii vita, Gregorius quidem Syracusanus Bardæ amicissimus, & S. Patriarchæ infensus, ut vicem eidem referret, non paucos Episcopos, quos aulæ pestilens aura afflaverat, cum traxisset in partes, Irregulari facto conventu, anno DCCCLVII. depositum dixit Ignatium, & Photium nobilitate alias insignem, Protospatarium dignitate, munere a secretis Imperatori primum, divitiis pollentem, scientiis secularibus disertissimum, atque etiam antiquis hac ex parte comparandum, sacrarum vero literarum expertem, hominem gloriæ appetentissimum Patriarcham renunciavit, inauguravitque sex dierum spatio, ad omnes Ordinum gradus ipsum promovens, prima scilicet die, quæ fuit vigesima mensis Decembris ejusdem anni, Monachum, altera Lectorem, tertia Subdiaconum, quarta Diaconum, quinta Presbyterum, sexta demum, quæ fuit vigesima quinta Decembris, Natali Christi Domini sacra Episcopum ordinans.

VII. Sua dejectus sede Ignatius, jussu Imperatoris, instigante Barda, in insulam Terebinthum relegatus fuit; sed cum Imperatori suggessisset deinde Photius, Ignatium in exilio res novas moliri, missique iccirco essent Satellites, qui ipsum longius deportarent, in Copronymi sepulcro inclusus, fœtore, & fame extinctus fuisset, nisi viri pii delusis, aut pecunia conciliatis custodibus, sanctissimum Patriarcham eduxissent. Mutatis subinde sæpius carceribus, & exilii locis, quasi nullus ad ipsum cruciandum satis asper crudeli Bardæ, & immiti Photio videretur, famem, verbera, dentium contusionem passus a barbaro milite, cum Episcopatus cessioni subscribere invicta constantia recusaret, in Mitylenem insulam onustus vinculis deportatus est. Cujus item amici, Præsules, Clerici, Monachi, aliique pii viri affecti pariter verberibus, aliisque cruciatibus, proscripti in diversa loca exules missi sunt. Basilio Carthophylaci Ignatii, ut alios omittam, amputata est lingua, quod sanctissimi Patriarchæ innocentiam libere tueretur, uti constat ex Libello Episcoporum Patribus hujus Synodi oblato, & Actione secunda relecto, ubi etiam multa alia dira supplicia continentur, quæ tum ipse Ignatius passus est a Photio, tum ei adhærentes Episcopi.

VIII. *His compertis*, inquit Anastasius, *cœperunt Metropolitani, inferioris Sacerdotii, vel ordinis Clerici, vel Laici, Pontificis sui tormentis compatientes, dejectumque dolentes, Rectorem sibi proprium reddi magnopere clamitare*. Videns autem Photius, quamplurimos adhuc stare pro Ignatio, persuasit Imperatori ministerio Bardæ usus, ut congregaret Synodum sibi seu spe præmiorum, seu exilii metu communicantium Episcoporum, ut hac arte Episcopos, atque populum ab ejus affectione, & communione divelleret: *Quod Photius sentiens, persuaso Imperatore, subministrante Barda, congregavit Concilium quorumdam Episcoporum, adulatione sibi, vel timore faventium, & eumdem Ignatium deposuit, & anathemate perculit, populum ab eo per hoc tanquam a damnato scindere sperans*. Verum cum & hoc peracto permulti nihilominus adhærerent Ignatio, eumque ut legitimum Patriarcham venerarentur, consilium, ait Nicetas, iniit Photius legationem mittendi ad Nicolaum Romanum Pontificem, qui defuncto Benedicto III. anno DCCCLVIII. in ejus locum suffectus fuerat, petendique, ut ipse Constantinopolim Legatos mitteret, specie quidem ad extirpandam hæresim Iconomachorum, quæ iterum reviviscere videbatur, re vera autem ut ab iisdem Legatis extorqueret confirmationem depositionis Ignatii, suæque in Sedem Patriarchalem intrusionis. Literis, quas ad Pontificem direxit Photius, Fidei professionem inseruit, ajebatque inter alia mendacia, Ignatium senio, & morbo confectum se Patriarchatu abdicasse, suoque in Cœnobio commorari, & a Principibus, populoque, & tota Ecclesia, omni honore, & officio coli: se vero, secedente Ignatio, electum omnium Metropolitanorum, totiusque Cleri suffragiis, vimque ab Imperatore sibi factam, ut Patriarchalis Throni fastigium ascenderet. Scripsit præterea ad Papam Imperator, misitque multa pretiosissima sacra munera ad S. Petrum: legationis autem suæ occasionem prætexuit causam sacrarum Imaginum, ut nimirum sua auctoritate Pontifex pullulantem rursum Iconomachorum errorem evelleret.

IX. Auditis Imperatoris, Photiique Legatis, Nicolaus Pontifex, *licet hucusque versutiarum Photii, atque gestorum ignarus*, uti Anastasius scribit, *pene cuncta, quæ ab eo acta fuerant, sagaci deprehendit acumine; & non Ignatium, ut Photius postulaverat, sed potius ipsum Photium repulit; verum tramitem justitiæ sequens, misit Constantinopolim missos, Radoaldum scilicet Portuensem, & Zachariam Anagninum, Episcopos*. Mandavit his itaque Pontifex, ut redivivam de cultu sacrarum Imaginum quæstionem secundum Septimæ Synodi Decreta definirent, atque Icono-

machorum reliquias Auctoritate Apostolicæ Sedis comprimerent; causam vero *Ignatii Patriarchæ diligenter investigarent, & Sedi Apostolicæ plenis, ac veracibus referrent indiciis*; quia scilicet e majoribus Ecclesiæ causis depositio Episcoporum erat, ideoque ultimum ejus rei judicium sibi reservavit Pontifex. Præcepit etiam Legatis, ne cum Photio, *nisi quasi cum laico* communicarent, ut ipse testatur in Epistola I. ad universos Catholicos, & Epistola x. ad Episcopos Diœceseos Constantinopolitanæ. Scripsit præterea per ipsos Legatos suos ad Photium, & ad Michaelem Imperatorem, & in Epistola quidem ad Photium, quæ incipit, *Laico omnis utilitas, & profectus animarum*, ejus Ordinationem contra Canones factam ratam se habere non posse significat, donec per Legatos certior factus sit de ejus fide, ac gestis. In Epistola autem ad Imperatorem, quæ incipit, *Principatum*, improbat I. exauctorationem Ignatii Patriarchæ *sine Romani consultu Pontificis* factam. II. consecrationem Photii ex ordine Laicorum assumti, in qua violatos Canones Sardicenses ostendit, & Decreta Romanorum Pontificum Cælestini I. Leonis I. Gelasii, & Hadriani I. conculcata. III. decernit, ut sistatur coram Legatis Apostolicis, & universa Synodo Ignatius, ut inquiratur, quam ob causam Episcopatu cesserit, & utrum in ejus depositione Canonum tenor fuerit servatus. IV. traditionem de sacrarum Imaginum veneratione a decessoribus suis confirmatam exponit. V. Diœcesim Illyricianam a Leone Isaurico distractam, Syracusani Archiepiscopi consecrandi libertatem, & patrimonia in Sicilia, & Calabria constituta, Romanæ Ecclesiæ reddi jubet. VI. Rogat, ut Legatos Apostolicæ Sedis honorifice, & benigne suscipiat.

X. Datæ sunt Nicolai Papæ litteræ die xxv. Septembris anno DCCCLIX. Constantinopolim autem cum pervenissent Legati, ubi innotuit, Nicolaum Papam haud probasse Ignatii ejectionem, & Photii subrogationem, minus digne suscepti sunt, nec per centum dies cum ullis aliis loqui permissi, quam cum eis solis, quos ad ipsos mittebant, ut ipsis exilii, famis, pædoris minas intentarent, nisi ratam haberent Ignatii exauctorationem, & Photii ordinationem. Testatur id quidem Nicolaus ipse in Epistola VI. quam postea ad Photium dedit; eam vero inhumanitatem non tam Imperatori adscribendam esse, quam perfido Bardæ, & Photio Schismatico, Scriptores Græci omnes consentiunt. Imperatore enim ludis circensibus, & ebrietatibus intento, duo ipsi omnia gerebant, potentissimi ex propinquitate affinitatis cum Imperatore. Minis itaque Legati concussi, & muneribus etiam illecti ministerium suum fœda proditione dehonestarunt, & Photio favorem omnem polliciti sunt. Tum convocata Synodo in Templo Apostolorum anno DCCCLXI. adfuit, imo præfuit Imperator, cujus ad nutum gerebantur omnia, prout suggerebat Photius, quamvis Legatis Apostolicis inane Præsidum nomen, & umbra quædam relicta esset, ut Oecumenicæ Synodi speciem haberet aliquam Latrocinale istud Conciliabulum. Ingens erat Episcoporum Photio adhærentium numerus, adeo ut gloriatus sit Imperator, Nicænæ Synodo non plures interfuisse, ut refert laudatus Nicolaus Papa in Epistola v. Cum autem Legati Apostolicæ Sedis literas Nicolai tradidissent, ut secundum Conciliorum morem legerentur, Photius multa in iis immutavit, mutilavit, suppressit; maxime quæ ipsius intrusionem, & violentam Ignatii depositionem perstringebant, cujus causam suo judicio definiendam reservabat Pontifex; istiusque interpolationis probationes affert idem Nicolaus in Epistola sua IX. ad Michaelem Imperatorem.

XI. Revocatus ex suo exilio Ignatius Synodo se sistere Legatorum Apostolicorum nomine jussus est; ubi rursum falso accusatus, quod contra Canones favore Principum Constantinopolitanam Ecclesiam obtinuisset, rursum damnatus est, ac solemni ritu Indumentis Pontificalibus exutus, atque exauctoratus; Photiusque in Sede confirmatus. Nefarii facinoris ministrum se præbuit Subdiaconus ob vitia olim depositus, nomine Procopius, qui Pallium, ceterasque vestes sacras Pontificales insonti Patriarchæ detrahens, impie verbum illud proclamabat, in depositione Episcoporum jam olim quoque dici solitum, *Indignus*, similique vociferatione suffragabantur, Zacharias, & Rodulphus Apostolicæ Legationis prævaricatores, aliique homines perditi, & corrupti. His nec satis contentus Photius dirissimis suppliciis S. Patriarcham Ignatium vexari curavit; cumque etiam vellet eum cogere, ut in Ecclesia publice in Festo Pentecostes profiteretur, se non Canonice electum, seque non sancte, sed tyrannice Ecclesiam rexisse, Ignatius vilem a servis sumpsit vestem, & deceptis custodibus profugit; appellaverat tamen jam ante fugam una cum aliis Episcopis, & Archimandritis ad Romani Pontificis judicium, tamquam *Præsidis, & Patriarchæ omnium Sedium, & Principis Apostolorum successoris, & universalis Papæ*. Missus fuit appellationis libellus ad Nicolaum Papam per Theognostum olim Exarchum, postea Monachum; sed cum hic serius Romam venisset, quam Legati Pontificis redeuntes in Urbem, non potuit Nicolaus nisi sero de veritate rerum gestarum certior reddi, quod Legati ipsi Constantinopoli a Photio, & Barda corrupti, cuncta mendaciis obvolverent. Porro in memorata latrocinali Synodo, ubi contra jus, & fas omne exauctoratus fuit Ignatius, habita est pro Imaginum Actio altera; unde hanc Synodum Græci *primam, & secundam Constantinopolitanam* vocarunt, uti apud Zonaram, & Balsamonem videre est. Ut vero non Fidei solum, sed & disciplinæ Ecclesiasticæ consuluisse Photius videretur, decem & septem Canones in ea condi curavit, quos etiam Nomocanoni suo inseruit.

XII. Legati Apostolicæ Sedis, post quos statim Leo Michaeli Imperatori a secretis, ejusque ad Nicolaum Pontificem Orator profectus est, Michaelis, Photiique literas deferens, ubi anno DCCCLXII. Romam rediere, nihil aliud Pontifici retulerunt, nisi depositum Ignatium, & in Sede Constantinopolitana firmatum Photium. Ubi hæc audivit Pontifex, sagacis ut erat ingenii, intellexit plane, Legatos suos in contrarium vertisse omnia, quæ ipsis fuerant imperata, cum Photio communicasse, & Ignatii exauctorationem suis suffragiis confirmasse. Quamquam vero alia parte Orator Imperatoris, cum literas illius Nicolao obtulerit, quibus ipsum Papam rogabat, ut Ignatii depositioni, & Photii confirmationi subscriberet, tum Photii literas, quibus inter alia mentiebatur, se invitum, & reluctantem in Sede Patriarchali constitutum fuisse, inaugurationemque suam, Nectarii, S. Ambrosii, Tharasii, & Ni-

Nicephori tueri conabatur exemplis, hallucinari haud potuit his dolis Pontifex perspicacissimus, & sancti Spiritus lumine afflatus, convocataque idcirco Synodo ex Episcopis multis Occidentalibus Romam vocatis, & omni Clero Ecclesiæ Romanæ præsente præfato Imperatoris Oratore, numquam se pro dejectione Ignatii, vel consecratione Photii misisse, aut missurum esse; numqoam se Ignatii depositioni, & promotioni Photii consensisse, aut aliquando consensurum, publice ac palam contestatus est. Mox Zacharias Legatus prævaricationem confessus depositus est; Radoaldi vero causa, qui in Gallia morabatur, alteri Synodo reservata. Similia enim avaritiæ facinora etiam in Gallia Legatus iste patrarat, ideoque Apostolicæ Virgæ metu latebat, errabatque per varias regiones, & inauditum damnare justissimus nolebat Pontifex. Constant hæc quidem ex variis Nicolai I. Epistolis, nempe VII. X. & XIII. Quod autem Oratorem Imperatoris spectat, remisit illum Pontifex Constantinopolim cum literis tum ad Imperatorem, tum etiam ad Photium scriptis, quibus aperte improbavit Ignatii ejectionem, ejusdemque Photii promotionem. Extat & Nicolai Epistola ad omnes fideles ordine IV. qua docet Orientalem Ecclesiam, Ignatium a Legatis Sedis Apostolicæ depositum, & Photium sobstitutum.

XIII. Pervenit tandem Romam Theognistus Ignatii Legatus, cum appellationis libello, ex eoque de tota serie causæ Ignatii, ac Photii certior Nicolaus Pontifex factus, anno CCCCLXIII. Synodum Romæ celebravit, in qua lata est sententia damnationis in Photium, qua omni sacerdotali honore, & nomine exutus est, eique sub anathemate interdictum, ne sacris ultra se ministeriis ingereret, aut Ignatium legitimum Patriarcham exturbaret. Meminit hujus quidem Synodi laudatus Pontifex in literis ad Ignatium scriptis, sic inter alia inquiens: *Præterea Photio dignitatem abrogavimus, denunciavimusque, ut, si post damnationem istam Thronum Constantinopolitanum denuo audeat adscendere, aut tibi, quo minus ad tuam sedem redeas, impedimento sit, aut sacra contingere tentarit, anathema sit.* Loquitur ex quarto Canone Concilii Antiocheni anni CCCXLI. ubi de Episcopis, aut Presbyteris, Diaconisque depositis, & ministrare audentibus, ita cautum fuit: *Siquis Episcopus damnatus a Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus a suo Episcopo, ausus fuerit aliquid de ministeria sacro contingere, sive Episcopus, juxta præcedentem consuetudinem, sive Presbyter, aut Diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis.* Latam licet iniquam sententiam Canon per ejusmodi præsumtionem, facit transire in rem judicatam, privatque remedio etiam appellationis.

XIV. Sed ut hujus Nicolai Papæ Synodi Acta prosequamur, in hac etiam Synodo iterum damnatus est Gregorius Syracusanus, Photii ordinator, schismaticus & dodum ab Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, & Benedicto III. Papa, omni Sacerdotali ministerio ita exutus est, ut ei spes restitutionis, aut satisfactionis locus in qualibet alia Synodo interclusus sit, & denunciatum anathema, si munia aliqua Sacerdotalia obiret, vel contra Ignatium turbas excitare pergeret. Omni etiam Clericali officio hac in Synodo privati sunt, qui a Photio fuerant ordinati. In pristinum gradum restitutus est Ignatius, imo numquam fuisse depositum, vel anathematizatum pronunciatum est. Restituti quoque in gradus, sedesque suas, qui in odium Ignatii fuerant depositi, & in exilium missi: *Pariter etiam Gregorium Syracusanum, a quo Photius ordinatus est, anathemate percellimus, si post hac sacra quæcumque administraverit. Præterea quoscumque Photius sacris initiavit, gradu Clericorum omni privamus, ac dejicimus..... Te autem auctoritate supremi Judicis Domini Dei Salvatoris nostri, nec depositum, nec anathemate vinctum unquam fuisse declaramus.* Et paucis interjectis, quibus ait, eum qui huic sententiæ repugnaverit, aut se a communione Ignatii separaverit, aut denuo adversus ipsum sine Apostolicæ Sedis auctoritate sententiam tulerit, si Clericus fuerit, omni honore, & dignitate privari, si vero Laicus, æterna benedictione carere, & nisi resipuerit, anathemate quoque feriri, ita subjungit: *Episcopos vero, quicumque tui causa exulant, aut salia suo, honoreque privati sunt, sedibus suis, & dignitati restitui jubemus.* Et iterum: *Siqui vero per criminationem sunt ejecti, illos ad suas revocandos Ecclesias statuimus, causamque eorum ad Tribunal Romani Pontificis decidendam.* Ex quo addiscimus, Episcoporum ad alienos Patriarchatos spectantium causas, etiam in prima instantia posse Romam vocari. Rodoaldi tandem prævaricatoris, & contumacis legati, qui Synodi examen fugerat, conclamatam esse in hac Synodo damnationem, perpetuæque ipsum depositioni, uti jam actum fuerat de Zacharia altero Legato, subjectum, constat ex aliis Nicolai Papæ Epistolis, & ex libello Synodico, in quo Romana hæc Synodus recitata est.

XV. Memoratæ Nicolai Papæ Synodi sententiis nequaquam Photius acquievit, etenim, ut inquit hujus Constantinopolitanæ nostræ Synodi Encyclica Epistola, *ad Beatissimum Papam Nicolaum Epistolas, & Legatos sæpe mittens, & hunc Judicem suum eligens, & proponens, & omnia quæ pertinebant ad justificationem sui, & ad sanctissimi Patriarchæ condemnationem, sicut voluit ipse, sine impedimento dixit.* Testatur idipsum Nicolaus in literis suis ad omnes fideles, inter alia sic inquiens: *Non ita pridem ad nos venit Palatinus Spatharius cum Imperatoris Epistola, qui gloriabatur ab Imperatore Synodum adornari, eo quod nos factam Ignatio injuriam noluerimus approbare.* Fuit is alter Legatus ab Imperatore missus nomine Michael, dignitate Protospatharius cum Epistola contumeliosa, qua Papam urgebat, ut sententiam mutaret. Verum nihil de constantia Apostolica remittens Pontifex, nihil de Ecclesiasticæ disciplinæ studio, gravissimam ad Imperatorem Epistolam scripsit, qua ipsum ad justitiæ tramitem revocaret. Hæc inter Epistolas ejus VIII. numeratur, in qua multis ostendit, depositionem Ignatii esse nullam, postquam illum primo reprehendit, de injuriosa Epistola, Sacerdotibusque honorem impendendum docuit Scripturæ sacræ verbis, & Constantini Magni exemplo. Sed audiamus quid de hac altera Imperatoris Legatione, ac de Epistola injuriis referta ad Pontificem Romanum scripta, Romanus ipse Pontifex Nicolaus inquit in Epistola LXX. ad Episcopos Gallicanos: *Reverso Leone a secretis Constantinopolim, Michael Imperator comperiens per Epistolam nostram, quam per ipsum transmisimus, quod nec depositionem Ignatii, nec promotionem Photii suscepissemus mox quemdam Legatum suum Michaelem Protospatharium*

tharium cum Epistola injuriis plena ad nos direxit, & ut sententiam nostram ad ipsius votum commutaremus, vehementer hortatus est. At vide prudentiam, ac zelum Romani Præsulis: *At nos injurias quidem nostras non curantes, licet circa Ecclesiæ injurias non tacuissemus, scripsimus Epistolam nostram, & hac indictione quartadecima prædicto Imperatori per jam nominatum Michaelem Protospatharium Legatum suum direximus, tam videlicet a nostra Ecclesia falsas objectiones repellere cupientes, quam ipsum Imperatorem cum sequacibus suis super hoc negotio ad rectum justitiæ tramitem perducere anhelantes.*

XVI. Photius præterea de his, quæ in recitata Nicolai Papæ Synodo contra ipsum decreta fuerant, certior factus, actusque in rabiem, quod plebs fidelis ab ejus communione turmatim discederet, diram persequutionem in Catholicos Ignatianæ, & Romanæ communionis excitavit. Rem narrat Anastasius in historica hujus nostræ Synodi Præfatione, sic dicens: *Alios quidem privatione honorum, ac dignitatum, alias vero proscriptione facultatum damnat; hos exilio longo, & carceribus relegat, illos tormentis diversis afficit; atque ut breviter omnia comprehendantur, nulla professio, sexus, vel ætas ab eo impunita deseritur, nisi consors suæ communionis inventa: adeo ut communionem ejus declinantium nonnullos, quibusdam exceptis, qui contemplationi operam dantes, clausi habebantur, abstraxerit; alios vero in monte Olympo Eremiticam vitam ducentes fugaverit, eorumque tuguria, seu speluncas igni perdiderit: quemdam autem sibi communicare renuentem etiam vivum ex inferiori parte, usque ad dimidium corporis sepelierit.* Facinora hæc plane sunt, quæ æquari haud dubie possunt crudelitati Neronis, Decii, Diocletiani, aliorumque veterum persequutorum Christianæ Religionis. Agebat autem eam sævitiam Photius, quod cum eo impius Bardas, & nequissimus Michael Imperator in omnibus adniterentur.

XVII. Prorupit rursus eo audaciæ ac vesaniæ Photius, ut congregato Conciliabulo, cujus se Michael Imperator Præsidem gessit, subornatis impostoribus, qui se Vicarios, ac Legatos Orientalium Patriarcharum mentiti sunt, accusatoribus, testibusque pecunia redemptis, confictis crimina sanctissimo Pontifici Nicolao impegerit, eumque anathemate damnaverit; cum tamen nullum prorsus consentientem sibi reperisset, præter unum & viginti, eosque fautores acerrimos ipsius impietatis, reclamantibus ceteris omnibus, non posse Summum Pontificem ab inferiori judicari: *Quod horribilius est*, verba sunt memorati Anastasii, *Conciliabulum præsidente Michaele Imperatore colligit, falsos homines quasi Vicarios Orientalium sedium format, accusatores muneribus armat, & mendaciis construit, testes eos adsciscit, quos & accusatores opponit. Judices nonnunquam & in accusati personam admittit, excessus quosdam quasi præfati Summi Pontificis fingit, impingit, & sicut putabat, damnatione simul, & anathemate punit, cunctis qui aderant, exceptis perpaucis, & his fautoribus impietatis, clamantibus, non esse justum, in Summum, & primum Pontificem, & præcipue ab inferiori quomodolibet sententiam proferendi; cum id nec Canon quisquam admittat, nec aliqua Ecclesiæ consuetudo fieri deceat.*

XVIII. Ut autem huic Conciliabulo suo improbus Photius majorem auctoritatem conciliaret, quo incautis, ac simplicibus imponeret, conscripto Codici, calumniis adversus Romanum Pontificem scatenti mille circiter Episcoporum ementitas subscriptiones interseruit. Quo vero omnes quocumque modo ad se attraheret, Edictum ab Imperatore obtinuit, quo vetitum erat, ne qui eleemosynas suas erogaret, nisi per Photii manus, quem Testamentorum omnium velut generalem executorem constituit. Usus autem hac fraude est Photius, tum ut eleemosynas ipsas erogando, putaretur proprias distribuere facultates, sicque munificus ab omnibus haberetur; tum ut saltem per hoc omnes ei cogerentur communicare, ubi sciebant haud posse animarum suarum remedia, nisi per manus ejus operari. Testatur id quidem ipse Anastasius, sic dicens: *Verum iste falsarius falsorum excessuum adversus insontem, absentem, & invictum, mendacem Codicem compilat, mille circiter Antistitum subscriptiones falsas interserit, sive nemine prorsus consentiente, vel conscribente ex illa numerosa Episcoporum multitudine, nisi una & viginti Præsulibus. Unde jam persusius sancti habitus Viri eum fugiunt, & quasi squalorem quemdam declinant, alterum Dioscorum hunc appellantes, & præcursorem Antichristi, imo ipsum Antichristum existimantes, quem scilicet hominem peccati, filiumque perditionis Apostolus appellasset, qui profecto extolleretur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Alludit ad locum Pauli in Epistola II. ad Thessalonicenses, & addit: *Ceterum construit & aliam technam hic perversorum dogmatum cultor, & persuadet Imperatori, præcipere, neminem testamentum facere, vel per alterius, nisi per Photii manus, suas eleemosynas erogare: quod non ob aliud adinvenit inventor malorum, nisi, ut cum acciperet, & erogaret substantias divitum, proprias a minus curiosis erogasse putaretur, ac per hoc a cunctis quasi dapsilis, & munificus ornaretur; simul etiam, ut saltem per hoc omnes ei coacti communicarent, quandoquidem conspicerent, nec ipsa se animarum suarum remedia posse, nisi per manus ejus, saltem in mortis articulo positos operari.* Addit & alias Anastasius Photii fraudes, quibus homines ad se attrahere conabatur. Sed de his alias.

XIX. Spectant ad hujus Conciliabuli Acta Encyclicæ litteræ, quas Photius omnium scelestissimus ad Patriarchas, & Episcopos Orientis dedit, calumniis in Ecclesiam Latinam scatentes, quibus eos ad Pseudosynodum suam vocabat, in qua errores varii, quos eidem sanctæ Ecclesiæ improperat, & quibus imbutam a Prædicatoribus & Legatis Apostolicæ Sedis Bulgarorum gentem recens conversam asserit, damnentur, ac deliberetur de remedio, quo tam grave malum cohiberi possit. Calumniarum, atque errorum capita quos in ipsis Encyclicis literis contra Latinos recensebat Photius, hæc sunt. I. quod contra Ecclesiæ Canones illicite Sabbatis jejunent. II. quod primam jejunii quadragesimalis septimanam a reliquo jejunio discerpentes, in lactis potionem, casei esum, & similium ingurgitationem traxerint. III. quod Sacerdotes legitimo conjunctos Matrimonio ab uxoribus abstraxerint, eisque continentiæ jugum imposuerint. IV. quod Chrismate inunctos per Sacerdotes denuo inungere non dubitaverint, cum se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum Chrisma inutile quiddam, ac frustra

stra factum comminiscerentur. V. quod sanctum & sacrum Symbolum, quod ab omnibus Oecumenicorum Conciliorum calculis confirmatur, & vim obtinet irresistibilem, sensibus spuriis, verbis adscititiis conati sint adulterare, Spiritum Sanctum novo more commenti, non de solo Patre, sed etiam Filio procedere. Hæc tantum capita habent encyclicæ ipsæ Photii literæ; ceterum & alia Photium, ejusque asseclas contra Romanam Ecclesiam effutiisse, docet Nicolaus Papa in Epistola sua LXX. ad Hincmarum, & Gallicanos Episcopos data, qua illos hortatur, ut Ecclesiæ laboranti succurrerent, & Græcorum calumnias refellerent.

XX. Sed audiamus quæso alia illa Græcorum commenta, quæ in ipsa Epistola recenset Nicolaus Pontifex: *Conantur*, inquit, *tam nostram specialiter, quam omnem generaliter, quæ lingua latina utitur, Ecclesiam reprehendere, quod jejunemus in Sabbatis; quod Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus; & insimulare tentant, quoniam eosdem Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus. Quod tamen Chrisma nos ex aqua fluminis conficere falsiter arbitrantur*. Additque mox statim: *Reprehendere nihilominus moliuntur, eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, & septem hebdomadibus a casei, & ovorum esu, more suo non cessamus. Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur, agnum in Pascha more Judæorum super altare pariter cum Dominico corpore benedicere, & offerre. Quin & reprehendere satagunt, quia penes nos Clerici barbas suas radere non abnuunt. Et quia Diaconus non suscepto Presbyteratus officio apud nos Episcopus ordinatur*. Aliam præterea Græcorum Schismaticorum vesaniam in ipsa Epistola exaggerat Pontifex, quod scilicet libellum, sive professionem Fidei a Sedis Apostolicæ Legatis exigerent, qua tum ista Capitula, tum ea tenentes anathemate damnarent; & Epistolas Canonicas Photio ceu Oecumenico Patriarchæ inscriptas. Sua tandem hac Epistola Hincmaro Remensi Nicolaus jubet, ut cum ipsam legerit, eam ad alios Archiepiscopos deferendam curet, qui cum Suffraganeis suis hac de re conferant, & Sedi Apostolicæ ea, quæ repererint, suggerant.

XXI. Paruit Pontifici Hincmarus, teste Flodoardo Lib. III. *Historiæ Remensis*, Capite XVII. aliique Galli jussa Nicolai exequuti sunt, Græcorum objectis egregie respondentes, eorumque meminit Natalis Alexander in Historiam Ecclesiasticam Seculi IX. & X. Dissertatione IV. §. VIII. ubi etiam post Baronium, & alios doctos Scriptores scitissime observat, Articulos quos Græci objiciebant Latinis, quosdam esse meras calumnias, quod nimirum aqua pro Chrismate uterentur; quod imperando cælibatum sacris ministris, nuptias damnarent: quod super Altare agnum una cum corpore Christi offerrent. Alios ait meram spectasse disciplinam, quæ, salva fide, varia in Ecclesia esse potest, scilicet majorum Clericorum cælibatus; casei, & lactis usus in quibusdam Ecclesiis Occidentis tempore Quadragesimæ; rasura barbæ a Clericis usurpata. Alios tandem non modo nulli esse reprehensioni obnoxios, sed laudem mereri, ut assertio Processionis Spiritus Sancti a Patre, & Filio, & additio vocis, *Filioque*, ad Symbolum: iteratio confirmationis a Presbyteris collatæ citra dispensationem Ecclesiæ: negatio libelli Fidei Constantinopolitano Patriarchæ ab Apostolicæ Sedis Legatis. Fuse de hisce articulis agit inter alios Lupus eruditissimus Tom. III. Operum editionis Venetæ in celebri Dissertatione, *De octava Synodo Generali*, Cap. V.

XXII. Articulis itaque hisce omissis, quos præter memoratum Lupum confutant Baronius, ad annum DCCCLXVII. Allatius in Libro, *De consensione Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis*, laudatus Alexander in fine partis secundæ Seculi IX. & X. ut nostram Historiam prosequamur, interimitur tandem anno DCCCLXVII. Nicolai Papæ, X. & ultimo, jussu Michaelis Imperatoris, Deo ultionum permittente, impius Bardas a Basilio Macedone, quem Michael ipse, ut Scriptores Græci apud Baronium narrant, cum solus Rempublicam administrare non valeret, legitimaque careret prole, in filium sibi adoptavit, atque ex Cubiculi Præfecto in Imperii societatem adscivit, a quo etiam non multo post infelicissimus Michael trucidatus fuit. Rem ita narrant apud eundem Baronium Auctores Græci. Cum Basilios nuper creatus Imperator Michaelem a pravis suis, & execrandis facinoribus, nec non a crudelitate, prodigalitate, & ebrietate abducere conaretur: non ferens ille ejusmodi objurgationes, deque Basilio occidendo cogitare incipiens, primo Basilicinum quendam regii dromonis remigem purpura ac diademate indutum, Imperatorem creavit, deinde persuasit aulico cuidam, ut in venatione tamquam feram impetiturus, Basilium hasta transfigeret. Sed cum aberrasset, cautior Basilius factus, vidensque alia Michaelem in se, ac populum moliri, cum enim vino se obruisset aliquando, alii nares, alii aures, oculos alii, aut integrum caput auferri jusserat, de aliis æque & de se ipso sollicitus, consilio cum quibusdam communicato, eundem Michaelem somno vinoque sepultum in Palatio ad S. Mamantis ædem extructo per conjuratos adjutores occidit die XXIV. Septembris. Atque hæc quidem Curopalates, Zonaras, Cedrenus, & alii. Guilelmus Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius in Vita Adriani II. Papæ, ab Eunuchis interemtum scribit, dubiumque esse ait, an Basilii voluntate.

XXIII. Utut ea res fuerit, Basilius ubi solus Imperio potitus est, *postero die*, ut inquit Nicetas in Vita S. Ignatii, *quam renunciatus erat Imperator, Photium e Throno deturbatum in Cænobium Scepen appellatam ejecit*. Et paulo inferius: *Tunc vero Basilius Imperator adductum in Magnauræ palatium Ignatium, silentio indicto multis laudibus cohonestavit. Dies erat Dominica, tertia & vigesima Novembris, quo etiam anni tempore prius in exilium pulsus erat, qui Dei præsidio, & clementia fretus per annos undecim perfectam ex virtutis certamine lauream adeptus, Ecclesiæ suæ Throno restituitur*. Post hæc Basilios ipse Imperator, & Ignatius Patriarcha, & Photius quoque Legationem ad Nicolaum Pontificem destinarunt, ut scribit Anastasius in sua ad hanc nostram Synodum Præfatione: *Mittitur Romam*, inquit, *a parte quidem Ignatii Joannes Metropolita Sylei, qui & Perget Pamphiliæ præerat Ecclesiæ: a parte vero Photii Petrus Metropolita Sardensis, qui contra Ignatium cum jam memorato Gregorio* (Syracusano Episcopo) *auctor fuerat*

Ec-

Ecclesiasticæ scissionis. Porro a Principe destinatur regius Spatharius Basilius nomine, qui inter utramque partem coram Sede Apostolica medius haberetur, & fidelis eorum, quæ Sedes eadem decrevisset, auditor, & nuncius. Sed Petrus Metropolita Sardensis ex his Legatis unus in itinere diem suum obiit, dum scilicet, *nova navi, & quam ipse sibi eligerat, veheretur, naufragium simul, & mortis periculum pertulit. Et qui navim Christi, hoc est Ecclesiam sciderat, navis suæ scissionem non inconvenienter incurrit*; ut idem Anastasius testatur. Ceterum quod Zonaras scribit, & ante ipsum Symeon Logotheta, & Georgius Monachus Scriptores Græci, ejectum a Basilio Photium, quod is illum homicidii redargutum communione privasset, impudentissimum est mendacium, refelliturque ex Epistola, quam Ignatius scripsit ad Nicolaum Papam, in qua se ab Imperatore in Sedem Constantinopolitanam restitutum scribit, in executionem sententiæ ab ipso Pontifice latæ: *Nam divinitus evectus Imperator noster*, ait, *ut fidelissimus filius vester, tuæ sanctitatis sententiam, & decretum exequutus, utrumque, me inquam, & Photium pro æquitate causæ tractavit.* Idipsum constat ex Niceta in Vita ejusdem Ignatii, ex epistola Basilii Imperatoris Actioni III. hujus Synodi inserta, atque ex Epistola Adriani II. ad Basilium Imperatorem data.

XXIV. Jam alii Legati ab Imperatore, & Ignatio ad Nicolaum Pontificem missi Romam incolumes pervenere; sed cum laudatus Pontifex die XIII. Novembris, memorati superius anni DCCCLXVII. jam ex hac vita ad meliorem migrasset, in ejusque locum suffectus esset Adrianus II. die XIV. Decembris ejusdem anni, huic Pontifici eorum a quibus mittebantur Epistolas ac dona obtulerunt. Is autem statim atque Basilii Imperatoris, & Ignatii Patriarchæ literas legit, Synodum in Basilica S. Petri congregavit, de qua loquuntur laudatus Anastasius in præfatione hujus Oecumenicæ VIII. Synodi Constantinopolitanæ, & Guilelmus Bibliothecarius in Vita ejusdem Adriani, & cujus Acta inserta sunt Actioni Septimæ ejusdem octavæ Synodi Oecumenicæ. Porro Synodo Romanæ apud S. Petrum celebratæ, quam Baronius anno DCCCLXVIII. consignat, præter Adrianum Papam subscripserunt Episcopi triginta & unus, Presbyteri Romanæ Ecclesiæ Cardinales novem, & quinque Diaconi Cardinales, uti videre est apud Labbæum Tomo X. Conciliorum ultimæ editionis Venetæ Pag. 601. & seqq. In ea Joannes Metropolita Sylæi S. Ignatii Legatus Codicem Acta Conciliabuli Photii adversus Nicolaum Papam Constantinopoli celebrati continentem Adriano Pontifici exhibuit, & in terram projecit cum hoc anathemate: *Tu maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus. Te minister diaboli Photius, novus Simon, mendacii compilator aptavit: te minister Christi Nicolaus novus Petrus, veritatis amator attrivit.* Testatur id quidem Guilielmus Bibliothecarius, additque, Basilium Spatharium Imperatoris Legatum *calce suo ensque* librum percutiisse cum hoc alio anathemate: *Credo, in hoc opusculo diabolus habitat, quia per os complicis sui Photii ea quæ per se dicere nequiit, eructat.* Refert & illud deinde, eum eo tempore, quo nefarius ille Codex urebatur, imber vehemens decideret, ad pluviam quasi ad olei guttas flammam convaluisse; eoque miraculo omnes tum Latinos, tum Græcos stupefactos Deo laudes dixisse, Nicolai Papæ memoriæ bene esse precatos, & Adrianum Pontificem præconiis extulisse.

XXV. Acta Romanæ hujus Synodi fuse inter alios exponunt Baronius, Lupus, Natalis Alexander, & Pagius in Vita Adriani II. Pontificis. Ut autem brevi multa comprehendam, tribus allocutionibus laudati Adriani hæc Synodus constat; post quas, & post eorumdem Patrum supplicationem pro damnatione Photii, & reconciliatione lapsorum, Adrianus sententiam tulit quinque capita continentem. Primo itaque Conciliabulum a Photio ejusque fautore Michaele Augusto per vim, & tyrannidem contra Romanam Ecclesiam, ejusque auctoritatem Constantinopoli coactum Ephesino latrocinio comparat, impiaque ejus Acta penitus abolenda decernit, ignique pabulum, & diris execrationibus devovet. Secundo idipsum de illis statuit, quæ contra S. Ignatium ab eodem Imperatore, & Photio scripta, actaque sunt. Tertio Photium rursus anathemate percellit: *Verumtamen*, inquit, *si viva voce, suaque scripto, & manu promittat, se omnia a nobis, & antecessore nostro Decreta subiturum, dictique Conciliabuli Acta damnaturum, a laicorum gratia, & communione non excludemus.* Quarto lapsos, qui tam impio Conciliabulo, vel subscripserant, vel assenserant, si Decreto Nicolai Papæ obtemperaverint, ad Ignatii communionem redierint, & Conciliabuli commenta flammis inventa tradiderint, in communionem recipit; sin autem minus, eos communione privat. Basilium vero Imperatorem, cujus nomen in dicti Conciliabuli Actis falso inscriptum cognoverat, alienum prorsus ab omni suspicione mala declarat, atque in albo piorum Augustorum, si ad finem usque perseveraverit, reponit. Quinto denique omnes, qui Acta Conciliabuli Photiani vel absconderint, vel propugnaverint, & non potius palam fecerint, atque in rogum conjecerint, si sint Clerici, e gradu dejicit, si autem Laici, anathemati subjicit; sicque terminata est Synodus ipsa Romana, quam integram legere est in Actione VII. nostræ hujus Synodi VIII. generalis Constantinopolitanæ.

XXVI. Peracta jam elapso anno DCCCLXVIII. Synodo Romana, de qua mox egimus, anno DCCCLXIX. Adrianus Papa remittens Constantinopolim Legatos Basilii Imperatoris, & Ignatii Patriarchæ, una cum ipsis misit quoque suo a latere Legatos, eos ipsos, quos ante illuc mittendos destinaverat decessor illius Nicolaus Pontifex, nempe Donatum Ostiensem Episcopum, & Marinum S. R. E. Diaconum Cardinalem, quibus insuper sociavit Stephanum Nepesinum Episcopum, eisque Epistolas, quæ extant Actione I. & III. nostræ hujus Synodi, dedit IV. Idus Junii scriptas ad eosdem Imperatorem, & Patriarcham, quibus primum confirmavit quæcumque gesta fuerant in expulsione Photii, & restitutione Ignatii, deinde hortatus est ad cogendam Synodum Oecumenicam, in qua præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis, prosciperetur lapsis, qui Photio communicassent, & plenissime consuleretur statui Ecclesiæ Orientalis. Dedit præterea & eis libellum, cui omnes subscriberent, alioquin ad consessum, & judicium Synodale minime admitterentur: *Præcepit Legatis, ut omne scandalum Ecclesiæ Constantinopolitanæ solerter sopirent, consecratisque a Methodio, & Ignatio sub satisfactione libelli, quem de scrinio susceperant, proprias Ecclesias redde-*

redderent &c. Verba sunt Gulielmi Bibliothecarii in Vita Adriani II. Profecti igitur Legati ingenti ubique honore recepti ab iis, quos obviam eis Imperator in diversa loca miserat; in ipsa præcipue Urbe Constantinopolitana solemni ritu ab universo Clero, Patriciis, aliisque omnibus Palatinorum Ordinibus, & cuncto populo cum cereis, & lampadibus procedente suscepti sunt decimo septimo Kalendas Octobris: uti hæc omnia fusius describuntur a Guilelmo Bibliothecario in Vita Adriani.

XXVII. Legatos Pontificis honorificentissime quidem excepit Basilius ipse Imperator, literasque Apostolicas *per semet suscipiens* osculatus, die sequenti bis inter alia verbis alloquutus est: *Nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis, atque Episcopis causarum sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ per biennium præstolantes, propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, ac tandem aliquando auctoritate vestri sacri Collegii tam pestifera Photianæ tergiversationis scandala propellantur, quatenus unitas, & tranquillitas optatæ diutius, juxta Decretum sanctissimi Papæ Nicolai restaurentur.* Legati sanctæ Sedis responderunt: *Et nos ideo venimus, ideo missi sumus, sed neminem Orientalium vestrorum unquam in nostram Synodum suscipere possumus, nisi oblato libello, cujus formam de scrinio sanctæ Sedis Apostolicæ sumsimus, nobis fuerit satisfactum.* Ad id tunc Basilius Imperator, & Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus dixerunt: *Quia novum hoc, & inauditum de libello proferendo asseritis, necesse est, ut tenoris illius formam videamus.* Habet hæc memoratus Guilelmus Bibliothecarius in Vita Adriani Papæ II. statimque bis subjicit: *Nec mora, libelli forma prolata est, & de Latino in Græcum conversa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidam libellum proferentes, in sancta Synodo resederunt: proferre nolentes, extra Synodum inglorii relicti sunt; sed dietim fervore sancti Spiritus temperati, præmissa libelli satisfactione, ad unitatem sacræ Synodi reversi sunt.* Atque hæc una ex causis est, quæ impedierunt, quo minus hæc Synodus numerosa fuerit; Actioni enim primæ præter Apostolicæ Sedis Legatos, Sedium Orientalium Vicarios, & Ignatium Patriarcham, duodecim tantum modo Episcopi interfuerunt.

XXVIII. Convocatam fuisse hanc Synodum jussu in primis Adriani II. Papæ, diserte docet Anastasius Bibliothecarius, ita in nostræ hujus Synodi Præfatione Adrianum alloquens: *Missis cum auctoritate Apostolica Vicariis, ac Epistolis Decretalibus, jussisti fieri Constantinopoli Synodum pro multis quidem necessitatibus Ecclesiæ, sed pro his præcipue, quæ huc usque adnotata sunt, quæque in hujus Synodi gestis inveniuntur, in qua scilicet Photius ob id etiam specialiter condemnatur, quoniam depositionem, vel anathema præsumsit in sanctæ memoriæ Pontificem Nicolaum nominare.* Idipsum constat ex Adriani Papæ Epistola ad Basilium Imperatorem data, quæ inserta est Actioni primæ hujus Synodi, ubi ita inquit: *Volumus autem per vestræ pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque Legati præsidentes, delictorum, hominumque discrimine perspecto, statim cuncta impii Conciliabuli* (Photiani) *exemplaria ab iis, qui illa retinent, ablata ignibus concremanda tradant.* Suam adhibuisse industriam Basilium Imperatorem in congreganda hac Synodo, testem habemus Basilium ipsum, qui in sua ad ipsam Synodum allocutione, sic inquit: *Non modicum certamen certavimus, neque labori cuilibet cessimus, uti & ipsi nobiscum nostis, ad congregandum eos, qui a Romana, & ab Orientalibus Patriarchalibus Sedibus convenerunt.* Laudat & hanc Basilii sollicitudinem S. Ignatius in sua Acclamatione ad Synodum, quæ Actione VIII. legitur his verbis: *Quoniam vero universali paci consulens piissimus, prudentissimus Imperator noster, multam habuit curam, & sollicitudinem colligendi sanctissimos Vicarios ex cunctis aliis Patriarchalibus Sedibus, & Synodum universalem celebrandi &c.* Id rursus testatur Metrophanes in sua ad Imperatorem allocutione, quæ inserta est Actioni VI. fidemque de ea re luculentissimam facit Synodus ipsa in definitione, quæ Actione X. edita est.

XXIX. Illud sane constat ex paulo superius dictis, Adrianum II. Papam per Legatos suos huic Synodo præfuisse, probaturque uberius ex ejusdem Synodi Actis. Sic enim incipit laudatæ Synodi Actio I. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Anno tertio Consulatus Amicorum Christi, & piissimorum Imperatorum nostrorum Basilii, & Constantini perpetuorum Augustorum, indictione tertia, mense Octobris, die quinta, feria quarta, propositis pretiosis, & vivificis lignis, & intemeratis salutis nostræ Evangeliis in dextris partibus Catechumeniorum nominatissimi Templi sanctæ, ac magni nominis Sophiæ: convenientibus autem Donato, & Stephano, Deo amabilissimis Episcopis, & Marino venerabili Diacono, locum tenentibus Adriani sanctissimi, ac beatissimi Archiepiscopi senioris Romæ &c.* In variis Synodi Actionibus Adriani quidem Papæ Legati nominantur primi, ut Præsides nominari solent. Atque ut alias omittam in Actione X. Episcoporum omnium primi Legati Papæ subscribunt, hunc plane in modum: *Ego Donatus gratia Dei Episcopus Sanctæ Ostiensis Ecclesiæ locum obtinens Domini mei Adriani Summi Pontificis, & universalis Papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ & universali Synodo præsidens, atque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis promulgavi, & manu propria subscripsi.* Hac eadem formula usi sunt in sua ipsorum subscriptione hujus Synodi alii duo Legati memorati Pontificis Stephanus Nepesinæ Ecclesiæ Episcopus, & Marinus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Diaconus.

XXX. Neque vero obstat, quod Imperatores Basilius, & Constantinus semel atque iterum præsidere dicantur, uti videre est in Actione VIII. & X. Præfuisse enim dicitur Imperator non auctoritate, sed solo sessionis honore, quem ipsi detulit Synodus, ut Ecclesiæ Protectori, non ut controversiarum Fidei, vel causarum Ecclesiasticarum Judici. Hujusmodi namque judicium nec laico cuivis, nec sibi ipsi convenire, Imperator ipse Basilius professus est in Allocutione ad Synodum, ubi inter alia ita inquit: *De vobis autem Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hoc enim investigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas, & cælestes adepti sunt claves: non nostrum, qui*

pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus. Addit & alia ad rem, quæ a curioso Lectore legi possunt in recitata Imperatoris allocutione ad Synodum. Ceterum quod in Actione IX. prius Imperatori, quam Romano Pontifici acclamatum sit, minime id officit Adriani Papæ per Legatos suos præsidentiæ; is enim honor, & grati animi significatio a Patribus exhibita est religiosissimo Principi, cui tot nominibus Romana Ecclesia obstricta erat. Quod denique Imperatores rogati sint a Legatis Papæ, ut ante omnes subscriberent, uti videre est in Actione X. non est argumentum quidem auctoritatis, quæ penes Principes esset ulla ad præsidendum Concilio, sed merum testimonium reverentiæ, atque urbanitatis Legatorum erga illorum Majestatem, a quibus Apostolica Sedes, & ipsi tantis honoribus affecti fuerant, uti egregie observat, iis objectionibus respondens Natalis Alexander in Historiam Ecclesiasticam Seculi IX. & X. Dissertatione IV. §. XII. & post ipsum Pagius in Vita Adriani II. Romani Pontificis Num. XXIV.

XXXI. Celebratam hanc Synodum VIII. Oecumenicam Constantinopoli in Templi Sanctæ Sophiæ Catechumenis (quæ loca erant, in quibus Catechumeni instruebantur) anno Christi DCCCLXIX. Adriani II. Papæ secundo, Basilii Imperatoris tertio, inchoatam vero die quinta mensis Octobris, feria quarta, indictione tertia, jam non modo antiqui Auctores, sed & ipsius etiam Synodi Acta nos docent, præsertim vero Actio prima, cujus locum superius attulimus. Inchoata itaque Synodo die quinta Octobris in ejus Templo, Sancta Cruce, & sacro Libro Euangeliorum in Throno juxta veterem Ecclesiæ morem in celebratione Conciliorum locatis, usitatum, considentibusque post Apostolicæ Sedis Legatos Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, & Vicariis Sedium Orientalium, ac præsentibus Patriciis, quos Imperator adesse jusserat, ut omnia secundum juris regulas fieri curarent, admissi sunt in Synodum Episcopi duodecim, qui ab Ignatii, & Sedis Apostolicæ partibus soli constanter steterant, qui ideo tamquam incorrupti sine Romani Libelli professione recepti sunt, dicentibus Legatis: *Sedeant secundum ordinem suum, qui digni sunt, & beatos, & ter beatos hos æstimamus*. Deinde lectum est *Epanagnosticon*, idest Scriptum ab Imperatore missum, quo Episcopos hortabatur, ut semotis privatis affectibus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ statum componerent, quod summo totius Synodi applausu exceptum est. Mox rogati Apostolicæ Sedis Legati literas suæ legationis ostendere, responderunt, hoc nunquam in aliqua universali Synodo factum esse, ut Legati Romanæ Ecclesiæ *a quolibet examinentur, utrum talem existimationem habeant*. Sed cum Cabanes Patricius, qui id Episcoporum, & Senatus nomine postulaverat, dixisset, in injuriam, & contemtum Apostolicæ Sedis hanc non vergere petitionem, sed ob Rodoaldum, & Zachariam Legatos olim Nicolai Papæ id exigi, qui ejusdem Pontificis mandata transgressi fuerant, persuasi his dictis Legati, obtulerunt legendas literas Adriani Papæ, quibus ejus mandata continebantur, quæ quidem Latine primum lectæ, deinde a regio interprete Græce auditæ sunt legi, & ab omnibus pro tanto beneficio gratiæ Deo redditæ.

XXXII. Lectis præterea literis delegationis Patriarcharum Orientis, jussus est pariter recitari Libellus a Nicolao olim compositus, ab Adriano vero iisdem suis Legatis datus, cui subscribere tenerentur quicumque ex Schismatici Photii fautoribus recipi in Ecclesiæ Catholicæ communionem vellent; quo in primis continebatur approbatio immaculatæ Fidei Apostolicæ Romanæ Sedis; itemque anathematizatio omnium hæresum, & maxime Iconomachorum, atque etiam Photii alienæ Sedis invasoris. Lecto Libello, eodemque omnium una voce laudato, atque probato, recitata est pariter, & approbata definitio Legatorum Sedium Patriarchalium jam antea facta, cum ipsi fere per biennium Constantinopoli morati essent, expectantes Legatos Apostolicæ Sedis, quæ quidem non aliud continebat, nisi ut in omnibus obediretur Romani Pontificis Decretis. Post hæc Legati Apostolicæ Sedis recensuerunt, quomodo rite, & auctoritate legitima Nicolaus Papa Photium absentem damnasset: Legati vero Patriarchalium Sedium probaverunt, numquam ab ullo Sedium Patriarchalium Antistite Photium fuisse receptum; ex eorumque responsione abunde redargutum est falsitatis Conciliabulum Photii adversus Nicolaum Papam coactum, cui mentitus fuerat interfuisse, & subscripsisse Patriarchalium Sedium Orientis Legatos. Sicque terminata est prima Synodi Actio cum acclamationibus in Synodis fieri consuetis, quæ & in fine reliquarum Actionum singularum repetitæ sunt.

XXXIII. In Actione II. habita nonis Octobris, quamplurimi Episcopi, qui a S. Methodio, & S. Ignatio, Patriarchis Constantinopolitanis olim ordinati, lapsi desciverant in partes Photii, jussi quidem sunt ingredi, lectusque est oblatus ab his Libellus, quo veniam a Synodo deprecabantur, culpam omnem in vexationes Photii refundentes. Ubi autem Legati Apostolici dixere: *Suscipimus vos secundum præceptionem sanctissimi Papæ nostri Adriani propter confessionem libelli pœnitentiæ vestræ*; ita statim Episcopi lapsi responderunt: *Et nos adoramus vos, & suscipimus vos Judices, & judicium vestrum tamquam ex persona Filii Dei habemus*. Rogati deinde, vellentne subscribere Libello directo a Romana Apostolica Sede, subscribere illi libenter, & sine ulla restrictione dixerunt; positumque super sancta Euangelia, & sanctam Crucem, ut eo ritu solemnior ipsorum subscriptio redderetur, Ignatio Patriarchæ suo tradiderunt, ac sacræ dignitatis receptis insignibus, in suo ordine sedere singuli jussi sunt: *Et ponentes Episcopi libellum super sancta Euangelia, & pretiosa ligna, & rursus sumentes eum, dederunt Ignatio sanctissimo Patriarchæ Constantinopoleos, & sumens Patriarcha superhumeralia, tradidit eis*. Est sane vetustissimus Christianorum mos super Dominicam Crucem, & S. Euangelia jurare, uti ostendimus in Opere nostro, *De Codice Sancti Euangelii &c.* Lib. III. Cap. XIII. vetustissima quoque est illa Ecclesiæ disciplina, ut amissus Episcopatus per restitutionem Superhumeralium, seu Palliorum redderetur. Ita enim de Remensis Diœceseos Episcopis ab Ebbone Metropolita restitutis scribit ad S. Nicolaum Papam Carolus Calvus Francorum Rex: *Annulos, & baculos, & suæ confirmationis scripta, more Gallicarum Ecclesiarum ab eo acceperunt*. Extat Epistola apud Sirmondum in Synodo Tricassina. Dicit autem *Gallicarum Ecclesiarum more*; quia scilicet apud Latinos Baculus, & Annulus, apud Græcos Superhumerale, seu Pallium sunt præcipuum Episcopi orna-

ornamentum; Ideoque per eorum dationem, & ablationem solebat vel olim quis Episcopatu donari, & spoliari. Sed de hoc ritu videri possunt nostri in Romanum Pontificale Commentarii.

XXXIV. Quod erga Episcopos lapsos, ac pœnitentes, idem erga Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos in hac eadem Actione II. observatum est, ubi enim & ipsi subscripserunt Libello, insignia sua accepere, pœna tamen ipsis imposita jejuniorum, & orationum, quæ *Epitimium* in hac ipsa Actione appellatur: *Sanctissimus Patriarcha Ignatius dixit*: Epitimia, quæ indicta sunt iis, qui ceciderunt, Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis ab hac sancta & universali Synodo in audientiam omnium legantur, quatenus fiant omnibus manifesta. *Et accipiens Stephanus Diaconus, & notarius legit: sit remedium, & salutem animæ ferens, ac valde discretum Epitimium Sacerdotum &c.* Et paulo post hæc lapsis pœnitentia, seu Epitimium taxatur: *Si quidem carnibus vescuntur, abstinere se a carne, caseo, & ovo: ii vero, qui carnes non comedunt, abstinere a caseo, & ovo, & piscibus quarta feria, & Parasceve: edere legumina, & olera cum oleo, & pauco vino, facereque genuflexiones quinquaginta per singulos dies, & dicere*, Kyrie eleison, *centies, &*, Domine peccavi, *centies, &*, Domine ignosce mihi peccatori, *centies, recensereque sextum Psalmum, & trigesimam septimum, & quinquagesimum. Hæc mundo tibi custodire usque ad Christi nativitatem, non autem habeas potestatem ministrandi, nec agendi quoquo modo quæ Sacerdotum sunt, & tunc in Natalitiis magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi recipiens Sacerdotium suum, & mecum eris Sacerdotio fungens, & ministrans immortali Deo.* Ubi nota I. Epitimium hic distingui inter Episcopos, & Clericos carne vescentes, & inter non vescentes carne, quod quidam e secularibus, quidam e Monachis essent in Clerum adsumpti, & hi carnibus vesci non possent. II. ante diem Christi Domini natalitium Ordinum obire ministeria pœnitentibus ipsis fuisse vetitum. III. ubi Sacerdotium recipiebant, non solos ministrasse, sed celebranti Sacerdoti concelebrasse, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, de qua fuse disseruimus nostro 2. Tomo Romani Pontificalis.

XXXV. Illud quoque in hac secunda Actione observatione dignum est, quod lapsi Præsules misericordiam ab Apostolicæ Sedis Legatis, & a sancta Synodo ita rogarunt: *Per intercessionem sanctæ, ac intemeratæ Dei Genitricis Mariæ, & Sanctorum Apostolorum, & beatissimi, ac sanctissimi Papæ Nicolai.* Sic defunctum cum opinione sanctitatis palam invocant, eisque verbis Anastasius adposuit hoc marginale Scholion: *Nota quod non solum intercessiones Dei Genitricis, & Apostolorum, verum etiam sanctissimi quondam Papæ Nicolai se sperare fateantur.* Plena est hæc Synodus variis Nicolai Papæ laudibus, atque encomiis; ut autem alia loca omittam, in memorato toties Libello, cui subscribebant pœnitentes, hæ laudes continentur: *Sanctissimus Papa Nicolaus, lucerna Ecclesiæ, & luminare totius Orbis, incomparabilis in Sacerdotibus, vita, & sermone resplendens, quem pene nec macula tetigit.* Observandum præterea est, Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum Episcopis, ceterisque Clericis lapsis, & pœnitentibus Ordinum insignia non reddidisse, nisi ut delegatum Sedis Apostolicæ Vicarium. Ut enim scribit Nicetas Paphlago in ejus Vita, *Patriarchæ Ignatio in Synodo non erat auctoritas agendi quæ vellet: Romanis enim pro antiqua Ecclesiastica traditione, judicandi potestatem permittebat.*

XXXVI. Tertia Actione, quæ habita est quinto Idus Octobris, Episcopi Libello a Sede Apostolica transmisso subscribere nolentes, rejiciuntur. Res ita narratur. Conveniri jusserunt Patres Theodulum Metropolitam Ancyranum, & Nicephorum Metropolitam Nicænum, qui a Methodio, vel Ignatio ordinati erant, ut invitarentur ad Synodum, quæ ipsis misericordiæ viscera pandebat, modo Libello a Romana Sede transmisso subscriberent. Renuerunt illi pertinaciter, dixeruntque, professionem in sua consecratione factam protestatos esse semper servandam, sed Libellum Romanum non esse necessarium: *De proposita subscriptione*, inquiunt, *rationem reddimus sanctitati vestræ, quia propter rationabiles, & irrationabiles subscriptiones, quæ ante factæ sunt, gravati, definimus nos, & vinculum imposuimus non ulterius subscribere præter id quod subscripsimus, & professi sumus Fidei nostræ symbolum, quod jacet in Carthophilacio venerabilis Patriarchæ tempore consecrationis nostræ.* Cum itaque subscribere pertinaciter renuerint, a Synodo ejecti sunt. Porro diversa, ac diversa juratarum professionum chirographa, & formulas grassante hoc schismate, & Patriarcha Ignatius, & Constantinopolitanæ Sedis invasor Photius exegerant, atque ita multorum etiam Episcoporum conscientias multis scrupulis illaquearunt; hinc memorati Metropolitæ Theodulus, & Nicephorus Orthodoxæ Fidei, ac Patriarchalis obedientiæ professionem in sua consecratione factam protestati a se semper servandam, & ad eamdem innovandam parati, dixere, Romanum Libellum non esse necessarium, ideoque ab ejus professione excusari supplicarunt, ita ajentes: *Propter quod dicimus vobis, & rogamus sanctam Synodum, si possibile est, indulgeat nobis, quod deliberavimus servare usque dum vixerimus.*

XXXVII. Jubentibus deinde Apostolicæ Sedis Legatis recensita est Epistola Basilii Imperatoris ad Nicolaum I. tum Epistola Ignatii ad Adrianum II. sive ad eumdem Nicolaum I., quæ Adriano ejus successori tradita est; Epistola denique Adriani II. ad Ignatium, quam canonice scriptam, & plenam justitiæ Synodus dixit; post cujus effatum Metrophanes Metropolita Smyrnensis ita de iis Epistolis locutus est: *Ex Epistolis, quæ nobis lectæ sunt modo, liquidius cognovimus, amici Christi, Imperatoris nostri diligentiam, & studium quod habet ad pacificandam Ecclesiam Dei, & sanctissimi Domini nostri, & Patriarchæ Ignatii humilitatem, & quomodo impleat eloquium Scripturæ, quod perhibet*: Omnia cum consilio fac; *necnon & sanctissimi Papæ Romani solertem locutionem, & pudorem, quem in divinis, circa divinorum Canonum custodiam, & observantiam habet, & ejusdem imitantem, quantum fieri potest, misericordiam, & benignitatem.* In eadem tandem tertia Actione cum deprehensum fuisset, Theodorum Cariæ Metropolitam, qui post Libelli subscriptionem a Synodo susceptus fuerat, ex iis fuisse, qui in latrocinali Photii Synodo, depositioni, & anathemati sanctissimi Pontificis Nicolai subscripserant, illius causa Romani Pontificis judicio reservata est; uti discimus ex Notis Anastasii Bibliothecarii.

XXXVIII. Actione quarta habita tertio Idus Octobris, quibusdam Episcopis a Photio ad Synodum missis, jactantibus, tum ipsos, tum Photium a Nicolao Papa receptos fuisse, ostensum est a Legatis Sedis id impudenter ab eis asseri, ideoque ut mendacii convincerentur, varias ejusdem Pontificis literas Legati legi jusserunt. Lecta itaque est Epistola Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem jam olim missa, quæ his verbis incipit: *Principatum divinæ potestatis &c.* Lecta est pariter altera ejusdem Nicolai Epistola ad ipsum Imperatorem data, quæ sic incipit: *Serenissimi Imperii &c.* Lecta etiam ipsius Nicolai Papæ Epistola ad Photium, ex cujus vel sola inscriptione convinci possent, qui Photii ordinationem contendebant a Nicolao I. approbatam; siquidem in ea neque Frater, neque Comminister vocabatur Photius, quibus nominibus Romanus Pontifex Episcopos designare solet: *Nicolaus*, inquit inscriptio, *Episcopus servus servorum Dei prudentissimo Viro Photio*. Atque ex hisce Epistolis facile probarunt Legati ipsi Apostolici, Photii ordinationem a Romana Sede nusquam fuisse susceptam, imo semper inter Laicos recensitum. Probarunt insuper duos Pseudoepiscopos Zachariam, atque Theophilum, qui in partibus Photii erant, & in hac Actione ad Synodum fuerant admissi, antequam olim Romam ingrederentur, duplicem Libellum porrexisse, unum Fidei, alterum, quo se Apostolicæ Sedis Decreta jurabant observaturos, priusquam admitterentur ad communionem laicam solum, non ad Episcopalem. Interrogati insuper Photiani ipsi Antistites, num vellent subscribere Libello a Romana Sede ad Synodum misso, cumque respondissent, *Nec audire eum volumus*; jubentibus Apostolicis Legatis foras projecti sunt. Gloriatum fuisse postea Photium, quod hi, aliique non pauci suis partibus constanter stetissent, ex ejusdem Photii Epistola patet, quam ex exilio ad Episcopos suæ factionis scripsit, uti videre est apud Baronium ad annum DCCCLXXI. ubi eam Epistolam refert.

XXXIX. Quinta Actio celebrata est XIII. Kalendas Novembris, in eaque citatus est Photius, & quidem per laicos, probri, & dedecoris causa. Consueverant enim Episcopi per Episcopos, Presbyteri per Presbyteros, quisque scilicet per sui Ordinis homines conveniri. Missi itaque sunt quinque laici, ad quos ita ille respondit: *Me in Synodo nunquam aliquando advocastis, & modo miror, quia hoc fecistis, & advocastis me. Verumtamen sponte non venio; numquam enim interrogantes me de Synodo hac, quam dicitis, quomodo in eam me trahitis?* Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. *Et reliquum vos legite*. Cumque reversi fuissent præfati viri, Photiique verba retulerint, Gregorius Notarius ascendens in pulpitum ipsius Photii voces in audientiam omnium legit; post cujus lectionem, Apostolici Legati dixerunt: *Quid dicit ad hæc sancta Synodus? Nos non convocamus eum, ut discamus aliquid ab eo, sed ut laborem, quem habuit sancta Romana Ecclesia, simul & Orientales Ecclesiæ propter eum, nunc terminemus, eodem ipso præsente*. Causa quidem honoris Legati hoc dicunt, nam ante hanc Synodum nil Orientales Sedes in omni controversia laboris assumpsisse videntur; solam quippe Romanam Sedem tam per se, quam per Scripta, & Missos suos laborasse, abunde constat ex hac nostra Historia.

XL. Photium jam tertio a Romana Ecclesia damnatum nolebant citare, ac denuo audire Legati Apostolici, sed ad importunas Principis preces dumtaxat permisere pœnitentia, & meliori mente tentandum. Hinc de illo intromittendo rursus disceptatum est inter Patres; est tandem introductus, & stetit in medio. Eo viso, interrogant Legati Apostolici: *Quis est ille, qui in novissimo loco sanctæ hujus Synodi adstat?* Cumque responsum eis esset, *Photius*; ita statim illi subjiciunt: *Ille est Photius, propter quem S. Romana Ecclesia per septem annos, & amplius sustinuit labores multos? qui etiam sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam funditus subvertit, & non modo has Ecclesias conturbavit, verum etiam & Orientalium sanctas Ecclesias, quæ ab ipso usque in præsens perpetiuntur?* Quibus verbis colligi videtur, quod notat Lupus, hominem fuisse abjectæ staturæ. Interrogant mox eum semel ac iterum Legati ipsi Apostolici, num recipiat Constituta Romanorum Pontificum. Sed cum nihil ad interrogata responderet ille, ostentans se stare ante Synodum, quomodo Christus Dominus ante Caypham Pontificem, aut ante Præsidem Pilatum stetit, iterum, ut dicat, illum, urgent Legati Papæ. Dicente autem Photio, *Vocem meam etiam me tacente Deus audit*, minati sunt ei Legati, quod per silentium non effugeret manifestiorem damnationem. Quibus ille Christo se comparans, *Nec Jesus*, inquit, *tacendo evasit damnationem*. Lectis tandem variis S. Nicolai Epistolis, quibus jampridem Photium damnarat, eidem Photio undique licet convicto, & condemnato tempus ad resipiscendum a Synodo benigne impertitum est, quod tamen ipse recusavit accipere, Hominis insipientiam, temeritatem, superbiam, atque arrogantiam Bahanes Patricius demiratus, ipsi inducias concessit, ut saluti suæ consuleret. Sed cum, affectato silentio, atque humilitate homo vafer, impostor, ac subdolus immotus maneret, Synodus ipsa inducias ipsas a Patricio Bahane Photio concessas confirmans, eum dimisit, & dixit: *Vadat, & perpendat, quid sibi conveniens sit*.

XLI. Actio sexta omnium celeberrima, cui interesse voluit Basilius Imperator, octavo Kalendas Novembris celebrata est. In ea post elegantem orationem, quam in ipsius Basilii laudem dixit Metrophanes Metropolita Smyrnensis, lectum est primo *Epanagnosticum* Legatorum Apostolicæ Sedis, idest scriptura publica cunctis exposita, & patens, quæ vulgo *Manifestum* dicitur, uti exponit in suo Hierolexico Macrius. Ea scriptura, seu libello postulabant ab Imperatore, ut quæ contra Photium a Summis Pontificibus Nicolao, & Adriano decreta fuerant, executioni demandarentur. Recitato Epanagnostico Theophilus Protospatarius ab Imperatore jussus, Photianæ consecrationis Episcopos, & quotquot illius schismati adhærebant, in Synodi conspectum introduxit. Tum relectæ sunt Epistolæ Nicolai I. Pontificis ad Imperatorem, & Photium; eisque lectis Vicarii Orientalium Sedium prolixa interlocutione ostenderunt, nusquam ab Ecclesiis, quarum personam gerebant, receptam fuisse Ignatii abdicationem, & Photii ordinationem, nullasque literas communicatorias ad ipsum directas, vel ab ipso receptas. Cum autem posthæc Imperator Basilius Photianos Episcopos interrogaret, utrum manifesto judicio totius Ecclesiæ consensione probato acquiescerent, illique renuerent, & impuden-

pudenter conclamarent, omnia prolata in Photium tam a Romanis Pontificibus, quam ab Orientalibus Sedibus judicia, vana esse, irrita, ac tumultuaria, sapienter admodum ipsis Imperator respondit: *Vos Principali manu Synodos inordinatas soli, ac singulariter sine Patriarchiis Thronis facientes, sanctas vocare ausi estis, & huic præsenti, quæ ab omnibus Patriarchalibus Thronis celebrata est, Dei cooperatione, ac gratia, qui Imperium nobis commisit, detrahere non erubescitis?*

XLII. Quamquam vero his, atque aliis dictis conaretur Photianos convincere, Zacharias tamen Chalcedonensis Photio addictus Episcopus ejus patrocinium suscepit, & causam egit; ac primo Nicolai I. & Adriani II. Romanorum Pontificum Judicia conatus est elevare, contendens, cum Pontifices, & Patriarchæ Canonibus subdici sint, eorum judicia iccirco nullius esse momenti, nec illis parendum, si a Canonibus aberrent. Secundo non esse indeficientis, & irretractabilia Pontificum Romanorum judicia, duobus exemplis probare aggressus est, Marcelli scilicet Ancyrani, qui a Julio Papa, & a Synodo Sardicensi absolutus, etiamnum anathemate, ut hæreticus percellebatur; & Apiarii, qui a Romanis Pontificibus absolutus, ab Africana Synodo repulsus est. Tertio rationes diluit, quibus Nicolai I. in Photium sententia nitebatur, *In eo*, inquiens, *quod dicit, non debuisse hunc ex Laicis provehi, consecrantes cautos reddit, consecratum autem non damnat; & consuetudo Canonem illum exuperavit. Etenim Tharius ita consecratus est, & Nicephorus, & Nectarius, & Thalassius Cæsareæ, ac Eusebius, & Ambrosius Mediolani, atque alii mille. Si ergo sunt illi obnoxii, est & hic; quod si illi innoxii, & iste utique.* Quarto probat, non esse repellendum Photium, quod a Gregorio Syracusano Antistite deposito consecratus fuerit; quia non sunt exauctorati, qui a Petro Moggo Alexandriæ, nec qui ab Acacio Constantinopolitano ordinati fuerant, licet uterque fuisset depositus. Quinto probat, Photium non esse depositione mulctandum, licet depositos Antistites susceperit, imo ab iis ordinatus sit; quia Anatholius, qui Euthychem a Flaviano damnatum susceperat, nulli pœnæ obnoxius propterea fuit; quamobrem pœnam siquæ infligenda sit, non Photio, sed iis, qui ipsum consecrarunt, esse infligendam: Flavianum denique Antiochenum Patriarcham, etsi a Romana Sede non receptum, depositum non fuisse, quia ejus ordinationem Canones non rescindebant: mirum itaque videri non debere concludit, si Photius, & Antistites, Presbyteri, aliique ab eo consecrati, Decretis depositionis suæ non pareant, donec Canones proferantur, secundum quos deponi debuerint.

XLIII. Hactenus Zacharias Chalcedonensis Photianarum partium Episcopus, cujus prolixum, & vanæ orationis filum abrupit Sapientissimus Imperator, omnia quæ in medium addebant, quorumdam errata, ab aliis Patriarchis emendata fuisse dicens, seu concessam illis violatorum Canonum veniam; Photii autem, & Photianorum ordinationes numquam ab Ecclesiæ Patriarchis fuisse receptas, vel sanatum illorum vitium, illos proinde in sepulcro nequitiæ suæ mortuos jacere. Tum ipsos hortatur pius Princeps, ut misericordiam Synodi implorarent, quod Laici omnes essent, mendaces, & seductores: *Omnes novimus, quia Laici estis, & non adduximus vos latrare, & sine ordine facere verba: omnia enim vestra, mendacia sunt, & seductio.* Quas increpationes iniquo ferentes animo Photiani Episcopi, ita Imperatori temere, ac petulanter respondere: *Hoc nec diabolus ausus est dicere.* Tum exprobrante pio Principe, quod ex Laicis, uti Photius ordinati essent, nimirum ex Patriciis, Protospathariis, ac Stadulariis, hoc repellere probrum conatus Eulampius, procaciter cum ipso Imperatore Basilio cœpit contendere. Cujus insolentiam Legati Apostolici represserunt, monentes Imperatorem, ne cum eo colloqueretur amplius, qui a Romana Sede anathemate perculsus esset. Mox tres Episcopi, nempe Heracleensis, Cretensis, & Colenderensis, ab Ignatio olim ordinati, & Photio postea conjuncti, quod Libello ab Apostolica Sede transmisso subscribere nollent, a Legatis Romanis amandati fuere. Tandem postquam Metrophanes Smyrnensis Episcopus argumenta omnia evertit, quæ pro Photio memoratus Zacharias protulerat, Imperator elegantissimam Orationem, stylo potius Patrum, quam Regum exarata, & lectu digna, ad Schismaticos Antistites habuit, qua eos ad pœnitentiam hortatus est. Ubi autem dicendi finem fecit, adhuc septem dierum induciæ Schismaticis ipsis datæ sunt, ut si ad Ecclesiæ unitatem redirent, misericordiam sanctæ Synodi experirentur.

XLIV. Septima Actione facta quarto Kalendas Novembris, ex Basilii Augusti mandato, & Legatorum Romanæ Sedis permissu, *introductus est Photius Baculo innixus, & cum eo Gregorius Syracusanus.* Verum adversus eum Marinus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ac Papæ Legatus ita statim loquutus est: *Tollite Baculum de manu ejus; signum est enim dignitatis Pastoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus est, & non pastor.* Erat ablatio Baculi unus ex ritibus degradationis Episcoporum, de quibus abunde disseruimus in nostris Commentariis ad Romanum Pontificale. Baculo omnino spoliatum Photium alloquio suo dedignati Legati Romani, ita dixere ad Bahanem Patricium: *In præcedenti Actione venit ad nos vir iste forensis, & curialis Photius, & admonuimus illum per Apostolicam auctoritatem ad revertendum in Ecclesiam per libelli expositionem, ut recipiamus eum in communionem secularis. Interrogate illum, si forte intelligit bonum, & conveniens sibi, si vult facere libellum.* At ille nihil ad rem interroganti Bahani respondit, cum enim de Libello quæstio esset, hoc unum dixit: *Dominus Imperatorem nostrum sanctum custodiat in multos annos.* Cui concinens Gregorius Syracusanus id ipsum effatus est: *Et nos similiter oramus. Imperatori nostro sancto, Vicariis autem rationem non præbemus.* Cum autem rursus ad pœnitentiam urgerentur, Photius quidem impudenter clamavit, magis debere pœnitere Legatos, *Si audissent*, inquiens, *quæ diximus nudius tertius, non utique hanc interrogationem prætendissent: si vero definitionem suam posuerint in pœnitentia, hanc per opera sua demonstrent.* Gregorius autem Syracusanus ita respondit: *Ipsi*, idest Apostolici Legati, *pœnitentiam agant super quibus deliquerunt.* Nec aliud ab ipsis potuit extorqueri.

XLV. Posthæc ingressi Photianarum partium Episcopi, pariterque de Libello interrogati, pervicaces æque inventi sunt. Unde Bahanes videns ope-

operam in iis reducendis perditam, Imperatoris nomios his ipsos verbis compellavit: *Homines dicite, unde estis? De Cælo estis? De abysso estis? An de terra, in qua nos degimus? Et ostendite hac hora, quia sive hæresis mota est, sive schisma emersit in qualibet parte, & sensit aliquis extra quatuor Patriarchia, & salvatus est?* Et iterum: *Hodie quatuor Patriarchia, imo vero quinque condemnatione condemnant vos. Quid vobis videtur ad hæc? Est qui adjuvet vos? dicite?* Dicentibus illis juvari ipsos a Canonibus Apostolorum, & sanctorum Conciliorum, indignatus Bahanes jussu Basilii Imperatoris ita ad eosdem loquutus est: *Dicite, quis Canon vos adjuvet; & ubi posuerit Dominus Canones, in Ecclesiis suis, an in alio aliquo loco? Et ubi Ecclesiæ sint hodie, & ubi prædicetur Evangelium? Est alius locus, præter quem tenent sanctissimi Vicarii?* At vide Schismaticorum hominum impudentiam, Basilio Augusto in faciem dixere: *Deus custodiat sanctissimum Imperium vestrum. Verbum petivimus impunitatis, ut diceremus negotia nostra cum fiducia, & non accepimus. Qualiter ergo habemus loqui?* Erant hæc putida Schismaticorum mendacia, quorum temeritate, ac contumacia lassati Apostolicæ Sedis Legati, per Stephanum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconum, ac Notarium legi curarunt Nicolai I. Papæ Judicium adversus Photium tyrannum, mœchum, & invasorem, missum Constantinopolim per literas ad Metropolitas, Episcopos, Clerum universum eidem Sedi subjectum. Lectæ sunt pariter Epistolæ Adriani II. quibus Acta Nicolai decessoris sui contra Photium confirmabat. Lecta Concilii Romani Acta, quod idem Adrianus contra ipsum Photium celebravit. Lectus commonitorius sermo ad Photium ejusque asseclas a Legatis Apostolicis directum, quo proferendam iterum in eum anathematis sententiam significabant, si aures suas instar aspidis surdæ obturasset. Lecta est denique, ut alia omittam, a Stephano Diacono, & Notario acclamatio Patriarchæ Ignatii ad Synodum, quæ incipit: *Fratres sancti, & filii dilecti &c.*

XLVI. Cum autem post tantam Patrum patientiam Photius, ejusque partiarii in sua adhuc pertinacia persisterent, continuo laudatus Stephanus in Photium, & factionem ejus Synodales hosce anathematismos ex Ambone pronunciavit: *Photio Curiali, & invasori anathema: Photio seculari, & forensi anathema: Photio neophyto, & tyranno anathema: Photio schismatico, & damnato anathema: Photio mœcho, & parricidæ anathema: Fabricatori mendaciorum anathema: Inventori perversorum dogmatum anathema: Photio novo Maximo Cynico anathema: Novo Dioscoro anathema: Novo Judæ anathema: Omnibus sequentibus, & fautoribus ejus anathema: Gregorio dudum Episcopo Syracusano anathema: Eulampio deposito, & schismatico anathema:* Recitatis hisce anathematismis, & egresso tandem Photio, idem Stephanus acclamationes dixit Imperatori, ceu liberatori Christianorum, erectori Ecclesiarum, novo Constantino, novo Theodosio, aliisque eum laudibus exornavit. Acclamavit tum Eudoxiæ Augustæ, velut novæ Judith, novæ Helenæ, novæ Pulcheriæ. Deinde memoriæ Nicolai I. tamquam novi Phinees, novi Danielis, novi Martini. Postea Adriano II. ut interemptori novi Simonis, percutienti novum mendacem Ananiam, novo Cælestino. Posthæc Ignatio Patriarchæ, ceu novo Athanasio, novo Confessori Paulo, novo Flaviano, novo Anatolio. Acclamavit denique Patriarchis Orientis; Apostolicæ Sedis Legatis; Vicariis Sedium Orientalium, ac sacro Senatui.

XLVII. Illud hoc loco minime omittendum; quod alias Tomo I. hujus Operis in Prolegomenis, Cap. XXX. diximus, Episcopos nempe ubi damnationi Photii subscripserunt, in majorem hominis detestationem intinxisse Calamum in sanguinem Christi, testisque ejus ritus est quidem Nicetas Paphlago in S. Ignatii Vita, sic dicens: *A Legatis Romanis, ipsoque Imperatore, & toto Senatu admonitus Photius, ut veniam precaretur, ut saltem tanquam Laicus ad fidelium communionem reciperetur, superbo, & contumaci animo consilium penitus repudiavit. Ergo communi omnium, æquissimoque judicio damnatur, abdicatur, anathemateque percellitur, velati violator, & adulter, maximarumque calamitatum, & infinitarum offensionum, ac scandalorum in Ecclesia Dei auctor; & pronunciat Synodus juxta Nicolai Papæ sententiam, qua primum Photius maturo cum judicio, Canonicaque, seu Synodica fuerat depositione damnatus. Subscripsere depositioni calamis non modo atramento, sed in quo penitus contremisces, ut ego, qui res norant asseverantes audivi, ipso Salvatoris sanguine tinctis. Ita, inquam, demum Photium exauctorarunt, damnaruntque, unaque omnes ab illo sacris initiatos.* Similis ritus subscribendi calamo in calice tincto sanguine Domini loco atramenti, jam antea usitatus fuerat a Theodoro I. Papa, ubi Pyrrhum Constantinopolitanum olim Patriarcham, eique communicantes deposuit: *Pyrrhus*, inquit Theophanes ad annum XX. Heraclii, *cum Roma discessisset, & Ravennam pervenisset, ut canis ad vomitum suum reversus est. Quo Papa Theodorus comperto, convocato Ecclesiæ cœtu, ad sepulcrum Principis Apostolorum accessit, & divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, & sua propria manu depositionem Pyrrhi, ac ei communicantium fecit.* Nihil exinde honoris Christo debiti detractum censuisse antiquos, recentioresque, jam alibi adnotatum est. Ad alias itaque Actiones hujus Synodi explicandas progrediamur.

XLVIII. Octava actione, quæ celebrata est Nonis Novembris, jussu Basilii Imperatoris, qui & huic Actioni adfuit, posito in medio Synodi æneo vase pleno igne, conjecta sunt in ipsum omnia chirographa, quæ Photius ab omni hominum genere extorserat, una cum omnibus ejusdem scriptis, contra Nicolaum I. Pontificem Maximum, & Ignatium Patriarcham: *Jubente Basilio Christi amico, & magno Imperatore positum est in medio Synodi vas æneum ad id aptum, plenum igne, & delati sunt in marsupio a Theophylacto Reverendissimo Diacono, & Referendario omnes tomi chirographorum, qui exacti sunt a Photio, ab omni sacrato catalogo, & ordine Clericorum, tam magnæ Ecclesiæ, quam earum, quæ foris sunt: quanque etiam a magnis, & parvis, & omnibus Senatoriæ dignitatis, & cunctis aliis tam illustribus, quam ignobilibus, atque iis, qui in omni arte, ac disciplina, & diverso studio esse videbantur, usque ad pellarios, & pisces vendentes, & lignarios, & aeus facientes; insuper & libri, qui ficte conscripti sunt contra Beatissimum Nicolaum Papam, & gestorum relationes, ac Synodes*

qua

quæ contra sanctissimum Patriarcham Ignatium factæ sunt a Photio. Et accipiens Georgius Reverendissimus Orphanatrophus singulos libellos, & tomos tribuit hominibus utrorum sanctissimorum Vicariorum, qui miserunt omnia in ignem, & cremata sunt. Est antiquus mos ad nostra hæc usque tempora ositatus, ut hæreticorum libri, & nefariæ lectionis flammis tradantur.

XLIX. Actum postea fuit de Petro Monacho, qui in suspicionem venerat porrecti contra Nicolaum Papam libelli, appositæque suæ Photiano Conciliabulo subscriptionis. Ille vero hanc sibi illatam calumniam libello Apologetico, qui incipit, *Quoniam exiguitatem nostram*, egregie diluit. Venerant & in suspicionem ejusdem criminis quidam Basilius Tripolitanus, & Leontius Mercator Alexandrinus, augebaturque suspicio, quod figmentum istud nollent palam anathematizare, onde ad ipsos Senatus dixit: *Quoniam non vultis anathematizare, apparet, quia comparticipes ejus estis, ut aut anathematizemini & ipsi, aut tradamini legibus.* Et Legati Apostolicæ Sedis: *Quoniam non patiuntur anathematizare, qui fecit malum hoc, quemadmodum scripsit sanctissimus Adrianus Papa ad piissimum Imperatorem, tradantur nobis, & descendant nobiscum Romam.* Hinc ambo territi, Leontius primum, *Anathema ei, & illi, qui scripsit eum.* Tum Basilius dixit: *Anathema ei qui dedit libellum contra Papam Nicolaum.* Lecto deinde, & innovato Canone S. Martini Papæ in Synodo Lateranensi edito adversus eos, qui falsa corruptaque monumenta, Epistolas, subscriptiones, testimonia, Synodos, aliaque id genus supponunt, interrogati Metropolitæ, an ipsorum essent subscriptiones libello contra Papam Nicolaum, dixerunt omnes: *Absit*; convictusque falsi criminis Photius fuit.

L. Occasione quorumdam Iconomachorum in Synodum introductorum lectum est Capitulum ex Epistola laudati Nicolai Papæ contra Iconomachos; eoque finito, adnitentibus Apostolicæ Sedis Legatis, Nicetas Clericus, Theophilus secuaris, & Theophanes tabellio Iconomochorum hæresim ejurantes in sinum Ecclesiæ suscepti sunt, & Imperatoris etiam osculo honestati: *Advocans Basilius piissimus, & magnus Imperator unumquemque ipsorum, osculatus est eos, & dixit: Nunc erepti estis a diabolica possessione, & facti estis Christiani verissimi, & salvandi estis cum omnibus orthodoxis a Christo Deo nostro, & vita æterna efficimini digni.* Repetitis tandem contra Photium, ejus partiarios, atque Iconomachos anathematis, iteratisque acclamationibus gratulatoriis, finita est jam Actio octava; post quam Legati Romani, & Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus *in ipsis Theophaniis* anni DCCCLXX. Leonem Basilii Imperatoris filium, & postea successorem, sapientem dictum Imperatorem coronarunt, ut scribit Anastasius Bibliothecarius in Scholio ad hanc Actionem VIII. dicens: *Nam cum hæc ageretur actio in ipsis Theophaniis, coronatus est in Imperatorem iste Leo filius a Vicariis* (nempe Romani Pontificis), *& Ignatio Patriarcha.*

LI. Celebrata est Actio nona pridie Idus Februarias anno Christi DCCCLXX. in eaque admissus est Legatus, a Michaele Patriarcha Alexandrino missus, Joseph Archidiaconus Alexandrinæ Ecclesiæ, ejusdemque Patriarchæ lectæ sunt literæ ad Basilium Imperatorem, quibus inter alia testabatur, se hucusque Saracenorum tyrannide fuisse prohibitom, ne scriberet. Lecta Epistola, Legatus mox ille Alexandrinus, quæ in octo præcedentibus Actionibus gesta erant, Patriarchæ sui Michaelis, & ejusdem Alexandrinæ Ecclesiæ nomine omnia rata habuit, & *posuit suum scriptum inter pretiosa ligna* (sanctæ Crucis) *& intemerata Euangelia.* Lecto Josephi Alexandrini scripto per Thomam Diaconum, & Notarium, intromissi sunt falsi testes, inter quos erat Leo Consul, & alii multi Viri illustres, qui contra Ignatium Patriarcham, suadenta Photio, & Michaele Imperatore compellente, testimonium dixerant, ut jure deponi videretur, qui crimen confessi, Epitimium, seu pœnam Canonicam a Synodo susecpere, pœnitentiam scilicet agendam in jejuniis, orationibus, & eleemosynis, aliisque pietatis, & durioris pœnitentiæ laboribus, quæ in ipso Epitimio recensentur; facta tamen Ignatio Patriarchæ potestate, Epitimii ex causis moderandi. Actum est denique in hac ipsa Actione de rerum sacrarum illusoribus, qui scilicet cum Laici essent, Sacerdotalibus indumentis in Urbe Constantinopolitana procedere, & personas Episcoporom, & Presbyterorum agere consueverant, tempore ejusdem Michaelis impii Imperatoris. Hi ad Synodum vocati, confessi sunt, se mimos in Ecclesia egisse, ac illusisse Sacerdotio Michaelis Imperatoris jussu, qui ad eos, & ad alios plures Spatharios Sacerdotalem stolam per ludum, ac jocum mittebat. Hi ad pœnitentiam reservati sunt tandem in alio conventu ipsis imponendam. Imposita est autem Canone XVI.

LII. Actio denique decima, & ultima habita est die ultima mensis Februarii, in eaque ubi Apostolicæ Sedis Legati dixere, ut primum legerentur Canones, quos debebat Synodus stabilire, eisque adhæsere Patres, exclamantes: *Placet; ascendens Stephanus Diaconus, & Notarius, legit Canones in superiori parte Synodi; similiter & Thomas Diaconus, & Notarius, & in inferiori parte Synodi easdem regulas legit.* Nequid autem in hac historia desideretur, eosdem Canones integros & prolixiores omnes numero viginti septem, prout Anastasius interpretatus est, & Christianus Lupus retulit, hic exhibemus, explicamusque. Iis in primis Constantinopolitanæ Ecclesiæ statui consultum est: tum agitur de confirmatione eorum, quæ pro Ignatio, & contra Photium acta essent; deque abrogatione cunctorum gestorum Photii, & collatorum ipsi, & ab ipso aliis sacrorum ministeriorum, & ut qui hactenus obstinato animo ei adhæsissent Episcopi, licet consecrati fuissent a Methodio vel Ignatio, vel etiam posthac resipiscerent, nullam penitus spem restitutionis haberent. Idem de confirmatione cultus sacrarum Imaginum, aliisque pluribus, quæ in ipsis sacris Canonibns a nobis relatis, atque explicatis legi inferius possunt. Porro viginti ac septem editos in hac Synodo fuisse Canones, tametsi in Græco Textu solummodo tredecim, aut quatuordecim legantur, in præfatione ejusdem Synodi laudatus Anastasius diserte testatur, additque omnes ab Ecclesia Romana probari. Anastasii sententiam cum moderatione esse accipiendam, scitissime animadvertit eruditissimus Lupus. Etenim primus Canon confirmat omnes vulgares Apostolicos, omnesque Trullanos Canones, quorum non paucos Romana Ecclesia, nec probavit hactenus, nec deinceps est probatura. Adductam dubitandi rationem de Canonum numero in hac Synodo editorum

torum solvit ea de Photii Pseudosynodo admonitio, in fine apud Labbæum Tomo x. Conciliorum ultimæ editinnis Pag. 955. *Extat*, inquit, *etiam Græce hæc Synodus, sed in compendium videtur redacta, tametsi septem & viginti habet Anastasius in sua interpretatione*. Subdit Lupus, quosdam Canones omissos fuisse a Græcis, quod solos Latinorum mores spectent.

LIII. Probatam, ac receptam fuisse ab Ecclesia Constantinopolitana hanc Synodum VIII. Oecumenicam, constat inprimis ex celebri Adriani II. Pontificis Maximi testimonio, qui in literis ad Basilium Imperatorem datis, quæ ad calcem Actorum hujus ejusdem Synodi leguntur, ita inquit: *Ab illis sacratissimis constitutis, quæ vel Apostolicæ memoriæ Prædecessor noster Nicolaus unten salubriter sanxit, vel nos postea dispensatorie protulimus, nulla motione, vel mutatione discedemus, aut ad dextram, vel ad sinistram quoquo modo declinabimus. Quæ videlicet jamdudum probavit Ecclesia, & immutilata servanda nuper gestum universale Concilium statuit*. Loquitur de Concilio Oecumenico VIII. Constantinopoli celebrato, de quo hæc habet Auctor libelli Synodici; *Synodus Oecumenica VIII. Constantinopolitana celebrata anno III. piissimorum Imperatorum Basilii & Constantini, in qua præsentibus, Donato, & Stephano, Episcopis, & Marino Diacono, locum tenentibus Adriani Archiepiscopi senioris Romæ, in locum pristinæ dignitatis restitutus est Ignatius, estque judicatum, Photium nefaria occupatione Solium Patriarchæ tenuisse, & restituendum esse Ignatium*. Scribit & de ipsa VIII. Synodo Nicetas Paphlago in Vita laudati Ignatii hunc in modum: *Ego Synodum hanc, actiones omnes, & definitos in eo Canones, perinde ac in aliis septem Oecumenicis Synodis, ita in hac quoque ut sanctos a Spiritu sancto dictatos valde probo admittoque*.

LIV. Eidem Synodo nomen, & dignitatem Oecumenicæ VIII. vindicat Anastasius Bibliothecarius in præfatione historica ejusdem Synodi VIII., ubi inter alia sic inquit: *Nuncupanda est ergo sine omni contradictione Synodus universalis octava, ut & appellatio quam cum septem aliis Conciliis sortita est, non celetur, & nomen proprium, quod singulariter possidet, dignetur*. Formula ipsa professionis Fidei, quæ in Ordinatione Episcoporum, & Romanorum Pontificum vel olim usurpata est, hanc Synodum Constantinopolitanam Oecumenicam esse testatur. Ut autem alios mittam Episcopos, Romani ipsi quidem Pontifices in Professione Fidei, quam nono seculo emittebant, statim atque erant electi, octo universalia Concilia se immutilata servaturos profitebantur: *Sanctaque octo universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum primum, Chalcedonense, Quintum quoque, & Sextum item Constantinopolitanu, & septimum item Nicænum, octavum quoque item Constantinopolitanum, usque ad unum apicem immutilate servare, & pari honore, & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt, & statuerunt, omnimode sequi, prædicare; quæque condemnaverunt, condemnare ore, & corde*. Refertur integra hæc professio ab Ivone Carnotensi Parte IV. Decreti, Cap. CXXXII. quod inscribitur, *De octo universalibus Synodis*, a Gratiano Distinctione XVI. ab Antonio Augustino in Epitome Juris Pontificii veteris Lib. V. Tit. X. Cap. LIV. a Cardinali Baronio ad annum DCCCLXIX. a Philippo Labbeo Tom. X. Conciliorum, Pag. 996. & ab aliis.

LV. Hinc valde mirari quis possit, cur Concilium Florentinum Octava Synodus Oecumenica dicta & inscripta in ipsius Actis typis excusis habeatur. Causa forte fuit Julianus Cardinalis, qui in Disputatione habita cum Marco Ephesino Sessione sexta Ferrariæ, ut post Baronium eruditi putant, ignoratione rerum gestarum, ei nimis visus est indulgere, hanc Octavam Constantinopolitanam Synodum neganti, ac mendaciter asserenti eam abrogatam fuisse a Joanne Romano Pontifice, comprobatam vero Photianam postea habitam, qua damnata est Octava hæc sub Adriano celebrata. At in sequenti Actione ejusdem Florentinæ Synodi Andreas Colossensis Episcopus Vir doctissimus æque ac maxime pius id omnino negavit. Quoniam autem quæ Marcus adversus hanc nostram octavam legitimam Synodum dixisset, in Florentinæ Actis remansissent, magna interpres temeritate æque ac imperitia Abrahamus Cretensis, nulla habita ratione responsionis Andreæ Colossensis, eidem Concilio Florentino indidit nomen, ut Octava Synodus nominetur, cum tamen nec in ejus Decretis, vel Actis, nec in Eugenii Papæ IV. diplomatibus de ipsa datis aliquid ejusmodi reperiatur: cumque alioqui, etsi hæc de qua agimus Octava Synodus fuisset abolita (quod dicere sacrilegium est) adhuc tamen neu Florentina Octava dici posset, quod extent plures aliæ ante ipsam celebratæ Synodi Oecumenicæ, quibus ejusmodi appellatio competat.

LV. Notant hæc Cardinalis Baronius, Binius, aliique Scriptores insignes, ac docti, inter quos Natalis Alexander in Historiam Ecclesiasticam Seculi IX. & X. Dissertatione IV. §. XXIV. post notatam Abrahami Cretensis temeritatem, merito carpit Joannis Launoi licentiam, qui in quadam Epistola ad Franciscum Bonum, Græcis se Latinis Episcopis in Synodo Florentina congregatis tribuit, quod a solo Abrahamo Cretensi temere factum est. Ceterum quod hanc eandem nostram VIII. Synodum Occumenicam inter alios Aimoinus Libro V. Cap. XXVIII. reprehendit, quia in ea confirmatus est cultus sacrarum Imaginum, ex eo plane qualis ipse fuerit, cujusve dogmatis manifestatur, nempe, ut inquit Baronius, ex illis Gallis unus, quos negasse vidimus eumdem cultum sacrarum Imaginum, de quibus etiam Anastasius meminit in sæpius memorata Præfatione sua.

De Fidei definitione in Actione decima hujus Synodi promulgata.

CAP. I.

I. Conditis Canonibus, quos inferius juxta methodum in aliis Conciliis a nobis servatam Commentariis illustrabimus, lecta est Actione decima definitio Fidei, in qua omnibus hæresibus, quæ hucusque emerserant, & a præcedentibus Synodis fuerant proscriptæ, anathemate percussis, Photio damnatio confirmata est, necnon eorum, qui ipsi pertinaciter adhæserunt. Res eo ritu peracta est: *Post lectionem Canonum*, ajunt Acta, *iterum stant in medio Baanes magnificentissimus Patricius, & Præpositus per jussionem Christi amicorum Imperatorum dixit*

ad

ad sanctissimos loci servatores : Post lectionem divinorum, & sacrorum Canonum quid deliberat sanctitas vestra adhuc fieri? *Sanctissimi Vicarii senioris Romæ, ac Orientalium Sedium dixerunt*: Subsequatur expositus terminus, in quo cursim omnia continentur, quæ acta sunt in hac sancta Synodo, & legatur in audientiam omnium, si placet hoc sanctæ Synodo. *Sancta Synodus dixit*: Placet, justum enim, & bonum est. *Et post hoc ascendens Metrophanes Deo amicissimus Metropolita Smyrnæ in superiori parte Synodi, legit terminum. Similiter & Cyprianus Deo amicissimus Metropolita Claudiopoleos in inferiori parte Synodi eundem terminum legit in audientiam omnium.*

II. Terminus idem est, ac Synodale Decretum, quod plane prolixum est, & eruditissimum. Innovat ex more septem priorum generalium Synodorum de Fide Decreta, ac anathematismos, deinde stabilit Ecclesiæ Fidem de sacris Christi Domini, ac aliorum Sanctorum Imaginibus, docens Iconoclasticam hæresim esse erronibus Christi Domini naturas confundentibus propriam. Tum denuo anathematizat Anastasium, Constantinum, ac Nicetam, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Patriarchas stercorales, idest, uti observat Lupus, Copronymi, seu stercoralis Constantini fœdam sectam sequentes, nec non eorum nuperos in Sede, ac impietate successores, Theodorum, Antonium, & Joannem, unaque Theodorum Crithinum. Anathematizat similiter Photium, omnia ejus acta in Sanctum Patriarcham Ignatium, Sanctum Nicolaum Pontificem Maximum, & omnem Ecclesiæ gradum. Cuncta demum ejusdem Nicolai, & successoris Adriani in ipsum, & ejus factionem Decreta confirmat. Sed lubet terminum ipsum, seu Synodale Decretum describere Notis etiam ad calcem quibusdam exornatum. Est autem hujusmodi.

Terminus sanctæ, ac universalis Octavæ Synodi, quæ facta est Constantinopoli.

Sancta magna & universalis Synodus, quæ per divinam voluntatem, & gratiam, & sanctionem amicorum Christi, ac Deo confirmatorum Imperatorum nostrorum Basilii, & Constantini congregata est in hac a Deo conservanda regia Urbe in famosissimo Templo sanctæ, ac magni nominis Sophiæ definivit subter annexa.

Connaturale Omnipotentis Dei, & Patris Urbem, quod firmavit Cælum sicut cameram, & construxit fines terræ, ac ceterorum universorum statum, ut insubstantialiter esset, effecit, & regit, & continet, & salvat, qui dicit per Isaiæ Prophetæ vocem: (a) *Aspice in Cælum, quia Cælum, ut fumus, solidatum est; terra autem, ut vestimentum, veterascet: qui autem habitant eam, sicut hæc, morientur; salutare autem meum in æternum erit, & justitia mea non deficiet*: qui propter nos secundum nos factus est, & cælestem justitiam super terram plantavit, & dixit: (b) *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*: qui dixit ad omnes qui in eum crediderunt: (c) *Si vos transieritis in verbo meo, veri discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Iste solus infinitæ potentiæ dominus, & Deus noster multos quidem alios ab olim, & longe ante, homines mancipatos mendacio, & veritatis inimicos, in agro suo, id est, in Ecclesiis, mala zizania (d) secundum evangelicam significationem seminantes, & mundum frumentum divinæ justitiæ operire tentantes, veluti quidem sapientissimus, & omnipotentissimus agricola, evulsit atque disperdidit, & ad id quod omnino non est jure convertit: salutare autem suum semper ad monendum præparavit, & justitiam suam firmavit, & manifestiorem exhibuit. Sed nihil minus, & in instantibus temporibus zizaniorum satore, per quosdam pravissimos, & (e) piissimos homines ecclesiasticum agrum inutilem reddere tentante, æquali eademque providentia, & hunc sollicitudine dignum exhibuit, & a sordibus iniquitatis eripuit, atque ad puritatem revocavit antiquam; piissimum enim, & tranquillissimum imperatorem nostrum, qui divinæ justitiæ amator, & injustitiæ hostis, & in mandatis ejus manentem discipulum ipsius demonstratum incorruptum, & scientem, & conservantem veritatem, excitavit ad injustitiæ confirmationem: qui per supernum auxilium, & gratiam ecclesiastici tabernaculi, architectos a finibus orbis terrarum in hanc a Deo construendam & regiam Urbem convocavit, & universalem synodum congregavit, quæ euangelicarum sanctionum, & Mosaicarum & propheticarum legum, atque apostolicorum ac paternorum, nec non & synodicorum mandatorum munimina custodiens, pietatis terminos renovavit, & veritatem & justitiam in ecclesiasticis atriis prædicavit. Hinc ergo & Christianorum sinceram & immaculatam fidem, & dogma orthodoxæ religionis omnes, qui apud eam convenimus sacrati, roborantes, credimus in unum Deum in tribus consubstantialibus, & divinia se principalibus personis, utputa quemadmodum in tribus (f) solibus invicem indissimilibus, vel in totidem splendoribus, unam luminis intuemur naturam: unum quidem & singularem Deum secundum rationem substantiæ, trinum autem, vel tria, si eum secundum rationem personarum prædicamus: & neque a se, ut esset factus, neque ab alio quomodolibet hoc accepisse fatemur: sed sine initio & æternum, & solum semper existentem, & secundum eadem, & similiter habentem, & nullam commutationem vel conversionem admittentem, factorem, & conditorem omnium intelligibilium, & sensibilium existentem: sic enim & sancta, & magna Nicæna Synodus exponens fidei symbolum ait: Lumen de lumine, Deum verum Filium de Deo vero Patre manifeste prædicans, & reliqua, ut catholica Ecclesia accepit, quam & nos suscipientes uno sensu, vesanum & veritatis inimicum Arium anathematizamus, & omnes qui eum ipso vel secundum ipsum de thearchica, & beata Trinitate τὸ ἑτερόουσιον, id est alteritatem substantiæ, & dissimilitudinem læsis sensibus opinantur; nihilo minus autem, & secundam sanctam, & universalem Synodum suscipientes similiter (g) pneumatomachum, quinimo (h) theomachum anathematizamus Macedonium, neque in personarum discretione differentiam substantiæ Patris, & Filii, & divini, & principalis Spiritus juxta prædictos hæresiarchas recipientes, neque in una eademque substantia personas secundum amentissimum Sabellium confundentes. Insuper, & confitemur unicum Dei Verbum incarnatum, & factum fuisse propter nos, secundum nos.

(a) *Isa.* 51. (b) *Luc.* 21. (c) *Joan.* 8. (d) *Matth.* 13. (e) *Forte*, impiissimos, uti notat Harduinus.
(f) Soles dixi, quia in Græcos sic reperi a causa necessitatis. (g) *id est*, Spiritum impugnantem.
(h) *id est*, Deum impugnantem.

nos. Non enim angelus, non legatus, sed ipse Dominus venit, & salvavit nos, & nobiscum factus est Emmanuel: & iste erat Deus verus, Deus Israel, & omnium salvator, secundum divinas, & propheticas voces. Unde, & sanctissimam, & nuptiarum ignaram Mariam, quæ illum peperit, proprie ac veraciter Dei genitricem, fatemur, quemadmodum universalis tertia Synodus, quæ prius apud Ephesum congregata est prædicavit; cum qua & nos hominis cultorem, & jactantissimum atque Judaicum sensum habentem Nestorium anathematizamus, duplicem docentes unum eumdemque Christum, & Dominum, Deum scilicet perfectum, & hominem perfectum in una persona, utriusque naturæ differentia; sed proprietates inconvertibiles, & inconfusas perpetuo conservantem, quemadmodum, & sancta universalis Synodus dogmatizavit: quam cum jam numeratis tribus Conciliis, tamquam sanctorum euangeliorum quaternitatem suscipientes, anathematizamus delirum Eutychetem, & vecordem Dioscorum: quin & duas naturas in uno Christo secundum manifestiorem expositionem sanctæ quintæ, & universalis Synodi prædicantes, anathematizamus Severum, & Petrum, & Zoaram Syrum; Originem etiam qui vana sapuit, & Theodorum Mopsuestiæ; Didymum quoque pariter, & Euagrium, qui etiam secundum easdem, & diversas opiniones eodem perditionis irretiti sunt barathro, & cum prædictis Synodis consonantem, & eadem sententiam sanctam, & universalem sextam Synodum suscipientes, quæ in unius Christi duabus naturis consequenter etiam duas operationes, ac totidem voluntates sapienter asseveravit. Anathematizamus autem Theodorum, qui fuit Episcopus Pharan, & Sergium, & Pyrrhum, & Paulum, ac Petrum, impios præsules Constantinopolitanorum Ecclesiæ, atque cum eis (a) Honorium Romæ, una cum Cyro Alexandriæ, nec non & Macarium Antiochiæ, ac discipulum ejus Stephanum, qui malæ opinionis Apollinarii, & Eutychetis, ac Severi, impiorum hæresiarcharum, dogmata sectantes, sine operationa ac sine voluntate animatam anima rationabili, & intellectuabili Dei carnem, sensibus læsis, & revera sine ratione, prædicarunt. Si enim Deus perfectus, & homo perfectus, unus idem Christus, & Deus extitit, certissimum est, quod nulla secundum partem naturarum, quæ sunt ei, sine voluntate, vel sine operatione consistat, sed secundum utramque substantiam volans, & operans consummaverit magnum dispensationis mysterium, quemadmodum & omnium deiloquorum chorus, ab Apostolis usque ad nos, hæc certissime sciens, atism imaginem humanæ illius formæ depingens, erexit; impendens utique parti unius Christi distinctas invicem naturales proprietates: per quas procul dubio significationes, & notiones divinæ ipsius, & humanæ naturæ inconfuse permanere creduntur; sicut etiam septimam sanctam, & universalem, in Nicæa secundo celebratam, Synodum orthodoxæ dogmatizasse novimus, unum & eumdem Christum, & Dominum invisibilem, & visibilem professam, & incomprehensibilem, & comprehensibilem, & incircumscriptum, & circumscriptum, impassibilem etiam, & passibilem, atque inscriptibilem, & scriptibilem. Cui concordans, & sancta hæc, & universalis synodus magna voce anathematizat Anastasium, Constantinum, & Nicetam, irrationalem stercoralis nominis præsulatum, vel quod est magis dicendum, putredinem, nec non, & Theodosium Ephesium, & Sisinnium Pastilam, & Basilium Triecacobum, quin potius, & Theodoretum, & Antonium, atque Joannem quondam præsules novæ Romæ, regiæ civitatis Christianorum, immo Christi calumniatores; quem videlicet nequaquam valuisse idolorum exterminare statuas, ut de eo pronuntiavit prophetarum catalogus, operibus, & verbis prædicaverunt: ad hunc etiam & Theodorum, qui dictus est Crithinus, quem, & hæc sancta, & magna synodus convocans, & redarguens, magna voce anathema ipsius auribus intulit: simili quoque modo anathematizamus, & omnes consentaneos, & fautores eorum, a quibus dicebatur, quod sermo divinæ incarnationis per phantasiam, & putative factus extiterit, per abolitionem scilicet imaginis Christi, & Salvatoris nostri, simul atiam sublatæ formæ cum ea, verissimæ illius, & deiferæ carnis: bifarie quippe intelligitur omne, quod nequaqoam imagine comprehenditur, aut velut non existens, aut velut existens quidem, sed minime comprehensibile, utpote invisibile, & obstrusum. Si quis igitur horum aliquid forte super Christo omnium nostrum Deo, & Salvatore perhibuerit, impius liquido declarabitur, quandoquidem unum horum non fuisse factum secundum veritatem hominem Emmanuel ostendit, alterum vero factum quidem fuisse, sed humanis proprietatibus caruisse, & assumptam carnem deposuisse, ad divinam (b) atque incomprehensibilitatem per omnia recursum fecisse demonstrat: quod alienum est ab omnibus divinitus inspiratis scripturis: quæ etiam iterum eum venturum judicem omnium prorsus affirmant, similiterque videndum, quemadmodum visus est Discipulis, & Apostolis suis ad cælos assumtus. Illud autem Manichæica opinione, ac impietate plenum est, quo insensate dicitur, de eo divini David eloquium pronuntiatum fuisse, & quod perhibet: (c) *In sole posuit tabernaculum suum*; cum videlicet hæc impietas abjectionem, ac depositionem significari per id dominici, ac deifici corporis opinetur: sed verbum veritatis, & de pheronymo (d) Manete, & de singulis, qui cum eo sapiunt, & Iconomachicæ sunt auctores hæreseos, atque de aliis omnibus hæresiarchis, ac impiis fiducialiter ait: Non cognoverunt neque intellexerunt, sed in tenebris ambulaverunt. Etenim, o qui derelinquitis vias rectas, & ambulatis in viis tenebrarum: o qui lætamini in malis, & exultatis in eversione mala: quorum semitæ pravæ sunt, & curvi gressus eorum, ut longe faciant a via recta, & alienos a justa sententia. Et rursus: (e) Qui a vento corrupta seminaverunt, & eversio eorum excepit ea. (f) Et iterum: Qui innititur mendaciis, hic pascet ventos. Idem autem ipse persequetur aves volantes; derelinquit enim vias vineæ suæ, in axis autem agri sui errat: deambulat enim per inaquosum desertum, & terram extensam in siti, congregat autem in manibus suis sterilitatem: propter quod hos omnes transmittit anathemati, & dinumera-

taa

(a) Maximus egregie Honorium Papam defendit in dialogo cum Pyrrho, ut dictum est sup. In VI. Synodo act. 13.
(b) *Forte deest*: naturam. Harduinus. (c) *Psal.* 18. (d) Manes furis quo Manichæi appellati sunt, qui recte pheronymus Græce dicitur, quia secum fert nomen insaniæ, manes enim insaniæ intelligitur.
(e) *Osee* 8. (f) *Prov.* 10.

tas nobis sanctas & universales septem Synodos recipiens, & hanc octavam universalem Synodum congregavit per gratiam omnipotentis Christi, & Dei nostri, & pietatem ac studium tranquillissimi, & divinitus roborati imperatoris nostri, ad excidendum, & disperdendum per eas exortas propagines injustitiæ, ac iniquos nisus seu promotiones, ad efficiendum pacificum Ecclesiæ ordinem, & orbi stabilitatem. Non enim sola verorum dogmatum privatio novit perdere male opinantes, & tumultuari, ac turbare Ecclesiam, sed & divinorum mandatorum prævaricationes nihilo minus eamdem perditionem non vigilantibus excitant, & æstu ac fluctibus implent orbem, qui Christi appellatione censentur: quod etiam, & per Photii miseri insipientiam, & astutiam, & malignam operationem per instantis temporis factum est, qui non per ostium, sed per fenestram in caulum ingressus ovium, quasi fur & latro, animarum grassator, quemadmodum dominicus sermo designat, omni tempore, ac omni fortitudine furari, & mactare, ac perdere rationabiles pecudes Christi tentavit, multasque persecutiones operatus, plures custodias, & carceres, ac rerum publicationes, atque longissimos exulatus, & super hæc insimulationes, sed accusationes, & falsiloquia, & scriptiones fictas, contra omnes zelatores pietatis, & propugnatores veritatis, commentando, non destitit justissimum videlicet, & legitimum, atque canonicum summum Sacerdotem Constantinopolitanorum Ecclesiæ, sanctissimum scilicet patriarcham Ignatium, ut alter quidem Severus, seu Dioscorus, expellere machinans, & instar latronis adulteri sedem illius invadens, & mille depositoriis sententiis, ac totidem anathematibus affatim eum submittens; atque multifarie multisque modis incessantem turbationem, & æstum cunctis Christi, & Salvatoris nostri Ecclesiis excitans. Verumtamen non est infatuatum sal terræ, neque oculus Ecclesiæ penitus extenebratus, neque luminare, malitiæ spiritibus, pietatis extinctum est; neque ignis divinæ caritatis consumtoriam, & incendantem operationem peccabilis, & levis materiæ perdidit, neque sermo Domini, qui est acutior gladio ancipiti, & cogitationum discretor, inefficax inventus est, neque solidæ petræ fundamentum collusionibus, vel in inundationibus fluminum, & pluviarum demersum concidit; sed lapis angularis, & preciosus, qui in Sion, id est, in Ecclesia positus, super quem fundamentum Apostolorum, & Prophetarum in ædificationem Ecclesiæ positum est, multos quidem alios in generatione nostra emisit volubiles lapides super terram, ut (a) Propheta dicit, ab omni ordine catalogi Ecclesiastici etiam in regnante Urbe, ac Roma nova, confringentes scilicet, & conterentes machinamenta eorum, qui devastare veritatem, & divinam justitiam voluerunt, & tentaverunt: potius autem, atque præcipue veluti quemdam alterum angularem lapidem illius quodammodo conservantem, quantum fieri potest; imaginalem similitudinem contra Photii propugnacula, tamquam a quodam excelso, & perspicuo loco, Nicolaum beatissimum, & pheronymum Papam senioris Romæ desursum misit, qui jaculis Epistolarum suarum, atque verborum, & Photii fautores principes, ac potentes perculit, & versa vice veteris historiæ, quemadmodum alterum quemdam Madianitam Photium cum Israelitide Ecclesia mœchantem, secundum zelatorem Phinees, veritatis mucrone pupugit, (b) & acquiescentem remedia medicinalis disciplinæ suscipere ad adulterii vulneris sanitatem cicatricem consequendam, etiam penitus interfecit: atque cum conjuncta ei quasi Sacerdotali dignitate per anathema, ut alter (c) Petrus Ananiam, & Saphiram, qui divina furati sunt, morti transmisit. Hujus autem definitionibus, ac decretis innixus piissimus, & Christi amicus Imperator noster, & Dominus majestatis in salutem orbis terrarum erexit, Photio quidem convenientem impartitus est locum; sanctissimum vero Patriarcham Ignatium ad thronum proprium revocavit; porro ad perfectam discretionem, & distinctionem ejus quod bonum esse constat, & expedit, Vicarios etiam ex omnibus patriarchalibus thronis, nec non & omnem Episcoporum catalogum, qui sub potestate sua degit, in idipsum collegit: qui videlicet convenientes magnam hanc, & universalem celebravimus Synodum, & cum multo scrutinio, & probatione, atque tractatu, delimate, ac convenienter scandalorum, & zizaniorum radices, una cum germinibus, gladio spiritus excidimus, insontem scilicet, & sanctissimum Patriarcham Ignatium in proprii throni cardine stabilientes, & Photium pervasorem, atque adulterum cum omnibus sequacibus suis, & nequitiæ fautoribus condemnantes. Dicit enim quodam loco per Prophetæ vocem universorum Deus. (d) *Propter malitias adinventionum suarum de domo mea ejiciam eos; & ultra non addam, ut diligam eos. Doluit Ephraim, radices suas aruit, fructum ultra non afferet.* Et iterum: (e) *Chanaam, in manu ejus statera injustitiæ, vim inferre dilexit: & dixit Ephraim: Verumtamen dives factus sum, inveni refrigerium mihi. Omnes labores ejus non invenientes, & propter injustitias, quas peccavit.* Et iterum: (f) *Et hereditabunt domus Jacob eos qui hereditate receperant eos: & erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma: domus autem Esau in stipulam, & exardescent in eos, & comedent eos, & non erit, qui ignem ferat domui Esau, quia dominus locutus est.* Miser namque Photius erat veraciter, ut homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine versutiarum suarum, & prævaluit in vanitatem malitiarum suarum, secundum veterem illum Ephraim, discedens a divinis justificationibus: quem irridens, & subsannans propheticus sermo, ita dicit. (g) *Ephraim factus est subcineritius panis, qui non reversatur, & manducaverunt alieni fortitudinem ejus. Ipse autem non agnovit, & cani effloruerunt ei, & ipse non cognovit, & humiliabitur injuria Israel in faciem ipsius, & in omnibus his non est conversus ad Dominum Deum suum. Ephraim columba, a mensis Ægyptum invocabat, & in Assyrios ibat: cum profecti fuerint, immittam super eos rete meum, sicut volatilia cæli, & attraham, & corripiam eos in auditionem tribulationis eorum.* In supremam quippe arrogantiam elatus (h) est contra beatissimum Papam Nicolaum senioris Romæ, malitiæ suæ venenum evomuit: & falsos vicarios trium quasi orientalium sedium congregans, & Concilium Synodale, ut pu-

(a) Prophetam hic Zachariam designat, qui mystice inter alia secundum veterem editionem dicit: *Quoniam lapides sancti volvuntur super terram ipsius.* (b) *Forte*, & non acquiescentem. Harduinus. (c) *Act.* 5. (d) *Osee* 9. (e) *Osee* 12. (f) *Abdias.* (g) *Osee* 7. (h) *Forte redundat verbum* est. Harduinus.

putabatur, constituens, & accusatorum, ac testium componens nomina, & personas, ac verba formans, quæ singulis eorum quasi aptari viderentur, qui in Synodica judicatione inveniuntur, & quasi monumenta horum libros falsidicos fingens, & scribens, atque componens, anathematizare præsumsit prædictum beatissimum Papam Nicolaum, & omnes communicatores ejus; ita ut ex hoc etiam universos, qui sub cælo erant Pontifices, & sacerdotes, id est & ceteras Patriarchales sedes, & omnem sacrum catalogum, qui sub ipsis degit, sub eodem comprehenderet anathemate. Erant enim omnes certissime communicatores prælati Pontificis, in quibus eum, & qui cum ipso sunt propheticus sermo redarguens, & diffamans, ita dicit: (a) *Multiplicaverunt, ut impie agerent, & legerunt foris leges, & invocaverunt confessionem.* (b) Et rursus: *Et meditati sunt in corde suo sermones injustos, & posuerunt retrorsum judicium, & justitia longe recessit ab eis: quia consumta est in viis eorum veritas: & per vias rectas non potuerunt transire, & veritas sublata est: & transtulit mentem suam, ut non intelligeret. Et qui declinat a malo, impugnatur: & vidit Dominus, & non placuit ei, quia non erat judicium.* Et rursus: *Hæc dicit Dominus, super tribus impietatibus Juda, & super quatuor non convertam eum, pro eo quod repulerunt legem Domini, & præcepta ejus non custodierunt.* Hunc itaque qui sic affectavit, & talibus, ac tot conatibus, & temeritatibus turbavit, & concussit totam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, & nullatenus converti, ac pœnitere voluit, neque subdi decreto, & judicio sanctarum Patriarchalium sedium consensit, ut eum, & multum ante anathematizavit beatissimus Papa Nicolaus, ac deinde successor ejus sanctissimus Hadrianus Papa, ita & sancta hæc, & universalis Synodus reprobavit, & anathema magis, ac magis mandavit, dicens ad eum ex persona cunctorum Dei per Isaiæ Prophetæ vocem: (c) *Quomodo vestimentum in sanguine coinquinatum non erit mundum,* ita nec tu eris mundus, quia Ecclesiam Christi adulterasti, & populum Domini multis partibus, & multis modis scandalizasti, & perdidisti: eos autem qui se sic non habent, sed illi faventes adhærent, si quidem Episcopi, vel Clerici sunt, in perpetuum depositos fore præcipimus; Monachos autem seu Laicos anathematizamus quousque a sua seductione atque malitia convertantur.

De iis, quæ post solemnem Termini, seu Synodalis Decreti lectionem acta fuerunt.

CAP. II.

I. Lecto ad Patres Decreto, quæsivit statim ab iis Imperator Basilius: *Dicat nunc sancta, & universalis Synodus, si omnibus sanctissimis Episcopis concordantibus, atque consentientibus præsens terminus sit depromtus. Oportet enim divina quæque cum universorum consensu, & consonantia in Ecclesiasticis prædicari & confirmari collegiis.* Norat, prævidebatque Imperator, a Photio, ejusque asseclis quosvis calumniarum fucos adversus Synodum fore excogitandos. Exclamavit nihilominus omnis protinus Synodus: *Omnes ita sapimus: Omnes ita prædicamus: Omnes consentientes promte subscribimus. Hoc est veritatis judicium: hoc est justitiæ Decretum: hæc est Canonum expositio: hæc est Ecclesiasticæ ordinationis defensio: hanc Synodum zelator Deus congregavit.* Tum sanctissimis in Augustos Principes, Adrianum Pontificem, Orientales Patriarchas acclamationibus diras execrationes contra Photium, Gregorium Syracusanum, & Eulampium Apameensem adjunxit. Post hæc gratias egit Basilius Patribus pro tot laboribus in itinere ac Synodo exantlatis. Placuit autem adeo hæc Principis pietas Apostolicæ Sedis Legatis, ut ei primum subscribendi Oecumenicæ Synodo locum honoris causa deferrent: *Volumus*, inquiunt, *ut subscribant primitus Christi amatores Imperatores;* Basilius nempe, ac ejus Filii Constantinus, & Leo. Sed vide egregiam piissimi Principis humilitatem; *Tranquillissimum*, inquit, *Imperium nostrum sequutum præcedentes, & justissimos Imperatores, Constantinum videlicet Magnum, & Theodosium, & Marcianum, ac ceteros, vult subscribere post subscriptionem omnium Deo amabilium Episcoporum. Sed quoniam postulat præferri nos Sanctitas vestra, subscribam post subscriptionem omnium sanctissimorum Vicariorum: edocti enim sumus a Christo vero Deo nostro habere exaltantem humilitatem.* Alludit ad illud Christi Domini in Euangelio S. Lucæ Cap. XVIII. *Qui se humiliat exaltabitur.*

II. Fuit omnino factum, uti pie, ac jure edixit Basilius, subscripserunt enim primi, uti in fine Commentariorum nostrorum ad Canones hujus Synodi legere est, Legati Apostolicæ Sedis, post eosque ante Vicarios Patriarchalium Sedium Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ, subscripsit Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus: *Erat Romanæ Sedis*, inquit Lupus, *istum Episcopi Constantinopolitani irregularem ambitum hucusque refutantis; sensui, ac decretis adversum; verum dispensatorius pacis amor suasit dissimulari.* Post trium memoratarum Patriarchalium Sedium Legatos, ante Episcopos omnes subscripsere Imperatores, ut Acta inquiunt, *Basilius, & Constantinus, figentes quidem propria manu in quinque voluminibus pretiosæ Crucis figuram, Basilio Magno Imperatore, similiter etiam & Constantino figente Crucem pro se, & pro fratre suo Leone, subscribente quoque nomina trium Imperatorum propria manu, & subscriptionis residuum subscribente Christophoro Proto-asecretis, & præposito Caniculi. Deinde subscripserunt universi Episcopi secundum proprium ordinem in quinque voluminibus.* Plura ex hisce addiscimus. I. Imperatores solam Crucem, & suum nomen propria manu scripsisse, residuum vero scripsisse Christophorum Proto-asecretis, & Præfectum Caniculi, de quo Anastasius Bibliothecarius in suo marginali Scholio ad hanc Synodum, *Præpositus Caniculi*, ait, *apud Græcos est, qui curam, & custodiam gerit Caniculi, idest Atramentarii, ex quo Imperator phœniceas literas scribit in chartis.* Subdit Lupus, augustum atramentarium ita appellatum, quod haberet Caniculi formam. II. Subscribentem Basilium Augustum fixisse pretiosæ Crucis figuram, & quidem proxime ante suum nomen, quod ita olim in re præsertim gravi subscriberetur, uti docent innumera pene antiqua instru-

(a) *Isai. 59.* (b) *Amos 2.* (c) *Isai. 9.*

instrumenta ab Ughellio in Italia sacra, ac ab eruditissimo Ludovico Antonio Muratorio in suis Rerum Italicarum Libris, & ab aliis Scriptoribus allata. Subscriptioni autem Crucem addere, erat eum juramento subscribere. III. Factas icirco fuisse Imperatorum, atque Episcoporum subscriptiones *in quinque voluminibus*, ut unaquæque scilicet Patriarchalis Sedes suum exemplar haberet. Addit præterea in sua ad hanc Synodum Præfatione Anastasius Bibliothecarius, *singulos Codicet plumbea bulla fuisse munitos, atque singulatim loci servatoribus traditos, Patriarchalibus Sedibus deferendos.* Quod tandem hujus Synodi Acta Anastasius ipse Romam detulerit, atque Adriano II. Papæ exhibuerit, qui ei commisit, ut illa in linguam Latinam verteret, idemmet Anastasius in Præfatione sua ad eam versionem testatur.

III. Præter Encyclicam Epistolam ad Episcopos, & universos Christifideles, quæ incipit, *Exultate Domino adjutori nostro &c.*, quamque post subscriptiones Episcoporum describemus infra post Commentarios nostros ad Canones, dedit sancta hæc Synodus aliam Epistolam ad Adrianum II. Papam, confirmationem ab eo rogans his inter alia verbis, quæ ad calcem Epistolæ ipsius recensentur: *Igitur libenter, oppido, & gratanter imitatrice Dei sanctitate vestra omnium nostrum conventuum, & universalis hujus, atque Catholicæ Synodi consensum, & consonantiam recipiente, prædica eam magis, ac velati propriam, & solicitius confirma Euangelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis personet, & suscipiatur veritatis verbum, & Justitiæ Decretum.* Confirmatam fuisse Synodum ab Adriano II. Papa, abunde superius ostensum est ex ejus Epistola ad Basilium Imperatorem; ab eoque tempore recepta est, ut Oecumenica Synodus non modo a Latinis, sed ab ipsis etiam Græcis Orthodoxis, apud quos in tanta fuit veneratione, ut ejusdem Synodi breviarium ad valvas magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ eum insigni elogio affixerint. Græci tamen posteriores Schismatici septem tantum Oecumenicas Synodos professi sunt.

De successu, & fine contentionis inter Apostolicæ Sedis Legatos, ac Græcos circa Provincias Bulgarum, excitatæ, utri scilicet Ecclesiæ, Romanæ, an Constantinopolitanæ Bulgari recens ad fidem conversi subjici deberent? ac de Legatis Romam post Synodum redeuntibus.

CAP. III.

I. NEmo est, qui nesciat, Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, aliasque Italiæ, ac Illyrici totius Ecclesias ad Romanum Patriarchatum pertinuisse, ab eoque per vim avulsas fuisse deinde ab impio Leone Isauro, & factas Patriarchatui Constantinopolitano subjectas. Sed eum Bulgari provincias, quibus Illyricum ipsum constabat, Daciam scilicet Mediterraneam, Daciam Ripensem, Prævalim, Dardaniam, ac Mysiam superiorem occupassent, eisque novæ Bulgariæ nomen, quo & hodie Regio illa appellatur, dedissent; & Nicolai I. Papæ opera, qui a Michaele Bulgarorum Rege rogatus anno DCCCLXVI. illuc & Legatos, & Concionatores misit, ut populum illum plenius Fidem, ritusque Christianos docerent, Christi legem, atque Catholicam Religionem amplexi fuissent, magnæ id Græcis fuit incentivum in Romanam Sedem invidiæ, quod in apertum paulo post absolutam Synodum hanc nostram erupit. Miserat enim Michael Bulgarorum Princeps Oratores suos Constantinopolim, ut habita cum Patriarcharum omnium Legatis, & Ignatio Constantinopolitano collatione, scirent cujus Patriarchæ ditioni subesse Bulgaria deberet.

II. Itaque post tertium diem, ut rem narrat in Vita Adriani II. Bibliothecarius, & post eum Cardinalis Baronius, Pagius, & alii, quo penitus absoluta est Synodus, congregatis in unum Basilio Imperatore, Apostolicæ Sedis, & aliarum Patriarchalium Legatis, una cum Ignatio Patriarcha Constantinopolitano ad audiendos Michaelis Bulgarorum Legatos, magna ibi altercatio habita est, utri scilicet Ecclesiæ, Romanæ, an Constantinopolitanæ, iidem Bulgari recens ad Fidem conversi subjici deberent, asserentibus Græcis ad Constantinopolitanam eos pertinere, quod eorum regio, antequam ipsi eam occupassent, Græcorum pareret Imperio, ac Græcos Sacerdotes haberet: contra vero contestantibus Apostolicæ Sedis Legatis, jura Sedium non sequi Regnorum divisiones; sed & utramque Epirum, totamque Thessaliam, Dardaniam, Daciam, & cæteras in Illyrico Provincias, in quibus tune Bulgari habitabant, antiquitus solitas fuisse a Romana Ecclesia immediate administrari; ipsosque Bulgaros, qui nihil ad Imperium Græcorum pertinerent, cum Fidem Christianam suscepernnt, sponte se eidem Romanæ Ecclesiæ subjecisse, sacros ab ea ministros quærentes, quibus in omnibus obedirent: ac denique neque unquam Græcos eas Provincias jure dominationis possedisse, nisi in quantum sceptro Romano potirentur, quo tunc privati essent.

III. Narrat hæc quidem in Vita Adriani II. Guilelmus Bibliothecarius, qui etiam argumenta refert, quibus Græci prætensum suum jus in Bulgarorum Ecclesiis tuiti sunt. Sed tametsi haud difficili negotio argumenta illa Apostolicæ Sedis Legati diluerent, qui etiam & Græcos Judices hac in causa recusarunt; hi tamen temerario, ac iniquo judicio hanc sententiam pronunciarunt; *Bulgarorum patriam ex Græcorum potestate dudum fuisse, & Græcos Sacerdotes habuisse comperimus sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, a qua quia per paganismum recesserat, nunc per Christianismum restitui judicamus.* Sed tametsi in gratiam Imperatoris, hanc sententiam Legati Orientalium Sedium Patriarchalium præcipitarint, reclamantes tamen Apostolicæ Sedis Legati, illorum sententiam tanquam ab inferioribus, ideoque haud legitimis Judicibus latam respuerunt, totamque causam supremæ Apostolicæ Sedi reservarunt: interim vero graviter Ignatium contestati sunt, ne Romanæ Ecclesiæ jura minueret, a qua ipse propriæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ restitutus esset. Hisce admonitionibus Romanorum Legatorum excitatus Ignatius ita quidem respondit: *Absit a me, ut ego his præsumtionibus contra decorem sanctæ Sedis Apostolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi subripi valeat, nec ita seniliter*

niliter deliro, ut quod in aliis reprebendera debeo, ipse omittam. Ipse nihilominus Bulgarorum Diœcesim jure Patriarchico regendam suscepit Ignatius, Romanisque Presbyteris ejectis, Græcos illuc Presbyteros misit, eique genti Theophilactum Episcopum ordinavit.

IV. Deceptos quoque in ea causa a Græcis Apostolicæ Sedis Legatos, ex eo constat, quod, ut ex Anastasio narrat Baronius, aliique Scriptores multi, græca calliditate conventi sint, ut ipsi carentes proprio interprete, coacti fuerint uti eo, qui tunc solus aderat, Interprète Imperatoris, qui nihil retulit eorum, quæ ab utraque parte dicerentur, nisi quæ videret Imperatori suo grata esse, & in honorem Sedis Constantinopolitanæ vertere. Est enim de his justa querela ipsius Anastasii Bibliothecarii, qui eandem contentionem recensens in sua historica ad hanc Octavam Synodum Præfatione, multa addit, probatque de fraudibus, quibus Græci uti consuevissent, tum in aliis rebus, tum præcipue in singulis ferme Sinodis Oecumenicis. Plura habes in hoc nostro Conciliorum Tomo, post historiam VI. Synodi Cap. III. de Græcorum fraude in corrumpendis libris, ac vitiandis Synodis; sed quod ad istam octavam attinet, asserit quidem Anastasius, quicquid in Latinis ejus Actis reperitur, quæ ipsa, ut testatur, e Græco in Latinum vertit, & annotationibus marginalibus illustravit, dum esset Constantinopoli, ab omni falsitate extraneum: quicquid autem amplius, sive de Diœcesi Bulgarica, sive de aliis quibuscumque rebus in Græco Codice forte inveniatur, totum esse mendacii venenis infectum.

V. Sed non hic finis Græcorum fraudis, querentibus siquidem quibusdam apud Basilium Imperatorem, quod Ecclesiam Constantinopolitanam nimis abjecte subjecisset Romanæ, cum permisit, ut nullus lapsorum ad Ecclesiam rediret, nisi dato libello Apostolicæ Sedis Legatis; ejusdem Basilii jussu quædam eorum libellorum pars e domo Legatorum furto sublata est: qui tamen, magnas inde querelas cientibus Legatis, paulo post restituti sunt, ex quibus Legati cautiores facti omnia eadem scripta secreto per Anastasium Bibliothecarium, aliosque Legatos Ludovici Imperatoris, Romam transmiserunt; cum quibus idem Anastasius detulit pariter Acta Synodi. Id non sine magna Dei providentia factum, recte admodum notant Scriptores, cum Legati Apostolicæ Sedis Constantinopoli Romam navigantes, in manus piratarum Slavorum inciderint; a quibus spoliati omnibus bonis, ipsum quoque authenticum Actorum Synodi codicem amiserunt: quibus plane caruisset Apostolica Sedes, nisi eorumdem exemplar Anastasius secum detulisset. Porro Legatos Romanos aliquandiu captivos detentos a piratis, Apostolicarum tandem, & Imperialium literarum auctoritate liberatos esse, ac Romam revertisse XV. Kal. Januarii, Indictione IV. tradit in Vita Adriani II. Guilelmus Bibliothecarius. Verum in ejusdem Pontificis Epistola ad Basilium ipsum postea scripta, nequaquam ex literis Imperatoris, sed divino tantum auxilio eos liberatos esse, imo non sine magna Imperatoris culpa tantum discrimen incurrisse significatur.

VI. Scripsit hanc Epistolam Adrianus ad Basilium Imperatorem, quod is anno DCCCLXXI. & Ignatius Patriarcha Romam ad ipsum Adrianum misissent Theognostum apud Constantinopolitanos Monasterii Fontis Hegumenum, & Ecclesiæ sanctæ Sophiæ *Scevofilacem*, seu vasorum custodem, a Pontifice petiturum, ut quæ in Synodo Octava remanserant indefinita, definiret ipse, atque dispensaret in his, quæ ibidem statuta essent, de non recipiendis promotis a Photio, vel qui subscripserant illius Pseudosynodo adversus Nicolaum Papam coactæ. Ad quæ rescribens Adrianus Epistolam superius memoratam, quarto Idus Novembris indictione quinta datam, primo de Legatis Apostolicæ Sedis *sugillavit* Imperatorem, quod absque præsidio ita illos remiserit, ut apud regiones sub ejusdem Imperio constitutas a piratis capti fuerint: deinde questus est de Ignatio, quod Bulgaris Antistitem a se ordinatum mittere præsumpserit: *Veruntamen*, inquit inter alia Pontifex, *saltem nunc jam dictum Reverendissimum Præsulem ab illius regionis dispositione salubribus monitis, quæsumus, coercere; alioquin nec ipse Canonicam effugiat ultionem; nec illi, qui Præsulatus, vel alterius officii sibi nomen illuc usurpant, cum excommunicatione, qua jam tenentur adstricti, etiam proprii gradus jactura carebunt.* Negat tandem Adrianus Pontifex, se dispensaturum cum Photianis, nisi nova emergente causa, quod non sit moris Romanorum Pontificum, pro libitu proprio Decessorum sanctionibus, vel Synodorum Oecumenicarum Decretis derogare. Fuse de ea Bulgarorum causa, & de Joannis VIII. qui Adriano II. successit, studio, ut relictis Græcis ad Romanæ Ecclesiæ gremium redirent, agunt Baronius, & Pagius in Vita ipsius Joannis Papæ VIII. itemque Lupus, Tomo III. Operum in Dissertatione, *De Octava Synodo generali*, Cap. XI. & Natalis Alexander Dissertatione IV. in Historiam Ecclesiasticam Seculi IX. & X. §. XXIII.

De fraudibus, ac malis artibus Photii post Synodum hanc Oecumenicam, ac de ejus per Joannem VIII. Pontificem Maximum in Sedem Constantinopolitanam restitutione defuncto Ignatio. Joannis VIII. actio a prava quorundam opinione vindicatur.

CAP. IV.

I. ANnus Christi agebatur DCCCLXXVII. quum veterator Photius videns Joannem Papam occasione Diœcesis Bulgarorum Ignatio infensum redditum, miro artificio ex malis artibus paravit sibi apud Basilium Imperatorem benevolentiam, & reditum ab exilio ad quod fuerat damnatus. Historiam enim fingens, (ut ejus fraudis testis est in Vita S. Ignatii Nicetas Paphlago, Constantinus Manasses Græcus historicus, ex eisque recentiores passim Scriptores, Baronius, Lupus, Natalis Alexander, & alii) qua genealogiam Basilii, ejusque perobscurum genus deduceret a Tiridate magno Armeniorum Rege: cum suppositis, quæ voluit nominibus pervenit ad patrem Basilii, ejus filium scripsit nativitate talem, qualis Basilius fuit: atque ex primis literis nominum Basilii, ejusque uxoris Eudociæ, filiorumque Constantini, Leonis, Alexandri, & Stephani composita voce, nomen ei futurum finxit Beclas, eumdemque felicitate, & annositate ante-

anteceſſores omnes Reges ſuperaturum auguratus eſt. Sexcentis fabulis genealogiam illam cum adornaſſet, vetuſtiſſimis in membranis, Alexandrinis etiam characteribus ementitis deſcripſit, codicemque antiquis, & fumoſis chartis obvolutum recondidit in Palatina Bibliotheca, miniſterio uſus Theophanis, regii tunc temporis Clerici, magnæque apud Imperatorem exiſtimationis, poſtea vero in fraudis præmium Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi. Is ergo Theophanes librum plane mirabilem, & exquiſitum ſe in Bibliotheca repeLiſſe, Baſilio Imperatori indicat, qui res arcanas, & vaticinia ipſius Majeſtatem ſpectantis complecteretur, ceterum illius arcana præter Photium immenſæ eruditionis virum poſſe reſerare neminem.

II. Itaque extemplo Codex ad Photium mittitur in exilio degentem, jubeturque myſticam geneologiam explicare. Negat ille, ſe res arcanas, quæ Imperatorem ſpectarent, alteri ab ejus Majeſtate revelaturum. Quid igitur? *Capitur*, inquit laudatus Nicetas, *Imperatoris facilitas hac fabula, & cum Photio in gratiam redit. Solent enim fauſtæ*, ut idem Auctor ſubjungit ad eruditionem Principum, qui a nebulonibus hallucinari ſolent, *quamvis vaniſſimæ prædictiones excelſam, & gloriæ appetentiorem indolem eludere, & enervare, penituſque in ſuam poteſtatem redigere.* Ergo Imperator ambitioſa curioſitate incitatus, Photium ab exilio Conſtantinopolim revocat. Is Baſilium, qui ruſticam ex Macedonis originem ſuam erubeſcebat, de natalium ſplendore adulatur, confictamque geneologiam exponens, & vaticinia, quæ jam maxima ex parte impleta erant, & quorum eventus ſpem faciebat fore, ut cetera quæ glorioſiſſimum, ac feliciſſimum illi portendebant Imperium, pariter implerentur, ſe ſe in Principis animum veluti vaferrimus coluber inſinuavit, aſſiduuſque in palatio, ac plenam Baſilii benevolentiam nactus Theodorum Santabarenum nequiſſimi patris nequiorem filium ſolo habitu Monachum, & Abbatem fuco ſanctitatis illudentem, Arinlum, Magum, Necromanticis quoque præſtigiis inſignem Imperatori ſiſtit, commendat, familiarem facit, eoque adjutore perperam conatus eſt Ignatium dejicere, & Sedem illius rurſum invadere. At nefarium conſilium difficilius ad exitum poſſe perduci animadvertens, obtinere nititur ab Ignatio in Sacerdotium reſtitutionem; ſed cum ille Canonum obſervantiſſimus, exauctoratum ab Oecumenica Synodo abſque Synodo altera æqualis ſaltem auctoritatis abſolvi non poſſe intrepide reſpondiſſet; Photius repulſam paſſus, Sacerdotium uſurpavit, atque in Regia Magnaura Patriarcham agens, Ordinationes celebrare, & Exarchos conſtituere auſus eſt.

III. Sed dum hæc agerentur, obiit tandem anno ipſo DCCCLXXVII. S. Ignatius die XXIII. Octobris, ut probat Criticæ Baronianæ Auctor. Ejus obitum procuratum fuiſſe a Photio, teſtati ſunt ſuis literis Orientales Epiſcopi Stylianus, & Collegæ ſcriptis ad Stephanum Papam V. alias VI. in locum Adriani III. ſuffectum anno DCCCLXXXV. Interim Joannes Papa VIII. qui Ignatium Patriarcham ſemel, iterumque monuerat, ut Conſtantinopolitanos Clericos univerſos e Bulgaria revocaret, ejuſdem Ignatii mortis adhuc inſcius, Paulum Anconitanum, & Eugenium Oſtienſem Epiſcopos Conſtantinopolim miſit cum Epiſtola ordine LXXVIII. data XVI. menſis Aprilis, indictione XI. anni DCCCLXXVIII. qua eum dignitate privabat, & excommunicationi ſubjiciebat, niſi mandatis Apoſtolicis intra dies triginta pareret. Quamvis autem id ab Ignatio impletum minime inveniatur, eumdem tamen ſemper uſque ad obitum in Catholica Romanæ Eccleſiæ communione fuiſſe retentum, multiſque, & inſignibus miraculis claruiſſe, aperte demonſtrant ejuſdem Joannis VIII. Papæ plures Epiſtolæ ad diverſos datæ poſt illius deceſſum, & auctor ejus vitæ Nicetas. Neque eſt, quod ob litem hanc Ignatium animo fuiſſe in Apoſtolicam Sedem infenſo quiſpiam exiſtimet, cum, ut docet Baronius ad annum DCCCLXXVIII. quæ juris eſſe putaret ſuæ Eccleſiæ defendere, juramento teneretur obſtrictus etiam diſpendio æternæ vitæ. Denique ad pleniſſimam ipſius excuſationem illud ſatis eſſe ſubjungit Baronius, quod prædictus Stylianus Metropolita Neocæſarienſis in Epiſtola ad memoratum Stephanum Papam, qua rerum geſtarum adverſus Photium hiſtoriam texuit, evidenter affirmat, adventum Legatorum Apoſtolorum Sedis, Pauli, & Eugenii, Conſtantinopolim, contigiſſe poſt obitum ejuſdem Ignatii; ſicque neceſſario oportuit, ipſum antequam recepiſſet ab eis literas perentorias excommunicationis, jam ex hac vita migraſſe.

IV. His in defenſionem S. Patriarchæ Ignatii dictis, ut filum hujus capitis proſequamur, ſcripſit eadem die XVI. Aprilis anni DCCCLXXVIII. Joannes Pontifex ad Baſilium Imperatorem, ſeque duos prædictos Legatos, qui Conſtantinopolitanam, & Bulgariensem Eccleſias viſitarent, mittere ſignificavit Epiſtola ſua LXXX. Scripſit & ad Michaelem Bulgariæ Regem Epiſtolas LXXV. & LXXVII. quibus eum hortabatur, ut ad Romanæ Eccleſiæ gremium rediret, dolens inter alia, quod Græcus ſequeretur. Ubi Legati Conſtantinopolim pervenere, Photius illorum conſtantiam fruſtra tentavit, ut ipſum ad communionem admitterent. Cum autem illi id facere recuſarent, per Theodorum Santabarenum ſuperius memoratum, nequiſſimum Monachum, & Abbatem, quem Patrarum Metropolitam creaverat, ad Joannem Papam Photius ſcripſit, ſe vim a tota Eccleſia, & Republica perpeſſum, ut Patriarchale Solium aſcenderet, mentitus. Quod ut ipſi facilius perſuaderet, Petri a ſecretis miniſterio, & fraude, Metropolitarum omnium ſubſcriptiones, & ſigilla ſuffuratus eſt, arcanam prædii cujuſdam emtionem prætendens, ut in Vita S. Ignatii refert Nicetas, qui etiam & illud narrat, *quod jam non toto, quom Ignatius obierat triduo elapſo Tribunal Patriarchale, revocata priſtina, & patricidali, tyrannicaque mente occupavit, & furore adverſus Sanctum renovato, cunctos illius domeſticos, ac ſervos cuſtodiis, verberibus, exiliis, aliiſque intolerandis malis, & ærumnis oppreſſit.*

V. Quamquam vero in dies ſcelera ſceleribus cumularet Photius, ſcripſit nihilominus ineunte anno DCCCLXXIX. Baſilius Imperator ad Joannem Papam VIII. legationemque ad ipſum direxit, qua Photium in Sedis Apoſtolicæ communionem ſuſcipi, & in Patriarchali Sede confirmari ardentibus votis poſtulabat, uti liquet ex ejus Pontificis Epiſtola CLXIX. ad Gregorium Primicerium, & bajulum imperialem data die III. Aprilis anni DCCCLXXIX. Baſilii precibus permotus Pontifex, ac victus, ejus votis annuit, reſciſſaque deceſſorum Romanorum Pontificum, & Synodi Oecumenicæ ſententia de Photio numquam recipiendo, cui etiam Joannes ipſe Archidiaconus coram uni-

versa

versa Ecclesia subscripserat, Photium tandem in communionem, & Sedem restituit. Caosas, quibus permotus fuit Joannes, ut Basilio, & Photio faveret, plures conjicit Cardinalis Baronius: nimirum potentiam Græcorum in Italia, cum jam Beneventani, atque Capuani, ut testatur Curopalates, a Francis defecissent ad Basilium; deinde ejusdem promissiones de liberanda Italia, ac præcipue ipsa Romana Ecclesia ab incursionibus Saracenorum, & infestationibus Comitum vicinorum Romanæ Urbi, deque revocanda sub Romanam ditionem Bulgarorum Ecclesia: præterea quod prætexebatur bonum pacis, & unionem Ecclesiarum, quæ ob rejectum Photium maximo schismate dividerentur: denique quod mendaci relatione Basilius Imperator Joannem Papam deceperit, dum literis suis testatus est, restitutionem Photii desiderari etiam ab iis, qui a sancto Methodio, & Ignatio ordinati olim fuissent: *Hæc sunt*, inquit Baronius, *quæ permovere Pontificem potuerunt, ut quod nullus fecerat Prædecessorum, ipse omnium maxima admiratione tentare ausus fuerit, atque perficere*. Ita ille, qui etiam postea valde culpabilem habitum fuisse ob restitutum Photium, Joannem Pontificem ostendere conatur, hincque accidere potuisse existimat, ut ob nimiam animi facilitatem, & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate idem Joannes, non Papa, ut decessores Nicolaus, & Adrianus, sed *Papissa* fuerit contumeliæ loco dictus; sicque nomen contumeliæ transierit posteris rerum insciis in veritatis opinionem, fueritque a pluribus decantatum, Joannem VIII. Papam fuisse fœminam.

VI. Consentit Baronio Natalis Alexander in Historiam Ecclesiasticam Sæculi IX. & X. Dissertatione IV. §. XXVI. Sed Petrus de Marca, quem sequitur uterque Pagius, auctor scilicet Criticæ Baronianæ, & alter qui scripsit Vitas Pontificum, Lib. III. *De concordia Sacerdotii, & Imperii*, Cap. XIV. Num. IV. jure merito censet, Joannem excusatione dignum: *Ignatio sancto*, inquit, *Photius toties damnatus Sedem suam recepit suffragiis Orientalium Episcoporum annitente Basilio Imperatore; sed illa restitutio integra esse non poterat, nisi a Sede Apostolica probaretur. Quare Joannes VIII. rogatus ab Imperatore, ut Ecclesiæ paci consuleret, necessitati cedens, Leonis, Gelasii, Felicis, & Concilii Africani auctoritate fretus, qui in rerum angustiis temperandas esse regulas docent, de consensu ceterorum Patriarcharum Photium anathemate liberavit, illique Sedem retinere concessit, ea lege, ut coram Synodo cogenda misericordiam peteret. De consensu inquam ceterorum Patriarcharum, & Episcoporum Joannes Photium solvit, ut videre est in Epistola germana ejusdem Joannis, quamquam in Epistola a Photio corrupta hic consensus desit*. Et paulo post subdit: *Ceterum a culpa Joannem liberat Principis, & ceterorum Patriarcharum, totiusque Synodi Orientalis consensus, quem datum fuisse Joannes suis literis significat. Præfert autem ad confirmationem sententiæ suæ exempla Athanasii, Chrysostomi, & Flaviani, qui a Synodis damnati cum fuissent, a Sede Apostolica in integrum restituti sunt*. Quibus exemplis, quæ ceteroqui nullo modo restitutioni Photii patrocinari possunt, Photium a Joanne restitutum scribit inter alios Ivo Carnotensis, cum in suo Decreto de jure dispensationum loquitur. Ceterum quod ad conjecturam Baronii, & Natalis Alexandri, aliorumque attinet, Joannem nempe VIII. ob nimiam facilitatem contumeliæ loco *Papissam* dictum fuisse, sicque jactatam fabulam locum dedisse Joannæ Papissæ, arbitrantium, ex eo ruere uterque Pagius scribit, quod hæc fabula exeunte tantum Sæculo decimotertio a Viro rei historicæ imperito excogitata fuerit, qui hanc prætensam Papissam non sub finem, sed circa medium Seculi noni inter Leonem IV. & Benedictum III. sedisse ineptissime scripsit.

De Pseudosynodo Photii, quam post restitutionem suam adversus Oecumenicam octavam Synodum celebravit; quamque perperam, & de ejus impudentia in adscribendo Sanctorum fastis primogenitum Constantini Imperatoris octavam vocavit.

CAP. V.

I. Rogatus jam a Basilio Imperatore Joannes Papa VIII. ut Photium restitueret, una cum Legatis Imperatoris Constantinopolim direxit Petrum Tituli S. Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, quem duobus aliis Legatis, Paulo, & Eugenio jam antea missis, & Constantinopoli existentibus adjunxit, ut Constantinopolitanæ Ecclesiæ statum juxta mandata Apostolicæ Sedis, in Commonitorio, quod Petro Pontifex dederat, componerent. Petrus ubi mense Novembri in Regiam Urbem pervenit, Photius Pontificis literas, & Commonitorium specie quidem eas in Græcam linguam vertendi, ab eisdem Legatis Sedis Apostolicæ elicuit, revera tamen, ut eas pro suo arbitrio truncaret, atque interpolaret. Hac adornata fraude Synodum habuit in celeberrima Sanctæ Sophiæ Ecclesia, cui ipse præfuit, adfueruntque trecenti & octoginta tres Episcopi cum Orientalium Patriarcharum Vicariis, & Legatis Apostolicæ Sedis, ut nihil amplius ad Oecumenicam Synodum desiderari videretur. Adfuit & Synodo ipse Imperator cum filiis suis, & Imperii Collegis, in eaque, nulla petita a Photio coram Synodo venia, atque misericordia, sicut inter alias conditiones illi indixerat Joannes Pontifex, omnia acta sunt pro arbitrio Photii. Restitutus est enim in Sedem ab iisdem Legatis, qui Episcopalia indumenta, & dignitatis insignia ei obtulerunt Joannis Papæ nomine, quamvis de implendis conditionibus, sub quibus ipsum restituebat Pontifex, ne quidem cogitaret.

II. Inchoata est hæc Pseudosynodus mense Novembri anni DCCCLXXIX. & mense Martio anni DCCCLXXX. absoluta. Quinque actionibus constat, quarum primam Photius ipse eleganti, sed fastum tota spirante oratione aperuit; qua multis ad sui ipsius commendationem artificiose præmissis, falso gloriabatur, Joannem VIII. Romanum Pontificem, agnita causæ ipsius æquitate ad ipsum rediisse, & honorifica legatione ipsum priorem convenisse. Perorantem Photium excepit Joannes Heracleæ in Thracia Metropolita, contra Romanam Ecclesiam, & sanctos Pontifices Nicolaum I. & Adrianum II. veluti omnium tumultuum, & malorum, quæ in Constantinopolitana

tana Ecclesia acciderant, & illatæ immerito Photio persecutionis auctores insolenter declamans; Joannem vero VIII. commendans effuse, quod suorum Decessorum vestigiis haud insistens, Ecclesiæ utriusque Græcæ pariter, ac Latinæ unitatem procuraret. Tum Sedis Apostolicæ Legati indumenta Episcopalia, & Patriarchicæ dignitatis insignia, & quidem Joannis Papæ nomine, uti superius dictum est, Photio tradidere. In secunda Actione, ut alias omittam, quæ videri possunt apud Baronium, Labbeum, Natalem Alexandrum, aliosque plurimos, auditæ sunt palinodiæ tam scriptis, quam viva voce factæ nomine aliarum Sedium Patriarchalium, ex versione ipsius Photii de ministerio exhibito Octavæ Synodo Oecumenicæ sub Adriano II. Papæ, & Ignatio Patriarcha habitæ, contra quam acriter conclamatum est. Unde Photius hanc Pseudosynodum, *Octavam* postea nominavit, & *Generalem* in abolitionem legitimæ Octavæ Oecumenicæ sub ipso Adriano Papa celebratæ. In Actis porro Conciliabuli hujus multa esse ab Imperatore Photio supposita, non solum Baronius, & alii Latini Auctores, sed & Allatius Græcus Auctor doctissimus peculiari Tractatu, *De Octava Synodo Photiana*, asserere non dubitant.

III. Absoluta mense Martio Pseudosynodo Photiana memorato anno DCCCLXXX. Paulus, Eugenius, & Petrus Apostolicæ Sedis Legati prævaricatores, in Urbem reversi sunt, literas ad Joannem Papam missas ab Imperatore Basilio, & Photio Patriarcha deferentes, quibus de restitutione ejusdem Photii, cujus causa tantummodo missi erant, ipse Pontifex certior redderetur, tacerentur vero reliqua, quæ de Synodo Oecumenica abroganda fuissent constituta. His respondens Pontifex mense Augusti datis ad Basilium, & Photium literis post congratulationem de pace illi Ecclesiæ reddita, ad finem caute admodum sic se probare dixit, quæ in Synodo acta essent de misericordi restitutione Photii Legatis in mandatis data, ut tamen siquid ipsi præter voluntatem Apostolicæ Sedis plus his operati essent, nullius esset penitus auctoritatis: *Nam & ea*, verba sunt Joannis VIII. Papæ in Epistola ad Photium, *quæ pro causa tuæ restitutionis Synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus. Et si fortasse nostri Legati in eadem Synodo contra Apostolicam præceptionem egerunt, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis*. Suspicatus est quippe Pontifex, Legatos mandata sua in multis capitibus prætergressos, quia Photii literæ continebant, omnia secundum Joannis Pontificis votum cessisse, tantum se misericordiam coram Synodo non rogasse, quod proprium illud sit eorum, qui aliquid inique gesserunt. Ceterum rescisse ipsum postea quæcumque in eadem Pseudosynodo gesta essent, ideoque Marinum, qui ei in Sede successit, Constantinopolim misisse, ut vir animo constantissimus, quæ perperam tres Legati gessissent, irrita redderet; idque Marinum egregie præstitisse, atque ideo multa Constantinopoli passum esse, constat ex literis Stephani Papæ V. alias VI. ejusdem Marini post Adrianum III. qui brevi in Pontificatu vixit, successoris, ad Basilium Imperatorem datis, quas suis locis apud Baronium videre est, & apud Natalem Alexandrum in laudata Dissertatione IV. in historiam Ecclesiasticam Seculi IX. & X. §. XXVIII. Sed & ab ipso Joanne publice damnatum esse Photium, Formosi, & Joannis IX. Romanorum Pontificum Epistolæ ad Stylianum Neocæsareæ Episcopum scriptæ nos docent, quas legere est apud Clarissimum Labbeum in sua Conciliorum collectione.

IV. Defuncto denique anno DCCCLXXXVI. ut huic Capiti finem faciam, Basilio Imperatore, cujus auctoritate, & benevolentia fretus Photius Ecclesiam Latinam vexare non desistebat, ubi ejus Filius Leo cognomento Sapiens, sive Philosophus Imperium moderandum suscepit, occasione capta, quod Photius cum Monacho illo impostore Santabareno, cujus supra meminimus, consilium iniisset de eligendo in Imperatorem cognato ipsius Photii, eum mox e Patriarchali Sede Constantinopolitana deposuit, relegavitque in Monasterium Armenorum, atque in ejus locum subrogandum curavit germanum suum Stephanum filium Basilii natu minimum, quem Pater aliis ad imperium evectis, Ecclesiasticis functionibus mancipaverat. Impostorem vero Santabarenum flagris, oculisque excæcatum Athenas in exilium misit; hominem secta Manichæum, professione magum, ut Constantinus Manasses affirmat, simulatione vero Christianum, & imposturis, quibus miracula affectabat, a Basilio Imperatore creditum sanctum. Porro ejectus prædicto anno DCCCLXXXVI. Photius, nec amplius restitutus, quando obierit, quomodove, in obscuro est. Contra nugas recentiorum quorumdam Græculorum asserentium, Photium in communione Ecclesiæ Romanæ obiisse, legi potest doctissimus Leo Allatius in laudato Libro, *De Octava Synodo Photiana*, ubi ex eo maxime illos urget, quod si Photius Ecclesiæ Romanæ reconciliatus est, ipsi Patriarchæ sui damnentur exemplo, cum inique defendunt, quæ ille furiis agitatus, per fas, & nefas in Latinam Ecclesiam oblatravit, qui communionem, in qua illum defunctum garriunt, sectari potius deberent. Isto argumento ipsos premebat longe ante Allatium Joannes Patriarcha Constantinopolitanus Oratione III. ad Theodorum Sugdaiæ Episcopum.

V. Inter alia tandem Photii scelera, quorum non uno in loco supra meminimus, recensendum hic illud est, quod prophana assentatione in Sanctorum album tentavit referre Primogenitum Constantini Imperaroris, Templaque illi, & Monasteria dedicare; qua tamen audacia id unum consequutus est, ut Christiano Orbi constaret, tam sanctimoniam, & religionem tanto muneri parem ei deesse, quam potestatem. Nicetas Paphlago, qui S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani Vitam scripsit, inter alia enormia Photii facinora, quibus & ipsum S. Patriarcham, & Latinam Ecclesiam vexavit, insolentissimam hanc ejusdem Photii impudentiam detestatur his verbis: *Quem Photius audacissimus in gratiam Imperatoris per se in Sanctorum censum relatum, Templis, Cœnobiisque ad aucupandam hominum gratiam colere nihil veritus est*. Porro quod in Sanctorum Canonizatione illuderentur quandoque, vel illuderent populi, falsi, fallentesque, excitata est tandem Ecclesia, ut eam rem totam sapientiæ committeret ejus, qui sibi a Christo constitutus est caput, qui falli, ac fallere nescit, Romanus scilicet Pontifex Maximus, cui Christus vices suas commisit, & universæ Ecclesiæ suæ gubernaculum credidit. Opus egregium de Canonizatione Sanctorum numeris omnibus absolutissimum scripsit, & publica luce donavit Prosper S. R. E. Cardinalis Lambertinus, nunc BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus, quem diu nobis Deus sospitem servet.

COMMENTARII IN CANONES
CONCILII VIII. OECUMENICI
TITULI CANONUM.

I. *Ut Canones ab Apostolis, Conciliis generalibus, localibus, atque a Sanctis Patribus traditi serventur, traditionesque non scriptæ retineantur.*

II. *Ut Decreta, & Capitula Nicolai, & Adriani Pontificum custodiantur.*

III. *Sacra Imago Christi, Liber Euangeliorum, & typus pretiosæ Crucis, similiter & Dei Genitricis, Angelorum, aliorumque Sanctorum honorentur, & adorentur.*

IV. *De Photii damnatione; qui nec Episcopus fuisse dicitur, nec ullum recte consecrasse; & de ejus actis, quæ irrita omnia declarantur.*

V. *Nec Neophytus, nec Laicus ad Episcopatum assumantur, & quæ temporum interstitia in ordinatione Palatinorum servanda.*

VI. *De variis causis anathematizationis Photii.*

VII. *Proficuum esse sanctas, & venerabiles Imagines pingere, & de pœnis contra eos, qui illas non admittunt.*

VIII. *Ne Patriarchæ ab Episcopis juratum chirographum ad proprium favorem, aut stabilitatem exigant.*

IX. *Quod omnes per chirographa Photio ante obstricti, exceptis hæreticis, licite possint alibi discere.*

X. *Ut nemo ante Synodicam sententiam se a communione sui proprii Episcopi, Metropolitæ, aut Patriarchæ separet.*

XI. *Quod unica dumtaxat anima, eaque rationalis est in homine.*

XII. *Ut qui ex voluntate, vel potentia Principum Episcopalis dignitatis consecrationem susceperit, deponatur.*

XIII. *Ut Clerici Ecclesiæ Cathedralis, non autem nobilium domestici ab Ordinibus minoribus in dictæ Ecclesiæ gradus assumantur.*

XIV. *Ut Episcopi a Principibus honorentur, nec illis procul ab Ecclesiis obviam procedant, nec de equis, ac mulis eos adoraturi descendant, nec Regiæ mensæ adstent, sed illos, ubi deliquerint, corrigant.*

XV. *Ne Episcopus bona Ecclesiastica alienet, nisi quibusdam exceptis casibus, & quid, si Monasterium ipse construxerit.*

XVI. *Ut nemo divinis illudendo personatum agat Episcopum.*

XVII. *De Patriarcharum potestate Metropolitas ad Concilia convocandi, & de iis, qui se a Principibus detineri causantur.*

XVIII. *Ut res, vel privilegia ab Ecclesiis xxx. annorum spatio possessa a nemine auferantur.*

XIX. *Ne Archiepiscopi sub prætextu visitationis aliarum Ecclesiarum reditus consumant.*

XX. *Ne Episcopus prætextu non servati pacti Emphiteutam possessionibus Ecclesiæ spoliet, nisi servato juris ordine trium annorum pensionem non solvisse convictus fuerit.*

XXI. *Ne Principes Patriarchas inhonorent, seu Throno ejiciant, sed revereantur, præsertim vero Romanum Pontificem.*

XXII. *De promotione, & consecratione Episcoporum facienda a comprovincialibus Episcopis, & ut nemo laicorum Principum electioni, aut promotioni ipsorum se ingerat.*

XXIII. *Ut nullus Episcoporum possessiones alienæ Ecclesiæ donet, nec Presbyteros, nec Clericos præter voluntatem Episcopi, cui Ecclesia subjecta est, constituat; & ut nec Presbyteri, nec Diaconi in aliena Ecclesia sacris operentur.*

XXIV. *Ne Metropolitani secularibus curis implicati divina officia, aut alia Suffraganeis committant.*

XXV. *Ut Clerici rite ordinati Photio* adhæ-

adhærentes ſint depoſiti, nec pœnitentes niſi ad laicam communionem recipiantur.

XXVI. *De appellatione Presbyteri, aut Diaconi a proprio Epiſcopo ad Metropolitanum, & de appellatione Epiſcopi ad Patriarcham.*

XXVII. *Ut Epiſcopi ultra ſtata tempora, & loca, Palliis Pontificalibus non utantur; & ut Monachi ad Epiſcopatum evecti Monachalem habitum non deponant.*

CANON I.

Per æquam, & regiam divinæ juſtitiæ viam inoffenſe incedere volentes, veluti quaſdam lampades ſemper lucentes, & illuminantes greſſus noſtros, qui ſecundum Deum ſunt, ſanctorum Patrum definitiones, & ſenſus retinere debemus. Quapropter & has ut ſecunda eloquia ſecundum magnum, & ſapientiſſimum Dionyſium arbitrantes, & exiſtimantes, & jam de eis cum divino David promtiſſime canimus: *Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos*. Et, *Lucerna pedibus meis Lex tua, & lumen ſemitis meis*: Et cum Proverbiatore dicimus: *Mandatum tuum lucidum, & Lex tua lux*. Et cum magna voce cum Iſaia clamans ad Dominum Deum, *Quia lux præcepta tua ſunt, ſuper terram*. Luci enim veraciter aſſimilatæ ſunt divinorum Canonum hortationes, & dehortationes, ſecundum quod diſcernitur melius a pejori, & expediens, atque proficuum ab eo, quod non expedire, ſed obeſſe dignoſcitur. Igitur Regulas, quæ ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ tam a ſanctis famoſiſſimis Apoſtolis, quam ab orthodoxorum univerſalibus, necnon & localibus Conciliis, vel etiam a quolibet Deiloquo Patre, ac Magiſtro Eccleſiæ traditæ ſunt, ſervare, ac cuſtodire profitemur; his & propriam vitam, & mores regentes, & omnem Sacerdotii catalogum, ſed & omnes, qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, pœnis, & damnationibus, & e diverſo receptionibus, ac juſtificationibus, quæ per illas prolatæ ſunt, & definitæ ſubjici Canonice decernentes; tenere quippe traditiones, quas accepimus, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam Sanctorum, qui antea fulſerunt, Paulus admonet aperte Magnus Apoſtolus.

COMMENTARIUS.

I. Tametſi tredecim tantum Canones Græce reperiantur, Actione x. quæ habita eſt pridie Kal. Martias; ſequimur tamen editionem Anaſtaſii Bibliothecarii, qui XXVII. recenſet Canones, quos etiam Latine vertit. Licet autem Romani Pontifices, ſolos quinquaginta priores vulgo Apoſtolorum Canones probarint, uti alibi oſtenſum fuit, Canoneſque Concilii Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſis, ac præſertim Trullanos rejecerint, Canon hic nihilominus primus Synodi Oecumenicæ VIII. imitatus Sextam, & Septimam Synodos, earumque incedens via, omnes, qui vulgo Apoſtolis tribuuntur, itemque generalium quoque, ac probatarum provincialium Synodorum præcedentium, itemque omnium ſanctorum Patrum Canones probat, eoſque omnes eſſe docet ſervandos, ut ſecunda eloquia Dei. Addit inſuper Canon, non ſcriptas Eccleſiæ traditiones, etiam ab Apoſtolo commendari, adeoque omnino ſervandas. Id adverſum reſuſcitatos in Græcia, ac denuo acriter graſſantes Iconoclaſtas fuiſſe a Patribus Conſtantinopolitanis Canoni huic adjunctum, fuſe oſtendit in ſuo Scholio ad Ipſum Canonem Lupus, qui etiam inter alia egregium affert teſtimonium Sancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani, cujus de ipſis Iconoclaſtis in duodecim pro ſacris Imaginibus argumentorum libello, Cap. I. hæc ſunt: *Traditionem, quam a principio ſancta Dei Eccleſia Catholica, & omnes Chriſtiani ſervaverunt, hi improbaverunt, & rejecerant*. Quum autem de iis, quæ hoc Canone continentur, abunde alibi diſſeruerimus, ſupervacaneum eſt, quæ acta ſunt, hic iterum agere. Unum hic addiderim, edici a Canone ſervandas, & tenendas eſſe Apoſtolicas traditiones non ſcriptas, perinde ac divinas Scripturas, & ad hoc firmandum allegari ibidem in fine locum Apoſtoli in Epiſtola ad Theſſalonicenſes, Cap. II. ubi ita ait: *State, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*. Traditiones hujuſmodi parem cum divinis Scripturis, adhibendam eſſe fidem, ſcribunt, ac docent paſſim inſignes Græci Doctores, atque inter alios, ut Latinos Patres ſileam, S. Baſilius ad Amphylochium in Libro, *De Spiritu Sancto*, Cap. XXIX. Epiphanios

nius Hæresi LXI. Chrysostomus Homilia IV. in II. ad Thessalonicenses Epistola, & alii passim Patres, & Synodi apud Bellarminum, & cæteros insignes Theologos videndi.

CANON II.

Obedite Præpositis vestris, & subjacete illis; ipsi enim pervigilant pro animabus vestris tamquam rationem reddituri, Paulus magnus Apostolus præcipit. Itaque Beatissimum Papam Nicolaum tamquam organum S. Spiritus habentes, necnon & Sanctissimum Papam Adrianum successorem ejus, definimus, atque sancimus etiam omnia, quæ ab eis Synodice per diversa tempora exposita sunt, & promulgata, tam pro defensione, ac statu Constantinopolitanorum Ecclesiæ, & Summi Sacerdotis ejus, Ignatii videlicet Sanctissimi Patriarchæ, quam etiam pro Photii Neophyti, & invasoris expulsione, ac condemnatione servari semper, & custodiri cum expositis Capitulis immutilata pariter, & illæsa, & nullum Episcoporum, aut Presbyterorum, vel Diaconorum, aut quempiam de Catalogo Clericorum evertere, vel reprobari aliquid horum audere. Quisquis autem post hanc definitionem nostram comprehensus fuerit spernens quidquam Capitulorum, & Decretorum, quæ ab illis exposita sunt, siquidem Sacerdos fuerit, aut Clericus, a proprio decidat honore simul & ordine; Monachus autem, vel Laicus, cujuscumque sit dignitatis, segregetur, donec pœnitens profiteatur, se conservaturum prædictorum editionem.

COMMENTARIUS.

I. Causam Canonis explicat Lupus præclarissimo Guilielmi Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii loco, qui in Vita Adriani II. Pontificis Maximi de Sancto Nicolao I. cui Adrianus ipse in Romano Pontificatu immediate successit, hæc habet: *Adrianus Nicolai exempla sic solertissime sequebatur, ut ab illius hostibus, qui ejus Acta infringere penitus nitebantur, Nicolaitanus & rescriberetur, & publice diceretur. Quorum hostium, quia nonnullus parturientes injustitiam conceptum dolorem effusuros esse cognosceus, penes se veluti zizania inter frumenta usque ad maturitatis tempus dispensatorie retinebat, rumora fallaciter exurgente creditum est, quod omnia Praecessoris sui Acta, quæ ille zelo divino sanxerat, hostes vero ad proprias libitus infamabant, voluisset infringere.* Adrianus quum sibi Papam Nicolaum decessorem suum imitandum proposuisset, ab ejusdem Pontificia hostibus passim Nicolaitanus appellabatur; quos tamen eum prudenti œconomia toleraret, suspicione apud quosdam laboravit, quasi decessoris sui Acta infringere vellet.

II. Sed, ut in Vita Adriani notat Pagius Numero IV, idemmet Pontifex Orientalibus, & aliarum gentium plerisque Episcopis, Presbyteris, Clericis, Principum Legatis, & Optimatibus, ad convivium vocatis, quibuscum discubuit, & eorum manibus aquam infudit, hanc diluit quidem calumniam; post epulas enim in faciem procidens, eos rogavit, ut preces funderent pro Ecclesia Catholica, pro Imperatore, & pro se ipso; tuncque obortis lacrymia ita subjunxit: *Quia pro valde bonis arare charissimi, gratiarum actionas Deo persolvere est, peta, ut Dominum, Patrem, decessoremque meum sanctissimum, & orthodoxum Papam Nicolaum habentes in vestris orationibus communes grates Domino referatis, qui eum Ecclesiam suam miseratus elegit, & ad excludendum mundi tumidissimos strepitus, sicut Josue clypeo protectionis armavit, & gladio spiritalis potentiæ robaravit.* Tunc omnes Deo gratias egere, quod Nicolai decessoris memoriam, ac Decreta veneraretur, unaque ter exclamarunt: *Ea cesset invidia, mendax fama recedat. Domino nostro Adriano a Deo decreto summa Pontifici, & universali Papæ sempiterna memoria. Novo Eliæ vita perennis, & immarcescibilis gloria, Novo Phinees æterni Sacerdotii Infulas, Sequacibus ejus pax, & gratia.*

III. Inter alia elogia, quibus egregia memorati Pontificia Nicolai I. sanctitas decoratur, breve est, sed aureis litcris exarandum, quod eidem in Chronico suo scripsit Regino: *Post beatum Gregorium*, inquit, *usque in præsens, nullus Præsul in Romana Vrbe Pontificali honore sublimatus, Nicolao videtur æquiparandus; Regibus, & Tyrannis imperavit, eisque ac si Dominus Orbis terrarum, auctoritata præfuit. Episcapis, & Saeardotibus, Religiosis, ac Domini mandata servantibus, blandus, pius, mansuetus apparuit. Irreligiosis, & a recto tramite exorbitantibus terribilis, atque austeritate plenus extitit, ut merita credatur alter Elias, Deo suscitanta, nostris temporibus surrexisse, etsi non corpora, tamen spiritu, & virtute.* Ilium cum sancto Gregorio Magno in gloriam Sanctorum receptum ac visum scribit in Lib. IV. De vita S. Gregorii Joannes Diaconus. Illum sane magna pro Fide, pro Ecclesiastica unitate, pro disciplinæ conservatione, ac restauratione gessisse, quæ hactenus relata sunt, satis superque ostendunt; & ob hæc non immerito, sicut S. Leo I. & Sanctus Gregorius I. Romani Pontifices,

tifices, *Magni* cognomentum obtinuit, itemque elogium in Martyrologio Romano die XIII. Novembris, quo obiit, & cultum in Ecclesia tum Latina, tum Græca.

CANON III.

Sacram Imaginem Domini nostri Jesu Christi, & omnium liberatoris, & Salvatoris æquo honore cum Libro sanctorum Euangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quæ in Libro feruntur, salutem consequuntur omnes, ita per colorum imaginariam operationem, & sapientes, & idiotæ cuncti ex eo quod in promptu est, perfruuntur utilitate. Quæ enim in syllabis sermo, hæc & pictura, quæ in coloribus est, ut secundum congruentiam rationis, & antiquissimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipsa deferuntur, etiam derivative Iconæ honorentur, & adorentur æque, ut sanctorum sacer Liber Euangeliorum liber, atque typus pretiosæ Crucis. Siquis ergo non adorat Iconam Salvatoris Christi, non videat formam ejus, quando veniet in gloria paterna glorificari, & glorificare Sanctos suos, sed alienus sit a communione ipsius, & claritate. Similiter autem, & Imaginem intemeratæ Matris ejus, & Dei Genitricis Mariæ. Insuper & Iconas sanctorum Angelorum depingimus, quemadmodum eos figurat verbis divina Scriptura; sed & laudabilissimorum Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, & Sanctorum Virorum, simul & omnium Sanctorum & honoramus, & adoramus. Et qui sic se non habent, anathema sint a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.

COMMENTARIUS.

I. Imaginem Christi omnium liberatoris, & Salvatoris æquo honore cum Libro sanctorum Euangeliorum, itemque Imagines Dei Genitricis Mariæ, Angelorum, atque Sanctorum hominum honorari, & adorari Patres decernunt: qui aliter sentiunt, eos esse anathema a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Damnant hic sane Patres Constantinopolitani Iconoclastas in Urbe Constantinopolitana, ac in omni Orientali Ecclesia resuscitatos, itemque Claudii Taurinensis Episcopi blasphemias, atque errorem Agobardi Lugdunensis, Jonæ Aurilianensis, Hincmari Remensis, & aliorum Francorum Episcoporum, qui Septimam Synodum aversabantur, contendebantque, sacrum quidem Euangeliorum Codicem, & Dominicæ Crucis figuram, ipsius autem Domini, ac ejus sanctorum Imagines nullatenus esse, honorandas, adorandas, aut salutandas; uti monet eruditus Lupus in suo ad hunc Canonem Scholio.

II. Sed hisce omissis, quum Imaginem Christi Domini adorandam, ut Codex Euangeliorum adoratur, docent, ac statuunt Patres honorariam adorationem dumtaxat, seu honorem, quem rebus sacris exhiberi jubet Religio, non latriam a Patribus ipsis intelligi, notat in sua ad hunc Canonem Nota Natalis Alexander, probatque ex eo, quod ipsimet Patres recitato Canone alium honorem Imagini Salvatoris non decernant, quam Imaginibus Deiparæ Virginis, & Sanctorum. Certe si Septimam Oecumenicam Synodum consulamus, Actione ultima in sua Definitione expresse declarat, non veram latriam, quæ solum divinæ naturæ competit, sed honorariam quandam adorationem tam Imaginibus, quam Cruci Christi exhibendam esse. Quod & Epiphanius Diaconus in sua ad hæreticos responsione, quæ est Tomo secundo Actionis sextæ ejusdem Concilii, & Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, una cum Concilio in suis literis aperte docet; ubi etiam & illud tradit, adorationem dum Christo tribuitur, & Cruci ejus, vel Imagini, æquivoce accipi.

III. Quamquam vero in hanc sententiam, quam acriter inter alios propugnat doctissimus Guilielmus Estius in Libri Tertii Sententiarum Distinctionem nonam §. III. & IV. multa & Patrum & Maximorum Pontificum oracula afferri possent; alia tamen certa est, & fere communis Theologorum Scholasticorum sententia, qui passim docent, eundem honorem, & cultum exhibendum esse sacræ Imagini, ac ejus Prototypo. Nituntur potissimum auctoritate S. Basilii, qui Cap. XVIII. *De Spiritu Sancto ad Amphilochium*, diserte dicit, honorem Imaginis referri ad Prototypum, idest, ad exemplar suum. Verum respondet Estius, honorem Imaginis referri quidem ad Prototypum hoc sensu, quod honoraria adoratio exhibeatur Cruci, & Imagini, quatenus Prototypum repræsentat, & propter Prototypum, licet honoris genus sit diversum; eumque sensum verum, ac germanum esse memorati loci ex Sancto Basilio allegati satis liquere ait non modo ex Septima Synodo, sed & Adriano I. Pontifice Maximo, qui Lib. I. *De Imaginibus ad Carolum Magnum*, Cap. IX. hæc habet: *Secundum Fidem nostram, nequaquam veram culturam, quæ decet solam Divinam Naturam, Imaginibus exhibemus, sed osculum, & honorabilem salutationem.*

IV. Rursus nec S. Joannes Damascenus dictum S. Basilii locum interpretatus est, ut Scholastici interpretantur, sed modo plane contrario.

Nam

Nam Lib. IV. Cap. XVII. dicens Imagines adorandas esse ratione rei repræsentatæ, & id probans ex illa Basilii sententia: *Imaginis honor ad Prototypum refertur*; non vult eumdem esse Imaginis, & Prototypi honorem, sed diversum, ita tamen, ut Imago honoretur propter Prototypum. Id enim S. Damascenum sentire manifeste patet legenti totum Caput, maxime id quod initio dicit, quod nos homines invicem honoramus, quatenus ad Imaginem Dei facti sumus, & mox ad probationem subjungit laudatum Basilii locum. Nulla ergo ratione potest de uno & eodem honore hoc intelligi, nisi quis dicat, quod nos homines invicem adoramus cultu Latriæ; quod dicere absurdissimum est. Inferius quoque de Dei Matre, & Sanctis, quorum honor in Deum reducitur, adducto simili, iterum subinfert sententiam Basilii dicens: *Sic & Imaginis honor ad Prototypum transit, aut transfertur*. Constat autem, Dei Matrem, & Sanctos non eodem honore coli, quo Deus.

V. Afferri & alia possent, quæ tamen videri possunt apud laudatum Estium, aliosque complures non infimæ notæ Theologos, qui sine ullo prorsus temeritatis periculo, constanter docent, quod, etsi verissimum sit, Imaginis honorem ad Prototypum referri, non iccirco tamen eadem adoratio debeatur Imagini, quæ Prototypo. Quare licet Imagines Christi, & Sanctorum honorandas, colendas, ac retinendas esse nemo Catholicus dubitet, non tamen arbitratur, Imaginem Christi adorandam esse cultu Latriæ, quæ Christo debetur; nec Imagines Sanctorum adorandas esse cultu Duliæ, quæ debetur ipsis Sanctis, sed veneratione quadam honoraria, quæ signis competit; juxta ea quæ tam ex Septima Synodo Generali, quam ex sanctis Patribus fuse allegat Estius, qui etiam laudato §. IV. docet, convenire Sanctorum Imaginibus honorariam hanc adorationem, licet eadem sit genere, eo magis, aut minus, quo ea quæ Imagine repræsentantur, magis, aut minus sunt excellentia.

CANON IV.

Amorem principatus, utpote quandam malam radicem exortorum in Ecclesia scandalorum, radicitus excidentes, eum, qui temere, & prævaricatorie, ac irregulariter, veluti quidam gravis lupus in Christi ovile insiliit, Photium scilicet, qui mille tumultibus, & turbationibus orbem terræ replevit, justo decreto damnamus; promulgantes, numquam fuisse prius, aut nunc esse Episcopum, nec eos, qui in aliquo Sacerdotali gradu ab eo consecrati, vel promoti sunt, manere in eo, ad quod provecti sunt. Insuper & eos, qui ab illo consuetas orationes ad Præpositturæ promotionem susceperunt, ab hujusmodi patrocinio coercemus. Sed & Ecclesias, quas, ut putatur tam Photius, quam ii, qui ab ipso consecrati sunt, dedicaverunt; vel si commotas Mensas stabilierunt, rursus dedicari, & inthronizari, atque stabiliri decernimus; omnibus maxime, quæ in ipso, & ab ipso ad Sacerdotalis gradus acceptionem, vel damnationem acta sunt, in irritum ductis. Dicit enim universorum Deus per Prophetam: *Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Et, *Oblitus es Legem Dei tui, & ego obliviscar filiorum tuorum*. *Si secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi, gloriam ipsorum in inhonorantiam ponam; peccata populi comedent, in injustitiis suis accipient animas suas*. Et iterum dicit: *Quia multiplicavit Ephrem Altaria in peccatum, facta sunt ei altaria delicta; scribam in ea multitudinem*.

COMMENTARIUS.

I. Quanta propter ambitionem præsertim Episcopatuum in Ecclesia exorta sint scandala, passim docent nos Ecclesiasticæ Historiæ. Celebre est, quod in Oseam Prophetam scribit S. Hieronymus Cap. IX. *Veteres scrutans historias, invenire non possum scidisse Ecclesiam, & de Domo Domini populos seduxisse præter eos, qui Sacerdotes a Deo positi fuerant, & Prophetæ*. Certe a Thebuli Ecclesiæ Hierosolymitanæ Clerico, quod per Martyrium defuncto S. Jacobo Apostolo, *in petitione Episcopatus repulsam tulerat*, natam fuisse primam in Ecclesia hæresim, diserte scribit Eusebius Cæsariensis Episcopus Lib. IV. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXI. & addit: *Unus erat ex eorum numero, qui ex septem sectis in populo Judaico prosiminatis oriebantur. Ex quibus sectis originem erroris duxit Simon, unde Simoniani; & Cleobius, unde Cleobiani; & Dositheus, unde Dositheani; & Gortheus, unde Gortheani; & Masbotheus, unde Masbotheani. Atque ex istorum fontibus profluxerunt Menandrianistæ, & Marcionistæ, & Carpocratiani, & Valentiniani, & Basilidiani, & Saturniliani: quorum singuli separatim variam illam quidem, suam tamen & propriam invexere opinionem*.

II. Fuse de iis hæreticis agunt in suis libris *De hæresibus*, SS. Epiphanius, & Augustinus, aliique tum veteres, tum recentiores Scriptores, ex quibus etiam docemur, quod initio admonuimus, gravia in Ecclesia exorta frequenter fuisse scandala propter eorum ambitionem, qui desiderio

rlo detinentur Episcopatus. Lameotabile Græcorum schisma, atque inde natam Turcarum potentiam, uni deberi ambitioso Photio, scite advertit in suo ad hunc Canonem scholio eruditus Lupus. Quicquid sit de ea ambitionis lue, de qua Viri pii hodieque dolent, videntes eam misere in Ecclesia grassari, redigit ad laicos Canon eos omnes, qui a Photio consecrati, aut promoti sunt; utpote qui nec sit, nec fuerit unquam Episcopus: & dedicationem Ecclesiarum, aut Altarium ab ipso, aut ab iis, quos ille consecravit, factam, irritam omnino declarat, atque iterari statuit.

III. Consonus est Canon sententiæ Adriani II. Pontificis, qoi in Epistola ad Ignatiom Patriarcham Constantinopolitanum, quæ lecta est Actione III. hojus Synodi, ita scripsit; *Præ omnibus, & super omnia Gregoriam Syracusanum, & Photium tyrannum, & quos idem Photius in gradu quolibet ordinasse putatus est, ab Episcoporam numero, & dignitate, quam usurpative, ac ficte dedit, merito sequestrantes. Primo, quia Photius Maximo, & ordinatio ejus, vel potius execratio, istius, ordinationi pene in cunctis videtur esse simillima. Secunde quia sic se habet per Decessorem meum Sedis Apostolicæ Decretum, cujus judicium nusquam præcipiunt sacri Canones retractari. . . . . Tertio, quia Photius vir forensis, Curialis, Neophytus, invasor, atque adulter, necnon & anathemate condemnatus existens, nihil habuit, nihil dedit; nisi forte damnationem habuit, quam se sequentibus propinaverit. Photio certe præsidente auctore, dictum est: Ab anathematizatis consecratas, non solum non accipit Spiritum Sanctum, sed & quod ante habuit flamen, aufertur ab eo.* Addit, id iis magis congruere, qui ab anathematizato, & damnato Photio, per impositionem manus, *non lucrum, sed vulnus in capite susceperunt.*

IV. Varia recitato loco docet Pontifex, quæ lubet singulatim hic recensere. Primo quidem magnum fuisse Photii crimen, quod ejus ordinator Gregorius Syracusanus Episcopus jam ante fuerat in Synodo depositus, & anathematizatus, ideoque nihil Photio contulisse videatur; & Photium propterea nec Sacerdotem esse, nec Episcopum non modo Canon noster, & Adrianus I. Papa, sed & Nicolaus Papa I. in Epistola IX. ad Michaelem Imperatorem asseverat. II. ait, similem fuisse Photium Maximo Cynico Constantinopolitani olim etiam Episcopatus invasori contra S. Gregorinm Nazianzenum; ideoque ut ille a prima Oecumenica Constantinopolitana Synodo, ita Photium a præsenti VIII. generali Synodo Constantinopolitana esse tractandum. Maximum enim, & omnes ab illo ordinatos Episcopos, & Clericos dejecit Synodus illa irrevocabiliter ad Laicos, aut certe ad gradum antea in Clero habitum, cunctis illius immediatis, aut mediatis ordinationibus omnino cassatis. III. Decessor, cujus meminit in laudata Epistola Adrianus, fuit quidem Nicolaus I. Papa, qui ambo hanc lati contra Photium decreti rationem docent, qood nempe Neophytus ordinatus sit, quod alienam sedem violentus invaserit, quod interstitia Ordinum præscripta minime servaverit: *Photius vir forensis, Curialis, Neophytus, invasor, atque adulter, necnon & anathemate condemnatus existens, nihil habuit, nihil dedit &c.* IV. denique ait Adrianus, S. Ignatium quasi ab anathematizatis ordinatum Episcopum, unaque & omnes ab ipso ordinatos, fuisse a Photio in suo adversus eundem virum sanctissimum Conciliabulo, Actione III. damnatos ad laicos; ideoque Photio ipsi utpote re vera per anathematizatos, nempe per Gregorium Syracusæ Antistitem non consecrato, sed execrato, decessorem suum Adrianum reddidisse justissimam talionem.

V. Neque vero in sola Photii causa ita Romani Pontifices, & nostræ hujus Synodi Patres statuere, verum etiam alias plerumque in similibus causis paria Decreta edita ab Ecclesia sunt. De Constantino Romanæ Sedis invasore paulo ante laico, & tumultuarie nullis servatis interstitiis ordinato, docent nos quidem Annales Ecclesiastici, non modo in legitimo Concilio depositum fuisse, & judicatum omnis Ecclesiastici ordinis expertem, sed etiam ejus collatas aliis ordinationes quasi mere laici hominis pronunciatas fuisse irritas. Notum præterea est Formosi Papæ exemplum, quem qui ei successit Stephanus VII. collecta Synodo judicavit non valuisse quemquam ordinare, eo quod a pristino Episcopatu Portuensi contra veteres Canones, & contra proprium jusjurandum ab eo extortum in Romanam Sedem commigrasset. Tametsi vero nihil dubii esse posset, quin retinuerit saltem Ordinem anteriorem, atque characterem Episcopalem, ex quo fuerat in Portuensem Episcopatum evectus; decrevit nihilominus in Episcoporum Synodo Stephanus Papa, ut omnes a Formoso post ejus degradationem ordinati, se iterum ordinandos sisterent sub anathematis pœna. Quum vero istam erroneam Synodum Joannes IX. meliore judicio in Ravennate postmodum Synodo damnasset, insequutus Papa Sergius III. alia coacta Synodo Ravennatem rescidit, prioremque sub Stephano ratam esse jussit.

VI. Non me latet, in iis exemplis non rationem quidem, non jus ullum, sed Stephani, & Sergii perditissimam nequitiam, & fœdissimam inferiorum Episcoporum adulationem prævaluisse; verum si veteres Ecclesiasticas consulamus historias, innumera pene id genus exempla suppeditant, uti videre est apud eruditissimum Joannem Morinum in celebri suo, *De sacris ordinationibus*, Opere, Cabassutium in Notis Conciliorum, Cap. LXXX. & alios; qui etiam docent, ubi ordinationes in memoratis exemplis declarantur irritæ, idem esse, ac si dicerentur nullæ *absolute*, & ut ita loquar, quantum ad substantiam. Sed alia est omnium fere Theologorum sententia, qui passim, & constanter asserunt, Sacramentum Ordinis datum in Ecclesia licet contra Canones valuisse semper quoad substantiam, ac proinde characterem impressisse recipientibus. Probat id quidem inter alios recentiores Gaspar Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Dissertatione VIII. Quæstione VI. Cap. II. & III. ubi egregie refellit quæ ab adversariis opponi solent.

VII. Certe quod causam Photii spectat, de quo loquitur noster Canon, allata superius tum Adriani II. tum nostræ hujus Synodi loca, non ita intelligenda sunt, quasi Photii, & aliorom, quos ille consecraverat, vel promoverat, ordinationes plane irritas esse decreverint. Canon hic quidem noster pronuntiat Photium nusquam fuisse Episcopum, quantum ad jurisdictionem, & legitimam Episcopalis potestatis executionem: non negat, fuisse Episcopum quoad potestatis collatæ characterem. Decrevit, ab ipso ordinatos Sacerdotes in eo Sacerdotii gradu, quem ab eo acceperant, non manere, idest, honore, loco, privilegiis Sacerdotii

cerdotii privari, & in laicorum turbam deprimi; quamvis ordinationes ipsorum absolute, & quantum ad substantiam non rescindat. Ubi itaque ait, nihil dedisse Photium ordinationis legitimæ, quia nihil habuit; intelligitur plane, nihil dedisse honoris, quia ipse honore legitimo parto non fulsit; nihil gratiæ, quia sacrilegus fuit, & schismaticus. Spiritus Sanctus autem non datur a schismatico Episcopo illi, qui schismati communicat ipsius, sed characterem Sacerdotalem, quem habuit, in alios transfundere potuit.

VIII. Tradunt hæc præter alios complures, Jueninus laudato loco, & Natalis Alexander in Historiam Ecclesiasticam Seculi IX. & X. Dissertatione IV. §. XXII. ubi etiam rem illustrat ex Epistola IX. Nicolai I. Papæ ad Michaelem Imperatorem sic scribentis: *Merito destructas esse creditur, qui a destructo ædificari sperant, etiam si qua alia bona fortassis habuit, nimiæ præsumtionis ejus temeritati communicans, perdidit. Nam Gregorius* (loquitur de Gregorio Syracusano qui Photium ordinaverat) *quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noscebatur elisus? Et paulo* post: *Gregorius ergo, qui Canonice, ac Synodice depositus, & anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit. Nihil autem habuit; nihil dedit.* At vero cum certum sit, Gregorium Syracusanum minime amisisse characterem Episcopalem, ubi exauctoratus est, sed solum honorem Sacerdotii, & potestatis in consecratione sibi collatæ legitimum usum, atque dandi Spiritus Sancti efficaciam; de his itaque dumtaxat intelligendum est, quod nihil ipse dare potuerit.

IX. Confirmatur hæc responsio ex conditione, sub qua Photius ad communionem tum Catholicam, tum Episcopalem admissus est tandem a Joanne Papa VIII. anno DCCCLXXIX. non enim postulavit Pontifex, cui alioquin perspecta erant Acta hujus Synodi, & Decretum nostri Canonis, ut Photius, consecratique ab eo Presbyteri, iterum ordinarentur, antequam ille Episcopalia, isti vero Sacerdotalia munera obirent. Non aliam conditionem quidem Joannes ipse Papa præscripsit tum Photio, tum ministris, quibus manus imposuerat Photius, quam Libelli satisfactionem, idest, ut demonstrata facti pœnitentia, & Photius, & ordinati ab eo Clerici, communione tum Catholica, tum Ecclesiastica donarentur: *Nos itaque*, inquit Joannes in Epistola, quam ad Basilium, & filios Imperatores reddidit, ubi ab Imperatore acceperat Legationem, *aliis Patriarchis, Alexandrino videlicet, Antiocheno, & Hierosolymitano, atque omnibus Archiepiscopis, Metropolitis, Episcopis, & Sacerdotibus, cunctoque Clero Constantinopolitanæ Sedis, qui de ordinatione beati Methodii, & Ignatii, Reverendissimorum Patriarcharum existunt, una voluntate, parique voto consentientibus, eundem Photium, satisfaciendo, misericordiam coram Synodo, secundum consuetudinem postulantem, in vera dilectione fratrem, in Pontificali officio comministrum, atque coram Synodo misericordiam quærendo, in Pastorali magisterio Consacerdotem, pro Ecclesiæ Dei pace, & utilitate, amodo Christo favente, recipimus, & habemus.*

X. His addi etiam possunt alii Romani Pontifices, qui Pontificibus Nicolao Primo, & Joanni VIII. in Apostolica Sede successerunt, nempe Marinus I. Adrianus III. & Stephanus VI. Hi enim ubi ipsum Photium, ac Photianos tandem per pœnitentiæ libellum in communionem, & gradum receperunt, nullam penitus reordinationis mentionem fecere, longeque minus illos reordinarunt. De Photio ita quidem in S. Ignatii Vita Nicetas Paphlago scribit: *Inprimis Photius hoc agebat, ut ordinationes Patriarchæ transmutaret, atque ab eo damnatos sedibus restitueret. Sed cum id Imperatori non probaretur, videte, quid tentarit. Consecratos a Sancto Ignatio resacrare conatur. Quod cum æque parum succederet, omnesque indignissime ferrent, atque execrarentur, ne ita quidem defecit iniquitas &c.* Et iterum: *Et tu, Photi, audita magni Basilii sententia, nihil reformidabas, cum de quopiam admirabundus dixit, nullum ex omnibus totius mundi hæresiarchis, qui fuerunt quamplures, ausum fuisse resacrare, præter Eustathium Ancyro-Galatam, cujus nefarium scelus Synodus Gangrensis exponit.* Quanquam is locus posterior non de Episcoporum, aut Clericorum, sed de Altarium consecrationibus loquatur, uterque tamen affirmat, omnem temeritatem istam fuisse tunc Orientali Ecclesiæ penitus ignotam, & dudum in Eustathio Sebasteno damnatam. Quicquid sit de variis locis, quæ in hanc sententiam, quam propugnamus, afferri possent, certum est hodie ex communi Theologorum consensu valere quidem quoad substantiam ordinationem, quæ secundum ritum a Christo institutum extra Ecclesiam etiam ab hæreticis expresse, & nominatim præcisis celebrata fuerit: *Post Theologorum de proposita quæstione consensum, erroneum esset negare, validum esse sacramentum Ordinis, quod ab hæretico, vel schismatico quantumvis ab Ecclesia præciso fuerit collatum.* Verba sunt clarissimi Hallierii in Opere, *De sacris electionibus, & ordinationibus.*

XI. Quod Ecclesiarum tandem dedicationes spectat, aut motarum Mensarum, seu Altarium stabilitiones a Photio, aut Photianis factas, cassat & ipsas etiam Canon, & iterum dedicari, & stabiliri mandat. Causam ejus rei scribit in S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani Vita Nicetas Paphlago, ubi agens de quodam Altari a barbaris, ac gentilibus Rossis dejecto, & per S. Ignatium stabilito, hæc habet: *Photius Amphilochium Cyzici, & Theodorum Patrarum Archiepiscopos, quin & Pantaleonem Senatorem, cognomento Bothrum legat, qui sacrilegis manibus sanctam illam arulam disturbent. Mandarat insuper, ut Ara ad litus maris deportata, quadragesies unda tingeretur, atque ita demum reducta reponeretur.* Veterum quidem hæreticorum, ac præsertim Donatistarum mos fuit, ut, quemadmodum docet S. Optatus Milevitanus initio Libri VI. adversus Parmenianum, Altaria Catholicorum frangerent, aut raderent, ne scilicet, uti notat Albaspinæus, Orthodoxorum consecrationem approbasse viderentur, si in Altari ab ipsis consecrato obtulissent. Quod autem Optatus narrat de incredibili Donatistarum fastu, & adversus Catholicos immani odio, id etiam de Photianis, ac de aliis Græcis longe etiam post annum Christi millesimum Ecclesiastica monumenta referunt. Certe Innocentius III. Cap. VI. *De baptismo*, quod desumtum est ex Oecumenica illius generali IV. Synodo Lateranensi, quæ anno MCCXV. habita est, istam repetit narrationem: *Si quando*

Sa-

Sacerdotes Latini super Græcorum celebrassent Altaria, non prius ipsi (Græci) *sacrificabant in ipsis, quam ea tamquam per hoc inquinata lavissent:* *baptizatos etiam a Latinis ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebent*. Varia ejus abusus exempla nostro hoc etiam tempore afferri possent.

CANON V.

Omnem Canonicam stabilitatem in Ecclesiis semper manere in Christo providere cupientes, renovamus, & confirmamus terminos, & vacationes, quæ olim a sanctis Apostolis, & beatis Patribus nostris editæ legem in Ecclesia posuerunt, non oportere Antistitem promovere quemquam, qui est vel secundum Fidem, vel secundum Sacerdotalem sortem Neophytus, *Ne inflatus in judicium incidat, & in laqueum diaboli*, sicut dicit Apostolus. Prioribus ergo Canonibus concordantes, definimus, neminem de Senatoria dignitate, vel mundana conversatione nuper tonsum super intentione, vel expectatione Pontificatus, vel Patriarchatus honoris, Clericum, aut Monachum factum ad hujusmodi scandere gradum, licet singulos Ordines divini Sacerdotii plurimum temporis fecisse probetur. Neque enim propter religionem, vel amorem Dei, aut propter expectationem transeundi viam virtutum, sed ob amorem gloriæ, ac principatus tonsus hujusmodi reperitur. Magis autem coercemus hujusmodi, si ab Imperatoria dignitate ad hoc compellatur. Si vero qui per nullam suspicionem prædictæ concupiscentiæ expectationis, sed propter ipsum bonum humilitatis, quæ est circa Christum Jesum, abrenuntians mundo, fiat Clericus, aut Monachus, & omnem gradum Ecclesiasticum transigent per definita nunc tempora irreprehensibilis inventus extiterit, & probatus, itaut in gradu Lectoris annum compleat, in Subdiaconi vero duos, fitque Diaconus tribus, & Presbyter quatuor annis, bene placuit huic sanctæ & universali Synodo eligi hunc, & admitti. Circa hos autem qui religiose morati in ordine Clericorum & Monachorum, digni judicati sunt Pontificatus dignitate pariter, & honore, prædictum tempus abbreviamus, nimirum secundum quod Episcoporum Prælati probaverint, qui per tempora fuerint. Si vero præter hanc definitionem nostram quisquam ad jam fatum supremum honorem provectus extiterit, reprobetur, & ab omni Sacerdotali operatione prorsus abjiciatur, utpote qui extra Canones sit promotus.

COMMENTARIUS.

I. Leges ab Apostolis, & a priscis Patribus, atque Conciliis statutas, quæ vetant, ne ad Episcopatum promoveantur Neophyti sive secundum Fidem, sive secundum Sacerdotalem sortem Canon confirmat, & quidem adversus Photium, subito factum ex Laico Episcopum, garrientemque, Sardicenses Canones numquam obtinuisse in Ecclesia Constantinopolitana. Sed errat omnino Photius, jam enim initio innuimus, irregulares omnes ex prisca, & communi Ecclesiæ disciplina, atque ut Neophytos a sacra ordinatione expulsos, qui Laici cum essent, ad sacros statim Ordines suspirabant, & ad summas quasque festinabant Ecclesiæ dignitates. Fuse de ea irregularitate diximus nos tum Tomo 1. Conciliorum, tum 1. Tomo Romani Pontificalis.

II. Ut alios omittam, zelo vere Apostolico detonuit Cælestinus Papa in eos, qui præcipiti cursu, Laici cum essent, ad Episcopatum anhelabant, & necdum ullo imbuti tyrocinio duces se & Magistros creari concupiscebant. Sic enim inter alia inquit in Epistola II. *Debet ante esse discipulus, quisquis Doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit*. Quam sibi, & Ecclesiæ noceant, qui mox e statu Laico ad supremos Ordines ascendunt, hisce verbis declarat in Epistola sua ad Oceanum S. Hieronymus: *Ignorat momentaneas Sacerdos humilitatem; judicium & ruina diaboli nulli dubium est, quin arrogantia sit. Incidunt in eam, qui in puncto hora, necdum discipuli, jam Magistri fiunt*. Ob eas similesque rationes Concilium Sardicense Can. x. arcet Neophytos a tribus Ordinibus Hierarchicis: *Neque enim convenit, neque scientia, & bona conversatio hoc recipit, ut temere, & leviter ad id accedatur, ut Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus promte, ac facile constituatur. Sic enim merito Neophytus existimetur, quandoquidem & Beatissimus Apostolus, qui fuit etiam Doctor gentium, prohibuisse plane videtur, ne celeres fiant ordinationes &c.*

III. Is quidem Sardicensis Canon innovari videtur a nostro hoc præsenti Canone adversus pessimam Græcorum consuetudinem, de qua in præsenti Synodi præfatione ita scribit Anastasius Bibliothecarius: *Tantum hujus ambitionis pullulavit longe lateque temeritas, ut mox Hierosolymis quidam laicus nomine Salomon, extemplo Clericus factus sit ordinatus Antistes: quod numquam factum est etiam ab ipso Jacobo, qui primus illic Episcopus extitit, nisi postquam Photius noviter in Clero plantatus, & confestim Præsul factus est.* Notabile est quod mox sequitur: *Apud Constantinopolim autem nonnulli ex tunc laici etiam virtutibus operam dabant, tantum ut ad hanc sacram pertingerent dignitatem: at ubi pertingere nequiverunt, mox continentiæ frænis laxatis, in suis voluptatibus ire cœperunt; & quod non sanctitatis, sed avaritiæ cultores extiterint, protinus ostenderunt, adeo ut diversimodis, a Romanis Missis, horum quidam obtinere tentaverint, ut Regula promulgaretur, quæ tunc de non repente secularibus in Sacerdotium provehendis in hac Synodo promulgata est.* Tum addit, quod penes Alexandriam, & Antiochiam intantum radix hujus pestis excrevit, ut a tempore promotionis dicti Photii expelli non posset.

IV. Sed fateri nos illud omnino cogimur, malum esse in Ecclesia tum Græca, tum Latina præsertim vero Gallicana longe antiquum; nullum enim non movit lapidem S. Gregorius Papa I. ut eum abusum ex ipsa Gallicana Ecclesia extirparet, in qua altiores radices egerat: *Nobis res*, inquit Lib. IV. Epistola LII. scribens ad Virgilium Arelatensem Archiepiscopum, cui vicea suas in Gallia legaverat, *est valde detestabilis nunciata, quod quidam ex Laico habitu per appetitum gloriæ temporalis, defunctis Episcopis, tonsurantur, & fiunt subito Sacerdotes. Qua in re jam notum est, qualis ad Sacerdotium venerit, qui repente de Laico habitu ad sacrum transit ducatum. Et qui miles numquam extitit, dux Religiosorum fieri non pertimescit. Quam iste suam prædicationem habiturus est, qui fortasse numquam audivit alienam? Aut quando aliena corriget, qui needum sua flevit?* Tum docet, quod cum Neophyti ab Apostolo dicerentur ii, qui ad Fidem recens conversi erant, sequentibus tamen seculis eo nomine appellati sunt, qui ad pietatem, & ad Clerum non ita pridem aggregati fuerunt: *Et cum ad sacros Ordines Paulus Apostolus Neophytum venire prohibeat, sciendum nobis est, quia sicut Neophytus tunc vocabatur, qui adhuc noviter erat eruditione plantatus in fide, ita nunc inter Neophytos deputamus, qui adhuc novus est in sancta conversatione.*

V. Cum ergo hujusmodi Neophyti, seu recens ad pietatem, & Clerum conversi, fœdo abusu in Gallia assumerentur sd Episcopatum, justo zelo accensus Gregorius monuit memoratum Archiepiscopum Arelatensem Legatum suum in Regno Galliæ, ut Regem interpellaret, animaretque ad ejus corruptelæ expurgationem: *Qua de re necesse est, ut vestra fraternitas præcellentissimum filium nostrum Childebertum Regem admonere studeat, ut hujus peccati maculam a Regno suo funditus repellat: quatenus omnipotens Deus tanto illi apud se majora retribuat, quanta eum conspicit, & amare quod ipse diligit, & evitare quod odit.* Eandem Gregorii solicitudinem observare est Lib. VII. Libro VII. Epistola C. ad quosdam Galliæ Episcopos, per quam ipsius Pontificis tempore serpebat abusus, ut Neophyti, qui recens pietatem complexi erant, vel Clericali militiæ nomen dederant, Episcopatus adipiscerentur.

VI. Constat præterea jam olim hunc eundem abusum per alias sub Cælo Ecclesias irrepsisse, cui tamen obviam ire diligenter curarunt Romani Pontifices, sed iis omissis, ut ad Orientales, atque ad Photianos, de quibus sit sermo in nostrò Canone, revertamur, scite notat memoratus Lupus, Zschariam Chalcedonensium Metropolitam, qui Photio adhærebat, ad Basilium Augustum, & omnem præsentem Synodum non erubuisse adversus S. Nicolaum Papam ita blaterare: *In eo quod dicit, non debuisse Photium ex Laicis provehi, consecrantes quidem cautos reddit, consecratum autem non damnat; consuetudo Canonem illum temperavit.* Ostendere id conatur Tharasii, Nicephori, Nectarii, ac S. Ambrosii exemplo, & addit: *Atque alii mille.* Inficiari nequeo, non pauca in historia Ecclesiastica recenseri exempla, quibus longe ante Photium edocemur, promotos non semel e Laicorum statu repente ad Episcopatus fuisse, non sine tamen divina revelatione, juxta Apostolorum Canonem LXXIX. cujus hæc sunt verba: *Eum qui ex vita gentili accesserit, & baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi ratione, non est æquum protinus Episcopum fieri. Iniquum est enim, ut qui sui nondum experientiam ostenderit, sit aliorum Magister, nisi forte hoc divina gratia fiat.* Inter hæc illustriora divinæ gratiæ miracula recensendi profecto sunt, Paulus, Ambrosius, Nectarius, Augustinus, & alii, qui rapti derepente fuere in Presbyteratus gradum, vel in Episcopales etiam Sedes, studio, & æstu, ac favore inusitato quodam plebium, quem humanæ, & Canonicæ Leges, ut præfestinum merito coercuissent, aut damnassent, nisi ei patrocinium, & auctoritas accessisset a Spiritu Sancto, qui illos omnes singulari quadam virtutum, sanctimoniæque gratia cumulavit. Certe fatetur Ambrosius ipse Epistola LXXXII. se, Laicus cum esset, non potuisse statim ad Episcopatum protrudi, sed in illos conferri potius oportere culpam, qui sibi vim attulissent, quam sibi, qui passus esset; ordinationem præterea suam Occidentis, & Orientis suffragatione fuisse approbatam: *Quam resistebam*, inquit, *ne ordinarer, postremo cum cogerer, saltem ordinatio protelaretur. Sed non valuit præscriptio, prævaluit impressio. Tamen ordinationem meam Occidentales Episcopi judicio, Orientales etiam exemplo probaverunt. Et tamen Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbia, si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est.* Hoc S. Ambrosii exemplum egregie illostrat Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. I. Cap. LXII. & Cap. LXXXVI.

VII. Alieni prorsus ab hoc memorato S. Doctoris exemplo fuere Photiani, & alii Græci complures, quorum pessimæ consuetudinis causam aperit in literis suis ad Diœceseos Constantinopolitanæ Archiepiscopos, & Episcopos S. Nicolaus I. Pontifex Maximus, quod scilicet Neophytis Episcopis ex Imperiali aula adsumi solitis Græcorum Augusti despotice imperarent, Ecclesiasticam potestatem tenerent sub pedibus, & cum Leone Isauro dicerent: *Rex sum, & Sacerdos.* Atque hinc scite docet Lupus èruditissimus, nostram Synodum non præsentem solummodo Canonem edidisse, sed & omnes Photianos Episcopos adegisse ad ejerandas

das Neophytorum promotiones, præsertim vero Palatinorum, qui fœdo abusu ex Laicorum statu in Ecclesia potissimum Constantinopolitana ex Principum gratia ad Sacerdotia provehebantur. Huic itaque malo ut occurrat Canon, eos non modo, qui ex Senatoria dignitate, vel mundana conversatione nuper in Clericos, vel Monachos attonsi fuerint, consilio, aut spe capessendi Episcopatus, aut Patriarchatus, ad sacros illos Principatus evehi prohibet, ac inaugurari, etiamsi diu in singulis ordinibus ministraverint; sed multo magis Episcopos fieri vetat, ac Irregulares declarat, qui Principum promissis illecti, aut mandatis compulsi, cum in finem Clericali militiæ nomen dederint.

VIII. Statuit præterea quamconsultissime Canon, uti etiam observat post Hallierium Thomassinus Cap. LXXXVI. quantumvis vel Clericalibus, vel Monasticis se se institutis insererent homines, ac præsertim palatini, ambitionis œstro perciti, & servatis legitimis interstitiis Ordinum omnium functiones non perfunctorie, sed sedulo exercerent; non posse tamen eos extricare se a vinculo Neophytorum irregularitatis, cum jam inde ab exordio, in laica adhuc veste summas Ecclesiæ dignitates concupiissent, easque tum spe devorassent, adeoque in sacra deinceps professione non alios, quam seculares, & profanos animos gessissent; *Neque enim*, inquit Canon, *propter religionem, vel amorem Dei, aut propter expectationem transeundi viam virtutum, sed ob amorem gloriæ, ac principatus tonsus hujusmodi reperitur*. Quod alios spectat, qui Palatini non essent, quique in Clero, vel Monasteriis se divinitus ad Sacerdotium vocatos religiosa vita probassent, mandat Canon, posse ipsos Episcopatu quidem donari, postquam scilicet in Lectoria gradu anno solido probati essent, in Subdiaconatu duobus, in Diaconatu tribus, in Presbyteratus ministerio quatuor, relicta Episcopis facultate, ut in gratiam dumtaxat illorum Clericorum, qui pie & diuturno tempore in Clericali ordine versati fuerint, interstitia ipsa contrahere possent.

IX. Multa de interstitiis jam diximus nostro I. Tomo Romani Pontificalis, & quidem ad eruditionem veteris Ecclesiæ disciplinæ; hodie vivimus Tridentinæ Synodi lege, quæ Sessione XXIII. Cap. XI. constituit annum interstitii, & ministerii a susceptione ultimi ex minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum, & alterum annum ad Diaconatum, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi aliud exposcat. Districte autem vetat Cap. XIII. ejusdem Sessionis duos sacros Ordines eidem uno die conferri. Porro cum Canon noster mandet maneri in Subdiaconatu per biennium, jam satis docet, morem a Simeone Thessalonicensi Archiepiscopo in Opere, *De sacris Ordinationibus*, memoratum, quo Græci Lectori in Diaconum electo dant simul Subdiaconatum, & Diaconatum, esse novum, ac nostra hac Synodo IV. generali Constantinopolitana posteriorem. Quamvis autem apud Latinos una die bini majores Ordines uni minime concedantur, solet tamen ex dispensatione Pontificis justa ex causa permitti, ut tribus diebus festivis, possit quis tribus majoribus Ordinibus insigniri, imo etiam non obstante Canonis hujus nostri Decreto, ejusdem Romani Pontificis auctoritate, qui est supra omne Concilium, alicui concedi, ut alia die festiva consecrari valeat Episcopus. Exempla ejus rei recentia habemus in Archiepiscopo Beneventano, & Auximano, qui cum vix Clerici essent, paucorum dierum intervallo Antistites evasere.

C A N O N VI.

Quoniam quidem apparuit Photius post prolatam contra se justissimam sententiam, & damnationem a sanctissimo Papa Nicolao propter nequissimam invasionem Constantinopolitanorum Ecclesiæ cum aliis malis operibus suis; etiam quosdam nequam & adulatores de plateis, & vicis invenisse, & Vicarios hos sanctissimarum trium Patriarchalium Sedium Orientis nominasse; ac proposuisse, atque cum his Ecclesiam malignantium, & Concilium vanitatis colligens, depositarias accusationes, & crimina contra beatissimum Papam Nicolaum commovisse, & anathema procaciter, & audacter contra eum, & cunctos communicantes ei sæpe promulgasse, quorum quasi monumentorum libros nos quoque vidimus, ab ipso maligno opere, ac fallaci dictatione confutos, qui etiam Synodice ab igne consumti sunt: hujus rei gratia pro cautela Ecclesiastici Ordinis anathematizamus quidem primitus prædictum Photium etiam propter hujuscemodi causam; deinde vero & omnem, qui a modo in calliditate fraudulenter egerit, & verbum veritatis adulteraverit, & falsos Vicarios simulaverit, vel libros dictatus mendacis finxerit, & ad propriorum favorem votorum commentatus fuerit, quemadmodum & fortissimus pietatis athleta Martinus sanctissimus Papa Romanus tales Synodice pepulit.

COMMENTARIUS.

I. Novo anathemate confodit Photium Canon ob subornatos aliarum trium Orientalium Patriarchalium Sedium falsos Vicarios, confictaque contra sanctum Nicolaum I. Romanum Pontificem Acta Synodica, similemque pœnam in eos decernit, qui tam enor-

mc crimen deinceps perpetraverint. Photii nequitiam merito a nostro Canone damnatam egregia exponunt Patres In Epistola Encyclica hujus Synodi his plane verbis: *Photius linguam exacuit adversus Beatissimum Papam Nicolaum, & quemadmodum fabulæ hippocentauros, & tragelaphos fingunt, & formant, ita quoque, & ipse stercorales quosque, & fabulcos a plateis conductos viros, & Vicarios eos aliarum trium Sedium appellans, atque proponens, præsumsit Synodale imaginari judicium, personas accusantium, & accusatorum, & testium, & Imperatorum, & Magnatum, & Metropolitanorum, quasi inspectas fingens, & simulans, & hujascemodi, ut putabat, deposuit inverecunde, & anathemati submisit beatissimum Papam Nicolaum, & omnes illi communicantes, neque summitati ejus, neque Ecclesiæ parcens, quæ illi magno Pontifici communicabat*.

II. Fusius rem ipsam, ac clarius exponunt inter alios Metrophanes in literis ad Manuelem Patricium, & Anastasius Bibliothecarius, cujus verba in præfatione hujus Synodi hæc sunt: *Photius conciliabulum præsidente Michaele Augusto colligit*, anno scilicet, ut supputat Baronius DCCCLXIII. *falsos homines quasi Vicarios Orientalium Sedium format, accusatores muneribus armat, & mendaciis construit, testes eos adsciscit, quos & accusatores opponit. Judices nonnumquam & in accusati personam admittit; excessus quosvis quasi præfati Summi Pontificis fingit, impingit, & sicut putabat, damnatione simul, & anathemate punit, Cuncti, qui aderant, exceptis perpaucis, & his fautoribus impietatis, clamantibus non esse justum, in summam, & primum Pontificem, & præsertim ab inferiori quomodolibet, sententiam proferendi, cum id nec Canon quisquam admittat, nec aliqua Ecclesiæ consuetudo fieri doceat. Verum iste falsarius falsorum excessuum adversus insontem absentem, & invictum, mendacem codicem compilat, mille circiter Antistitum subscriptiones interserit, sibi nemine prorsus consentiente, vel conscribente ex numerosa illa Episcoporum multitudine, nisi uno & viginti Præsulibus. Unde jam profusius sancti habitus Viri eum fugiunt, & quasi squallorem quemdam declinant, alterum Dioscorum hunc appellantes, & præcursorem Antichristi, imo ipsum Antichristum existimantes*. Dioscorus quippe Patriarcha Alexandrinus primus fuit, qui inaudita præsumtione S. Leonem Magnum Pontificem Maximum excommunicare ausus est.

III. Mox Acta nefarii conciliabuli, quæ ut ait Metrophanes, *subscriptionibus duorum Imperatorum, & trium Vicariorum Orientis, totius Senatus, & Hegumenorum, & Clericorum* munita erant, per stercorales ipsos, & fubuleos Vicarios temerario ausu misit Photius Romam ad Clerum, & Populum, necnon ad Ludovicum II. Imperatorem Ludovici Pii ex Lothario filio nepotem, cujus etiam uxorem per literas suas rogavit, ut virum suum excitaret ad pellendum e Sede Romana Nicolaum ipsum Romanum Pontificem: *Hunc in modum*, pergit Metrophanes, *compositis cunctorum subscriptionibus, Imperatorem Ludovicum, & Engilbertam* (ejus uxorem) *acclamavit Augustam, ad eamque literas laudum plenissimas dedit, quibus ostendebat, Illam non minus quam Pulcheriam fuisse, cujus præconium in Oecumenica Synodo proclamaretur. Obsecrabat etiam, & conabatur efficere, ut conjugi Ludovico auctor esset, Nicolai Papæ Romani, velut ab Oecumenico, & Catholico Concilio depositi, ab urbe pellendi*. Sed audiamus nunc quod ea in re addit. Ait enim, literas Photium ad memoratos Ludovicum, & uxorem ejus scripsisse, quibus effecturum se pollicebatur, ut Orientis etiam renuntiarentur Imperatores, operam modo suam ad expellendum a Pontificio Throno Nicolaum commodarent: *Regem Franciæ*, inquit, *Ludovicum, & Ingilbertam Reginam conjugem solicitat Photius, & Imperatores Constantinopoli creatum iri pollicetur, si operam navarent ad impium suum conatum exequendum, & Virum justum Nicolaum Pontificem ex Ecclesia sua exigendum. Eis vero dicto citius pollicentibus frustra stultitiam suam ostentabat*.

IV. Ad hæc scitissime observat Lupus, Francia a Leone III. Pontifice Maximo delatum Occidentis imperium, agnoscere ipsos hucusque detrectasse Imperatores Constantinopolitanos; adeoque versipellem adulatorem Photium, in hac sua nugatoria Synodo Ludovicum, per imaginarias acclamationes agnovisse Augustum, effusoque hoc peccatoria oleo conatum esse circumscribere Principem juvenem ad phantasmata sua adversus Nicolaum Pontificem exequenda; & demum, quomodo in paradiso Adamum Diabolus per Hevam decepit, ita Photium versipellem per Ingilbertam tentasse deludere Ludovicum. Ob hosce, & alios nequissimos dolos in sanctum ipsum Romanum Pontificem jam jure ac merito noster Canon anathemata ferit Photium, *idest ab ipsa communione laica segregat*, uti Natalis Alexander explicat in sua Nota ad hunc Canonem, vel, uti clarius exponit Lupus, *non solo invaso Episcopatu privat, sed & ipso nomine Christiano. Nempe*, uti idem mox memoratus Auctor pergit, *perduellis, & adversus Synodum, ac Romanam Ecclesiam ad Canones appellans permansit Photius, atque ita antiqui ex S. Athanasio frequenter laudati Canonis, qui hæreseon, aut schismatum primis auctoribus laicam communionem indulget, gratia fuit omnimode indignus*. Sane quod ficti ejus Vicarii anathematizati minime fuerint, eam causam tradunt in Actione IX. hujus Synodi Legati Apostolici: *Hos homines cum sint pauperes, & peregrini, judicamus venia dignos propter violentiam, quam se pertulisse confessi sunt*.

V. Acta Conciliabuli, quod contra S. Nicolaum perfidus Photius coegerat, ut ex Anastasio tradit Baronius ad annum DCCCLXVIII. ex Hadriani II. in Romana Synodo, eodem anno habita apud S. Petrum Decreto, repetito prius anathemate in Photium, igni cremata fuere; approbante etiam Cælo, cum videlicet superveniente pluviæ inundatione non solum ignis non est extinctus, sed contra vehementius accensus; exeunte insuper ex eorumdem voluminum combustione magno piceo fœtore. Atque hæc quidem Anastasius in Vita Hadriani Papæ; In præfatione autem ad hanc nostram VIII. Constantinopolitanam generalem Synodum addit, in eo Romano Concilio jussum pariter esse, ut quod factum est Romæ de combustione Scriptorum Photii, eodem modo Constantinopoli fieri deberet, siquæ ibi eorum exemplaria reperiri possent. Quod & antea jam Nicolaus Papa per literas suas Michaeli Imperatori præceperat. Factam combustionem scriptorum Photii Constantinopoli ex mandato Hadriani II. qui ejusdem Photii libros jampridem damnarat, & comburi

fece-

fecerat in Romana sua Synodo, quæ extat in præsentis Oecumenici Concilii Actione VII, omnemque Clericum, aut Laicum exemplaria detinentem, occultantem, non tradentem subjecerat anathemati, aut perpetuæ depositioni, ex Actione VIII. ejusdem hujus generalis Synodi addiscere licet. Ceterum ait Canon damnare se Photium, & ejus Conciliabulam, & scripta ex Canone S. Martini I. Romani Pontificis, qui extat in ipsa laudata Actione VIII. ipse enim Pontifex sanctissimus similes injurias a Monothelitis hæreticis jampridem passus strenue fuerat.

CANON VII.

Quod justum est, & juste exequendum Deiloquus Moyses evidenter lege promulgat: cum bonum non sit bonum, nisi secundum rationem efficiatur. Bonum ergo profecto, & valde proficuum est sanctas, & venerabiles Iconas pingere, sed & proximos disciplinas divinæ, ac humanæ sapientiæ docere, non autem bonum est, nec omnino proficuum, ab indignis horum aliquod fieri. Hujus rei gratia nequaquam Iconas operari in sacris Templis, sed neque in quovis loco docere anathematizatos ab hac sancta & universali Synodo, definimus, & promulgamus usquequo a propria seductione, & malitia convertantur. Quisquis ergo post hanc definitionem nostram ad picturæ sanctarum Imaginum in Ecclesiis, aut doctrinæ actionem quoquo modo eos admiserit, siquidem Clericus fuerit, proprio gradu periclitetur; si vero Laicus, separetur, & divinorum mysteriorum communione privetur.

COMMENTARIUS.

I. Quandoquidem, uti docet S. Gregorius Magnus Lib. VII. Epistola XIX. & post ipsum Scriptores alii complures Ecclesiastici, *ideirco Imagines in Ecclesiis adhibentur, ut qui literas nesciunt saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent*: jure ac merito Canon noster ad pingendas sacras Imagines, vel divinas, aut humanas etiam scientias edocendas eos admitti vetat, qui ab hac sancta Synodo anathemate percussi fuerint, eosque tandem, qui contra fecerint, Clericos quidem deponi, Laicos divinorum Mysteriorum participationis privatione puniri præcipit. Quia nimirum ut initio innuimus, Sanctorum Imagines sunt indocti præsertim populi libri, ideoque & ipsas pingere, est eundem populum omnino docere; unde quemadmodum Photiani docere prohibiti sunt, ita etiam & Imagines pingere, per quas, uti dictum est, rudes præsertim quæ legere in Codicibus non valent, in parietibus ac tabulis legant, ac discant. Alias causas, cur sacræ Imagines pingantur, jam alibi explicuimus.

CANON VIII.

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, dicit alicubi Paulus magnus Apostolus. Igitur quoniam omnia ad utilitatem, & perfectionem sanctæ Dei Ecclesiæ, & nihil omnino per contentionem, vel inanem gloriam facere debemus; & quoniam auditibus nostris fama sonuit, quod non solum hæretici, & ii, qui sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ Sacerdotium sunt sortiti, sed & orthodoxi, ac legitimi Patriarchæ a Sacerdotali catalogo propriæ manus scripta facere ad propriam tutelam, favoremque suum, & quasi stabilitatem exigant, & compellant; visum est sanctæ huic, & universali Synodo nequaquam id ex hoc quopiam fieri, excepto eo, quod secundum formam, & consuetudinem pro sincera Fide nostra tempore consecrationis Episcoporum exigitur. Quod enim aliter fit, omnino non expedit, sed neque ad ædificationem Ecclesiæ pertinet. Quisquis ergo ausus fuerit solvere hanc definitionem nostram, aut expetierit, aut paruerit expetentibus, honore proprio decidat.

COMMENTARIUS.

I. Quamquam vel olim tum Episcopi, tum Metropolitani quique in ordinatione sua Fidei confessionem ederent, & servandos a se Canones promitterent, nullum adhuc ab Episcopis factum fuit seu Papæ, seu Metropolitano Sacramentum vel Fidei, vel obedientiæ

tiæ ante annum CDLI. Primum omnium videri hæc expressisse Sacramenta Anastasium Thessalonicensem Archiepiscopum, & Apostolicæ Sedis Vicarium in Illyrico Orientali, notat ac probat Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Cap. XLIV. Videri a curioso Lectore possunt, quæ scripsimus nos de ea re Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum, *De consecratione electi in Episcopum*. Quod autem Canonem hunc nostrum spectat, prohibet ipse Constantinopolitanis Patriarchis, ne a Sacerdotibus subscriptiones exigant, quibus fidem obstringunt suam ad eorum tutelam, favorem, atque stabilitatem.

II. Causam sanciendo huic Canoni dedit haud dubie Photius tyrannus, ac versipellis ob varias professiones, quas scripto extorserat ab Episcopis suis, & a Clericis, quos spondere cogebat habituros se ipsum ut Patriarcham Patriarcharum, & Archiepiscopum Archiepiscoporum; sicut ipsimet confessi sunt Actione II. hujus Synodi, in qua receperunt se tandem in unionem Catholicæ Ecclesiæ: *Suasit*, inquiunt, *ut se chirographis terribilibus profiterentur, eum habituros Patriarcham Patriarcharum, & summum Sacerdotem summorum Sacerdotum*. Photium versipellem imitati in ea re simpliciores orthodoxi quidam Episcopi, qui & ipsi causam huic dedere Canoni, cum muniendæ authoritatis suæ studio, ejusmodi sponsiones scriptas exigerent & ipsi fidei, atque obedientiæ, uti Canon noster testatur, ubi ita inter alia inquit: *Auditibus nostris fama sonuit, quod non solum heretici, & ii qui sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ Sacerdotium sunt sortiti, sed & orthodoxi, ac legitimi Patriarchæ a Sacerdotali catalogo propria manus scripta facere ad propriam tutelam, favoremque suum, & quasi stabilitatem exigant, & compellant*.

III. Constat & illud ex Actis hujus Synodi, sanctissimum Patriarcham Ignatium exegisse etiam a suis Episcopis ejusmodi inusitatas subscriptiones. Certe testatus est ipse in Actione III. eos Episcopos sua sponte his se subscriptionibus adstrinxisse in ejus gratiam, & tutelam; cum ex adverso Photius lubentes, & invitos subscribere coegisset: *Etenim cum duplex sit*, inquit, *sacrorum hominum consecratio, aliorum quidem, qui a nobis initiati sunt, quique pro nobis chirographa conscripserunt; aliorum vero, qui a scelestissimo Photio consecrati chirographa vel lubentes, vel coacti suscripsere. Rogamus, ut de his omnibus aliquid decernatur*. Diversa, ac diversa juratarum professionum chirographa, & formulas grassante schismate, & Patriarcha Ignatius sanctissimus, & impius Photius exegerant, atque ita multorum etiam Episcoporum conscientias multis scrupulis illaquearant, uti videre est supra in Actione III. hujus Synodi.

IV. Verum tametsi subscriptiones in gratiam Ignatii excusari possent; non tamen illas clementer interpretata est Synodus, quod suo secum animo præsagiens Ignatius, prudentissime rogavit Synodum, *ut de his omnibus aliquid decernatur*. Ergo Actione VIII. exuri jussæ sunt subscriptiones omnes, quas Photius extorserat, prohibitumque est nostro VIII. hoc Canone, ne quid unquam istiusmodi tentarent Catholici Patriarchæ in sui defensionem, contenti ut mores retinerentur antiqui, & ab his, qui consecrarentur Episcopi, tum demum fidei exprimeretur confessio: *Visum est sanctæ huic, & universali Synodo, nequaquam id ex hoc a quopiam fieri, excepto eo, quod secundum formam, & consuetudinem pro sincera fide nostra, tempore consecrationis Episcoporum exigitur*. Quod enim aliter fit, ait omnino non expedire, sed neque ad ædificationem Ecclesiæ pertinere. Ceterum notandum hic illud superest, non omnes vetari hoc nostro Canone professiones Canonicæ obedientiæ, & reverentiæ Metropolitano devovendæ, vel Patriarchæ, sed eas tantum quæ spectarent ad Consecratoris tutelam, ut Canonem ipsum legenti patet. Videsis quæ fuse scripsimus nostro Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum XIII. in Commentario ad §. VIII. ubi multa notavimus de juramento præstari solito a novis Episcopis, in quod alias perperam hæretici hujus temporis invehuntur.

CANON IX.

Variam, & diversam malitiam antiquitus in Ecclesia Constantinopolitana infelix operatus est Photius. Didicimus enim, quod & multum ante tyrannicum Prælidatum propriæ manus subscriptionibus muniebat adhærentes sibi clientes ad discendam sapientiam, quæ a Deo stulta facta est, cum manifeste nova esset inventio, & sanctis Patribus nostris, & Magistris Ecclesiæ penitus aliena. Igitur quoniam omnem colligationem iniquitatis solvere, & chirographa violentorum contractuum dirumpere præcipimus, definivit sancta, & universalis Synodus, neminem ex his omnibus a nunc tale tenere, vel servare chirographum, sed absque quolibet offendiculo indubitanter, & intrepide tam docere, quam discere omnes, qui ad utrumque consistunt idonei, præter eos, qui erroris inveniuntur, & hæreticæ impietatis servituti redacti: hujusmodi enim certissime, & docere, & discere interdicimus. Siquis autem deprehensus fuerit hanc definitionem nostram spernens, atque prævaricans, si quidem Clericus est, a proprio gradu decidat, Laicus vero sequestretur: utpote qui non credit Dominico verbo prohibenti: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in*

& in Cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.

COMMENTARIUS.

I. Scribit inter alia de Photio Anastasius Bibliothecarius in historia hujus Synodi, subscriptiones ab iis etiam omnibus elicuisse Photium, quos humanas litteras addocebat, non aliam unquam, quam eandem secum fidem sectaturos. Eas professiones speciali hoc Canone damnat Synodus, extorta per Photium chirographa neminem obligare ait, eosque tandem, qui se ad incautæ subscriptionis, promissi, ac juramenti fidem servandam teneri existimaverint, ob idque Photio adhæserint, Clericos quidem a proprio gradu decidere, Laicos vero communione privari decernit, utpote qui non credant Christi Domini verbo, qui Matthæi Cap. xvi. dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.*

II. Audiamus nunc laudatum Anastasium, qui in memorata historia ita scripsit: *Præterea & aliud iniquitatis suæ retiaculum, quo mentes simplicium caperet, texens, quotquot ad exteriorem ab eo disciplinam instruendi veniebant, propria scripto spondere cogebat, se secundum Photii fidem deinceps credituros, quasi duæ essent Fides, una scilicet Christi, & altera Photii. Et hoc nihilominus callide molitus, ut communionis suæ quoscumque, vel quomodocumque laqueis irretiret, & esset impossibile unquam evelli, quem nimirum constaret tot fixis hærere radicibus, dum his, nec aliam Fidem, nisi quam ipse teneret, habere quoquo modo licuisset? Quod maximum scandalum hominibus excitavit dicentibus*: Ita ne si Photius hæresiarcha fuerit, debent filii nostri, aut Fidei Catholicæ desertores esse, aut juramenti, vel sui chirographi transgressores? *Erant enim inter eos nonnulli clarissimis natalibus oriundi.*

III. Erat Photius, vel ut ejus quoque adversarii fatentur, jam ab impubi ætate rerum civilium, & politicarum usu, prudentiaque, ac scientia clarissimus, *grammaticæque literaturæ* (ut verbis utar Nicetæ Paphlagonis in sancti Ignatii Vita) *& carminis pangendi, dicendique laude, quin & Philosophiæ, & Medicinæ, & omnium prope disciplinarum externarum studio, & cognitione tantopere florebat, ut ævi sui facile princeps haberetur, imo & cum veteribus jam certare posset.* Tanta ingenii opulentia inflatus ab ipsa adolescentia, & impubi ætate liberalium artium professorem agens, illustres præsertim pueros humanas litteras addocebat, quos etiam, ne ad alium Magistrum declinarent, aliaque addiscerent studia, juramentis, & chirographis vincire solitus erat: *Photius multa, & varia*, ait de ipso Encyclica hujus Synodi Epistola, *ab ætate impubi contra pietatem adinvenit molimina, stolidis, & nequam schismaticis concordans, & persuasoriis verbis multos ab ea sequestrans, & in laqueum perditionis attrahens. Vocari autem Rabbi præter ætatem tota virtute tentans, quibusdam propriis scriptis, & chirographis, sicut se, simpliciores quoque, quin potius leviores sub prætextu quasi discendæ disciplinæ dialecticæ vinciebat.* Ex quo illud licet addiscere, quo deinceps progressa fuerit Photii arrogantia, quippe qui factus adultus, ejus generis chirographa non modo a pueris, aut adolescentibus, sed & ab Episcopis ipsis, ac Senatoribus, aliisque fere omnibus, uti notatum est in Commentario superiori, solitus fuit exigere, eoque artificio omnem Constantinopolitanam Ecclesiam turbare conatus est ad invadendum Patriarchatum, cujus erat ambitiosissimus.

IV. Ubi dejecto Ignatio legitimo Antistite, ad Sedem Constantinopolitanam pervenit Photius, dici nequit, quanta violentia ab invitis chirographa ipsa extorserit. Photii tyrannidem in extorquendis chirographis fuse exponit in historia hujus Synodi laudatus toties Anastasius Bibliothecarius his verbis: *Photius alios privatione honorum, & dignitatum, alios proscriptione facultatum damnat: hos exilio longo, & carceribus relegat, illos tormentis diversis afflixit; atque ut breviter omnia comprehendantur, nulla professio, sexus, vel ætas ab eo impunita deseritur, nisi consors suæ communionis inventa; adeo ut communionem ejus declinantium Monachorum nonnullos, quibusdam exceptis, qui contemplationi operam dantes, clausi habebantur, abstraxerit, alios in monte Olympo ereMiticam ducentes vitam fugaverit, eorumque tugoria, seu speluncas igni perdiderit; quendam autem sibi communicare renuentem etiam vivum ex inferiori parte usque ad dimidium corporis sepelierit.* Facinora profecto hæc sunt, quæ comparari haud dubie possunt Neronis, Decii, Diocletiani, aliorumque Ecclesiæ persequutorum tyrannidi. Porro tam immanis præterea fuit nequitiæ Photii tyrannis, ac perfidia in ejusmodi chirographis extorquendis, ut quemadmodum affirmat Nicetas in Vita sanctissimi Patriarchæ Ignatii, ante finem vitæ illius rursum cœperit sacramenta, & subscriptiones recipere ab omnibus illis, quos ordinaret, vel dignitatibus insigniret: *Atque ut peccatum fieret supra modum peccans, ubique jusjurandi sacramenta, ubique chirographa exigebat, sive initiaret, sive honores, & dignitates Ecclesiasticas conferret, sive Episcopatus permutabat.*

V. Videamus tandem quid de chirographis ipsis in nostra hac Synodo actum fuerit. Certe octava Sessione, quæ celebrata est Nonis Novembris anno DCCCLXIX. præsente, atque rogante Imperatore Basilio, combusta sunt chirographa cuncta, quæ ab omni hominum genere Photius extorsisset. Sic enim ipsa Actione viii. dixisse igitur Patricium Baanem ad Episcopos Photianos, qui chirographis Photio se adstrinxerant: *Sanctus Imperator noster jubet dicere ad vos Episcopos, qui fecistis injusta chirographa. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Languor, & dolor vester est meus. Et ideo consilium do, ut quæ male a vobis, & vi acta sunt, incendantur, & exterminentur, non solum sensibiliter, sed providentia Dei etiam intelligibiliter.* Hoc est, uti exponit Lupus, non solummodo exuratur juramenti charta, sed & omnis de ipsius obligatione error e cordibus, & conscientiis vestris eradicetur. Superius enim jam dictum est, in Commentario scilicet viii. Canonis, multorum etiam Episcoporum conscientias ob editionem hujusmodi chirographorum fuisse illaqueatas. Verum ubi ad Episcopos alloquutus est Baanes Patricius, ajunt Acta, ita doctiores exclamasse Episcopos: *Hodie completur divinæ Scripturæ sermo,*

mo, qui dicit: Dissolve omnem colligationem iniquitatis, & obligationes violentorum contractuum, & evelle omnem scripturam injustam.

VI. Placuit tandem toti Synodo, quod longa oratione Episcopos commonefecit memoratus Baanes circa chirographorum combustionem, ad quæ illos coegerat non modo Photius, sed & Michael Augustus, cui in imperio successit deinde Basilius: *Jubente Basilio*, verba sunt laudatæ VIII. Actionis Synodi, *Christo amico, & magno Imperatore, positum est in media Synodi vas Æneam ad; id aptum, plenam igne, & delati sunt in marsupio a Theophilacto Reverendissimo Diacono, & Referendario, omnes tomi chirographorum, qui exacti sunt a Photio, ab omni sacrato catalogo, & ordine Clericorum, tam magnæ Ecclesiæ, quam earum, quæ foris sunt, quamque etiam a magnis, & parvis, & omnis Senatoriæ dignitatis, & multis aliis tam illustribus, quam ignobilibus, atque iis, qui in omni arte, & disciplina, & diverso studio esse videbantur, usque ad pellarios, & pisces vendentes, & lignarios, & acus facientes. Insuper & libri qui ficte conscripti sunt contra Beatissimum Nicolaum Papam, & gestorum relationes, ac Synodi, quæ contra sacratissimum Patriarcham Ignatium factæ sunt a Photio. Et accipiens Georgius Reverendissimus Orphanotrophus singulos libellos, & tomos, tribuit hominibus utrorumque sanctissimorum Vicariorum, qui miserunt omnia in ignem, & cremata sunt, & redacta in nihilum*. Hactenus Acta Synodi, in quibus nota I. omne hominum genus, ac plebem ipsam vilissimam adactam fuisse a Photio ad iniqua chirographa. II. incensa illa fuisse una cum omnibus Photii scriptis contra Nicolaum Papam, & Ignatium Patriarcham. III. Professionum chirographa exurvoluisse Legatos ad vertendum errorem de obligatione juramenti, qua multorum conscientiæ illaqueatæ erant. Quid autem sit Referendarius, cujus in recitato Actionis loco fit mentio, ita explicat antiqua Notitia Officiorum Constantinopolitanæ Ecclesiæ: *Referendarius ad Principes, virosque magnos ad Episcopi secreta quædam indicenda, & quidquid libuerit, mittitur*. Vide Goar in Rituale Græcorum, ubi fuse, ac erudite agit Ecclesiæ Constantinopolitanæ Officialibus.

VII. Explicanda insuper sunt illa nostri Canonis verba, quibus dicitur, *neminem ex his omnibus a nunc tale tenere vel servare chirographum, sed absque quolibet offendiculo indubitanter, & intrepide tam docere, quam discere omnes, qui ad utrumque consistunt idonei, præter eos, qui erroris inveniuntur, & hæreticæ impietatis servituti redacti*. Hic enim Patres Constantinopolitanæ Urbis Scholares Photianorum chirographorum laqueis non modo solvunt, sed & plenissima illos eligendæ alterius Scholæ, & Magistri donant licentia, sublata omnino Photii sequacibus, ac aliis generaliter hæreticis non solum docendi, sed & discendi facultate: *Hujusmodi enim certissime, & docere, & discere interdicimus*. Porro in hunc Canonem videntur impingere Episcopi æque ac Principes Viri, qui subditos suos cogunt ad eligendam Scholam, ac Magistrum, quem ipsi audiendum præscribunt, tametsi in suis Ditionibus, ac Diœcesibus Scholæ, ac Magistri Catholici, & celebriores extent, quos tamen ad discendum eligere sub statutis pœnis subditi ipsi nequeunt.

C A N O N X.

Divina manifesto clamante Scriptura, *Ante examinationem ne vituperes: & intellige primum, & tunc increpa: & numquid Lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab eo, & cognoverit, quid faciat?* Juste, & congruenter, & hæc sancta, & universalis Synodus definit, & statuit, quod nullus Laicorum, vel Monachorum, aut aliquis ex catalogo Clericorum ante diligentem examinationem, & Synodicam sententiam a communione se separet proprii Patriarchæ, licet criminalem quamlibet causam ejus se nosse prætendat; sed neque recuset nomen ipsius referre inter divina Mysteria, vel Officia. Similiter autem Episcopos, & Presbyteros, qui in exterioribus civitatibus, & regionibus sunt, erga proprios Metropolitas affectare mandamus. Quod etiam circa Patriarcham suum facere Metropolitas oportet. Si vero quis adversus hanc sanctam Synodum deprehensus fuerit agere, si quidem Episcopus, aut Clericus est, ab omni Sacerdotali operatione decidat, & honore; Monachus autem, aut Laicus segregetur ab omni Ecclesiastica communione, atque collegio, quousque conversus ad pœnitentiam recipiatur.

COMMENTARIUS.

I. PRohibet Canon, ne quis a suo Episcopo, Metropolita, Primate, aut Patriarcha sub causæ cujuscumque criminalis fuco se separet, aut nomen ipsius inter Mysteria divina, vel officia recitare prætermittat ante Synodi examen, & judicium. Statuit id quidem Canon authoritate verbi divini, uti in ejus exordio videre est. Id quod etiam naturalis juris præcepto muniri possit, Episcopum a propriis subditis judicari, damnari, ac puniri prohibentis. Unde non mirum videri debet, si eam disciplinam jam olim præscripserit antiquus Catholicæ Ecclesiæ Canon, de quo in Libro Symmachi Pontificis Apologetico scribit S. Ennodius Ecclesiæ Romanæ tunc Diaconus,

conus, deinde vero Episcopus Ticinensis apud Gratianum, Can. 1. Causa VIII. Quæstione IV. *Nonne directa sunt verba Decreti*: Siquis Clericorum ab Episcopo suo ante sententiæ tempus pro dubia suspicione discesserit, manifestam in eum manere censuram.

II. Respicere Ennodium ad VIII. Canonem secundæ Synodi Carthaginensis, recte post Augustinum Caravitam in suis ad Gratiani Decretum Scholiis existimat Lupus in suo Scholio ad hunc nostrum Canonem. Diserte enim laudatus Canon Carthaginensis statuit: *Siquis Presbyter a Præposito suo excommunicatus, vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus secernendum se a sui Episcopi communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat.* Donatistarum schisma a simili discordia inchoatum ad ejusmodi Canonem compulit Ecclesiam Africanam. Quinimo jam longe ante memoratam II. Carthaginensem Synodum, quæ, ut contra Baronium Eruditi supputant, anno CCCXC. celebrata est, Florentium Puppianum, qui se ab ejus communione segregarat, S. Cyprianus arguit, quod se se Episcopi Episcopum, & Judicis sui Judicem faceret; adeoque lucide censet, ut scite notat memoratus Lupus, sine Synodico judicio segregationem a nullo posse attentari.

III. Ejus audaciæ exempla afferri possent complura vetera æque ac recentiora; non omittenda est tamen silentio Photii superbia, de quo ad Synodum suam Romanam, quæ lecta est in Actione VII. hujus Synodi ita dixit Adrianus II. Pontifex Maximus: *Photius semetipsum ab Ignatii beatissimi Præsulis communione fecit extraneum, & per hoc ab universali Ecclesia, quæ ipsi beatissimo Patriarchæ communicabat, se reddidit prorsus exortem, atque inter schismaticos procul-dubio se constituit.* Ex quibus verbis jam plane docemur, causam quoque huic sanciendo Canoni dedisse Photium, ejusque asseclas, qui sine ulla prorsus ratione a communione legitimi sui Patriarchæ Ignatii separarunt. Dixi porro, sine ulla prorsus ratione, casus enim dari potest, in quo licet citra scrupulum, & pœnam a nostro hoc Canone statutam ab Episcopi communione separari, ubi scilicet crimen commiserit, quod esset notoria hæresis, vel publicum, ac gravissimum Ecclesiæ scandalum.

IV. Extant pene innumera in Ecclesiasticis Annalibus exempla, quæ nos eam disciplinam perspicue docent, quæque longo agmine affert in suo ad hunc Canonem Scholio eruditissimus Lupus. Certe de Nestorio Constantinopolitano Episcopo, qui per impiam Dorothei Marcionopolitani Episcopi linguam in Ecclesia eam blasphemiam vomerat, *Siquis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit*, scribit in Epistola XIV. ad S. Cœlestinum Pontificem Maximum S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, quod *mox ingens universi populi clamor, & discessio consequuta est.* Extat Epistola in prima Ephesini Oecumenici Concilii parte, in qua etiam hæc leguntur: *Nolebant enim diutius cum eo communionem habere, qui tali mente præditus esset. Quin & hoc ipso quoque tempore plebs Constantinopolitana a synaxi abstinet. Abstinent ab eadem omnia pene monasteria, & eorum Archimandritæ. Abstinet & major quoque pars Senatus.* Quia scilicet notoria erat Nestorii hæresis.

V. Servatum hunc etiam morem fuisse non modo erga Episcopos, Metropolitas, Primates, & Patriarchas, verum erga ipsos Summos Romanos Pontifices, ubi gravissimum, ac publicum Ecclesiæ scandalum attulissent, non semel tradit antiquus Author Libri Pontificalis, ubi narrat vitas, ac gesta Romanorum Pontificum. De Anastasio II. hæc quidem habet: *Multi Clerici, & Presbyteri se a communione ipsius erexerunt, eo quod communicasset sine consilio Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ, Diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia occulte voluit revocare Acacium, & non potuit.* Scio equidem falsum esse, quod Anastasius ipse Papa sanctissimus Acacium Episcopum Constantinopolitanum, Sedi Apostolicæ rebellem, atque Eutychiana communione pollutum a Felice III. & a Gelasio decessoribus jam ante damnatum, multisque jam annis sub eodem Felice III. mortuum in sedem suam revocare, aut saltem nomen ejus sacris diptychis restituere voluerit; attamen ex recitato Libri Pontificalis loco satis addiscimus, quænam fuerit vetusta Ecclesiæ Romanæ disciplina de ea re quam in præsenti tractamus.

VI. Præter notoriam hæresim, vel publicum, ac gravissimum Ecclesiæ scandalum, nulli jam licet ob alia crimina a proprii Episcopi communione discedere, vel nomen ipsius inter Mysteria divina, vel officis recitare omittere. Vetat omnino id noster Canon, cui similia jam antea statuerat Photius in sua Pseudosynodo, quam Constantinopoli in Templo sanctorum Apostolorum, adversus sanctum Ignatium celebravit, vocitaturque Constantinopolitana I. & II. Porro memoratæ Photianæ Synodi Canonis XIII. hæc sunt verba: *Hæreticarum zizaniarum semina in Dei Ecclesia malignus dejiciens, & eas videns gladio spiritus scindi radicitus, ad aliam venit insidiarum viam, schismaticorum insania, Christi corpus dividere aggrediens. Sed & has ejus insidias sancta Synodus reprimens, omnino definit deinceps, ut siquis Presbyter, vel Diaconus, ut qui utique ob aliqua crimina proprium Episcopum condemnarit, ante Synodalem cognitionem, & examinationem, & perfectam ejus condemnationem, ab illius communione discedere ausus fuerit, & ejus nomen in sacris celebrationum precibus, ut Ecclesiæ traditum est, non referat, is depositioni subjiciatur, & omni Sacerdotali honore privetur.*

VII. Pergit tum Canon, egregiamque ejus Decreti rationem reddit, quod scilicet quisquis Sacerdotali dignitate præditus, quæ Metropolitanorum judicii sunt, sibi arrogat (quippe de Episcopis judicare Metropolitanorum proprium est munus) ac Episcopum suum, qui spiritalis ipsius est parens, priusquam de eo quidquam judicatum fuerit, ipse condemnet, hic Sacerdotis honore, aut appellatione haudquaquam est dignus: *Qui enim est*, inquit, *in Sacerdotali ordine collocatus, & Metropolitanorum judicium præcipit, & ante judicium ipse, quantum in se est, proprium Patrem & Episcopum condemnat, is nec Presbyteri honore, nec nomine dignus est.* Addit deinde hanc pœnam, ut nimirum quicumque hisce Schismaticis consentientes, ipsi quoque se se cum illis adjungunt, siquidem sacris ini-

tiati sint; deponantur, si Laici, aut Monachi, penitus segregentur, hoc est, ita ut ne Ecclesiam quidem ipsis ingredi fas sit, ejiciantur, donec Episcopo suo repudiata cum Schismaticis familiaritate se adjunxerint: *Qui autem eos consequuntur, si sint quidem ex iis, qui sunt sacris initiati ipsi quoque a proprio honore excidant; sin autem sint Laici, vel Monachi, ex Ecclesia omnino segregentur, donec eam Schismaticis conjunctionem respuentes, ad proprium Episcopum reversi fuerint*. Notanda sunt illa Canonis verba, *ex Ecclesia omnino segregentur*; est namque segregatio, ut scitissime docet Zonaras ad hunc Canonem, etiam cum a sola divinorum Mysteriorum perceptione quispiam summovetur: est etiam cum Ecclesiæ quoque aditu segregati prohibentur, quod penitus segregari is Canon dixit, quia gravior ea segregatio sit, ac hominem penitus hujusmodi segregatio a fidelium communicatione removeat.

VIII. Hunc Canonem, quem placuit paulo fusius explicare, quod multa contineat, quæ Canonem nostrum magis magisque illustrant, quamvis æquitatis speciem præseferat, jam certe non ad roborandam Ecclesiæ disciplinam, sed ut suam tyrannidem firmaret, mala mens Photii constituit, ut scilicet crudelius in subditos suos ac impune sæviret. Sed utut fuerit pessimus Photii animus in ipso edendo Canone, optimus est quidem Canon, ac veteri Ecclesiæ disciplinæ, & Canoni nostro apprime conformis, quemadmodum & duo alii sequentes editi ab eodem Photio in recitata Synodo Canones, qui eadem cum superiori Canone de Episcopis, qui se a Metropolitarum, & de Metropolitis, qui se a Patriarcharum suorum conjunctione divellunt, nec eis communicant, nec eorum nomina, in Mysteriorum celebratione pronuntiant, juste decernit. Canone xv. qui est de iis, qui Patriarchæ communionem aversantur expresse casum hæresis excipit Photius, ubi ita inquit: *Qui enim propter hæresim aliquam a sanctis Patribus, vel Synodis condemnatam, se a Præsulis communione separant, illo hæresim scilicet publice prædicante, & nudo capite* (idest, fidenter prorsus, atque audacter hæreticas opiniones docendo in vulgus disseminet, ut exponit Zonaras) *ii non solum canonicæ pœnæ non subjicientur, ante synodalem cognitionem seipsos a communione ejus, qui Episcopus dicitur, sejungentes, sed & honore qui Orthodoxis convenit, digni habebuntur*. Hoc quoque Canone sibi ipse lenocinatus est quidem Photius, quod ejus communionem non pauci aversarentur, sed hoc nihil in præsenti refert.

IX. Illud denique in nostro Canone adnotandum superest, quousque ob aliquod crimen Episcopus non fuerit a suo superiore judicatus, excepta hæresi notoria, & publico, ac gravissimo scandalo, uti superius dictum est, non licere subditis non modo se ab illius communione dividere, *sed neque recusare nomen ipsius referre inter divina Mysteria, vel officia.* Est enim & is jam antiquissimus Ecclesiæ mos in Ecclesia tum Græca, tum Latina usitatus, ut dum sacra Mysteria peragerentur, nomen Episcopi pronuntiaretur, ut videre est in veteribus utriusque Ecclesiæ Liturgiis. Hinc S. Augustinus Epistola ex. de Actis Eradii in fine ita inquit: *Bene habet, ut ea, quæ Dei sunt, circa sacrificium ejus agere valeam, in qua hora supplicationis nostræ, commendo charitati vestræ, ut omnes vestras causas, & negotia intermittatis, & pro ista Ecclesia, & pro me, & pro Presbytero Eradio Domino precem fundatis.*

X. De vivorum tabulis statuit quidem Canon Nicæno-arabicus LXII. *Sabbato, & diebus festis, quando sunt Sancta super Altare posita, Diaconus memoriam faciat nominatim, primum Patriarchæ, deinde Archiepiscopi, Episcopi, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, quia isti sunt gubernatores Ecclesiæ. Idcirco nominandi sunt ad Altare in Ecclesia, quandoquidem per eos omnia Ecclesiastica administrantur, & ipsi sunt in Ecclesia superiores*. Patriarchæ, Metropolitæ, ac proprii Episcopi recitationem nominum, mandant etiam S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, & aliorum Patrum antiquæ Liturgiæ. Atque hinc, ut nullus sui necdum synodaliter damnati Patriarchæ, Metropolitæ, aut Episcopi nomen præsumat ad Altare non recitare, rigidissime noster Canon mandat. Ut enim alia exempla omittam, Cæciliani, quem nulla Synodus damnarat, nomen omitti non posse dixit ad Cresconium S. Augustinus. Sed de his videri possunt, qui in Canonem Missæ suse scripserunt Eruditi Auctores.

XI. Unum autem hic illud addiderim, nomen Episcopi ideo in sacris celebrationum precibus a Clero & Populo referendum, quod centrum ipse unitatis est suorum subditorum, cum quibus, ut ait S. Cyprianus in Epistola LXIX. ad Florentium Punianum de obtrectatoribus loquens, Ecclesiam unam constituit: *Illi sunt*, inquit, *Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens*. Hæc adunatio fidelium cum Episcopo suo, unam quidem facit Ecclesiam particularem, sicut adunatio omnium fidelium omniumque Episcoporum sibi adhærentium, Ecclesiam constituit universalem, uti ibidem laudatus Cyprianus docet: *Ecclesia Catholica una est..... cohærentium sibi Sacerdotum glutino copulata*. Hinc merito Apostolus in Epistola ad Hebræos, Cap. XIII. eosdem monet, ut pro pastoribus suis orent: *Ipsi enim*, ait, *pervigilant, quasi rationem, pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis*. Vide Joannem Bona Cardinalem Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XII.

C A N O N XI.

Veteri, & novo Testamento unam Animam rationabilem, & intellectualem habere hominem docente, & omnibus Deiloquis Patribus, & Magistris Ecclesiæ eandem opinionem asseverantibus, in tantum impietatis, quidam malorum inventionibus dantes operam, devenerunt, ut duas eum habere animas, impudenter dogmatizare, & quibusdam irrationabilibus conatibus per sapientiam, quæ stulta facta est, propriam hæresim confirmare perten-

tent.

tent. Itaque sancta hæc & universalis Synodus veluti quoddam pessimum zizanium, nunc germinantem nequam opinionem evellere festinans, immo vero ventilabrum in manu veritatis portans, & igni inextinguibili transmittere omnem paleam, & aream Christi mundam exhibere volens, talis impietatis inventores, & patratores, & his similia sentientes, magna voce anathematizat, & definit, atque promulgat, neminem prorsus habere, vel servare quoquo modo statuta hujus impietatis Auctorum. Si autem quis contraria gerere præsumserit huic sanctæ, & magnæ Synodo, anathema sit, & a fide, atque cultura Christianorum alienus.

COMMENTARIUS.

I. INter alia Manichæorum insana, ac impia dogmata, unum illud est, quod ut S. Augustinus in Lib. *De hæresibus*, Cap. XLVI. & in Libro, *De duabus animabus*, scribit, duas in homine animas esse dicerent, bonam, quæ esset a bono principio, rationalem videlicet animam, & malam alteram, quæ a malo principio esset, concupiscentiam carnis vulgo dictam; hominemque ab illa bona anima ad bonum, & a mala ad malum determinari ajentes, ac hominem proinde liberum esse negabant. Eundem errorem de duabus animabus docuit inter alios Apollinarius Episcopus Laodicenus, de quo in Epistola CXLV. ad Constantinopolitanos Monachos ita scribit Theodoretus Cyrensis Ecclesiæ Præsul: *Apollinarius animæ, mentisque distinctionem ab externis didicit Philosophis, cum divina Scriptura ex anima & corpore constare hominem doceat*. Et in secundo Dialogo adversus Eutychianistas ita idem Auctor de ipso hæretico ait: *Apollinarius ex tribus dicit compositum esse hominem: ex corpore, ex anima vitali, & ex rationali rursus, quam mentem appellat*. In summa hæc fuit veterum quorumdam Philosophorum, necnon Manichæorum, atque aliorum hæresis, præter animam rationalem, esse insuper in homine animam sensitivam, ex qua sola promanant omnes concupiscendi actus, eamque Manichæi, ut initio dictum est, asseverabant esse propria natura malam, & a malo principio exortam. Adversus errorem istum S. Augustinus aureum Librum scripsit, *De duabus animabus*, contra Manichæos, ex quorum misera secta initio Libri S. Doctor se aliquando fuisse deplorat.

II. Quamquam vero recte Theodoretus Apollinarii errorem affirmet, a gentilibus Philosophis acceptum, quia scilicet hæreticorum Patriarchæ Philosophi semper fuere, præclare nihilominus docet Aristoteles in Lib. *De anima*, Textu LXVI. & XCI. unam dumtaxat existere in homine rationalem animam, & hanc esse simul virtute, seu eminenter sensitivam, & vegetativam. Neque vero a se ipso dissidet Aristoteles, dum Lib. II. *De generatione animalium*, Cap. III. affirmat, embryonem hominis prius vivere vita plantæ, deinde vita bruti, & postremo vita hominis. Etenim S. Thomas in Summa, Parte I. Quæstione CXVIII. Articulo II. ad II. mentem hanc esse Aristotelis ait, formas illas in embryone numquam simul, sed successive inesse, atque abscedente vegetativa, succedere sensitivam; & hac desinente, infundi a Deo rationalem, quæ simul non quidem formaliter, ut loquuntur Scholastici, sed virtute, seu eminenter sit vegetans, & sensitiva. Scio equidem, a nonnullis rejici illam sensitivæ animæ præcessionem in illo imperfecto humano fœtu, ajuntque delirasse omnino Aristotelem, ubi posuit successivum ingressum animarum, quia scilicet inde sequeretur hominem fuisse aliquando puram plantam, & purum animal.

III. Sed de hac re litigent, ut volunt Philosophi, noster Canon tamquam veteri, ac novo Testamento, & omnibus sanctis Patribus, ac Doctoribus Ecclesiæ repugnantem anathemate percellit pravam illam opinionem de duabus hominis animabus, quam post antiquos hæreticos ab Ecclesia proscriptos innovavit Photius, licet non illam hæresim serio docuisse asseveret, sed tantum, ut probaret, quomodo Ignatius tunc Patriarcha, ejusmodi e philosophia petitam hæresim philosophicis argumentis, quæ parum calleret, destruere sciret. Testatur id quidem Anastasius in Historia hujus Synodi, ubi rem ita narrat: *Photius duarum unumquemque hominem animarum consistere prædicabat. Qui cum a Constantino Philosopho, magnæ sanctitatis viro fortissimo ejus amico increpatus fuisset, dicente*: Cur tantum errorem in populum spargens, tot animas interfecisti? *Respondit*: Non studio quemquam lædendi, talia dicta proposui, sed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, si suo tempore quælibet hæresis per syllogismos Philosophorum exorta patesceret, qui scilicet viros exterioris sapientiæ repulisset; verum ignoravi, me sub hujus fomite propositionis tot animas fore læsurum. *At quod ille*: O sapientia mundi, quæ infatuatur, & destruitur! Jactasti sagittas in multitudinem copiosæ turbæ, & ignorasti quemlibet ex his omnibus vulnerandum! Certe omnibus liquet, quia sicut oculi quantumlibet sint aperti, si fumus palearum interjacuerit, videre ultra non possunt; ita oculi sapientiæ tuæ, quantumlibet sint magni, & patuli, avaritiæ tamen, & invidiæ fumo penitus obcæcati, tramitem justitiæ videre non possunt; ac per id verum est, quod neminem ictu tuo putasti esse lædendum, cum sic obcæcatum sensum prædictis adversus Patriarcham passionibus habeos, nec quid emiseris, prævidisti.

IV. Dedit itaque causam sanciendo huic Canoni Photius, non quod ipse serio sentiret, singulis hominibus duas inesse animas, sed quod impium ipsum errorem alios docuisset; adeo ut coacti sint Patres veluti quoddam pessimum zizanium germinantem tunc temporis pravam illam evellere festinantes magna voce auctorem, & inventorem erroris, eique adhærentes damnare, & diro anathemate confodere.

C A N O N XII.

Apoſtolicis, & Synodicis Canonibus promotiones & conſecrationes Epiſcoporum, & potentia, & præceptione Principum factas penitus interdicentibus concordantibus, definimus, & ſententiam nos quoque proferimus, ut ſiquis Epiſcopus per verſutiam, vel tyrannidem Principum hujuſmodi dignitatis conſecrationem ſuſceperit, deponatur omnimodis, utpote qui non ex voluntate Dei, & ritu, ac decreto Eccleſiaſtico, ſed ex voluntate carnalis ſenſus ex hominibus, & per homines Dei donum poſſidere voluit, vel conſenſit.

C O M M E N T A R I U S.

I. ITerum in ſcæna Photius, quippe qui & huic Canoni occaſionem dedit. Ut autem rem ab origine repetamus, quum Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, quod Bardam Patricium, penes quem ſumma erat adminiſtrationis Imperii poſt ſæpe fruſtra iteratas monitiones excommunicaſſet ob uxoris inſontis repudium, & cum cognata ſibi ſponſa conſuetudinem, ejuſdem Bardæ factione calumnioſe accuſatus de conſpiratione adverſus Imperatorem, e Throno impie depoſitus eſſet, ac primum quidem in inſulam Terebinthum, ac demum poſt multiplices locorum mutationes in inſulam Mitylenem relegatus, auctore Barda factum eſt, ut complures Epiſcopi, partim minis cedentes, partim pollicitationibus illecti in locum Ignatii legitimi Patriarchæ ſufficerent Photium Eunuchum, qui erat Michaeli Imperatori a ſecretis, magnaque apud illum gratia pollebat, quod ipſius Imperatoris ſoror Irene nupta eſſet Sergio Patricio Photii germano.

II. Narrant hæc Joannes Curopalates, Cedrenus, Baronius ad annum Chriſti DCCCLVIII. aliique recentiores, ex quibus perſpicue eruitur, Photium quidem cauſam huic noſtro dediſſe Canoni, utpote qui per verſutiam, & tyrannidem Principum, & non ex voluntate Dei, ac ritu, & decreto Eccleſiaſtico, ſed ex voluntate carnalis ſenſus ex hominibus, & per homines donum Dei poſſidere voluit, & conſenſit. Reprobat itaque Canon, ac damnat promotiones, & conſecrationes Epiſcoporum potentia, & mandatis Principum factas tanquam Apoſtolicis, & Synodicis Canonibus contrarias, quos alio loco nos jam longo agmine recenſuimus. Porro ad hunc reſpexit Canonem S. Ivo Epiſcopus Carnutenſis, ubi in Epiſtola ſua LX. ita ſcripſit ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ Primatem: *Quid ſuper Epiſcoporum electione a Principibus facta dicat Octava Synodus, non eſt meum veſtram docere prudentiam.* Damnat aperte Canon Regias Epiſcoporum nominationes nuper a Leone Iſauro attentatas, confixas a Septima Synodo, ut ibidem notavimus, a Græcorum Imperatoribus frequenter reſumtas, ac noviſſime a Michaele intrudente Photium in Thronum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, uti in ſuo Scholio obſervat Lupus.

III. Meminit & hujus noſtri Canonis in ſuo Opere, *De concordia Sacerdotii, & Imperii*, Libro II. Cap. XVII. Num. III. Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis, ſic dicens: *Octava Synodus mores in Gallia receptos, & jura Regia videtur variis Canonibus petiviſſe. Etenim Principum ſuffragia ab electionibus Epiſcoporum arcet Canone duodecimo.* Errat in numero; etenim uti notat laudatus Lupus, & cuique Canones hoſce legenti patet, Principum ſuffragia vigeſimus ſecundus, duodecimus vero Canon proſcribit Regias Epiſcoporum nominationes, quæ ſcilicet nullo Canonico privilegio nituntur. Quidquid enim fuerit de antiquis moribus, ac Principum violentiis in electione Epiſcoporum, Principes hodie complures, exceptis paucis Eccleſiis, in quibus Canonicorum Capitula ſuos eligunt Epiſcopos, aliiſque nonnullis in quibus Papa Epiſcopos conſtituit, ex Apoſtolicæ Sedis privilegio, ſeu Concordatis, ſcripto & ſolemni ritu promulgatis, Epiſcopos in Regnis ſuis, ſeu ditionibus nominare ſolent. Quæ cum Regiam nominationem Summi Pontificis judicio ſubjiciant, ejuſque confirmatiotionem, & diploma ſtatuant neceſſaria, ut nominatus a Rege conſecrari poſſit Epiſcopus, huic noſtro Canoni non adverſantur, ſolam intruſionem per tyrannidem, aut verſutiam Principum damnanti; ut ſcite inter alios Canonis hujus expoſitores docet in ſua ad ipſum Canonem Nota doctiſſimus Natalis Alexander.

C A N O N XIII.

Quoniam quidem dicit alicubi divinum eloquium, *Dignus eſt operarius mercede ſua*; hujus rei gratia & nos decernimus, & promulgamus, ut magnæ Eccleſiæ Clerici, qui in ſubjectis ordinibus morati ſunt, ad majores gradus aſcendant, & ſi digni claruerint, melioribus perfrui mereantur honoribus; cum aliqui eorum, qui in ipſis ſunt, aut per incrementum ad ſuperiora miniſteria advocati fuerint, aut per communem naturæ terminum dormientes defuerint; ſed non ex illis qui foris ſunt, aliqui ſe his innectentes, debitas eis, qui multo tempore laboraverunt, dignitates, vel honores recipiant;

ac

ac per hoc inveniantur Ecclesiæ Clerici nullo modo posse proficere. Nullatenus autem habeant potestatem, qui Principum domorum, seu suburbanarum rerum curam gesserint, inter Clerum magnæ Ecclesiæ colligi, vel constitui: *Nemo quippe Deo militans sæculi negotiis implicatur*. Si vero quis præter definitionem, quam nunc protulimus, promotus fuerit in quocumque magnæ Ecclesiæ gradu, tamquam qui contra magnam Synodum provectus extiterit.

COMMENTARIUS.

I. ADsumi neminem jubens Canon ad magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ dignitates, nisi ex ejusdem Ecclesiæ Clero, ad quem etiam admitti vetans domesticos virorum Principum Clericos, aut qui nobilium bona curant, ne scilicet eorum favore, & potestate ad Ecclesiasticas dignitates, ac ad Patriarchatum ipsum obtinendum, vel usurpandum, eorum juvetur ambitio; primum quidem Canon hic noster Photium sugillat, qui, uti dictum est, laicus cum esset, & curialis, a secretis nempe Imperatori, Thronum ipsum invasit Constantinopolitanum, dejecto Ignatio legitimo Patriarcha, & posthabitis tot dignis Presbyteris, qui diu, atque egregie per varios gradus memoratæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ inservierant. Hunc abusum conatus est evellere Nicolaus I. Pontifex in literis suis ad Michaelem Imperatorem, quæ lectæ sunt in quarta Actione hujus Synodi: *Ecclesiæ Constantinopolitanæ hortamur statum, ut tales alere omni religione eruditos studeat viros, qui ad honorem cardinis ipsius, sanctæ Ecclesiæ suis Præsulibus mortuis, vel quolibet casu, ac modo decidentibus, valeant surrogari. Quod non solum in tanto Patriarchatu observari omnino debet, verum etiam in singulis quibusque civitatibus, ex consuetudine Canonica, magna cum cautela servatur, & custoditur*.

II. Ubi tandem mortuo Ignatio, Imperatoris Basilii precibus permotus, victusque Joannes Papa VIII. ejus votis annuit, ac Photium in communionem, & Patriarchalem Sedem Constantinopolitanam Pontificia dispensatione restituit, ita quidem ad Canonem nostrum, & antiquam Ecclesiæ disciplinam alludens, Epistola CCXCIX. ad Basilium ipsum Augustum, ejusque filios Constantinum, & Alexandrum data, scripsit: *Eo tenore ista decernimus, ut post hujus Patriarchæ obitum nullus de laicis, vel curialibus in Patriarchatus eligatur, aut consecretur honore, nisi de Cardinalibus, & Diaconibus Constantinopolitanæ Sedis secundum sacros Canones*. Quam necesse fuerit olim ex gremio ejusdem Ecclesiæ deligi Episcopos, docent passim prisci Canones, Romani Pontifices, & Ecclesiæ Patres, quorum egregia loca fuse affert Thomassinus in suo celeberrimo Opere, *De vetere & nova Ecclesiæ disciplina*. Sanctissimæ ejus disciplinæ hanc affert rationem Canon noster ex Christi oraculo in Evangelio Lucæ, Cap. X. *Dignus est operarius mercede sua*.

III. Porro postquam justissimis affecit laudibus Nicolaus I. Caroli Calvi Regis Galliæ zelum, ac eximiam pietatem, quod religiosissimum Episcopum Senonensi præfecisset Ecclesiæ, doluit de eo nihilominus, quod Monachus, & non potius unus aliquis ex florentissimo illius Ecclesiæ Clero Sedi illi admotus fuisset; non multo minus stupendum ait videri, quam si extraneum cuipiam committeretur regimen alicujus Monasterii, & non ei potius, qui inter Monachos emineret; iniquum esse, ut superveniens hospes fructus carpat laborum a proprio Ecclesiæ Clero diu ac durissime exhaustorum: *Quamvis hæc*, inquit, *nos valde lætificent, multum tamen contristant, quia idem venerabilis vir non de ipsa Ecclesia, sed de quodam Monasterio fuisse perhibetur. Denique cum erga Monachos eadem profecto regula, quæ circa Clericos, qui promovendi sunt, conservanda sit; indecorum tamen, quin potius illicitum est, in aliena stipendia quemquam obrepere, & ex transverso venientem in castra, inter quæ non militavit, ducatum arripere*. Extat Epistola Tom. III. Conciliorum Galliæ Pag. 273.

IV. Idipsum paulo inferius confirmat, sed primum, extra fidem esse inquit, nullum in tam numeroso, & conspicuo Clero idoneum esse regendæ Ecclesiæ illius clavo; tum vero addit, in eum scopulum frequenter impingi in Ecclesia Gallicana: *Aut de Ecclesiæ Senonensi Clericis, qui ordinaretur, nullus dignus inventus est, quod evenisse non credimus, maxime cum sit Metropolis, & Clericorum numerositate non careat; aut certe his jure minime reprobatis, aliunde qui eis irregulariter præponeretur, inventus est, & qui aliorum fructum laborum comederet, electus est*. Sunt hæc quidem ad Ecclesiæ leges illustrandas, componendosque mores, ac longissimas Principum controversias dirimendas luculentissima, præsertim cum paulo post fateatur ipsemet Nicolaus Papa, operæ pretium fore, ut inposterum Reges Pontificesque in eam curam, & tanti mali medicinam diligentissime incumbant: *Cum ergo familiarius in regionibus vestris sit hæc temeritas, & sacrorum super hoc Canonum violatio dilatata, necesse est nostram sollicitudinem pro hac amputanda specialius impendere diligentiam*. Violationem Canonum esse ait Regimini Ecclesiæ, neglectis illius Clericis, extraneum admoveri.

V. Sed ne diutius huic disciplinæ a sacris Canonibus, & Summis Pontificibus probatæ immoremur, recte ait eruditissimus Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. I. Cap. CIII. Num. VII. nullis posse exceptionibus concuti, aut labefactari generalem illam legem, & regulam ei non modo innixam rationi, quam noster Canon, & Nicolaus I. Papa afferunt, sed aliis gravissimis, quæ in Præfatione Pragmaticæ sanctionis Gallicæ conjectæ sunt. Quod advenæ qui sunt, ignoti fere sint; non facile adduci possint, ut resideant; patrium Indigenarum sermonem non capiant, nec ab illis vicissim capiantur; unum id studeant potissimum, ut Ecclesiæ suæ dispendio locupletentur; ejus sacra tecta non curent; ab hospitalitate abhorreant; ignoto sibi gregi minus prodesse possint;

ſint; quod denique cives ipſi animum deſpondeant, & literarum ſtudia aſpernentur, quorum præmia videant ab extraneis ſibi præripi, & invulari: *Eccleſiarum peculia manus occupant indignorum, & nonnunquam exterorum, & plerumque Dignitates, & opulentiora Beneficia perſonis conferuntur incognitis, & non probatis, quæ in eiſdem Beneficiis non reſident, ſicque vultus ſibi commiſſi gregis, non agnoſcunt, linguam aliquando non intelligunt.* Tum addit: *Sic animarum cura negligitur, ſubtrahitur hoſpitalitas, Eccleſiarum jura deperennt, ruunt ædificia, Clerici noſtrorum Regni, & Delphinatus ſcientiarum ſtudia deſerunt, propter promotionis congrue ſpem eis ſublatam.* Hiſce & alias rationes adjungit Auctor Gloſſæ in ipſam Pragmaticam ſanctionem ex Abbate Panormitano aliiſque Juris Canonici commentatoribus decerptas.

VI. Hæ rationes effecerunt tandem, ut Concordatorum jure Romanos Pontifices inter, & pleroſque Principes, ſi non præficiantur cuique Eccleſiæ Clerici illius, ut mos erat antiquus ſemper fere & ubique locorum ſervatus, præficiuntur certe, qui ex eodem oriundi ſunt Regno, aut jura Regni, Principum diplomate ſpeciali aſſequuti ſunt. Gaudet hodie & hoc privilegio noſtrum Regnum Neapolitanum novo Jure Concordati, quod inter BENEDICTUM XIV. Pontificem Maximum ſanioris diſciplinæ Eccleſiæ peritiſſimum, & amantiſſimum noſtrum Regem Carolum Borbonium, Hiſpaniarum Infantem nuper initum fuit, quo ad Eccleſiaſtica Regni Sacerdotia excluſis extraneis ſoli ex ipſo Regno Neapolitano oriundi admittuntur.

VII. Revertor nunc ad Canonem noſtrum, qui antiquiſſimam quidem hanc diſciplinæ legem reſtauravit in Eccleſia Conſtantinopolitana, ut nimirum omnes ejus dignitates iis conferrentur, ſicubi vacarent, quorum inſignis eluxiſſet pietas, & induſtria in inferioribus Ordinibus, & miniſteriis, quos iccirco nefas eſſe judicavit, & Evangelicæ juſtitiæ præceptis adverſum, mercede hac juſtiſſima defraudari. Nequis autem verba Canonis non bene intelligens, putet ſeniorem ex Presbyteris eligendum eſſe Epiſcopum, dicam breviter quod fuſiori oratione Sancti Patres docent, ac præſertim S. Joannes Chryſoſtomus in Libris, *De Sacerdotio*, non ejuſmodi dignitatem eſſe Epiſcopatum, quæ provectam deſideret ætatem, ſed doctrinam potius, atque experientiam, virtutis conſtantiam, & eloquentiam, atque adeo ei ſuffragandum eſſe, qui his maxime præcellat: *Digniorum enim, non gradu altiorum, & potentiorum ſunt Throni.* Verba ſunt Cabaſilæ Archiepiſcopi Dirratheni, qui ita ad eam quæſtionem reſpondet in Libro Juris Orientalis, Pag. 323.

VIII. Sed nec eos ſolum Canon excludit ab honoribus & dignitatibus, qui extranei ſunt, verum etiam cives in Clerum Eccleſiæ Cathedralis, ac præſertim Conſtantinopolitanæ admitti vetat, *qui Principum domos, ſeu ſuburbanarum rerum curam geſſerint*; quia ſcilicet ſeculi negotiis impliciti, ab eis divelli, & Deo, & Eccleſiæ inſervire nequeunt. De hujuſmodi Clericis, quibus ætas abundat, & Ordo Eccleſiaſticus miſere dedecoratur, notabile eſt, quod ſcribit ad Bernardum Archiepiſcopum Viennenſem in Gallia Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis in Epiſtola ſua VII. ita inquiens: *Increbuit conſuetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans, & quantulumcumque proficiens ad honores, & gloriam temporalem, qui non domeſticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, ſed a quo inceſſanter exigat licitam, atque illicitam obedientiam non ſolum in divinis officiis, verum etiam in humanis: itaut plerique inveniantur, qui aut ad menſas miniſtrent, aut ſaccata vina miſceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus feminæ ſedent, regant, aut agellos provideant. Et quia tales, de quibus hæc dicimus bonos Sacerdotes in domibus ſuis habere non poſſunt: nam quis eſſet bonus Clericus, qui cum talibus hominibus dehoneſtari nomen, & vitam ſuam ferret? non curant omnino, quales Clerici illi ſint, quanta ignorantia, ſeu quantis criminibus involuti; tantum ut habeant Presbyteros proprios, quorum occaſione deſerunt Eccleſias, ſeniores, & officia publica. Quod autem non habeant eos propter religionis honorem, apparet in hoc, quod non habeant eos in honore, unde contumelioſe eos nominantes, quando volunt illos ordinari Presbyteros, rogant nos, aut jubent dicentes: Habeo unam Clericionem, quem mihi nutrivi de ſervis meis propriis, aut Beneficialibus, ſive Pagenſibus, aut obtinui ab illo homine, ſive de illo pago, volo ut ordines eum mihi in Presbyterum.* Hanc hominum fæcem Canon ordinari vetat.

C A N O N XIV.

Eos, qui a divina gratia ad Epiſcopale advocantur officium tamquam imaginem, & figuram ferentes ſanctorum cæleſtium Hierarchicarum, idest Angelorum, ſecundum Hierarchicum plane gradum, & morem, omni honore dignos ab omnibus Principibus, & ſubditis ſancimus haberi. Et nequaquam Strategis, vel quibuslibet aliis Principibus obvios procul ab Eccleſiis ſuis occurrere, ſed neque ſemet a multo ſpatio de equis, vel mulis ejicere, aut cum timore, ac tremore procedere, & adorare; ſed nec cum ſecularibus Principibus ad menſam intrare hora prandii, eoſdem, quos illi honores Strategis exhibentes, ſed ſecundum congruentiam ſpiritalis dignitatis, ac honoris ſui, reddere quidem omnibus debita, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem: præferri autem, & multam, a Principibus amicorum Chriſti Imperatorum venerationem, & reverentiam promoveri confeſſores eorum, & honoris ſimilis exiſtentes; itaut fiduciam habeant Epiſcopi arguere

guere Strategos multoties, & alios Principes, atque omnem feculi dignitatem, cum injuftum & irrationabile agere quid illos invenerint, & per hoc corrigere, & reddere meliores. Si vero aliquis Epifcopus poft definitionem fanctam Synodi, debitum, & Canonice collatum fibi contemferit honorem, & quid fecundum veterem, & inhumanam, ac inordinatam confuetudinem, præter quæ nunc definita funt, fieri permiferit, fequeftretur anno uno, & Principes ille non mereatur percipere Myfteriorum, nec fanctificationum communionem.

COMMENTARIUS.

I. ARguit Canon ignavam quorundam fui ævi Epifcoporum humilitatem, qui fui gradus, & honoris obliti variis modis facram dignitatem dehoneftabant, Palatinis, aut quibuslibet Principibus viris Ecclefiam ingreffuris procul ab Ecclefia obviam euntes, aut ex equo, vel mulo defilientes, reverentiæ illis exhibendæ caufa, aut ad menfam Principum inter Palatinos adftantes. Jubet autem eos debita Regibus, & viris Principibus reverentiæ, & urbanitatis officia exhibere, quæ fpiritalem fuam dignitatem, & honorem non deprimant, aut obnoxiam contemptui faciant, minuantque auctoritatem arguendi, & emendandi Strategos, & quoslibet in dignitate feculari conftitutos, ipfofque Principes, prout ex officio tenentur. Epifcopum vero, qui proprium honorem contemferit, ac præter definitionem noftri hujus Canonis egerit, anno uno fequeftrari, Principem vero irreverentem a facra communione Myfteriorum fancta Synodus fegregandum jubet.

II. Nunc fingula hujus Canonis capita fufius explicemus. Ait itaque I. *eos, qui a divina gratia ad Epifcopale advocantur officium, tanquam imaginem, & figuram ferentes fanctorum Hierarcharum, ideft, Angelorum fecundum hierarchicum plane gradum, & morem omni honore dignos ab omnibus Principibus, & fubditis haberi*. Quia fcilicet ipfi perfonam Chrifti in Ecclefia fuftinent, qui apud Lucam Apoftolis, & confequenter Epifcopis in eorum locum fuffectis dixit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos fpernit, me fpernit*. Eo teftimonio utuntur quidem Patres ad conciliandam Epifcopis omnium reverentiam, tum fubditorum Principum; imo S. Gregorius Nazianzenus in Apologetico fuo I. non veretur afferere, Epifcopum in Angelorum effe claffe, cum Archangelis Deum celebrare, & cum Chrifto Sacerdotio fungi, & *ut quod*, idem inquit, *majus eft, dicam, Deus eft, aliofque Deos efficit*. Idipfum docet Sanctus Gregorius Magnus Lib. IV. Epiftola XXXI. ad Mauritium Imperatorem, ubi poftquam oftendit Scripturarum auctoritate aliquando Sacerdotes Deos, aliquando Angelos appellari, ita fubjungit: *Quid ergo mirum, fi illos veftra pietas dignetur honorare, quibus in fuo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos, ipfe etiam appellat Deus?* Recte itaque S. Ignatius in Epiftola VII. ad Smyrnenfes ait, nihil effe honorabilius Epifcopo in Ecclefia, & primum honorem deberi Deo, fecundum Epifcopo, tertium Regi. Regibus quoque Epifcopos anteferunt memoratus Nazianzenus in Oratione ad Cives timore perculfos, S. Ambrofius in Lib. *De dignitate Sacerdotali*, Cap. II. S. Chryfoftomus Lib. III. *De Sacerdotio*, & Homilia IV. in Caput VI. Ifaiæ, imo Homilia LXXXIV. in Matthæum etiam Diaconos anteponit Regibus. Addunt autem, Epifcopum tanto effe majorem Rege, quanto fpiritus carni, Cælum terræ, aurum plumbo præftat.

III. Hinc recte II. mandat Canon Epifcopos *nequaquam Strategis, vel quibuslibet aliis Principibus obvios procul ab Ecclefiis fuis occurrere*. Notandum verbum illud, *procul*; nam alias antiquiffima eft difciplina venienti in Ecclefiam Principi ab Epifcopo occurri ufque ad veftibulum, uti fcite docet eruditus Lupus, & conftat exemplo veterum Romanorum Pontificum, qui, uti ab Anaftafio in eorum Vitis difcimus, advenientes Imperatores Romanos, cum fui Cleri proceffione ad gradus Bafilicæ S. Petri folebant expectare. Etiam provinciam fuam noviter ingredientibus Præfectis gentiles facrificulos debuiffe occurrere ad veftibulum ufque Templorum, juffit quidem ex vetufta Chriftianorum regula Julianus Apoftata Imperator in literis ad Arfacium Paganorum Pontificem, quæ extant apud Hermiam Sozomenum, funtque hujus tenoris: *Ingredientibus Præfidibus in Urbem nemo Sacerdos obviam prodeat, nifi quando ad Templa Deorum accedunt, folum intra veftibula. Eos intrantes nullus miles præcedat; fequatur autem qui vult. Nam fimul ut ingreditur limen Delubri, privati perfonam induit: fiquidem ipfe his, qui intus funt, præeft, propterea quod divina lex illud poftulat*. Uti Chriftianorum fidem, ita & Ecclefiafticos ritus effe ornatiffimos, atque humani generis ad Chriftum Dominum potentiffime attractivos videbat, invidebatque impius, ac dolofus Apoftata Julianus, ideoque ipfis etiam gentilem Idololatriam veftiri fanxiffe ipfum, ait Lupus, & Principem, ac Reipublicæ miniftros recipi in Delubra Deorum, quomodo recipiebantur in Ecclefias Chriftianorum.

IV. Vetat III. Canon Epifcopos *femet a multo fpatio de equis, aut mulis ejicere, aut cum timore, ac tremore procedere, ac adorare*; ex equis fcilicet, aut mulis defilire, reverentiæ exhibendæ caufa Imperatori, aut alteri Principi, fi illis ipfi in via occurrerent. Olim quidem ex veteri Ecclefiæ difciplina Synodus Matifconenfis Secunda anni DLXXXV. Can. XV. eum honorem non modo Epifcopis, fed & Clericis honoratioribus, ideft iis, qui ad majores Epifcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus ordines promoti funt, a fecularibus exhibendum ftatuit, ut Clericis ipfis pedeftribus obviam fecularis ad terram defiliat, caput inclinet, aperiatque, ac debitum obfequium præftet: *Et quia ordinationi Sacerdotum*, inquit, *annuente Deo congruit de omnibus difponere, & caufis fingulis honeftum terminum dare, ut per hos reverentif-*

reutissimos Canones, & præteritorum Canonum viror., ac florida germina maturis fructibus enitescant. Statuimus, ut siquis secularium quempiam Clericorum honoratorum in itinere obvium habuerit, usque ad inferiorem gradum honoris venerauter, sicut condecet Christianum, illi colla subdat, per cujus officiu, & obsequia fidelissima, Christianitatis jura promeruit. Et si quidem ille secularis equo vebitur, Clericusque similiter, secularis galerum de capite auferat, & Clerico sinceræ salutationis munus adhibeat. Si vero Clericus pedes graditur, & secularis vebitur equo sublimis, illico ad terram defluat, & debitum honorem prædicto Clerico sinceræ charitatis exhibeat; ut Deus, qui vera charitas est, in utrisque lætetur, & dilectioni suæ utrumque adsciscat. Qui vero hæc, quæ Spiritu Sancto dictante sancita sunt, transgredi voluerit, ab Ecclesia, quam in suis Ministris dehonorat, quandiu Episcopus illius Ecclesiæ voluerit, suspendatur.

V. Hactenus Matisconensis Canon, in quo illud potissimum notandum est, velle quidem in eo Patres honorem, & reverentiam a secularibus deferri majoribus Clericis, non tam ut inde ipsi superbiant, quam ut inde in Deum major gloria redundet. Ea certe fuit reflexio S. Thomæ Cantuariensis Episcopi, ubi Henricus II. Angliæ Rex, ut Historici Anglicani tradunt, habenas equi quem conscendebat Thomas, bis manu sua tenuit: *Cum Rex & Archiepiscopus in partem secessissent, & bis equos ascendissent, bis habenam Archiepiscopi Rex tenuit, cum equum ascendisset*. Narrat hæc inter alios ad annum MDCC. Matthæus Parisius, eundemque honorem Huberto successori S. Thomæ exhibuisse Richardum Angliæ pariter Regem affirmat Gervasius Monachus Cantuariensis, additque Parisius eam fuisse memorati Richardi Regis frequentem de Episcopis vocem: *Si scirent, quantum illos timeam, me pedibus conculcarent*. Cum sanctissima hæc disciplina sive ob superbiam Principum, sive ob fastum Episcoporum, qui illis obsequiis abutebantur, in desuetudinem hodie abierit, duo saltem essent hodie extrema ab Episcopis ipsis vitanda, ne erga Principes, eorumque Ministros se nimium deprimant, & multo magis abstineant prætextu dignitatis Pontificalis Regiam Majestatem contemnere sua potestate abutentes, quam ut ait Apostolus, dedit ipsis Deus in ædificationem, & non in destructionem Corporis Christi.

VI. Prohibet iv. Canon Episcopis, *cum secularibus Principibus ad mensam intrare hora prandii, eosdem, quos illi honores Strategis exhibentes*, idest, uti exponit Lupus, vetat Episcopos quasi Capellanos adstare Regiæ Mensæ inter Strategos, multoque minus adstare mensis ipsorum Strategorum. Certe si veterem disciplinam inspiciamus, sedebant olim Episcopi ad Mensam Imperatoris. De Constantino Magno ita scribit in ejus Vita Eusebius Cæsariensis Lib. I. Cap. XXXV. *Imperator Episcopos, licet homines fuerint ipsius formæ habitu ad speciem abjecti, ab eo tamen non ejus generis existimati sunt, sed quia non hominem, qui sub adspectum oculorum cadit, sed Deum ipsum, qui in eorum animis insidebat, considerare visus est, illos suæ mensæ effecit participes*. Quod ipsum in Ecclesiastica historia Lib. I. Cap. XI. affirmat Theodoretus. Varia id genus exempla videri apud memoratum Lupum possunt: illud hic nos adnotabimus, etiam post hujus nostri Canonis definitionem, tantam fuisse vilitatem Patriarchæ Constantinopolitani, & Imperatorum Græcorum fastum, ut ipsos Patriarchas *juxta scabellum pedum suorum sedere* facerent, ut eisdem exprobrat Innocentius III. in Cap. VI. *De Majoritate, & obedientia*. Easdem querelas habet in Libro, *De sacris ordinationibus*, Cap. VIII. Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis, addens eam esse unam ex causis, ob quas indignatus Dominus Orientale Imperium affligit multis calamitatibus.

VII. Jubet V. Canon, Episcopos debita Regibus, & Principibus viris reverentiæ, & urbanitatis officia exhibere, quæ spiritualem suam dignitatem, & honorem non deprimant, aut obnoxiam contemptui faciant, minuantque auctoritatem *arguendi Strategos multoties, & alios Principes, atque omnem seculi dignitatem*. Pulcherrime Isidorus Pelusiota Libro V. Epistola CCLXVIII. Episcopos ait censores olim fuisse terrenorum Principum, Apostolicæ vitæ integritate, & sanctimonia, at obscurata illorum sanctitate auctoritatem quoque obsurduisse: *Sacerdotii olim dignitas peccantes redarguebat Reges; nunc vero his subjecta est. Olim enim cum Evangelicam, & Apostolicam ducerent vitam, qui sacris rite operabantur, merito regiæ dignitati erant terrori; nunc vero contra regia Majestas Sacerdoti*. Addit mox, recte consulere, ac agere Reges, dum eos despicantes, qui tanto fastigio impares sunt, Episcopatos ipsius injuriam, & dehonestationem ita ulciscuntur: *Recte consulunt, aguntque Reges; non enim Sacerdotium lædere propositum est eis, sed vindicare læsam dignitatem ab eis, qui non debite administrant*. Sunt qui Sacerdotii prætextu vellent sibi a Principibus, eorumque Ministris honorem, ac reverentiam sibi exhiberi, cum tamen ipsi moribus Sacerdotii dignitati contrariis, Sacerdotium ipsum dehonestent, gravibusque injuriis sub pallio zeli domus Dei, & Clerum, & Populum, & Principes ipsos conentur afficere.

VIII. Episcopum tandem, qui debitum, & canonice collatum sibi contempserit *honorem, & quid secundum veterem, & inhumanam, ac inordinatam consuetudinem, præter quæ nunc definita sunt, fieri permiserit, ut sequestretur anno uno*, (idest annua suspensione multetur) *& Princeps ille non mereatur percipere Mysteriorum, nec sanctificationum communionem*, merito Canon noster statuit. Debet enim Episcopus Sacerdotii dignitatem tueri excelsi animi constantia, & Apostolica magnanimitate, exemplo veterum Patrum, atque sanctissimorum Ecclesiæ Præsulum, Ambrosii, Basilii, Martini, neglectis iis, quos in ipsius Martini Vita Severus Sulpitius graviter carpit: *Cum ad Imperatorem Maximum ferocis ingens viram & bellorum civilium victoria elatum plures ex diversis partibus Episcopi convenissent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia, Regiæ clientelæ Sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica auctoritas permanebat*. Imitati sunt certe molles illos Episcopos, quos sugillat Sulpitius, nonnulli hujus infimi ævi Præsules, in quos ita invehitur Synodus Tridentina Sessione XXV. Cap. XVII. *Non potest sancta Synodus graviter non dolere, audiens Episcopos aliquos sui status oblitos, Pontificiam dignitatem non leviter dehonestare, qui cum Regum Ministris, Regulis, & Baronibus, in Ecclesia, & extra, indecenti quadam demissione se gerunt, & velut inferiores Ministri Altaris, nimis indigne non solum loco cedunt,*

dunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare hæc, & similia detestans sancta Synodus sacros Canones, Conciliaque generalia, atque alias Apostolicas sanctiones, ad dignitatis Episcopalis decorem, & gravitatem pertinentes renovando præcipit, ut ab hujusmodi imposterum Episcopi se abstineant; mandans eisdem, ut tam in Ecclesia, quam foris, suum gradum, & ordinem præ oculis habentes, ubique se Patres, & Pastores esse meminerint; reliquis vero, tam Principibus, quam ceteris omnibus, ut eos paterno honore, ac debita reverentia ubique prosequantur. Ubi nota, renovari hoc Capite Canonem nostrum, qui Episcopum, qui proprium honorem contemserit, ac præter istum Canonem egerit, suspensione annua mulctat, Principem vero a communione sacrorum Mysteriorum segregat.

IX. Concilii Tridentini Decreto jubet adjongere sanctionem Concilii Romani quod anno Jubilæi MDCCXXV. sanctæ memoriæ Benedictus XIII. in Basilica Lateranensi celebravit; sic enim inquit Titulo XVI. Cap. II. *Sui præterea gradus altitudinis summique honoris, ac dignitatis memores* (Episcopi) *ad infima quæque se non abjiciant, nimium se potissimum secularium consuetudine, ac familiaritate deprimentes. In aulis Principum, nisi Ecclesiæ, vel alia id postulet pietatis necessitas, non versentur; nec, iis discumbentibus, stent ipsi, eo adhuc prætextu, ut sumto cibo, Deo pro illis gratias agant. Cum Regum Ministris, Baronibus, aliisque consimilibus Dynastis ita se gerant, ut omnino in Epistolis, & earum subscriptione formulis numquam utantur inferioribus; atque in mutuis visitationibus, omnique alio humanitatis commercio, sive intra, sive extra Ecclesiam, cum omnibus ubi Patres, & Pastores se habeant, & supra omnes, veluti Superiores, locum sibi servent digniorem.* Et mox: *Ceterum, ut qui ex adverso est, nihil habeat dicere de ipsis, ab iis omnibus se abstineant, quæ Concilia, Canones, Sanctionesque Apostolicæ Episcopis vitanda præcipiunt; & ea rite, recte, ac sollicite exequantur, quæ Episcopali uti comissa ministerio, præcipue ipsi tenentur obire.* Hactenus Benedicti sanctæ memoriæ Papæ XIII. Concilium, qui zelantissimus adeo fuit honoris Episcopalis, & dignitatis Cardinalatus, ut coram Hispaniarum Monarcha Philippo V. Neapoli aliquandiu commorante, nonnisi tecto capite pileolo rubro constanter staret, tametsi a nonnullis admonitus esset, ut illum deponeret. Fuit vir animi excelsi, quem Deus Catholicæ Ecclesiæ suæ Præsulem dedit, ut aliis esset exemplo.

C A N O N XV.

Apostolicos, & paternos Canones renovans sancta hæc, & universalis Synodus definivit, neminem prorsus Episcopum vendere, vel utcumque alienare cimilia, & vasa sacra, excepta causa olim ab antiquis Canonibus ordinata, videlicet, quæ accipiuntur in redemtionem captivorum. Sed nec tradere salaria Ecclesiarum in emphyteutica pacta, nec alias rusticas possessione venundare, ac per hoc Ecclesiasticos redditus lædere, quos ad propriam utilitatem, & ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse decernimus. Omnem vero Ecclesiasticarum rerum potestatem habentem, & has meliorare, ac dilatare, prout oportuerit Ecclesiastica loca, per quæ redditus fiunt; & insuper propriarum rerum dispositionem distribuere, ac committere, seu conferre quibuscumque voluerit, & judicaverit juxta propriam potestatem, ac dominatum. Quisquis autem apparuerit post hanc definitionem nostram contrarium quid huic sanctæ, & universali Synodo agere, deponatur, ut prævaricator divinarum rerum, & præceptorum, cassata videlicet omnino, quæ facta est in scriptis, vel sine scriptis ab Episcopo venditione, vel emphyteutica traditione, vel alia quavis alienatione, cimiliorum scilicet, ac salariorum locorum. Qui vero emerit, aut perceperit aliquid ex prædictis cimeliis, vel salariis, & non restituerit Ecclesiæ iterum quæ Ecclesiæ sunt, vel non reddiderit ad incidendum chartam venditionis, vel emphyteuseos, sit anathema, usque dum fecerit, quod ab hac sancta & universali Synodo confirmatum est. Si autem Episcopus convictus fuerit construxisse Monasterium de redditibus Ecclesiasticis, tradat ipsum eidem Ecclesiæ Monasterium, si vero de propriis rebus, aut de aliis quibusdam conventionibus, habeat id secundum propriam potestatem, & voluntatem omni vita sua, & post finem vitæ dimittat, & conferat hoc quibuscumque voluerit, non tamen sæculare diversorium fiat.

COMMENTARIUS.

I. Multa & in hoc Canone de alienatione bonorum Ecclesiæ, capita continentur, quæ ad tollendam confusionem, Canonis ipsius ordinem sequentes, operæ pretium duximus singulatim exponere, Ait itaque primo Canon, nostræ hujus Synodi Patres, Apostolicos, & pa-

& paternos Canones renovantes, prohibere omnino Episcopis alienationem vasorum sacrorum, aliorumque ornamentorum Ecclesiæ, nisi ob redemtionem Captivorum. Hanc fuisse veterum Patrum disciplinam, ut nimirum in gravi necessitate, qualis est Captivorum redemtio, licitum esset *Vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere*, constanter docet S. Ambrosius Lib. II. *De officiis*, Cap. XXVIII. ubi etiam cum Ariani quam fidei, tam morum Ecclesiæ, & charitatis extorres, atque imperiti, ei crimini verterent, quod pro sustentandis pauperibus, & redimendis Captivis, vasa ipsa Ecclesiæ sacra confregerit, atque alienarit, præclarissima oratione ostendit, sacris Ecclesiarum thesauris non esse parcendum tempore necessitatis, sic inter alia inquiens: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid opus custodire, quod nihil adjuvat? An ignoramus, quantum auri, atque argenti de Templo Domini Assyrii sustulerint? Nonne melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quam sacrilegus contaminata asportet hostis?* Et paulo inferius; *Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emunt. Ornatus sacramentorum redemtio Captivorum est. Et vere illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas a morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis ejus operatus est. Tunc vas Dominici sanguinis agnosco, cum in utroque videro redemtionem, ut calix ab hoste redimat, quos sanguis a peccato redemit.*

II. Redemtionem Captivorum esse justam causam alienandi sacra Ecclesiæ vasa, suo etiam exemplo docuit S. Augustinus, cum ipsa non semel confringeret redimendis Captivis, & levandis egentibus, ut in ejus vita testis est Possidius, Cap. XXIII. ubi ita inquit; *Nam & de vasis Dominicis propter Captivos, & quamplurimos indigentes, & frangi, & conflari jubebat, & indigentibus dispensari.* Habuit & suos obtrectatores Augustinus, qui subinique ferebant, ita violari res sacras; sed scitissime respondit Possidius, suo jam Ambrosium exemplo ejusmodi obtrectoribus os obturasse, & invictissimis argumentis docuisse, rem esse licitam, ubi gravis incubuisset necessitas; *Quod non commemorassem, nisi contra carnalem sensum quorumdam fieri perviderem. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum, & dixit, & scripsit.* Declarat eam rem licitam etiam S. Gregorius, qui Lib. VI. Epistola XXXV. ita scripsit ad Dominum Episcopum Messanensem: *Et sacrorum Canonum, & Legalia statuta permittunt, ministeria Ecclesiæ*, idest sacra vasa, & ornamenta, *pro captivorum esse redemtione vendenda*. Et rursus Lib. VII. Indictione II. Epistola XVI. ad Demetrianum, & Valerianum Clericos Firmanos; *Sacrorum Canonum*, inquit, *statuta, & legalis permittit auctoritas, licite res Ecclesiasticas in redemtionem Captivorum impendi.*

III. Alludit verisimiliter Gregorius ad Leges Justiniani, qui Novella sua CXX. Cap. X. ubi prohibet vendi, aut pignori supponi vasa sacra Ecclesiarum, addit, *nisi pro redemtione Captivorum*. Similiter idem Imperator in Lege XXI. *De sacrosanctis Ecclesiis*, vetans sacrorum vasorum qualemcunque alienationem, aut oppignorationem, ea verba adjungit: *Excepta videlicet causa captivitatis, & famis in locis his, in quibus hoc contigerit.* Sed notanda hic potissima ratio exceptionis, quam mox addit; *Nam si necessitas fuerit in redemtione Captivorum, tunc & venditionem præfatarum rerum divinarum, & hipothecam, & pignorationes fieri concedimus: quoniam non absurdum est, animas hominum quibuscumque vasis, vel vestibus præferri.* Mutuatus est quippe Justinianus eam rationem a sanctis Patribus, ac præsertim a S. Ambrosio, qui in laudato Lib. II. *De officiis*, Cap. XXVIII. inter alia ita inducit Christum Dominum cum iis loquentem, qui urgente necessitate redimendi Captivos, subinique ferrent alienationem vasorum sacrorum, ubi alia deessent: *Melius fuerat, ut vasa viventium servares, quam metallorum.* Hanc disciplinam inter alios sanctissimos Præsules servavit Acacius Episcopus Amidæ, quem summopere laudatum refert Socrates Lib. VII. *Historiæ*, Cap. XXI. quod pro redimendis, & alendis Captivis vasa aurea, & argentea Ecclesiæ vendiderit. In Concilio Rhemensi anni DCXXX. celebris est Canon XXII. quo cautum fuit, ut *siquis Episcopus, excepto si evenerit ardua necessitas pro redemtione Captivorum, ministeria sancta frangere pro qualicumque præsumtione præsumserit, ab officio cessabit Ecclesiæ.*

IV. Vetat II. Canon Ecclesiæ prædia, & quascumque possessiones in emphyteusim tradi, vel venundari, *ac per hoc Ecclesiasticos redditus lædere, quos ad propriam utilitatem, & ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse decernit.* Sunt pene innumera tum antiquorum, tum recentiorum Pontificum, & Synodorum Decreta, quæ ejusmodi alienationem vetant, aut saltem certis regulis, & terminis circumscribunt, quæ referuntur vel apud Gratianum, vel in Decretalibus Gregorii IX. aliisque partibus juris Canonici, sub Titulo, *De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.* Plura de ea rediximus nos Tomo I. Romani Pontificalis, ad Titulum XIII. ubi explicuimus formulam juramenti, qua pluribus ab hinc seculis jurant ante suam ordinationem Episcopi Mensæ suæ bona non alienare; quia scilicet nonnulli Episcopi soliti erant bona illa in propriam utilitatem distrahere; cum alias tum agri, tum alii Ecclesiæ proventus ex communi sanctorum Patrum, & Conciliorum sententia non solummodo ad Clericos, sed etiam ad Captivos, peregrinos, Orphanos, Viduas, ac alios quosvis pauperes stricto, & æquo proportionis jure pertinere dicantur. Res est adeo perspicua, ut S. Petrus Damiani Lib. IV. Epistola XII. ad Episcopum ipsorum bonorum Ecclesiæ dilapidatorem scripserit; *An ignoras, quia ad hoc Ecclesiis prædia conferuntur, ut ex his pauperes sustententur, indigentes alantur, viduis, atque pupillis subsidium procuretur?*

V. Quamvis autem nequeat Episcopus fundos Ecclesiæ alienare, vel in emphyteusim tradere, ait tamen tertio Canon, *omnem habere Episcopum Ecclesiasticarum rerum potestatem, & hæc meliorare, ac dilatare, prout oportuerit Ecclesiastica loca, per quæ redditus fiunt; & insuper propriarum rerum dispositionem distribuere, ac committere, seu conferre quibuscumque voluerit, & judicaverit, juxta propriam potestatem, & dominatum.* Consona iis sunt, quæ in Canonibus XXXVII. & XXXIX. vulgo Apostolorum leguntur. Postquam enim in horum primo dictum est, ut *omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat,*

rat, & eas administret tamquam Deo intuente; in altero mox ita statuitur: *Manifestæ sint Episcopi res propriæ, si quidem res habeat proprias, & manifestæ res Dominicæ: ut sit in potestate morientis Episcopi, propriis quibus vult relinquere, & non rerum Ecclesiasticarum prætextu res Episcopi intercidant*. Neque hic omittendus Canon XL. qui rationem edicit, ob quam Episcopo permittitur rerum Ecclesiæ potestatem habere: *Si enim*, inquit, *pretiosæ hominum animæ sunt ei credendæ, multo magis ei sunt committendæ pecuniæ, ut in ejus sit facultate, omnia administrare, & iis qui egent per Presbyteros, & Diaconos subministrare cum Dei timore, & omni religione, & etiam, si sit opus, in necessarium suum usum accipere, & Fratrum, qui hospitio excipiuntur, itaut ipse nullo modo egeat. Lex enim Dei hoc habet, ut qui Altari assident, ex Altari alantur*.

VI. Quarto exauctorationis pœnam in eos, qui Canonem hunc nostrum violaverit, decernit Synodus, venditionemque, aut emphyteoticam traditionem, seu quamvis aliam alienationem bonorum Ecclesiasticorum ab Episcopo in scriptis, aut sine scriptis factam in irritum mittit. Anathemate ferit eos, qui aliquid ex vasis, prædiis, aut quibusvis bonis Ecclesiæ emerint, aut perceperint, donec illud restituerint; & venditionis, aut emphyteoticæ traditionis contractum rescindendum reddiderint. De alienatione bonorum Ecclesiæ vide quæ diximus jam Tomo I. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum XIII. ubi explicuimus juramentum quod fieri solet a novo Episcopo, ibi enim & varios Canones, & peculiarem Pauli II. constitutionem, qua ipsa alienatio prohibetur, allegavimus, & quædam etiam notavimus, quæ ad expositionem hujus Canonis faciunt. Vide Eminentissimum Petram Tomo I. ad Constitutionem S. Leonis I. ubi fuse de ipsa alienatione bonorum Ecclesiæ agit, & Doctores passim ad Titulum, Decretalium, *De rebus Ecclesiæ alienandis vel non*.

VII. Mandat denique Canon, ut Episcopus Monasterium, quod ex Ecclesiæ bonis extruxerit, eidem Ecclesiæ tradat; si vero ex propriis facultatibus, illud habeat in propria potestate quandiu vixerit; & moriturus cuicumque voluerit, conferat, aut dimittat, modo in seculare diversorium non mutetur. Docet hæc quidem Canon, ex quibus tamen illud perspicuum fit, quod in sua ad hunc Canonem Nota observat Natalis Alexander, Monasteriorum scilicet Fundatores non solum jus Patronatus in illis obtinuisse, sed veram proprietatem, quam transmittere poterant ad hæredes, qui tamen loca semel Deo dicata in profanos usus convertere non poterant. Quidquid autem de ea re sit, vetuit jam ante hanc nostram Synodum Photius in sua Pseudosynodo Constantinopolitana, quæ prima, & secunda vocitatur, Can. VII. ne Episcopi nova Monasteria ad Episcopatuum suorum perniciem extruerent, quod si fecerint, ad Episcopale dominium redigerentur. Sed audiamus quid initio inquit: *Multos*, ait, *Episcopatus ruere, & perpetuo exitio tradi videmus, quod qui eis præsunt, omnem de eis curam, & sollicitudinem in recentes Monasteriorum constructiones conferunt, & eos divellentes, ac distrahentes, & ut ad se pertineant redditus, molientes, ut ipsa augeantur, laborant*. Porro notat ad hunc Photii Canonem Balsamon, si nullum Episcopatui creetur incommodum novi Monasterii constructione, ipsam minime hoc Canone prohiberi, cum Photius ipse *Emmanuelis* Monasterium a fundamentis erexerit, & alii Patriarchæ, quos cum laude commemorat, nova etiam Monasteria excitarint.

CANON XVI.

Magnis ululatibus, & multis lacrymis dignum opus a multis fidelibus ad nostros pervenit auditus; ajunt enim, fuisse quosdam laicos sub eo, qui nuper imperavit, in Ordine Senatorio, qui secundum diversam Imperatoriam dignitatem videbantur capillorum comam circumplexam involvere, atque reponere, & gradum quasi Sacerdotalem per quædam indusia, & vestimenta Sacerdotalia sumere, & ut putabatur, Episcopos constituere, Superhumeralibus, idest, Palliis circumamictos, & omnem aliam Pontificalem indutos stolam, qui etiam proprium Patriarcham adscribentes eum, qui in adinventionibus risum moventibus Prælatus, & Princeps erat; & insultabant, & illudebant quibusque divinis, modo quidem electiones, promotiones, & consecrationes, modo autem acute calumnias, damnationes, & depositiones Episcoporum quasi ab invicem, & perinvicem miserabiliter, & prævaricatorie agentes, & patientes. Talis autem actio nec apud gentes a seculo unquam audita est, itaut pejores, & miserabiliores infidelibus nationibus exhibeat, & demonstret hos, quos nunc manifestos effecimus, qua de re sancta & universalis Synodus definivit, & promulgavit, illos quidem malitiæ nixus omnino ut sceleftos abominari, neminem autem fidelium, qui Christiana censentur appellatione, deinceps conari tale quid faciendi, vel admittendi, aut silentio tegendi quemquam eorum, qui hujusmodi operantur impietatem. Si vero quispiam Imperator, vel Potentum, aut Magnatum taliter illudere divinis, & talem, ac tantam injuriam impie in divinum Sacer-

dotium facere, vel admittere tentaverit, primo quidem arguatur a Patriarcha illius temporis, & Episcopis, qui cum ipso fuerint, & segregetur, & indignus divinis Mysteriis judicetur; deinde vero accipiat quosdam alios in duram observationem labores, & pœnas, quæ visæ fuerint: & nisi celeriter se pœniteat, etiam anathema sit ab sancta, & universali Synodo, tamquam qui sinceræ, & immaculatæ fidei mysterium dehonestaverit. Si vero præsumentibus quibusdam hujusmodi nefas operari, Patriarcha Constantinopolitanus, & Suffraganei ejus Episcopi quod factum fuerit, cognoscentes, neglexerint debitum adversus eos ostendere zelum, deponantur, & a proprio Sacerdotio, ac honore pellantur. Qui autem quoquo modo hujusmodi ministraverunt, vel ministraturi sunt impiissime actioni, & minime confessi acceperint conveniens Epitimium, definimus per triennium sequestratos esse, anno quidem uno extra Ecclesiam flentes, alio vero anno intra Ecclesiam stare usque ad Catechumenos, porro tertio consistere cum fidelibus, & ita dignos fieri Mysteriorum sanctificationibus.

COMMENTARIUS.

I. EOs qui rebus sacris illudunt, anathemate percellit Canon, cui quidem constituendo occasionem dedit temulentus Imperator Michael, qui Theophilum Protospatarium, scurram insignem, Patriarcham per ludum agere, & homines sui similes, profanos, impuros sacrilegos, veluti consecrare, & sanctissima Religionis Mysteria, & ritus velut in scena imitari, & exhibere jussit, voluptatem ex hujusmodi sacrilegiis captans singularem. Rem ita narrat in sancti Ignatii Vita Nicetas Paphlago: *Michael Imperator animo juvenilibus desideriis corrupto rem divinam pro fabula seu ludibrio ducebat, ludibrium ipse factus omnis fœditatis, & peccati, ipsiusque peccati patris. Etenim homunciones quosdam impurissimos, ac profanissimos, & scurras divini Spiritus, cœlestisque gratiæ omnino expertes, pessimisime dæmonis artibus instructissimus, sacrilege impudenterque Sacerdotes, & Antistites ad Ecclesiæ profanam imitationem dementissimus consecravit, illisque Theophilum quemdam Protospatarium, scurram, & mimum, interque profanos profanissimum, Patriarcham præfecit, risum sibi, & cachinnum improbum deridendus, ac detestandus, quæritans: per quæ oblationi sanctæ fiebat injuria, nomen vero Dei contumeliis affectum inter gentes blasphemabatur. Sed Michael tantopere infamia hac gloriabatur, ut nec publice quidem erubesceret jactare:* Mihi Theophilus, Bardæ Cæsari Photius, Christianis Ignatius est Patriarcha.

II. Pergit Nicetas impium scelus exponere, & ait: *In hoc amentiæ, ne dicam impietatis potius tandem chaos est devolutus. Ita sacrilegus ille scurra Theophilus, exerta sua petulantia, aulas lambens Regias, nefandis sceleribus, lascivia, & facetiis, turpissima imitatione, per contemptum rerum divinarum mysteria & sacramenta traducebat, ac illudebat: quod ne gentes quidem quamvis impiæ ausæ sunt aliquando. Quæ Photius cum eorum se geri cerneret, rem indignissimam nec reprehendit, nec restitit impietati, neque quod res divina ludibrio haberetur, verbum ullum contra vel grave, vel leve edidit. Quod mirum videri non debet; erat enim mercenarius opilio, non germanus Pastor; quocirca illi de pereunte grege nulla cura. Ad hæc duo tantum toto pectore intentus: alterum, ut iis, qui rerum potiri videbantur, blandiendo, modisque omnibus gratificando, & obsequendo, Patriarchatum sibi firmaret; alterum, ut Ignatium, si qua ratione fieri posset, etiam vita exueret.*

III. Hactenus ille; actum est autem in Actione IX. hujus Synodi de hujusmodi sacrarum rerum illusoribus, qui scilicet cum Laici essent, Sacerdotalibus indumentis in Urbe Constantinopolitana procedere, & personas Episcoporum, & Presbyterorum agere consueverant tempore Michaelis temulenti Imperatoris, qui ea impia, ac sacrilega voluptate delectabatur, uti initio hujus Commentarii dictum est. Sane ipsi illusores ad Synodum vocati confessi sunt in memorata IX. Actione se mimos in Ecclesia egisse, ac illusisse Sacerdotio, jubente Imperatore, qui ad eos, & ad alios plures Spatharios Stolam Sacerdotalem ob ludum mittebat. Atque hi quidem scurræ ad pœnitentiam reservati sunt, in alio conventu ipsis imponendam, imposita autem fuit hoc nostro Canone pœnitentia triennalis, ut nimirum anno quidem uno sint extra Ecclesiam flentes, alio vero anno intra Ecclesiam stent usque ad Catechumenos, tertio tandem cum fidelibus consistant, & ita digni fiant Mysteriorum sanctificationibus. De variis Canonicæ pœnitentiæ gradibus, vide quæ diximus in Appendice ad Canonem XI. Concilii I. Nicæni.

CANON XVII.

Sancta & universalis Nicæna prima Synodus antiquam consuetudinem jubet servari per Ægyptum, & Provincias, quæ sub ipsa sunt, itaut horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens: *Quia & in Romanorum*

norum civitate hujusmodi mos prævaluit. Qua pro causa & hæc magna & sancta Synodus tam in seniori & nova Roma, quam in Sede Antiochiæ, & Hierosolymorum priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, itaut earum Præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per Pallii dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad convocandum eos, urgente necessitate ad Synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit. Sed quoniam sunt quidam Metropolitanorum, qui ne secundum vocationem Apostolici Præsulis occurrant, a mundi Principibus se detineri, sine ratione causantur, placuit talem excusationem omnimodis esse invalidam. Cum enim Princeps pro suis causis conventus frequenter agat, impium est, ut summos Præsules ad Synodos pro Ecclesiasticis negotiis celebrandum impediant, vel quosdam a Conciliis eorum prohibeant, licet tale impedimentum, & fictam prohibitionem Metropolitanorum suggestione diversis modis fieri didicerimus. Consueverunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideoque sicut dicunt ad Patriarchale penitus non posse concurrere Caput. Sed sancta hæc & universalis Synodus, nec Concilia quæ a Metropolitanis fiunt, interdicens, multo magis illa novit rationabiliora esse, ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ a Patriarchali Sede congregantur, & idcirco hæc fieri exigit: a Metropolita quippe unius quidem Provinciæ dispositio efficitur; a Patriarcha vero sæpe totius causa Diœceseos dispensatur. Ac per hoc communis utilitas providetur, propter quod & speciale lucrum propter generale bonum postponi convenit, cum a Majoribus super hæc facta fuerit advocatio. Quamvis apud quosdam Metropolitanorum antiqua consuetudo, & canonica traditio per contemtum ipsorum postposita videantur, non currentibus eis ad commune profectum, quos Leges Ecclesiæ severe condemnantes, omni excusatione remota, subjacere vocationibus proprii Patriarchæ, sive cum communiter, sive cum sigillatim factæ fuerint, exigunt. Illud autem tamquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque Principali præsentia celebrari, cum nusquam sacri Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites: unde nec interfuisse illos Synodis, exceptis Conciliis universalibus, invenimus. Neque enim fas est, sæculares Principes, spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnumquam eveniunt. Quisquis ergo Metropolitanorum proprium Patriarcham contemserit, & vocationem ejus, quæ sive ad unum solum, sive ad plures, sive ad omnes fit, absque validissima ægrotatione, vel paganorum incursu, non obedierit, & per totos duos menses post notitiam vocationis ad proprium venire Patriarcham minime festinaverit, vel si quocumque modo latitare, aut non cognoscere nuntium ab illo missum tentaverit, segregetur; si vero intra unum annum eandem contumaciam, & inobedientiam demonstraverit, deponatur omnibus modis, & ab omni Sacerdotali operatione decidat, atque a dignitate, & honore, qui Metropolitanis convenit, propellatur. Is autem, qui huic definitioni non obedierit etiam, & anathema sit.

COMMENTARIUS.

I. DUo potissima in hoc Canone innovantur privilegia dignitatis Patriarchalis, nempe ut investiant Metropolitas tractus sui, sive ordinando, sive Pallium ad eos destinando; & ut vocent illos ad Concilium generale totius Patriarchatus, ubi & in eorum mores,

res, ac vitam inquirant, pro legitimi Judicis potestate, cum de aliquibus criminibus accusantur. *Itant earum* (idest Sedium Patriarchalium) *Præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per Pallii dationem, Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, urgente necessitate ad Synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit.*

II. Repellit tum Canon quorundam Metropolitarum inane suffugium, qui ab Apostolico vocati Præsule, a suo scilicet Patriarcha, detineri se a seculi Principibus causabantur, ne ad ejus mandata accurrerent. Ejusmodi excusationem nullius esse ponderis declarat Synodus, quia nimirum Christianorum Principum jussa Ecclesiasticis legibus adversari non debent: *Cum enim*, inquit, *Princeps pro suis causis conventus frequenter agat, impium est, ut summos Præsules ad Synodos pro Ecclesiasticis negotiis celebrandum impediant, vel quosdam a Conciliis eorum prohibeant.* Alteram deinde excusationem rejicit, cum enim Metropolitæ obtenderent annuas Conciliorum Provincialium necessitates, adeoque se Concilio Patriarchali adesse non posse; damnat & hanc inanem causationem Synodus, Concilia inquiens Patriarchalia longe utiliora esse Provincialibus; quæ ut patent latius, ita & ex illis plus emolumenti ad Ecclesiam redundare: *A Metropolita quippe unius quidem Provinciæ dispositio efficitur, a Patriarcha vero sæpe totius causa Diœceseos dispensatur.*

III. Porro quod tandem nonnulli rerum Ecclesiasticarum ignari effutiebant, Synodum absque præsentia Principis celebrari non posse, rejicit & hunc errorem Canon: *Cum nusquam*, inquit, *sacri Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites. Unde nec interfuisse illos Synodis, exceptis Conciliis universalibus, invenimus.* Id quod etiam jam antea docuerat Nicolaus I. in Epistola VIII. ad Michaelem Imperatorem, sic inquiens: *Dicite, ubinam legistis Imperatores antecessores vestros in Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos? Vos autem non solum Synodo in causa Sacerdotis collectæ interfuistis, verum etiam numerosa Sæcularium millia ad videndum ejus opprobrium aggregastis.* Eum arguit, quod criminali extra fidem contra S. Ignatium Patriarcham judicio, & quidem numerosissima Palatinorum, ac populi turma stipatus interfuisset. Criminalibus namque licet a Synodo Generali factis in Episcopos, aut Clericos extra Fidem quæstionibus Laicum Principem, aut ejus Vicarios adesse non debere, constat ex iis, quæ mox Canon noster subjungit: *Neque enim*, ait, *fas est, Sæculares Principes spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnumquam eveniunt.* Denique Metropolitanum, qui a Patriarcha suo vocatus non paruerit, nisi gravi infirmitate, aut Barbarorum incursu detineatur, a communione removet Synodus; si vero per annum contumax permanserit, dignitate statuit exuendum.

IV. Fuse de Synodis egimus jam nos nostro I. Tomo Conciliorum in Prolegomenis, & in Commentariis ad Canones Chalcedonenses, nonnulla hic explicabimus tantum, quæ Principes spectant, præsertim vero Galliæ Reges, quos a Canone feriri ait Lupus, quippe qui soliti erant, & nationalibus Synodis, aut Provincialibus adesse, & Episcopis a Romano Pontifice vocatis prohibere, ne absque suo consensu e Regno discederent, ac Romam pergerent. Sed ut verum fatear, non morem legitimum postulandi licentiam a Principe, cum ad Apostolicum Præsulem ire necesse est, improbat Canon, sed inanes Metropolitarum quorumdam excusationes, qui auctoritate, & gratia qua valebant apud Principem, abutebantur, ut suæ profectioni Regiis mandatis apponi impedimentum obtinerent, cum a suo Patriarcha vocabantur, vel se detineri mentiebantur, ut inobedientiam excusarent. Certe verba Canonis hæc sunt: *Sed quoniam sunt quidam Metropolitanorum, qui ne secundum vocationem Apostolici Præsulis occurrant, a mundi Principibus se detineri sine ratione causantur, placuit talem excusationem omnimodis esse invalidam.* Et paulo post: *Licet tale impedimentum, & fictam prohibitionem Metropolitanorum suggestione diversis modis fieri didicerimus.* Concilium quidem solam ægrotationem validam, aut Paganorum incursum admittit, velut legitimas excusationis causas, quominus vocati a Patriarcha proficiscantur Episcopi; sed aliam quoque habuit pro legitima, habetque etiam num Gallicana Ecclesia, Sede etiam Apostolica probante, scilicet detentionem Regis, cujus licentia necessaria est.

V. Hæc & alia longe plura in sua Nota ad hunc nostrum Canonem contra Lupum observant Natalis Alexander, Thomassinus in sua disciplina Parte I. Lib. III. Cap. XL. & seqq. aliique Galli passim Scriptores, qui constanter utrumque jus propugnant, & Romani Pontificis, ut Episcopos Romam vocet pro negotiis Ecclesiasticis; & Regis sui, ut illos retineat, si necessariæ Regni causæ id postulent, rationes suas cum reverentia debita Romano Pontifici exponendo, & Episcoporum moram apud ejus sanctitatem excusando. Quas rationes cum justæ sint, gratas haberi ajunt a Christi Vicario, nec ægre ipsum ferre suis mandatis non fuisse obtemperatum, quia dilata est potius obedientia, quam negata, & ut differretur, contumacia non fecit, sed necessitas compulit.

C A N O N XVIII.

Placuit huic sanctæ, & magnæ Synodo, ut res, vel privilegia, quæ Dei Ecclesiis ex longa consuetudine pertinent, & sive a divinæ recordationis Imperatoribus, sive ab aliis Dei cultoribus in scriptis, vel sine scriptis donata, & ab eis per annos triginta possessa sunt, nequaquam á potestate Præsulis earum quæcumque persona sæcularis per potestatem subtrahat, aut per argumenta quælibet, auferat; sed sint omnia in potestate ac usu Præsulis quæ-

cum-

cumque intra triginta ſpatium annorum ab Eccleſiis poſſeſſa fuiſſe noſcuntur. quiſquis ergo ſæcularium contra præſentem definitionem egerit, tanquam ſacrilegus judicetur, & donec ſe correxerit, & Eccleſiæ propria privilegia, ſeu res reſtituerit, & reſervaverit, anathema ſit.

NOTA.

I. RES, & privilegia Eccleſiæ triginta annorum poſſeſſione adverſus quoſvis impugnatores ſecura fore Canon decernit; eoſque ut ſacrilegos anathemate percellit, donec ſe emendaverint, & res, vel privilegia hujuſmodi reſtituerint. Sane cum de iis quæ in hoc Canone continentur, jam alias fuſe egerimus, ne actum iterum agamus, Lectorem ad Commentarios ſuperiores remittimus.

CANON XIX.

Avaritiam, utpote ſecundam idololatriam Paulus magnus execratur Apoſtolus, cunctos videlicet, qui Chriſtiano vocabulo cenſentur, ab omni turpi lucro abſtinere volens. Multo magis ergo iis, qui Sacerdotio funguntur, nefas eſt, Coepiſcopos, & Suffraganeos ſuos per quemcumque modum gravare. Hujus rei gratia definivit ſancta hæc, & univerſalis Synodus, nullum Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum relinquere propriam Eccleſiam, & ſub occaſione quaſi viſitationis ad alias accedere, & poteſtate propria in inferiores abuti, & conſumere redditus, qui apud illos inveniuntur ad Eccleſiaſticam diſpoſitionem, & alimenta pauperum, ac per hoc aggravare avaritiæ modo conſcientias Fratrum, & Comminiſtrorum noſtrorum, excepta hoſpitalitate, quæ aliquando ex neceſſario tranſitu fortaſſis acceſſerit; ſed & tunc non alia, niſi ex iis, quæ ad præſens de compendio præparata inveniuntur, cum reverentia, & cum timore Dei dignanter accipiat, & maturius propoſitum iter perambulet, nihil omnino eorum, quæ ſunt Eccleſiæ illius, vel Suffraganei Epiſcopi, petens, & exigens. Si enim unumquemque Epiſcoporum Eccleſiæ propriæ rebus cum multa parcitate uti, & nullatenus in proprias utilitates importune, ac ſine ratione diſpendere, vel conſumere redditus Eccleſiaſticos Sacri Canones decernunt: qua putas impietate judicabitur dignus, qui aliis Epiſcopis commiſſas Eccleſias gravare, vel ambire, & per hoc ſacrilegii crimen incidere non formidat? Quiſquis ergo poſt hanc definitionem noſtram tale quid facere tentaverit, pœnam ſubeat a Patriarcha, qui per tempus fuerit, ſecundum congruentiam injuſtitiæ, ac avaritiæ ſuæ, & deponatur, & ſequeſtretur, ut ſacrilegus, & aliter, ut idololatra factus juxta magnum Apoſtolum.

COMMENTARIUS.

I. QUod Patriarcha, Primas, Metropolita, ac quiſvis Epiſcopus ſingulas ſibi ſubjectas Eccleſias certis temporibus viſitare, docere, confirmare, corrigere, aut controverſias dirimere potuerint, ac debuerint, recte ait Lupus, inſtitutum eſſe Apoſtolicum, & perpetuum Eccleſiæ morem. Neque enim aliter, ut verbis utar elegantiſſimi Thomaſſini Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. LXXVII. Num. I. Epiſcopi, & Metropolitani, addam ego Primates, ac Patriarchas, in Eccleſiis, & Provinciis ſuis reſident, quam in Cælis ſydera perpetuo, & irrequieto curſu per eos decurrere nata. Cælo, gyroque enim a Numinis providentia ſibi conſtituto affixa, jugi præcipitique rotatione circumferuntur, æternumque lumen, & æternorum charitatis flammas latiſſime ſpargunt. Talis certe inter alios fuit S. Malachias Hibernenſis Metropolita, de quo ita ſcribit in ejus Vita S. Bernardus: *Errat autem pene inceſſanter circumiens Parochias omnes, Evangelio ſerviens, & de Evangelio vivens. Niſi quod frequentius ipſum Evangelium ſine ſumtu ponens, de laboribus ſuis, ſuorumque ferebat, unde ſe, & alios, qui ſecum laborabant in opere miniſterii, ſuſtentaret*. Fuſe hoc exemplum una cum aliis enarravimus nos noſtro III. Tomo Romani Pontificalis ad Titulum, qui inſcribitur, *Ordo ad viſitandam Parochias*, ubi totam pene viſitationum Epiſcopalium diſciplinam curioſus lector inveniet.

II. Sunt qui autumant, explodi hoc noſtro Canone viſitationes Archiepiſcoporum; ejuſque ſententiæ eſt laudatus Thomaſſinus, & quidem recte, ac ſcilicet, ut ait Canon, Metropolitani ſub

sub visitationis suco, Canonicæ residentiæ pertæsi Suffraganeorum suorum Ecclesias adeant, sumtuosissimisque conviviis reditus sacros pauperum alimentis dicatos magna caterva comitum accincti absumant ac devorent; *Hujus rei gratia definivit sancta hæc & universalis Synodus, nullum Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum relinquere propriam Ecclesiam, & sub occasione quasi visitationis, ad alias accedere, & potestate propria in inferiores abuti & consumere redditus, qui apud illos inveniuntur ad Ecclesiasticam dispositionem & alimenta pauperum*. Celebris, ac notatu digna est ratio illa, quam paulo post subjungit: *Si enim unumquemque Episcoporum Ecclesiæ propria rebus cum multa parcitate uti, & nullatenus in proprias utilitates importune ac sine ratione disperdere, vel consumere redditus Ecclesiasticos sacri Canones decernunt; qua putas impietate judicabitur dignus, qui aliis Episcopis commissas Ecclesias gravare, vel ambire, & per hoc sacrilegii crimen incidere non formidat?* Ipsam avaritiam sacrilegam vocant Patres, quia redditus Ecclesiarum alimenta pauperum sunt, ideoque eum, qui hunc violaverit Canonem, secundum avaritiæ, & injustitiæ suæ modum, etiam depositione, aut sequestratione a Patriarcha puniendum statuunt. Porro autem hoc unum Episcopis permittit Canon, ut Metropolitanum non visitantem quidem, sed iter agentem officioso excipiant hospitio; *Excepta*, inquit, *hospitalitate, quæ aliquando ex necessario transitu fortassis acciderit*. Jubet vero Metropolitæ Canon, ut *maturius propositum iter perambulet, nihil omnino eorum, quæ sunt Ecclesiæ illius, vel suffraganei Episcopi, petens, & exigens*. De importunis hisce exactionibus, quas Metropolitani, atque Episcopi, Provincias, ac Diœceses suas gravabant, non parum loquuti sumus in memorato III. Tomo Romani Pontificalis, alia opportuniori loco dicturi, Tomo Conciliorum sequenti.

C A N O N XX.

Et hoc sancta Synodus didicit, quod in quibusdam locis quidam propria usi auctoritate, ac sine voluntate illorum, quibus hujusmodi dispositiones commissæ sunt, audacter, & tyrannice pellunt eos, qui per emphyteusim perceperint aliquid ex iis locis, quæ possederunt, occasione quasi ruptæ fidei circa pensionis pactum. Non autem licet omnimodis hoc fieri, nisi prius accipiat protestationem per quosdam idoneos, & fideles homines is, qui emphyteusim contraxit: quod nisi dederit usque ad tres annos destinatum tributum sensus, propellatur a locis a se detentis. Oportet enim post trium annorum census retentionem accedere ad Præpositos Urbis, vel regionis illius, & arguere in conspectu eorum eum, qui emphyteusim consecutus est, & exhibere contemtum ejus, & tunc sententia, & judicio prædictorum recipiat Ecclesia propria in possessionem. Sed nequaquam quisquam apud se, vel per se faciat prædictorum ablationem locorum; suspectivum quippe tale, quin & multi turpis lucri, & avaritiæ consistit indicium. Siquis ergo Episcopus, aut Metropolita præter hanc definitionem nostram abstulerit aliquem locum a quoquam, putans, quod Ecclesiam propriam defendat, sequestretur a proprio Patriarcha per aliquod tempus, dans primo quod per potestatem suam abstulit, vel subripuit. Si vero contentiosus quis perstiterit, non obediens his, quæ sanctæ, ac universali Synodo visa sunt, deponatur omnimodis.

C O M M E N T A R I U S.

I. Perstringuntur hoc Canone Episcopi, qui Ecclesiæ bona in emphyteusim, aut precariam data eripiebant iis quibus tradita erant, occasione quasi ruptæ fidei circa pensionis solvendæ pactum, quod conventum fuerat. Id fieri vetat Synodus, nisi prius denuntiatum fuerit illi, qui emphyteusim contraxit, ipsum a locis, quæ tenet, propellendum, nisi solverit usque ad tres annos tributum census conventi. Si non impleverit conditionem suam emphyteuticarius, conveniendum ipsum decernunt Patres coram Præpositis Urbis, vel regionis, probatoque ejus contemtu, Ecclesiam illorum sententia, & judicio bona propria, quæ in emphyteusim concessa fuerant, recipere: Canonis autem hujus transgressorem Episcopum, aut Metropolitam, prædia illa auferentem sub fuco defendendæ propriæ Ecclesiæ, ad tempus sequestrari edicunt, & reddere loca, quæ per vim abstulit ab eis, qui bona fide cum Ecclesia contraxerant; deponi tandem eum etiam jubent, si pertinax in contentione, & contumax fuerit: *Siquis ergo Episcopus, aut Metropolita præter hanc definitionem nostram, abstulerit aliquem locum a quoquam, putans, quod Ecclesiam propriam defendat, sequestretur a proprio Patriarcha per aliquod tempus, dans primo, quod per potestatem suam abstulit, vel subripuit*.

II. His

II. His adde rationem Canonis, qua prohibentur Episcopi propria auctoritate terras Ecclesiæ in emphyteusim datas, a possessoribus auferre, nisi prius illi commoniti fuerint, iis spoliatum iri, si toto triennio non solvant. Est enim Canonis ratio, suspicio turpis lucri, & avaritiæ, a qua Sacerdotes penitus alieni esse debent: *Sed nequaquam quisquam apud se, vel per se faciat prædictorum ablationem locorum; suspectivum quippe tale, quia & multi turpis lucri, & avaritiæ consistit indicium*. Quibus verbis apertissime sacri homines quidam perstringuntur, qui cum avaritiæ morbo laborent, & ingluvie suas ipsorum res adsugendi, sub fuco defendendorum suæ Ecclesiæ jurium, temere non semel litigant pro gravissima funerum exactione, aliorumque emolumentorum complurium, non sine magno Ecclesiastici Ordinis dedecore, dum ansam hæreticis pariter, ac Catholicis præbent, non modo tantæ illorum avaritiæ perstringendæ, sed & Præsulum oscitantiæ, qui enormissimæ cupiditati, quæ, ut ait Apostolus, radix omnium malorum est, justa coercitione minime occurrunt.

III. Deplorant hunc abusum Patres æque ac Synodi, quod prætextu pietatis, atque Ecclesiæ, avaritiæ fræna laxentur. Dictum a nobis de ea re jam fuit alias; ut vero ad decisionem Canonis nostri revertamur, notandum est, circa triennii tempus pro solutione annuæ pensionis in contractu emphyteusis concinere eum quidem Textui in Lege II. Cod. *De jure emphyteuseos*, ubi Imperator Justinianus inter alia ita scribit Demostheni Præfecto Prætorio: *Ne autem ex hac causa Dominis facultas oriatur emphyteutas suos repellere, & redituum minima velle suscipere, ut ex hujusmodi machinatione triennio elapso, suo jure is, qui emphyteusim suscepit, cadat: licentiam ei concedimus attestatione præmissa, pecunias offerre, hisque obsignatis, & secundum legem depositis, minime dejectionis timere periculum*.

IV. Sed hanc Legem correxit jam ipse Justinianus in Novella VII. *De non alienandis, vel permutandis rebus Ecclesiasticis &c.* Tit. I. Cap. III. §. II. ubi diserte statuit triennii tempus habere quidem locum in emphyteusi privati hominis, non autem in Ecclesiastica emphyteusi, in qua si Emphyteuticarius per biennium a solutione Canonis cessaverit, cadere eum jure suo ait: *Scire autem emphyteutas convenit, quia si biennio continuo non exolverint emphyteuticum Canonem (hoc enim tempus pro triennio aliorum hominum sufficere, ad casum Ecclesiasticarum, aut ptochiearum emphyteusium pro non soluto Canone ponimus) fiant omnino extranei emphyteumatis: & volentibus Præpositis sacrarum domuum, licebit prædia, aut domus defendere, nullam metuentibus meliorationum redditionem*. Novellæ huic Justiniani consonat Textus in Cap. IV. *De locato & conducto*, ubi Gregorius IX. expresse ait cadere quidem emphyteutam jure suo si per biennium cesset a solutione Canonis, aut vendit meliorationes irrequisito domino. Postquam enim dixit: *Potuit emphyteuta, Ecclesia primitus requisita, eique nunciato, quantum sibi ab aliis offertur, si nolle se emere dixerit, vel a denunciationis tempore duorum spatium mensium sit elapsum, meliorationes, & jus sibi competens aliis vendere, qui ab emtione hujusmodi minime prohibentur*; ita statim addit: *Emphyteuta quoque secus præsumendo, vel cessando in solutione Canonis per biennium, nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset, juste potuisset expelli. Non obstante, quod ei, ut Canonem solveret, non extitit nunciatum; cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellet*.

V. Quærunt hic Interpretes, an emphyteuta non solvens canonem per biennium, ipso jure excidat ab emphyteusi, an vero opus sit sententia saltem declaratoria Judicis? Ipso quidem jure excidere inter alios docuerunt Baldus, Salicetus, Corrasius in dicta Lege II. Cod. *De jure emphyteuseos*, moti ex eodem Textu, ubi potestas datur domino repellendi emphyteutam; & ex Lege penultima Cod. *De pignoratitia actione*, ubi dicitur, creditorem posse propria auctoritate eo pacto auferre pignus a debitore; igitur si licet ex conventione, multo magis licere domino ajunt ex legis auctoritate expellere emphyteutam. Contraria tamen sententia, quam defendit Gonzalez in laudato Cap. IV. *De locato & conducto*, æquior & probabilior est, videlicet desiderari Judicis sententiam, ut declaretur emphyteutam cadere ab emphyteusi, ab eaque expelli; nam in eodem casu, scilicet ob non solutum canonem, pronunciatum esse a judice fundum emphyteuticum ad dominum rediisse, probatur ex Lege, *Lex vectigali*, ff. *De pignoribus*. Et licet res ipso jure cadat in commissum, tamen Judicis ministerio opus est, ne singulis concedatur, quod publice per Magistratum fieri debet, uti docet Textus in Lege, *Non est singulis*, ff. *De regulis juris*. Cui concinit noster Canon, ubi postquam dixit: *Quod nisi dederit usque ad tres annos destinatum tributum census, propellitur* (emphyteuta) *a locis a se detentis*; ita statim subjicit: *Oportet enim post trium annorum census retentionem, accedere ad Præpositos urbis, vel regionis illius, & arguere in conspectu eorum eum, qui emphyteusim consecutus est, & exhibere contemptam ejus, & tunc sententia, & judicio prædictorum recipiat Ecclesia propria in possessionem*. Hodie, uti dictum est, biennii tempus sufficit. Sed de his vide tum Canonici, tum Cæsarei Jurisconsultos.

CANON XXI.

Dominicum sermonem, quem Christus sanctis Apostolis, & Discipulis suis dixit, *Qui vos recipit, me recipit, & qui vos spernit me spernit*, ad omnes etiam, qui post eos secundum ipsos facti sunt summi Pontifices, & Pastorum Principes in Ecclesia Catholica, dictum esse credentes, definimus, neminem prorsus mundi potentium quemquam eorum, qui Patriarchalibus Sedibus præsunt, inhonorare, aut movere a proprio Throno tentare, sed omni reverentia, & honore dignos judicare; præcipue quidem sanctissimum Pa-

Papam ſenioris Romæ, deinceps autem Conſtantinopoleos Patriarcham, deinde vero Alexandriæ, ac Antiochiæ, atque Hieroſolymorum; ſed nec alium quemcumque conſcriptiones contra ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, ac verba complicare, & componere ſub occaſione quaſi diffamatorum quorundam criminum; quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioſcorus. Quiſquis autem tanta jactantia, & audacia uſus fuerit, ut ſecundum Photium, vel Dioſcorum, in ſcriptis, vel ſine ſcriptis injurias quaſdam contra Sedem Petri Apoſtolorum Principis moveat, æqualem, & eandem, quam illi, condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua ſeculi poteſtate fruens, vel potens pellere tentaverit præfatum Apoſtolicæ Cathedræ Papam, aut aliorum Patriarcharum quemquam, anathema ſit. Porro ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.

COMMENTARIUS.

I. Plectit Canon anathemate ſeculi Principes, aut quoſvis Proceres, vel Magnates, qui reverentiam, & honorem Patriarchis, Romano, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano debitum violaverint, ſed præcipue eos, qui injuriam Sedi S. Petri Apoſtolorum Principis intulerint, ſicut Dioſcorus, & Photius fecere; vel qui Patriarcharum aliquem, præſertim vero Romanum Pontificem, e ſuo Throno exturbare moliti fuerint, aut fictis criminibus, famoſis libellis, prædatoriis Synodis inceſſere auſi fuerint. Porro illud cavet poſtremo Canon, ne Synodus etiam univerſalis, ſi quævis controverſia de Romana Eccleſia orta fuerit, ſententiam in Romanum ipſum Pontificem Maximum audacter dicat.

II. Reverentiam Epiſcopis debitam, qui ſucceſſores Apoſtolorum ſunt, docent in exordio hujus Canonis Patres ex illo Chriſti Oraculo in Euangelio Lucæ, Cap. x. *Qui vos recipit me recipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*; uti ſuperius ad Canonem xiv. obſervatum eſt. Tum ajunt, dictos eſſe Epiſcopos *Summos Pontifices, & Paſtorum Principes in Eccleſia Catholica*. Ubi nota vocari Epiſcopos non ſolum Pontifices, verum & *Summos Pontifices*, eo quod Epiſcopatus Summum Sacerdotium vocitaretur: *Suſcepiſti*, inquit S. Ambroſius Lib. viii. Epiſtola vi. editionis Romanæ, ad Felicem Comenſem Epiſcopum, *gubernacula Summi Sacerdotii*. Eodem ſenſu ſcribit S. Hieronymus ad Aſellam, de ſe ipſo dicens: *Omnium pene judicio dignus Summo Sacerdotio decernebar*. Quibus adde Patrum Concilii vi. Toletani teſtimonium, qui in ejuſdem præfatione inquiunt: *Convenientibus nobis Hiſpaniarum, Galliæque Pontificibus ſummis &c.* Erat jam olim is titulus Epiſcoporum proprius, quo Epiſcopos ipſos donare etiam ſoliti erant Romani Pontifices, inter quos Gelaſius ubi ad Epiſcopos Lucaniæ ſcribens, inter alia ait: *Nec ſibi meminerit ulla ratione concedi, ſine Summo Pontifice Subdiaconum jus habere faciendi &c.* per Summum Pontificem Epiſcopum intelligens.

III. Obtinuit tandem ea in Eccleſia, & quidem magis propria conſuetudo, ut his diceretur *Maximus*, vel *Summus Pontifex*, qui cæteris præeſt Epiſcopis, & univerſalis Eccleſiæ moderatur habenas, ideſt, Chriſti Vicarius præcipuus, & ſucceſſor Petri, Romanus Epiſcopus, qui non tantum Urbi, ſed & Orbi præeſt, de cujus Sede S. Proſper Aquitanus in celeberrimo Carmine de ingratis cecinit.

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Sicut Summi Pontificis, & Summi Sacerdotis, ita & Vicarii Chriſti, & Papæ nomen, quod nunc ſoli Romano Præſuli tribuitur, tributum & olim fuiſſe & aliis Epiſcopis, certiſſimum eſt ex S. Cypriani Epiſtolis, & aliis Cleri Romani ad ipſum, itemque ex multis Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Prudentii, Solonii, aliorumque complurium Patrum, ac veterum Scriptorum teſtimoniis, licet crebrius ſemper fuerit Romano Epiſcopo attributum, uti liquet ex Caſſiodori Epiſtolis, atque ex hoc noſtro præſenti Canone, ubi ſolus Romanus Pontifex bis *Papa* appellatur. Eo nomine conſueviſſe vel primis ſeculis vocari Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, teſtem pervetuſtum habemus Tertullianum, qui in Libro, *De pudicitia*, Cap. xiii. ita ſcribit de S. Zepherino Pontifice: *Bonus Paſtor, & benedictus Papa*.

IV. Quamvis autem Papæ nomen, uti dictum eſt, commune olim omnibus Epiſcopis fuerit, cum tamen temporum tractu obtinuiſſet communis uſus, ut tantummodo Romano tribueretur Pontifici, & ſchiſmatici illud ſibi in odium ejuſdem Romani Præſulis faſtu ſuperbo vindicarent, aliaque non conceſſa præſumerent, Gregorius VII. habuit Romæ Synodum adverſus Schiſmaticos, ubi ſtatuit inter alia plura, ut Papæ nomen unicum eſſet in univerſo Orbe Chriſtiano, nec liceret alicui ſeipſum, vel alium eo nomine appellare. Tradit hæc quidem Baronius in ſuis ad Romanum Martyrologium Notis, illudque Gregorii VII. Decretum legere eſt in ejus Dictatu, Can. xi. in quem videri etiam poteſt doctiſſimus Lupi Commentarius Tom. v. Pag. 213. & ſeq. Ceterum

terum quod ad originem vocis Papæ attinet, quidam a Græca voce *πάππας*, ideſt, *Pater* deducunt, alii vero a *πάππος*, ideſt, *Avus*, ſed prima origo uſitatior eſt, & euphoniæ cauſa a Latinis tantum unum *π* ſublatum eſt. Si Ariano ſcriptori Ethnico credimus Bithyni ea voce Jovem appellare ſoliti fuut, eum quo convenit quod Herodotus memorat, a Scythis Juvem Pappeum nominari. Primi fideles Epiſcopis ſuis tamquam infantes, ac filii parentibus ſuberant, ideoque ipſos appellabant Papas. Plus dicit in Libro, *De rebus Eccleſiaſticis*, Walafridus Strabo, Cap. VII. *Papa cujuſdam paternitatis nomen eſt, & Clericorum congruit dignitati.* Hinc inter Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ officia, & dignitates, ut teſtatur Codinus, eſt etiam Proto-Papa, quem nos Latini alia voce Græcum Archipresbyterum appellamus. Rhegii in Calabria extat in quadam Eccleſia, Regi noſtro ſubjecta, quæ vulgo dicitur, *La Cattolica*, extat hodieque hæc dignitas, quæ dicitur *Proto-Papa*, variaſque habere ſolet controverſias juriſdictionis cum Rhegino Archiepiſcopo.

V. Sed his omiſſis, vetat Canon, Patriarchas, ac præſertim Romanum Pontificem a ſeculi Principibus inhonorari, multoque magis e ſuo Throno ejiei. Damnat certe impium ſcelus Michaelis Imperatoris, qui S. Patriareham Ignatium e Conſtantinopolitana Sede exturbaverat, itemque ſtultam Ludovici II. Imperatoris temeritatem, qui per promiſſum Orientale Imperium a Photio deluſus ſpoponderat ſanctum Nicolaum I. Papam ejicere. Recte obſervat Lupus, eſſe hanc antiquam Græcorum inſolentiam, probatque inter alia exemplo Conſtantii perfidi Imperatoris, qui, uti paſſim narrant hiſtoriæ, S. Athanaſium Patriarcham Alexandrinum, S. Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & S. Liberium Papam ejecit. De Joanne Alexandrino, atque Calandione Antiocheno Patriarchis per Zenonem Auguſtum ejectis ita ſcribit in ſua Epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos S. Papa Gelaſius: *Eſte Calandion Imperatoris nomen abſtulerit, Joannes Principi mentitus fuiſſe jactetur, an qui in hominem Imperatorem peccaſſe dicebantur, nulla interveniente Synodo dejici debuerunt?* Ea ſequentibus ſeculis violentia uſos ſeculares Principes plurimos contra Epiſcopos ſanctitate conſpicuos, hiſtorias legentibus aperte patet, ideoque ſupervacaneum eſt lugubria id genus exempla referre.

VI. Vetat autem & illud Canon, ne quis Photium Pſeudopatriarcham Conſtantinopolitanum, aut Dioſcorum Patriarcham olim Alexandrinum imitatus Patriarcharum aliquem, præſertim vero *Sanctiſſimum Papam* fictis criminibus, famoſis libellis, prædatoriis Synodis audeat inceſſere. Certe Dioſcorum uti dictum eſt noſtro 1. Tomo in hiſtoria Concilii Chalcedonenſis, eo devenit inſaniæ, ut S. Leonem Magnum Pontificem Maximum non modo injuriis afficere, ſed & excommunicare auſus ſit. Incidit & in eam dementiam Photius, qui veſtigia ſequutus impii Dioſcori, excommunicavit & ipſe S. Nicolaum I. Romanum pariter Pontificem Maximum, omneſque illi adhærentes, Clericos æque, Epiſcopos, ac Patriarchas: *Anathematizare præſumſit Photius Beatiſſimum Papam Nicolaum, & omnes communicatores ejus, itaut ex hoc etiam univerſos, qui ſub Cœlo erant, Pontifices, & Sacerdotes, ideſt, & ceteras Patriarchales Sedes, & omnem ſacrum catalogum, qui ſub ipſis degit, ſub eodem comprehenderet anathemate. Erant enim omnes certiſſime communicatores præfati Pontificis.* Uti ob tam enormiſſimum facinus, aliaque horrenda crimina haberetur a piis viris ſceleſtiſſimus Photius, exponit in Præfatione hujus Synodi Anaſtaſius Bibliothecarius his plane verbis: *Sancti habitus Viri Photium fugiunt, & quaſi ſqualorem quendam declinant, alterum Dioſcorum hunc appellantes, & præcurſorem Antichriſti, imo ipſum Antichriſtum exiſtimantes, quem ſcilicet hominem peccati, filiumque perditionis Apoſtolus appellaſſet, qui profecto extolleretur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.*

VII. Fuit jam vetus hæreticorum mos, quem deinde ſequuti ſunt hæretici recentiores Romano præſertim Pontifici, ejuſque Apoſtolicæ Sedi conviciari. Sedem ipſam, quam Donatiſtæ olim Cathedram peſtilentiæ vocabant, Valdenſes purpuratam meretricem, Wicleffus ſatanæ Synagogam, hodierni Proteſtantes Solium Antichriſti, & ipſum Papam, Antichriſtum appellant; ut olim convicii cauſa Berengarius eundem Romanum Pontificem, Pompificem, & Pulpificem dicere conſuevit; quamquam enim hæretici, tam priſci, quam recentiores ſæpiſſime non minus inter ſe, quam a nobis diſſideant in aliis Fidei dogmatibus, in hoc tamen, omnes conſpirant, conveniuntque, ut virulentis obtrectationibus Romanam ſedem, ejuſque Pontifices Maximos proſcindant.

VIII. Quidquid autem hæretici diabolo acti blaterent, quantæ ſit dignitatis, auctoritatiſque Romanus Pontifex, ejuſque Cathedra, docent nos ſancti Eccleſiæ Patres, qui organa ſunt Spiritus Sancti. Agmen ducat S. Optatus Milevitanus qui Lib. II. adverſus Parmenianum, ita de ipſa Romana Cathedra inquit: *Igitur negare non potes, ſcire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt: in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; ut jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret.* Et iterum: *Ergo Cathedram, quæ eſt prima de dotibus, ſedet prior Petrus, cui ſucceſſit Linus &c.* S. Irenæus adverſus hæreſes ſcribens, de Eccleſia Romana hæc habet: *Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui undique ſunt fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt, undique conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt traditio.* S. Auguſtinus in Epiſtola CLXII. *In Romana*, inquit, *Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Audiendus eſt demum, ut de aliis taceam, Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum Papam ita ſcribens: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Siquis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.*

IX. Sancta itaque eſt Romana Eccleſia, ſancta Romana Cathedra, atque ſancti ipſi Romani Pontifices, adeoque ab omnibus honorandi, ut ſancte olim loquutus eſt Carolus Magnus Imperator Chriſtianiſſimus, cujus aurea verba hæc ſunt apud Gratianum Diſtinctione XIX. Can. III. *In memoriam beati Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem, ut*

quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, ecclesiasticæ esse debeat magistra rationis; quare servanda est eum mansuetudine humilitas. Et licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus. Quantumvis itaque aliquando fuerint perditæ vitæ, ac famæ ipsi Romani Pontifices, ut in suis Annalibus testatur Cardinalis Baronius, ob supremam tamen dignitatem honorandos illos Catbolici censuerunt. Sergius Coloniensis Archiepiscopus, & Rogerus Hammaburgensis Pallium a Sergio III. quem turpitudo vitæ infamaverat ex Luitprando Lib. II. Cap. XIII. modeste petierunt, acceperuntque, testante Crantzio. Quid vero magis probabile videbatur, quam acta improbari Stephani VII. adversus Formosum, & ejus Actis a Baronio improbatis vilescere personam? Et tamen Auxilius, qui pro Formoso in Stephanum scripsit, servata Pontifici reverentia, factum improbare satis habuit. Sic enim loquitur Lib. II. Cap. VII. *Omni humanæ potestati subditi esse debemus*. Et in Cap. XVIII. infensori objicienti eum non satis modeste loqui de Romana Ecclesia, *Absit*, inquit, *ut ego infirmus, vel potius vermis contra eam loquar, sed, ut Deus donaverit, magis pro ea*. Observantiæ item plena est Epistola Fulconis optimi Præsulis Remensis ad Stephanum ipsum, uti vidare est apud Frodoardum Lib. IV. *Historiæ Remensis*, Cap. IV. & VI. fuisse autem Stephanum ob sua ipsius nefaria crimina infamatum, sede pulsum, detrusum in carcerem, atque ibi strangulatum, ad annum Christi DCCCC. tradit memoratus Cardinalis Baronius.

X. Ubi Paschalis II. ab Henrico V. cum aliquot Cardinalibus in Ecclesia Vaticana captus, & ad Civitatem Castellanam abductus, ut se, & Cardinales ab iniquis vinculis, ac Romanum populum a truculentis Suevorum gladiis liberaret, laicas Antistitum investituras a Gregorio VII. & Urbano II. damnatas, laicis Principibus reddidit, jam non deerant, qui eum, ut manifestum Canonum prævaricatorem, & totius Christiani populi apertum scandalizatorem aversati sint; verum cum multis melioris animi, & doctrinæ Episcopis S. Ivo Carnutensis Episcopus, tamquam dispensatione in tanta necessitate usum Pontificem excusare conatus est, exemplo Apostoli Pauli, legalia sacramenta, quæ in S. Petro culparat, Timotheo ex causa impertientis. Ivonis verba in Epistola sua CCXXIII. ad Henricum Abbatem Monasterii Angeliacensis describi hic merentur: *Quia verenda Patris debemus potius velare, quam nudare, familiaribus, & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur* (Paschalis II. Papa) *ut se judicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ graviter langaet, dum caput ejus laborat tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de Summo Pontifice. Habemus enim Evangelicam sententiam, quæ securos nos facit:* Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: quæ dicunt, servate, & facite; secundum opera vero illorum nolite facere. *Vult enim hæc sententia, præcepta Præsidentium ad Cathedram pertinentia obedienter impleri, etiamsi tales sint, quales erant Pharisæi, non eos factiosa conspiratione a suis sedibus removeri. Si vero ea præcipiant, quæ sint contra doctrinam Evangelicam, vel Apostolicam, ibi eis non esse obediendum, exemplo docemur Pauli Apostoli, qui Petro sibi Prælato non recte ingredienti ad veritatem Evangelii in faciem restitit, non tamen eum abjecit.*

XI. Immerito itaque, ut scite docet eruditissimus Mabillonius in Præfatione ad Seculum V. Benedictinum §. VIII. nostri temporis Novatores pravis quorumdam Romanorum Pontificum exemplis ad impugnandam Ecclesiæ incorruptam veritatem, & unitatem abutuntur. Qualescumque fuerint Pontifices illi, *quibus objiciunt pro sua dissensione quod volunt, nihil præjudicant Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Nullo modo eorum innocentia coronamur; nullo modo eorum iniquitate damnamur*. Ita loquebatur S. Augustinus in causa Donatistarum, ita & nobis loqui licet in causa Novatorum. Dicant Novatores quid volunt contra Romanam Cathedram, ejusque Antistites; mandat non modo Canon noster, nequis Photium, aut Dioscorum imitatus, Romanum Pontificem præsumat fictis criminibus, aut Synodis, famosisque libellis incessere; verum etiam definit, non posse ipsum etiam a generali Concilio judicari, deponi, aut damnari: *Porro si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas, & controversia, oportet, venerabiliter, & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos seniores Romæ Pontifices.*

C A N O N XXI.

Promotiones, atque consecrationes Episcoporum concordans prioribus Conciliis, electione, & decreto Episcoporum Collegii fieri sancta hæc, & universalis Synodus definit, & statuit, atque jure promulgat, neminem laicorum Principum, vel Potentum semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confusio, vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam, Potestativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere, ac attendere sibi usquequo regulariter a Collegio Ecclesiastico suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si vero quis laicorum ad concertandum, & cooperandum ab Ecclesia invitatur, licet hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit, obtemperare se asciscentibus; taliter enim sibi dignum Pastorem regulariter ad Ecclesiæ suæ salutem promoveat. Quis-

quis

quis autem sæcularium Principum, & Potentum, vel alterius dignitatis laicus adversus communem, ac consonantem, atque Canonicam electionem Ecclesiastici Ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat, ac consentiat, quod Ecclesia de electione, ac ordinatione proprii Præsulis se velle monstraverit.

COMMENTARIUS.

I. ITerum atque iterum tum Tomo I. Romani Pontificalis, tum I. Tomo Conciliorum, tum etiam in hoc præsenti pluries, prout se occasio obtulit, de electionibus Episcoporum actum a nobis fuit. Agendum & hic rursus de eadem re; statuit namque is noster Canon, Episcoporum promotiones atque consecrationes fieri electione, ac decreto Episcoporum Collegii, idque concordans prioribus Conciliis, Laodiceno scilicet Can. XII. & Niceno, Can. IV. & VI. mandantibus Episcopum ab omnibus Provinciæ Episcopis eligi, & a Metropolita confirmari, aliterque factam promotionem vacuam omnino esse, ac ipso facto nullam.

II. Canonem IV. Nicænum, uti suo loco ostendimus, renovavit Septima Synodus Generalis II. Nicæna, innovatoque etiam Canone vulgo Apostolorum adversus eos, qui terrenorum Principum favore grassantur ad Episcopales Sedes, statuit ut electiones fierent ab Episcopis consentaneæ Niceno Canoni, qui omnes prorsus Provinciæ Episcopos concurrere jubet ad electiones, & ordinationes novorum Præsulum: *Omnis electio*, inquit Can. III. *a Principibus facta Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi irrita maneat secundum Regulam, quæ dicit:* Siquis Episcopus secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregentur omnes, qui illi communicant. *Oportet enim, ut qui provehendus est in Episcopum, ab Episcopis eligatur; quemadmodum a sanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, in Regula definitum est &c.*

III. Ut ergo Niceni I. Concilii Canone IV. ita Episcopis assignabatur summa electionum potestas, ut Cleri, populique nihilominus momenti aliquid haberent suffragia, quorum tamen omnium arbitri, & judices essent Episcopi: non aliter, inquit Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Libro II. Cap. XXVI. Nicænæ II. Synodi Canone supralaudato ita constituitur Episcoporum quidam auctoritatis apex, ut nec Clero tamen, & Populo sua excutiantur suffragia, nec Principibus temporalibus quicquid modestæ, & legitimæ hactenus usurpaverant potestatis. Summa ergo tantum, ut idem laudatus Actor scribit, hic auctoritatis Episcopis vindicatur, ut electionibus dominentur, non conterendo, sed moderando, regendoque libero suffragiorum jure, consensuque Cleri, Populi, Principumque. Non ergo hic proscribi ait, nisi electiones illas, ubi Principum auctoritas Episcopali præpolleret, quam utique præesse par est. Alioqui interiretur hoc Canone Patronatus laicus, qui longe antiquissimus tamen est, & altissimas in utraque Ecclesia radices egit.

IV. Placuit rem a Nicæna I. & II. Synodo repetere, quo facilius is noster Canon elucidetur. Vult quidem ipse electionum libertatem ubique restitui, damnatque violentas Principum intrusiones, non tamen modestum illorum consensum videtur excludere. Eam esse Patrum hujus Synodi mentem liquet I. ex Can. V. ubi Neophyti sacris submoventur, maxime si qua vis a Principe facta fuerit, ut ii ordinarentur: *Magis autem*, inquit, *coercemus hujusmodi, si ab Imperatoria dignitate ad hæc compellatur*. Canone quoque XII. promotiones omnes, ubi Episcopis vis illata fuerit ab Imperatoria potestate, depositione multantur: *Siquis Episcopus per versutiam, vel tyrannidem Principum, hujusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis*. Canone denique hoc nostro, ut cuilibet legenti patet, prohibentur electionibus Episcoporum interesse Imperatores, ne eorum præsentia libertati Episcoporum officiant, nequaquam vero modestus ipsorum Principum consensus excluditur.

V. Eam esse germanam hujus Canonis interpretationem, addiscimus quidem ex Ivone Episcopo Carnutensi, qui in Epistola LX. ad Hugonem Primatem Ecclesiæ Lugdunensis, Canonem hunc nostrum laudans, ita scribit: *Reges Apostolica auctoritate a concessione Episcopatuum prohibitos minime videmus. Legimus enim, sanctæ recordationis Summos Pontifices aliquando apud Reges pro electis Ecclesiarum, ut eis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus, ad quos electi erant, intercessisse; aliquorum, quia concessiones Regum necdum consecuti fuerant, consecrationes distulisse. Quorum exempla supposuissemus, nisi prolixitatem Epistolæ vitassemus. Domnus quoque Papa* (Urbanus II.) *Reges tantum a corporali investitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione. Quamvis Octava Synodus solum prohibeat eos interesse electioni, non concessioni*. Episcopatus concessio, ut post Lupum notat in suo ad hunc Canonem Scholio Natalis Alexander, est consensus datus electioni, & personæ electæ approbatio, & investitura seu traditio bonorum, & feudorum, quæ Ecclesia possidet maximam partem ex Regum beneficiis. Id per concessionem Episcopatus Ivonem significasse, colligunt ex illius Epistola ad Paschalem II. Pontificem pro Gualone electo Ecclesiæ Bellovacensis, ubi ita inquit: *Rex non vult electioni assensum præbere, nec electo bona Episcopalia dimittere*.

VI. Damnat ergo Canon violentiam Principum in Episcoporum electionibus, non assensum, non juspatronatus, si quod habent in Ecclesiis, nec nominationem, si id juris Summi Pontifices illis contulerint; præsertim cum non desint exempla in Ecclesiastica Historia, quibus docemur, ad Regiam Catholicorum æque ac piorum Principum nominationem ordinatos fuisse Episcopos, nec de ea re questos aliquando esse Summos Pontifices. Sed hæc ad eruditionem veteris disciplinæ, & explicationem nostri Canonis. Nam hodie ex Concordatis inter Apostolicam Sedem, & Principes initis, ipsi fere omnes Principes nominare solent Episcopos. Alienum forte a nostro instituto non esset de ipsis hoc loco Concordatis Romanum Ponti-

Pontificem inter ac Principes initia aliquid dicere, sed cum de eo argumento peculiari Opere disseruit Vir Clarissimus Antonius Philippus Cafinius, ad Opus ipsum, quod memoratus Auctor ad Literariæ Reipublicæ utilitatem quantocius est editurus in lucem, curiosum ejus rei studiosum remittimus; in eo enim inveniet, & sinceriorum Concordatorum originem, & genuinam intelligentiam, quia scilicet impostores non defuerunt, qui Concordata confingerent, & pro veris venditarent, ut alios omittam, qui vera Concordata ad favorem Principum sibi conciliandum callidis interpretationibus exposuere. Laudandus autem Auctor noster, qui genuina a falsis discrevit, & iis vera Notis illustravit, quibus jus suum cuique tribuitur; illam præ oculis habens Christi sententiam Matthæi Cap. XXII. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei, Deo.*

C A N O N XXIII.

Venit & hoc nunc ad aures nostras, quod quidam Episcoporum a quibusdam rogati possessiones, quæ ad alias Ecclesias pertinent, irrationabiliter conferant, & per hoc, quantum possunt, ad propriam voluntatem in aliorum potestatem Episcoporum usurpent. Hoc autem & Propheticam illis manifeste maledictionem acquiret, quæ dixit: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum ad agrum, ut proximo auferatis aliquid;* & criminis eos sacrilegii reos constituit. Hujus rei gratia placuit magnæ huic & universali Synodo, quod nullus Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum, vel quisquam talem sibi facere nequissimam locationem roget, vel ab aliquo ipse rogatus quamlibet alienarum, & extranearum conferat Ecclesiarum possessionem; nec etiam constituat Presbyteros, aut quemlibet alium Clericum in Ecclesiis, quæ sibi subjectæ non sunt, præter voluntatem Episcopi, cui Ecclesia illa commissa est. Sed neque quisquam Presbyterorum, vel Diaconorum, qui sacris officiis dediti sunt, ultro ac per se Ecclesias ingrediens, sacrum aliquid operetur, in quibus ab initio sortem minime consequutus est; illicitum enim est hoc, & omnimodis a Canonicis præceptionibus alienum. Quisquis ergo post hanc definitionem nostram visus fuerit faciens aliquid horum, quæ nunc interdicta sunt, separetur aliquo indicto tempore, discisso videlicet, & dirupto modis omnibus locatorio pacto, quod cum scripto, sive sine scripto, præter Canonem factum est. Similiter & Presbyter ille, vel Diaconus segregatus sit, donec ab aliena recedat Ecclesia. Quod si & segregationem contemserit, modis omnibus deponatur, & ab omni honore sacrato dejiciatur.

C O M M E N T A R I U S.

I. Prohibet primum Canon, & quidem sub pœna segregationis Episcopis, ne alienæ Ecclesiæ possessiones invadant, aliisve conferant, aut locent. Si enim divinæ, ac humanæ Leges hoc crimen damnant in Laicis, quanto magis in Episcopis, qui præ ceteris ab avaritiæ labe, & a cupiditate, atque invasione rei alienæ immunes esse debent. Vetat secundo ipsis Episcopis Canon, ne in alienis Ecclesiis Presbyteros, aut Clericos constituant absque voluntate Episcoporum, quibus subjectæ sunt. Vetat tandem ipsis Presbyteris, Diaconisque, ne sacris operentur in Ecclesiis, in quibus ab initio sortem minime consequuti sunt, sive pro quibus non sunt ordinati. Qui secus fecerint, eos Canon segregari jubet, donec ad propriam redeant Ecclesiam; si vero segregationem contemserint, eos ab omni gradu, & honore sacro dejici.

II. Quod primam spectat hujus nostri Canonis partem, fuit jam olim vitium quorumdam Episcoporum æque, ac Clericorum, res alienæ Ecclesiæ invadere, eique pesti conatæ semper sunt Synodi occurrere, inter quas quinta Aurelianensis anni DXLIX. Can. XIV. ita statuit: *Nullus Episcoporum, aut cujuslibet ordinis Clericus, vel alia quæcumque persona, quibuslibet conditionibus, seu in uno Regno, seu in alio positus, alterius cujuscumque Ecclesiæ res petat, aut præsumat accipere. Quod si fecerit tamdiu habeatur a communione Altaris, vel omnium fratrum, ac filiorum charitate suspensus, donec ipsi Ecclesiæ, cujus directo ordine juris est, ablata restituat.* Alii id genus afferri possent Canones, sed cum de hac prima Canonis parte, sicut & de aliis sequentibus abunde opportunioribus locis egerimus, supervacanei esset laboris hic amplius immorari. Porro de tertia Canonis parte, quæ Clericorum ad alias Ecclesias migrationem damnat, dici potest quod de quodam gentilium Romanorum vitio scripsit Lib. I. Historiarum Tacitus Cap. XXII. *In Civitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur;* ut scite notat Lupus.

CA-

CANON XXIV.

Divina Scriptura dicente, *Maledictus omnis homo, qui facit opus Domini negligenter*, quidam Metropolitanorum in extremam negligentiam, & desidiam delapsi, præceptionibus suis subjectos ad se adducunt Episcopos, & committunt eis Ecclesiæ propriæ divina Officia, & Litanias, & cuncta omnino sacra, quæ ad se pertinent ministeria, itaut per illos celebrent omnia, quæ per semet alacriter agere debuerint, ac per id eos, qui Episcopalem dignitatem meruerunt, quodammodo Clericos sibi subjectos exhibeant. Vacant autem iidem præter Ecclesiasticas Leges secularibus curis, atque dispositionibus, dimittentes perseverare in orationibus, & observationibus pro suis delictis, ac populi ignorantiis, quod nusquam apud aliquos penitus invenitur, cum sit Canonicis nimirum contrarium omnino præceptis, & quod sævius est, quia suis stipendiis per distinctas mensium vices præcipi dicuntur prædicta perficere ministeria, quod ab Apostolico munimine modis omnibus ostenditur alienum. Hæc autem omnia magnis, & multis, ac vehementissimis damnationibus dignos hujusmodi statuunt; probantur enim tales per hæc, quæ faciunt, etiam satanica jactantia, & superbia languere. Quisquis ergo Metropolitanorum post hanc sanctæ ac universalis Synodi definitionem, eadem audacia, vel superbia, & contemtu abusus, non per se cum timore, & alacritate, seu conscientia bona, debita ministeria in propria civitate, sed per suffraganeos Episcopos suos efficere tentaverit, pœnas exolvat coram proprio Patriarcha, & aut corrigatur, aut deponatur.

COMMENTARIUS.

I. Metropolitarum quorundam negligentiam, atque disidiam, qui muneris sui Episcopalis obliti, curisque sæcularibus impliciti subditos sibi Episcopos per distinctas mensium vices vocabant ad Metropolitanam Ecclesiam, eosque Episcopalia ibi ministeria obire cogebant, propriis etiam stipendiis, iisque etiam veluti Clericis utebantur, providentissime Canon noster enercet; idque satanicæ jactantiæ, & superbiæ arguens, Metropolitas quidem, qui non per se, sed per Suffraganeos Episcopos debita ministeria in propria Civitate impleverint, a Patriarcha plecti jubet, ac nisi emendentur, depositione puniri. Erat sane duplex istorum Metropolitarum in eodem facto facinus; ut scite enim observat Lupus, Officium ipsi Pontificale secularibus negotiis postpositum negligebant, & quempiam Provinciæ suæ Episcopum a propriæ Ecclesiæ residentia, & cura abstrahebant. Atque hinc merito Callixtum II. Pontificem Maximum, quod Joannem Glasguensem Patriarchæ Hierosolymitano inservientem ut suffraganeum, ad Ecclesiam suam redire jusserit, in suo Chronico laudat Symeo Monachus Dunelmensis.

II. Multis ab hinc seculis alius jam inolevit usus, ut Archiepiscopi, Episcopique, siqui non possint, vel nolint creditarum sibi Ecclesiarum regimini vocare, asciscant sibi Titulares Episcopos Ecclesia & grege carentes veluti Pontificalis ministerii sui collegas, & coadjutores. Est minus malum, sed de istiusmodi Metropolitis Episcopisque dici omnino potest, quod adversum Episcopos Chorepiscopis utentes, legitur in quadam antiqui Scriptoris Epistola S. Damaso Papæ attributa: *Illi Episcopi, qui talia sibi præsumunt, videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statim, ut pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos, ut suam citius libidinem explere valeant. Sic & isti infantes suos, idest, populos sibi commissos aliis educandos tradunt, ut suas libidines expleant, idest, ut pro suo libitu secularibus curis inhient, & quod unicuique visum fuerit, liberius agant. Pro talibus animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses, & schismata prodeunt, & reliqua mala proveniunt.*

III. Nihil profecto luculentius, uberiusque memoratæ Epistolæ testimonio afferri potuit ad describendum malorum cumulum, quæ ex suffraganeis hisce Episcopis Catholica Ecclesia sentit. Suffraganeis, qui non Pastores, sed nullius potestatis mercenarii homines sunt, innixi Episcopi alte dormiunt, ideoque venit inimicus homo, & superseminat zizania. Tradit hæc Lupus, additque statim, Lutheranam hæresim, & reliqua omnia Germanicæ Ecclesiæ mala ex fonte isto profluxisse. Certe innumera pene quæ se in Ecclesiasticam disciplinam hodieque infundunt vitia, hujusmodi Suffraganeorum desidiæ tribui possunt. Rationem ejus calamitatis miseriæque docuit jam nos Christus in Euangelio Joannis Cap. x. ubi ita inquit: *Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves.* Et iterum: *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.*

IV. Præ-

IV. Præter tot absurda hucusque enumerata, quæ ex Titularibus suffraganeisque Episcopis oriuntur, est & aliud, quod jampridem sacræ Synodi, ac Romani Pontifices notarunt, contemtus scilicet sanctissimæ celsissimæque dignitatis Episcopalis, cujus meminit in Oecumenica Viennensi Synodo Clemens V. ubi vetans creari imposterum Episcopos ipsos Titulares, inter alia ait, ambiri quidem Titulares Ecclesias Populo, Clero, ac redditibus carentes a Monachis quibusdam excordibus, qui ut cupiditati suæ facerent satis, dignitatem toto orbe sanctissimam pudenda mendicitate, atque assidua vagatione prophanatum ibant: *Qui nec, ut expediret, prodesse; nec ut deceret, præesse valentes, instabilitate vagationis, & mendicitatis opprobrio serenitatem Pontificalis obnubilant dignitatis*. Regulares plerumque eos ambiisse titulos, ut a claustro exirent, & suæ Religionis habitum deponerent, addiscimus ex Concilio Salisburgensi anni MCDXX, Can. XVII. ubi vetantur Episcopi ad Episcopales obeundas functiones uti ministerio Regularium, qui dum Episcopali ordinatione inaugurarentur, Monasticas abjecerant vestes, nisi eas rursus induerent: *Nullus Suffraganeorum nostræ Provinciæ in sua Diœcesi ad exercendum ea, quæ Episcopalis ordinis existunt, tales Titulares Episcopos admittat, nisi habitum suæ Religionis manifeste deferant*.

V. Quo loco in Cardinalium domibus haberentur, & quidem anno MDXIV. docet nos Concilium Lateranense V. sub Leone X. eo anno habitum, ubi Sessione IX. de Cardinalibus agens sic inter alia inquit: *Præterea ministerium indecorum Episcoporum Prælatorumque in domibus non habeant, ne cæteris præesse instituti, & sacro charactere insigniti, in vilia descendant ministeria, passimque Pastoralis officii contemtum inducant*. Deinde inferius accommodans se Concilium ipsum ad usum eo ævo pervagatissimum, tametsi ex laxata Ecclesiæ disciplina ortum, permittit quidem Cardinalibus, quibus commendatæ essent Cathedrales Ecclesiæ, eas per Episcopos Titulares suffraganeosque administrare, sed jubet tamen, ut ipsis dignam, & competentem mercedem præstent, ne scilicet, uti superius notatum est, mendicitatis opprobrio, aliove turpi negotio Pontificalem dignitatem dedecorarent: *Omni conatu suo provideant debite inserviri Cathedralibus, dignos, & idoneos Vicarios, seu Suffraganeos, prout consuetudo fuerit, cum digna & competenti mercede apponentes*. Sed de his vide quæ diximus in Commentariis ad Romanum Pontificale.

CANON XXV.

Et hoc debite sancta Synodus definivit, quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi magnæ Ecclesiæ, qui consecrationem Methodii, & Ignatii sanctissimorum Patriarcharum habuerunt, & secundum insolens illud, & durissimum cor Pharaonis obdurati sunt, & usque nunc minime cum hac sancta, & universali Synodo convenerunt, sed nec nobis consonare in verbo veritatis voluerunt, quinimo invasori Photio concorditer consenserunt, depositi sint, & omnino Sacerdotali operatione privati, quemadmodum nec multum ante beatissimus Papa Nicolaus judicavit, & nequaquam tales in Sacerdotii catalogo recipiantur, etiamsi ex hoc converti voluerint, nisi in perceptione sanctificationum, qua dignos nullatenus eos, nisi per multam misericordiam judicamus; non enim sunt digni ad priorem honorem restitutionis locum per pœnitentiam invenire, secundum exosum illum Esau, licet cum lacrymis expetiisset eam.

COMMENTARIUS.

I. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi Constantinopolitanæ Ecclesiæ etiam a sanctis Patriarchis, Methodio, & Ignatio ordinati, qui invasori Photio pertinaciter adhæserant, depositi absque ulla spe restitutionis ab omni prorsus Sacerdotali operatione, & sacro ministerio, præsenti hoc Canone declarantur, & quidem juxta Nicolai I. Pontificis Maximi sententiam, qui idipsum jam non multo ante hanc nostram Synodum constituerat. Illos tandem, qui a Photii schismate Deo miserante converterentur, non alia dignos misericordia judicavit Synodus, quam sola perceptione sanctificationum, idest Laicorum communione. Est autem *sanctificatio*, uti notat Lupus, vetustus Eucharistiæ titulus, quam & in Libro, *De spectaculis* Tertullianus Cap. XXV. & in Sermone, *De Lapsis* S. Cyprianus vocant *Sanctum*, & *Sanctum Dei*; quia scilicet, animam, & corpus eam accipientis sanctificat, uti inter alios docet S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi XXII. Mystagogica IV. quæ est de Corpore, & Sanguine Domini.

CANON XXVI.

Placuit & de hoc sanctæ Synodo, ut quicumque Presbyter, aut Diaconus a proprio Episcopo depositus fuerit propter aliquod crimen, vel si quamlibet inju-

injustitiam se pati dixerit, & non acquieverit judicio proprii Episcopi, dicens eum suspectum se habere, & vel propter inimicitiam, quam erga se tenuerit, vel propter gratiam, quam aliis quibusdam præstare voluerit, iccirco in se fuisse tale quid operatum, potestatem habeat ad Metropolitam ipsius Provinciæ concurrere, & eam, quam putat injustam, depositionem, vel aliam læsionem denunciare: Metropolita vero ille libenter suscipiat hujuscemodi, & advocet Episcopum, qui deposuit, vel alio modo Clericum læsit, & apud se cum aliis etiam Episcopis negotii faciat examen, ad confirmandam scilicet sine omni suspicione, vel destruendum per generalem Synodum & multorum sententia Clerici depositionem. Similiter etiam Episcopos concurrere ad Patriarchale caput decernimus, qui a Metropolitis suis talia se pertulisse fatentur, ut apud Patriarcham Metropolitarum, qui sub ipso sunt, justam, & sine suspicione sententiam, quod movetur negotium, accipiat. Insuper etiam nullo modo quisquis Metropolitanorum, vel Episcoporum a vicinis Metropolitis Provinciæ suæ judicetur, licet quidam incurrisse crimina perhibeatur, sed a solo Patriarcha proprio judicetur, cujus sententiam rationabilem, & judicium justum, ac sine suspicione fore decernimus, eo quod apud eum honorabiliores quique colligantur, ac per hoc ratum, & firmum penitus sit, quod ab ipso fuerit judicatum. Siquis autem non acquieverit iis, quæ a nobis edita sunt, excommunicatus existat.

COMMENTARIUS.

I. Nihil io hoc Canone occurrit, quod ex perpetua Ecclesiæ consuetudine in prioribus Conciliis, Niceno I. Can. v. & vi. Constantinopolitano i. Can. vi. Chalcedonensi Can. ix. Sardicensi, & aliis multis, tom oniversalibos, cum particularibus Synodis, in quibus cæpissime Ecclesiastica regula inculcatur, ut oimirum Clerici a propriis Episcopis depositi, vel injuriam passi, ab eorum sententia ad Metropolitam; Episcopi vero a Metropolita injuste excepti, ab illius judicio ad Patriarcham, liberam habeant appellandi facultatem. Sicut enim Episcopus est judex Ordinarius suæ Diœcesis, & Archiepiscopus Suffraganeorum Episcoporum totius Provinciæ, ita & Patriarcha Metropolitarum omnium totius sui Patriarchatus. Quæ quidem iocum habent in minoribus causis criminalibus. majores enim, quæ depositione dignæ sunt respectu Episcoporum, ad solum pertinent Summum Pontificem, uti constat ex Concilio Tridentino, & aliis Summorum Pontificom Constitutionibus.

II. Quamvis vero Metropolita Judex sit ordinarius Episcoporum Provinciæ soæ, non est tamen subditorum ipsorum, tum quia illi habent suum Judicem, nimirum Episcopum Diœcesaoum, tum quia Metropolitanus nihil juris habet in Suffraganei sui Diœcesi, oisi quantum sacri Canones coocedunt, vel prisca consuetudo illis contulit ab antiquo, Can. *Conquestus*, Causa ix. Quæstione iii. *Si enim concessum fuerit*, ait Ivo Episcopus Carnutensis Epistola lxxxiii. *ut Metropolitanus in Ecclesiis comprovincialibus, absque consensu Episcoporum, qui eis præsunt, quicquid voluerit, valeat imperare, Clericos earumdem judicare, vel ab officio suo suspendere, dignitati Episcoporum indigna fiet violentia, & auctoritati sanctorum Patrum ruinosa injuria.* Porro quicquid sit de hodierna Ecclesiæ praxi, juxta quam Metropolitanus causas per appellationem devolotas potest judicare per se, vel illas subdito cuicumque Suffraganei sui in cjus Diœcesi delegare, volenti tamen, non invito, vel in Diœcesi illius, a quo appellatum est, & oon alibi, oisi aliud de consuetudine obtineat, ex Cap. *Pastoralis*, *De officio Ordinarii*, Cap. *Romana*, *De foro competenti* In Sexto, & Cap. *Ut litigantes*, citato Tit. *De officio Ordinarii* in Sexto: juxta veterem tamen Ecclesiæ morem etiam oostro hoc Canone probatum nonnisi in Concilio Episcoporum Provinciæ causam ipsam ad se per appellationem devolutam examinabat judicabatque Metropolitanus: *Metropolita vero ille libenter suscipiat hujuscemodi, & advocet Episcopum, qui deposuit, vel alio modo Clericum læsit, & apud se cum aliis etiam Episcopis negotii faciat examen, ad confirmandum scilicet sine omni suspicione, vel destruendam generalem Synodum, & multorum sententia Clerici depositionem.* Ubi nota obiter quod etiam alias legitur, Episcoporum Provinciæ Synodum, generalem Synodum appellari.

CANON XXVII.

Secundum traditas formas per singulas Provincias, ac regiones, & urbes in Ecclesiasticis promotionibus, & consecrationibus, illa, quæ indicia, & signa sunt ordinis, qui unicuique inesse videtur, retineri decernimus, itaut

Episcopi, quibus concessum est Palliis uti certis temporibus, in eisdem temporibus, & locis, iis induantur, & tanto, & tali non abutantur amictu propter typhum, & inanem gloriam, & humanum placorem, atque sui amorem, omni videlicet tempore divini Sacrificii, & omnis alius ecclesiastici mysterii hunc inepte portantes. Illos autem, qui reverenter Monasticam vitam sectati sunt, & Episcopalem meruerunt honorem, conservare schema, & amictum monachicorum indumentorum, & ipsam beatam vitam decernimus, & nullus omnino habeat potestatem deponere jam dictum schema propter typhum, & arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum. Sicut enim ibi continuus Palliorum amictus fastigiosum, & suæ gloriæ deditum demonstrat Episcopum, ita & hic depositio, ac denudatio Monachici habitus nihilominus eisdem submittit criminibus eum, qui hoc fecisse captus extiterit. Quisquis ergo Episcopus præter definita sibi scripto tempora se Pallio induerit, aut monasticarum vestium schema deposuerit, aut corrigatur, aut a Patriarcha proprio deponatur.

COMMENTARIUS.

I. DUo hic statuit Canon, primum, ne Episcopi, quibus Pallii usus concessus est, eo utantur extra tempora, & loca a sacris Canonibus constituta: alterum est, ne Monachi ad Episcopatum assumti Monasticam vitam ac vestem exuant ex superbia, & fastu. Qui secus fecerit, eum aut corrigi, aut a proprio Patriarcha deponi, idem Canon jubet. Quod autem spectat alteram Canonis partem, jussit jam olim Innocentius I, qui floruit labente seculo quarto, ut Monachi dum ad Episcopatum pervenirent, prioris vitæ propositum servarent. Ejus verba in Epistola II. ad Victricium Rothomagensem Episcopum Cap. x. hæc sunt juxta editionem Concilii Londinensis, anni MCXXXVIII. Can. XIV. quo Decretum illud innovavit: *Monachi diu morati in Monasteriis, si postea ad Clericatum pervenerint, non debent aliquatenus a priore proposito deviare. Sicut in Monasteriis positi fuerint, ita & in Clericatus ordine degere debent; & quod diu servaverunt, id in altiori gradu positi amittere non debent*. Eo Decreto Episcopi continentur, uti & alii Clerici omnes, nec quicquam illis remittitur de modesta frugalitate, aliisque claustri, ac Monasticæ vitæ virtutibus.

II. Præter Londinensem Synodum jam illud Innocentii I. Decretum Carolus Magnus in Capitulari suo Aquisgranensi anni DCCLXXXIX. Can. XXVII. innovaverat, dicens: *Monachus si ad Clericatum promoveatur, propositum Monasticæ professionis non amittat*. Legem persimilem jam longe ante Carolum Magnum ediderat Justinianus Imperator, ita in Novella sua v. Cap. VIII. inquiens: *Siquis Monachicham profitentium conversationem meruit Clerici ordinationem, maneat etiam sic puram servans conversationem. Quod si facti Clerici abutantur fiducia, & ad nuptias venire præsumant; quippe in tali constitutus gradu, inter Clericos, qui ei uxorem ducere permittat, excludatur omnibus modis a Clero, tamquam priorem conversationem, & solitariam confundens vitam*. Ubi nota I. quod docet Thomassinus Parte III. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. L. Num. XII. in id potissimum collineasse Innocentii I. Decretum, ne Monachi ad Clericatum, & ad Ordines minores provecti, ubi fas erat uxores ducere, ea libertate abuterentur. II. ipsam continentiam argumento esse, Monachos Clericatu auctos, ut continentia, ita & reliquis adhoc illigari Monasticarum virtutum vinculis, quibus non arcetur quis ab Ordinum functionibus.

III. Innumera pene afferri possent exempla, quæ docent, Episcopos, si in Cœnobiis professi antea fuerant, non modo vestem, sed & vitæ rationem eandem retinuisse. Sed, ut alia exempla omittam observata ab Auctoribus, qui de gestis Sanctorum Cæsarii Arelatensis, Leobini Carnutensis, Germani Parisiensis, Fructuosi Bracharensis, aliorumque complurium Episcoporum historias ediderant, de S. Jacobo Nisibeno Episcopo scribit in Monastica historia Theodoretus Cap. I. *Nec cibum mutavit, nec vestitum*. Episcopum in priori Monachali sacco mansisse dicit. Teste eodem Theodoreto Cap. v. S. Aphtonius *Sedem ascendit Pontificalem nec pallium mutans adsceticum, nec tunicam caprarum e pilis contextam, eisdemque eisdem utens, quibus ante Episcopatum vescebatur*. De Matthæo Cluniacensi Monacho, quem Honorius II. Papa Episcopum Cardinalem Albanensem creavit, ita quidem scribit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis Lib. II. *De miraculis*, Cap. XIV. *Provectus ad sublimem Pontificalis Ordinis gradum, nihil de Monacho quorumdam more dimisit, sed sicut de magno Martino legitur, eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas mansit. Nihil de officiis, nihil de cantu, nihil de prolixiori Cluniacensi Psalmodia, quarumlibet curarum prætextu reliquit. Servabat in Palatio instituta claustri &c.* Idem elogium tribuitur Ælberto Eboracensi Episcopo in poemate de Episcopis Eboracensibus, ubi ita legimus.

Nec Pater adveniens in tantum culmen honoris,
Vestibus, atque cibis veterem mutaverat usum.
Deliciosa nimis fugiens, nec vilia valde
Sectatus fuerat medio moderamine gaudens.

IV. Quum in Ordine Benedictino celebris olim esset abstinentia a carnibus, ideo qui ex eodem Ordine assumti erant Episcopi, a carnium usu more solito abstinebant. Atque hinc est, quod Pardulus Laudunensis Episcopus Hincmarum Remensem

mensem ex morbo recens convalescentem monet, *ut a lardo, sive quadrupedibus abstineat, donec sanitas confirmetur; & sic ad siccos, & miseros, tardioresque Monasticos cibos redeatur*. Quod argumento est, hanc ei consuetudinem alias fuisse, ut scite observat Mabillonius in sua ad Seculum IV. Benedictinum Præfatione, Cap. VII. Laudatur hoc nomine S. Guilielmus ex Monacho Cisterciensi Archiepiscopus Bituricensis, qui ab eo tempore, quo relicto seculo Monasticum vitæ genus amplexus est, *nunquam carnibus vesci voluit*, licet ob gratiam hospitum tam ex aucupio, quam venatione apparata fercula juberet mensæ suæ inferri, cum id ratio postularet, teste Surio in ejus vita die x. Januarii. Familiarem fuisse eam abstinentiam S. Elphego, Wintoniensi Episcopo, narrat Willelmus Malmesburiensis, *carnibus*, inquiens, *nunquam nisi æger indulsit*. Ceterum qui eundem in Episcopatu præcessit, S. Ethelwoldus, Abedoniæ primo Monachus, & Abbas deinde Wintoniensis Episcopus, & si permolestis afficeretur doloribus, nunquam tamen carnibus vesci voluit, nisi semel gravissimo compulsus morbo, idque jubente beato Dunstano Archiepiscopo, & rursus in ea infirmitate, qua discessit, uti narrat in ejus vita memoratus Surius die 1. Augusti.

IV. Rursus in Capitulo generali Cisterciensium, quod habitum fuit anno MCXXXIV. constitutum ab illis legimus Tom. I. Annalium Cisterciensium Pag. 279. ut qui e Cisterciensi Ordine ad Episcopatum raperentur, a prisca non recederent regula, & consuetudine sua ciborum, vestium, officiorum præter paucula, & vilia vestium additamenta, quæ arbitrio illorum relinquunt: *Episcopi assumti de Ordine nostro consuetudines nostras tenebunt, in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in observantia jejuniorum, in officio horarum regularium, excepto quod mantellum de vili panno, & pelle ovina, & pileum similem, aut simplicem de lana habere poterunt, qui voluerint*. Porro tenax Dominicani sui Instituti Benedictus XIII. tametsi septuagenario major esset, & regimine totius Ecclesiæ fungeretur, omniaque pene semper spiritualia supremi Pontificatus munia per se ageret, incredibili animi fervore Dominicanæ suæ Regulæ instituta tum in recitatione multiplici horarum Canonicarum, tum in qualitate ciborum, & jejuniorum observantia, tum in tunicarum lanearum pro indusiolis delatione, tum denique in aliis quibusvis durioribus, ad mortem usque retinuit. Romæ in Cœnobio S. Sixti Fratrum Ordinis Prædicatorum extant hodieque lintea lanea, quibuscum dormire consueverat, ubi ad eum locum exercitiorum spiritualium studio secesserat. Dici de ipso potest quod de Eugenio Papa III. Monacho prius Cisterciensi Lib. II. de vita S. Bernardi Cap. VIII. legimus: *Adhærebat carni ejus lanea tunica, & diebus, ac noctibus cuculla vestitus sic ibat, & sic cubabat: intus Monachi habitum retinens, extra se Pontificem, & moribus, & vestibus se exhibebat: rem difficilem agens, diversarum uno homine proprietatem exprimens personarum*.

V. Fuit Benedictus religiosissimus æque ac peritissimus sacræ Theologiæ, atque Canonicæ disciplinæ, sciebatque funditus, quod cum Angelico Doctore Theologorum omnium Principe ceteri Theologi, vel Canonum commentatores docent, Professionem scilicet Monasticam non esse nisi tyrocinium quoddam perfectionis, Episcopatum vero esse quoddam perfectionis magisterium; & hinc illud perspicue nasci, Monachum ad Episcopale culmen evectum, incrementa potius facere debere virtutum perfectionis, quam temperamenta sectari: itaque constringi illum semper iis virtutum documentis, quæ non pugnent cum Episcopalibus functionibus; continentia nimirum paupertate, & veste ipsa religiosa, quæ veluti tessera est harum virtutum professionis: *Dicendum ergo*, inquit memoratus Angelicus Doctor, II. II. Quæstione CLXXXV. Articulo VIII. *quod si quæ sunt Regularibus observantiæ, quæ non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est, continentia, paupertas, & alia hujusmodi, ad hæc remanet Religiosus, etiam factus Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est hujus obligationis signum*.

VI. Ad Monasticum habitum quod attinet, eum etiam Episcopis Monasticam vitam prius professis penitus abjicere Religio erat, jam inde a Seculo IV. uti colligi potest ex superius laudato loco Innocentii I. Eorum exemplo cum Gallicani Episcopi nonnulli Monasticæ professionis expertes eundem habitum suscepissent, Cœlestinus Papa I. qui anno CDXLII. cœpit Ecclesiam universam regere, eos mox ab hac novitate revocare tentavit, ita inter alia scribens ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis: *Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi a plebe, vel ceteris sumus doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipimus novitati, traditum nobis a Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus*. Istius autem novitatis originem ad Episcopos ex Monasteriis assumtos refundit, eosque ex obliquo reprehendere videtur his verbis: *Sed non mirum si contra Ecclesiasticum morem faciunt, qui in Ecclesia non creverunt, sed alio venientes itinere, secum hæc in Ecclesiam, quæ in alia conversatione habuerant, intulerunt*. Neque tamen hunc usum adeo novum, insolentemve fuisse, ut non aliquando usitatum, aut vero ita Cœlestini literis castigatum, ut in desuetudinem subinde mox abierit, scitissime notat Mabillonius citato superius loco, probatque exemplo S. Martini Turonum Episcopi Cœlestino Pontifice antiquioris, qui in Episcopatu, ut de eo scribit Severus Sulpitius, *idem constantissime perseverabat, qui prius fuerat; eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat*. Viguisse & apud Græcos eum morem, constat sane ex S. Basilio, & S. Gregorio Nazianzeno, qui ex Monachis facti Episcopi, Monasticam vestem non mutarunt, uti ostendit eruditissimus Altaserra, Lib. V. *Originum rei Monasticæ*, Cap. XX.

VII. Post Cœlestini Papæ ævum multa ejus disciplinæ exempla occurrunt; etenim de S. Fulgentio primum Monacho, deinde Ruspensi Episcopo, refert ejus vitæ Auctor, quod *Orario, sicut Episcopi, nunquam utebatur, sed pelliceo cingulo tamquam Monachus*. Forte quod ea disciplina passim in Oriente potissimum servaretur, nonnulli vero ex Monachorum statu ad Episcopatum assumti illam contemnerent, occasionem dedit nostræ VIII. Synodo edendi hunc Canonem, quo inter alia statuitur, ne Monachi ad Episcopatum promoti habitum Monasticum deponant. Id quod

ratum deinde habuit Concilium iv. Lateranense Oecumenicum ab Innocentio III. Pontifice Maximo anno MCCXV. celebratum, ubi Episcopis præcipitur, ut in Ecclesia superindumentis lineis, idest Rochetis induti sint, *nisi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum Monachalem*. Huic legi novum sane adjecit vigorem Concilium Londinense anno MCCLXVIII. habitum, ubi Can. v. ita statuit: *Specialiter indicimus iis, qui de Monasteriis, vel de aliis Regularibus locis in Episcopos sunt assumti, vel de cetero assumentur, suum deferant habitum Regularem, ne Religionem prædentem dignitas excludere videatur, quam sibi debent vinculo individui fœderis copulare*. Pergit porro idem Concilium ulterius, ut Episcopos ex Monasteriis assumtos interdicat pannis & ornamentis alterius coloris, quam sit habitus eorum Religionis: *Quibus etiam districtius inhibemus, ne utantur pannis, aut pellibus, aut aliis ornatibus, ab Ordine, sive a Regula sua priori discrepantibus in colore*.

VIII. Egregium est, ac notatu omnino dignum, quod in recitato Canone observat Thomassinus Parte III. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. I. fœdissime eum hallucinari, qui hoc Concilio id tum præscribi sibi fingeret, ut Episcopi Regulares in veste sint ejusdem coloris cum habitu suo priori Monastico. Nec enim hæc postrema clausula jam de veste agit, sed de pannis, pellibus, aliisque adjectitiis ornamentis Episcopalibus, quæ jubet Concilium ejusdem coloris esse cum veste Monastica. Alioqui Canon unus idemque secum collideretur ipse, quodque prius adstruxisset, postea dirueret, essetque infestus Canoni Lateranensis Concilii iv. quem tamen confirmatum voluit: *Sed in talibus statutum Concilii generalis satagant observare*. His addi potest Canon xvii. Concilii Salisburgensis anni MCDXX. habiti, quem superius descripsimus in Commentario ad Canonem xxiv. Ibi etenim expresse vetantur Episcopi ad Episcopales obeundas functiones, uti ministerio Regularium, qui dum Episcopali ordinatione inaugurarentur, Monasticas abjecerant vestes, nisi eas rursus induerent; alias autem eos in grave scandalum, flagitiumque proruere, & in vincula ipsa excommunicationis: *In animæ suæ periculum, & plurimorum scandalum, sicque excommunicationis sententia innodantur*.

IX. Hanc disciplinam tot exemplis ac Canonibus probatam, ac stabilitam adamussim servavit Benedictus XIII. ubi scilicet ex Prædicatorum Ordine ad Cardinalatus apicem evectus est, jugiter enim habitum Religionis suæ gestabat, aliisque Episcopis ex Regularium Ordine assumtis eam sedulo inculcavit. Quantopere autem de ea instauranda disciplina, quam Regulares Episcopi plurimi negligebant, solicitus ipse esset, apertissime ostendit initio supremi sui Pontificatus, quum Monachos quosdam Episcopos ejus negligentiæ redarguit. Ceterum jam ante laudatum Pontificem, satis illud visum fuerat, si Episcopi ex Monachis assumti colorem vestis suæ olim Monasticæ servarent. Id enim jubet Cæremoniale Episcoporum, quod jussu primum Clementis VIII. postea Innocentii X. publicatum est: *Promoti*, inquit Libro I. Cap. I. *ex Ordine Regulari, non Clericali, non utantur Rochetto, sed retinent in vestibus colorem habitus suæ Religionis, & deferunt ubique Mozzettam ejusdem coloris &c.* Et rursum inferius. *De Episcopis Regularibus, qui non mutant colorem sui habitus; neque induunt Rochettum &c.*

X. Tametsi autem hoc sit Cæremonialis Episcoporum præscriptum, sciendum tamen, quod in Comitiis tamen Cleri Gallicani jam ab anno MDCLXV. decretum fuit, ut inter Galliæ Episcopos distinctio illa non vestis solum, sed & coloris penitus tolleretur. Verba Decreti apud memoratum Thomassinum, aliosque Galliæ Scriptores hæc sunt: *Ut omnes Prælati nulla distinctione, nulla exceptione in veste violacea irent; ut Majestatem Regiam una inviserent, & venerarentur, etiam qui ex Regularibus Ordinibus vocati sunt ad Episcopatum, ut una ab omnibus forma teneatur*. Habeat locum hoc Decretum in Gallia; certe in aliis Regnis passim disciplina a sacris Canonibus præscripta, & exemplis Virorum Illustrium comprobata servatur. De Clericis Regularibus illud tandem minime omittendum est, illis in Episcopos assumtis plenum sæcularis Prælati habitum a Pontificibus Maximis permissum fuisse.

XI. Reliquum est, ut nonnihil de ea Canonis parte dicamus, qua vetatur, ne Episcopi, quibus Pallii usus concessus est, eo utantur extra tempora, & loca a sacris Canonibus constituta, sed cum de his fuse dixerimus jam Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum, de Pallio, ibidem quicquid de hac re dici potest, curiosus Lector inveniet. Agitur in Cæremoniali Episcoporum Lib. I. Cap. xvi. *De Pallio, & ejus usu*. Postquam enim §. III. Pallio uti Archiepiscopum in singulis Ecclesiis Provinciæ suæ, non autem extra Provinciam, & dumtaxat dum Missam solemnem celebrat, præscriptis quibusdam diebus, qui in privilegiis Ecclesiæ Metropolitanæ exprimi solent, ita mox de diebus ipsis quibus Pallio uti licet, §. iv. subjicitur: *Quod si non reperiantur expressi, recurrendum erit ad communem consuetudinem, quæ est, ut eo utatur diebus infrascriptis, videlicet Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ, Circumcisionis, & Epiphaniæ Domini, Dominica in Ramis Palmarum, Feria v. in Cœna Domini Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis Domini cum duobus feriis sequentibus, Dominica in Albis, in Ascensionis, Pentecostes, Sancti Joannis Baptistæ, duodecim Apostolorum festivitatibus, in Festo Corporis Christi, quatuor Festivitatibus Gloriosæ Virginis, idest, Purificationis, Annunciationis, Assumtionis, & Nativitatis, in Festo Omnium Sanctorum, in Dedicationibus Ecclesiarum, in principalibus Festivitatibus Ecclesiæ Metropolitanæ, in Ordinationibus Clericorum, Consecrationibus Episcoporum, Abbatum, & Virginum, in diebus anniversariis dedicationis Ecclesiæ principalis, & consecrationis suæ. Aliis autem diebus in privilegio non expressis, vel inter prædictos non comprehensis, Archiepiscopus si voluerit in Pontificalibus celebrare, uti non debet Pallio*.

XII. Hactenus Rubrica Cæremonialis Episcoporum, quod a nobis summo labore Commentariis illustratum quantocius prodibit in lucem, ut Episcopis scilicet pareremus, aliisque eruditis Viris, qui arduam illam provinciam a nullo adhuc tentatam nobis imposuerunt. Quanto studio in eo adornando Opere opus fuerit, ex Commentariis ipsis patebit, quibus conati sumus vetera, & nova proferre, Ritusque Capellæ Papalis exponere, ex quibus Cæremoniale ipsum compactum est,

SUB-

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM

QUI CONCILIO OECUMENICO VIII. INTERFUERUNT.

Apud Labbeum Tomo x. Pag. 662. & seqq.

Ego Donatus gratia Dei episcopus sanctæ Ostiensis ecclesiæ, locum obtinens domini mei Hadriani summi pontificis, & universalis papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ & universali synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii præsulis promulgavi, & manu propria subscripsi.

Ego Stephanus gratia Dei episcopus sanctæ Nepesinæ ecclesiæ, locum obtinens domini mei Hadriani summi pontificis & universalis papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ & universali synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii præsulis promulgavi, & manu propria subscripsi.

Ego Marinus sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ diaconus, locum obtinens domini mei Hadriani summi pontificis & universalis papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ & universali synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii præsulis promulgavi, & manu propria subscripsi.

Ignatius misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ sanctam hanc & universalem synodum suscipiens, & omnibus quæ ab ea judicata & scripta sunt, concordans, & definiens, subscripsi manu propria.

Joseph misericordia Dei diaconus, vices agens Michaelis sanctissimi patriarchæ Alexandriæ, sanctam hanc & universalem synodum suscipiens, & omnibus quæ ab ea judicata, & scripta sunt concordans, & definiens, subscripsi manu propria.

Ego Thomas misericordia Dei metropolita Tyri, & vices gerens sedis Antiochiæ, sanctam hanc & universalem synodum suscipiens, & omnibus quæ ab ea judicata & scripta sunt concordans, & definiens, subscripsi manu propria.

Ego Helias misericordia Dei presbyter & syncellus, locum complens apostolici throni, ubi patriarcha est Theodosius Hierosolymorum, sanctæ Christi Dei nostri civitatis, instar ceterorum vicariorum, omnibus quæ in sancta hac & universali synodo gesta sunt concordans, & definiens, manu propria subscripsi.

Basilius, Constantinus, & Leo, perpetui Augusti, in Christo Dei fideles principes Romanorum, & magni imperatores, sanctam hanc & universalem synodum suscipientes, & omnibus quæ ab ipsa definita & scripta sunt concordantes, subscripsimus manu propria.

Basilius misericordia Dei archiepiscopus Ephesi omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Theoduinus misericordia Dei archiepiscopus Ancyrorum omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Barnabas misericordia Dei episcopus Cyzici omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius misericordia Dei metropolita Chalcedonis omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicephorus misericordia Dei metropolita Amasiæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius misericordia Dei metropolita Gangrensium omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicephorus misericordia Dei metropolita Niceæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Cyprianus misericordia Dei metropolita Claudiopoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joannes misericordia Dei metropolita Pergæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Stylianus misericordia Dei metropolita Neocæsareæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Theodorus misericordia Dei archiepiscopus Thessalonicæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicolaus misericordia Dei metropolita Myrorum omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Sisinnius misericordia Dei metropolita Laodiceæ omnia quæ in sanctæ & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Niceta misericordia Dei metropolita Athenarum omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definiens libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicolaus misericordia Dei metropolita Synadorum omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suspiciens subscripsi manu propria.

Stylianus (*a*) misericordia Dei metropolita Iconii omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Hilarius misericordia Dei metropolita Corinthi omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Michael misericordia Dei metropolita (*b*) Rhodi omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter, &c.

Ignatius misericordia Dei metropolita Hierapoleos omnia quæ in sancta & universali synodo ju-

(*a*) *alias*, Theophylactus. (*b*) *alias* Corinth.

judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Euthymius miſericordis Dei metropolita Lariſſæ, omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judiesta ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſeripſt manu propria.

Netrophanes miſericordia Dei metropolita Smyrnæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propris.

Michael miſcricordia Dei archiepiſcopus Bizíæ omnia quæ in ſancta & univerſall ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joannes miſericordia Dei archiepiſcopus Pompejopoleos omnia quæ in ſancta & univerſall ſynodn judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiena ſubſcripſi manu propria.

Paulus miſericordia Dei archiepiſeopus Apamiæ omnla quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definità libenter ſuſclplens ſubſcripſi manu propria,

Gregorius miſericordia Dei archiepiſcopus Parii omnia quæ iu ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſeipiens ſubſcripſi manu propria.

Jacnbus miſericordia Dei archiepiſcopus Methymn omnla quæ in ſancta & unlverſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſeripſi manu propria,

Stephanus miſericordia Dei archlepiſcopua Amaſtridis omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſeipiens ſubſcripſi manu propria.

Joannes miſericordia Del archiepiſcopus Cii omnia quæ in ſaocta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libeoter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joannes miſericordia Dei archiepiſcopus (*a*) Ruſii omnia qoæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſclpiens ſubſcripſi manu propria.

Stephanus miſcricordia Dei archiepiſcopus Cypſaliorum omola quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & defioita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Euphemianus miſericordia Dei archiepiſcopus Euchaitorum omnia quæ io ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propr la.

Baſilius miſcricordia Del archiepiſcopus Miſthiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſeripſi manu propria.

Photius miſericordia Dei archiepiſcopus Nacoliæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria,

Theophanes miſericordia Dei archiepiſcopus Seigæ omnlà quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſeipiens ſubſcripſi manu propria,

Marcianus miſericordia Dei archiepiſcopua Thebarum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodn judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Hypatius miſcricordia Dei archiepiſcopus Garielæ omnia quæ in ſancta, &c.

Leontius miſcricordia Dei archiepiſcopus Neapoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita iibenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Teophanes miſerico rdia Dei epiſcopus Tralleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria,

Michael miſericordia Dei epiſcopua Adramiti omnis quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Pyrgi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judieata ſunt & definita iibenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Niceta miſericordia Dei epiſcopus Photiæ omnia quæ io ſaocta & univerſali ſynodo judicata ſuot & definita iibenter ſuſeipieos ſubſcripſi manu propria.

Nicolaus miſericordia Dei epiſcopus Nyſæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi maou propria.

Joſeph miſericordia Dei epiſeopus (*b*) Anchorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Athanaſius miſericordia Dei epiſcopus Magneſiæ omnia quæ iu ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita iibenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria,

Ignatius miſericordia Dei epiſcopus Timonis omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſeipiens ſubſcripſi manu propria.

Arſapius miſericordia Dei epiſcopus Erythreæ omnia quæ iu ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Macarius miſcricordia Dei epiſcopus (*c*) Elizomenæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita iibenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria,

Philetus miſericordia Dei epiſcopus Tabiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria,

Ignatius miſericordia Dei epiſcopus Juliopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita iibeoter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicephorus miſericordia Dei epiſcopus Aſponis omnia quæ iu ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libeoter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Siſinius miſericordia Dei epiſcopus Berinopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Taraſius miſericordia Del epiſcopus Nicopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicolaus miſericordia Dei epiſcopus Adramiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria,

Petrus Miſericordia Dei epiſcopus Palæorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt

(*a*) Ruſu; *in editione X. Harduinus*. (*b*) Ancorum. (*c*) Chyſomeus.

sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Damianus misericordia Dei episcopus Milctopoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Gregorius misericordia Dei episcopus Tripoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Theodorus misericordia Dei episcopus (*a*) Rurippi omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Arsenius misericordia Dei episcopus Aureliopoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Xenophon misericordia Dei episcopus Melassi omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Leo misericordia Dei episcopus Daphnusiæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius misericordia Dei episcopus Hadrani omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Constantinus misericordia Dei episcopus Numericorum omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Stephanus misericordia Dei episcopus Gordoservorum omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Georgius misericordia Dei episcopus Dascillii omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Paulus misericordia Dei episcopus Hyberorum omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Michael misericordia Dei episcopus Leontopoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Anthes misericordia Dei episcopus (*b*) Hinnopoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Paulus Misericordia Dei episcopus Melæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Germanus misericordia Dei episcopus (*c*) Ectri omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscrisi manu propria.

Joseph misericordia Dei episcopus Berræ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius misericordia Dei episcopus Zuruli omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Meletius misericordia Dei episcopus Heracliæ omnia quæ in sanctis & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens, &c.

Constantinus misericordia Dei episcopus Til omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Cosmas misericordia Dei episcopus Hadrianopoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius misericordia Dei episcopus Cratiæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Eustachius misericordia Dei episcopus Æmoniæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Euthymius misericordia Dei episcopus Sebastæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Constantinus misericordia Dei episcopus Synia omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joannes misericordia Dei episcopus Tampa omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joannes misericordia *Dei* episcopus Polemonii omnia quæ *in sancta &* universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Nicephorus misericordia Dei episcopus Neapoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Michael misericordia Dei episcopus Melitopoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Theophanes misericordia Dei episcopus Azameorum omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Ignatius misericordia Dei episcopus Dorylæi omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Constantinus misericordia Dei episcopus Augustopoleos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Cericus misericordia Dei episcopus Gordoriniæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria,

Paulus misericordia Dei episcopus Bareos omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Leo misericordia Dei episcopus Seleuciæ omnia quæ in sancta & universali synodo judicata sunt & definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius misericordia Dei episcopus Adadorum

(*a*) Alias *Rureppi*, pro *Euripi*, ex Arduino. (*b*) Alias *Imiopoleos*. (*c*) *Hectori*, alias, *Cytri*.

rum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi maou propria.

Nicolaus miſericordia Dei epiſcopos Docimli omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter, &c.

Theognoſtus miſericordis Dei epiſcopus Parnaſſi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus (a) Zetunii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſuut & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Theoclitos miſericordia Dei epiſcopus Lacedemoniæ omuia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipieos ſubſcripſi manu propria.

Nicephorus miſericordia Dei epiſcopus Crotonæ omuia quæ iu ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicepborus miſericordia Dei epiſcopus Zacynthi omuia quæ io ſaucta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ Cyriacæ omnla quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & defiuita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Gregorius miſericordia Dei epiſcopus Meſſinæ omnla quæ in ſancta & univerſali ſynodo judieata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi mano propria.

Demetrius miſericordia Dei epiſcopus Scyllatii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſuut & definita libenter ſuſcipieos ſubſcripſi manu propria.

Michael miſericordia Dei epiſcopus Cercyri omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libeuter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Leo miſericordia Dei epiſcopus (b) Agalaſſi omnia quæ in ſaucta & oniverſali ſynodo judicata ſunt & definita libeoter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Leontius miſericordia Dei epiſcopus Rhegii omnia quæ in ſancta & oniverſali ſynodo judicata ſuot & definita libeuter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Paulus miſericordia Dei epiſcopus Taurianæ omoia quæ in ſaucta & univerſali ſynodo judicata ſuut & defioita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Epiſtola encyclica ſanctæ ac univerſalis octavæ ſynodi.

E*Xaltate domino adjutori noſtro*, (c) *jubilate Deo Jacob: & laudationes Dei in portis filiæ Sion annuntiate alacrius & ſufficientius*. Debitum eſt, cariſſimi fratres, ad reverentiam veſtram dicere cum propheta David, & rurſus cum propheta Nahum affari: (d) *Quia ecce veloces pedes evangelizantis & annuntiantis pacem: Celebra Juda feſtivitates tuas, redde Deo vota tua, pro eo quod non adjicient ultra, ut tranſeant in vetuſtatem. Conſummatum eſt, ſublatum eſt, aſcendit inſufflans in faciem tuam, eximens de tribulatione: eo quod verterit dominus contumeliam Jacob, quemadmodum contumeliam Iſrael*. Quid enim aliud gratius, vel quæ ſpecialis exultationis ac dilectionis materia, ſeu conciliatio eſt, quam videre libere agentem oltionom dominum, & ſuperbis retributionem juſtam & convenientem, & zelotem dominum vindicantem inimicos ſuos? Propter hoc eoim dicit & pſalmiſta: (e) *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam*: lætabitor autem, non profecto quia fidei adverſantium caterva perit, & in peccato ſuo moritur impius; ſed quia contritam videt peccatorum virgam, ne & juſti manus ſuas ad iniquitates extendant, tranquillam injuſtitiam magis, quam divinam juſtitiam intuentes, & mendacium adverſus veritatem continuo prævalere videntes. Ac per boc veniant ad mentem illam, & cogitationes ſuas propheta Malachias inſinuat dicens: (f) *Quia invaluerunt ſuper me, dicit dominus, verba veſtra: Et dixiſtis: Quid locuti ſumus contra te? Et dixiſtis: Vanus eſt, qui ſervit domino: Et quod emolumentum quia cuſtodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus triſtes coram domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arroganter; ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & ſalvi facti ſunt. Tunc locuti ſunt timentem Deum, unuſquiſque proximo ſuo: Et audivit dominus, & attendit, & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo, timentibus Deum, & cogitantibus nomen ejus. Et erunt mihi, ait dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, ſicut parcet vir filio ſuo ſervienti ſibi: & convertimini, & videbitis quid ſit inter juſtum & impium, & inter ſervientem domino & non ſervientem ei*. Jubilet enim univerſa Chriſti & ſalvatoris noſtri eccleſia, & gratificans ei glorificationes decantet, iterum clamans cum propheta David: (g) *Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*. Qui enim dixit ad ſanctos diſcipulos & apoſtolos ſuos: (h) *Et ecce ego vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; & ait ad Petrum apoſtolorum principaliſſimam ſummitatem: (i) *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: multoties alias inferi portas, apertas contra eccleſiam, & devorare eam tentantes, obſtruxit, contrivit, atque deſtruxit, hæreticas videlicet opiniones, & iniqua conamina, quæ in præteritis generationibus per ſua tempora ſunt exorta, ſed nihilo minus & in inſtantibus temporibus inferno proprium os contra eccleſiam Chriſti apeiente, & dilatante, ſimili parique modo protector ejus factus eſt Chriſtus Deus noſter, qui deſponſavit eam & ora loquentium iniqua multifarie multiſque modis obſtruxit, & hanc ab eorum læſione & peſtilentia liberavit. Is enim qui formam quidem pietatis habere ſimulabat, virtutem autem ejus abnegabat, & ſecundum antiphraſeos tropum Photius appellabatur, multa & varia quidem ab ætate impubi contra eam adinvenit molimina, ſtolidis & nequam ſchiſmatici concordans, atque concinans, & perſuaſoriis verbis multos ab ea ſequeſtrans, & in laqueum perditionis attrahens: vocari autem Rabbi præter ætatem tota virtute te-

tsus,

(a) *Supra* Tutiunii. Harduinus. (b) *Pro*, Sagalaſſi. Harduinus. (c) *Pſal.* 80.
(d) *Nahum.* 1. (e) *Pſal.* 57. (f) *Forte* quas Propheta. Harduinus, *Malach.* 3. (g) *Pſal.* 144.
(h) *Matth.* 28. (i) *Matth.* 16.

tans, quibusdam propriis scriptis & chirographis, sicut se, simpliciores quoque, quin potius leviores sub prætextu quasi discendæ disciplinæ dialecticæ vinciebat: esset profecto ipse insipiens, & omni privatus intelligentia, quemadmodum divina scriptura testatur, evidenter asseverans: (a) *Dixit dominus homini, ecce pietas & sapientia, abscedere autem a malis disciplina*. Et iterum: (b) *Initium sapientiæ timor domini: intellectus autem bonus omnibus facientibus eum*. Non enim tantum ipse non abscessit a malis, vel præter canonicas sanctiones pepercit, cum esset laicus, didascalicum sibi nomen imponere, & separari a Christi ecclesia, sed & Deum colere volentes, omni machinamento usus, alienos constituere a justo voto festinavit; ut in illo impleretur aperte dominicum eloquium, quod asserit: (c) *Væ vobis, scribæ, & Pharisæi; quia vos non intratis in regnum Dei, sed intrantes prohibetis*; insuper & peccatum super peccatum copulans, perfluxit ut expelleretur ab ecclesia legitimus, & canonicus illius Pontifex, & summus pontifex, pastor sanctissimus Patriarcha Ignatius: & latronis more, atque adulter, in illius sedem ingressus, multam quidem tempestatem adversus eum commovit: plures autem procellas & æstus contra resistentes sibi, & propugnatores veritatis, & valentiorem turbationem, & tumultum sævissimum, in omnem locum, qui sub cælo est, dispersit: præ omnibus, in pastorem quidem magnum, deinde vero contra minoresque pastores, secundum propheticum affatum, extendens propriam manum, percutientem eos, & flagellantem, & varie, ac diverse affligentem, & coarctantem, & modo quidem potentesdeponens de sedibus, modo vero carceri & custodiæ mancipans, & per diuturnam famem morti transmittens? nonnunquam etiam longissimis & sævis exiliis relegans, & ad ipsas abigens orbis extremitates: nonnunquam vero cœnosis & fœtidis ac tenebrosis locis, quæ mortis umbram convenit dici, concludens; possessiones diversas auferens, casas in montibus virtuti operam dantium & philosophantium comburens, &, ut absolute dicatur, omnem afflictionem & tribulationem faciens corpori Christi & Dei, qui est caput omnium nostrum: non enim habens ex aliqua beneficientia qualemcumque reverentiam vel ad sui receptionem de hujusmodi conatibus & temeritatibus, stabiliri se præter rationem oportere putabat, cum esset bonorum inexpers, & veraciter imperitus. Nam qui convertit prudentes retrorsum, & consilium eorum infatuat, ut ait propheta, convertit eum, & omnia studia, quæ quasi ad propriam commoditatem paraverat, ad confusionem & opprubrium, & eversionem, atque ruinam: quanto enim ille persuadebat sibi quæ ad propriam securitatem pertinere videbantur, tanto magis omnia prospiciens oculus, ea in contrariam opinionem vertebat, ostendens eum de die in diem, ut terebinthum abjectis foliis, & sicut hortum aquam penitus non habentem. Sed quoniam ad beatissimum papam Nicolaum senioris Romæ epistolas & legatos sæpe mittens, & hunc judicem suum eligens, & proponens, & omnia quæ pertinebant ad justificationem sui, & ad sanctissimi patriarchæ condemnationem, sicut voluit ipse, sine impedimento dicens; quoties misit, toties ab eo reprobatus & condemnatus, & ut thronum Constantinopolitanum, utpote alienus, dimitteret, prorsus audivit, præsertim vivo adhuc legitimo ecclesiæ viro.

Ad extremum autem non obaudiens, a Christo, & ab Apostolis accepit anathema. Tunc ergo, tunc amplius furens, & a suis sensibus, & ab omni rationabili mente procul effectus, linguam exacuit etiam adversus eumdem, beatissimum videlicet Papam, & quemadmodum fabulæ hippocentauros & tragelaphos fingunt & formant, ita quoque & ipse stercorales quosque & subulcos a plateis, & (d) cujus conducens viros, & vicarios eos aliarum trium sedium appellans, atque proponens, præsumpsit synodale imaginari judicium personas accusantium & accusatorum & testium, & imperatorum, & magnatum, & metropolitanorum, quasi insuspectas fingens & simulans, & hujuscemodi, ut putabat, deposuit invereconde, & anathemati submisit beatissimum Papam Nicolaum, & omnes illi communicantes, neque summitati ejus, neque, quod magis est, ecclesiæ quæ a finibus usque ad finem constat ullo modo parcens, quæ videlicet Deo accepto illi & Christi imitatori & magno Pontifici procul dubio communicabat. Sed scientiarum dominum, & manifestas ejus nequitias, & quæ latenter fecerat opera tenebrarum, id est libros vaniloquos, quos ficte contra beatissimum papam illum conscripserat intuens, unde dicit propheticus sermo: (e) *Oculi domini excelsi aperti in omnes vias hominum, ut det unicuique secundum viam suam, & secundum fructus adinventionum ejus*, commisit imperatorum regnum principatum Basilio pheronymo domino, de quo affari liquido universitatis Deum arbitramur: (f) *Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, secundum beatum regem David. Hic enim meditationem ponens in corde suo ambulare secundum viam Dei, & custodire mandata ejus, maxime vero experimentum habens eorum quæ nuper injuste & inique acta sunt, clara quæque & certa sibi eorum quæ non apparebant fecit indicia. Et egregios quidem episcopus, & ductores monachici ordinis, disjunctos hinc & dispersos aspiciens, nec non & eos qui in solitaria vita positi angelicam & cælestem sincere conversationem dirigebant, quinimo & illos qui potestate ac potentatu prædici bonas opiniones ferebant, execrari pervasorem & adulterum, veluti aliam quamdam abominationem desolationis intuens, &, quod omni ratione dignius, & prestantius est, videns quod senior Roma projiceret eum, & crebris redargutionis suæ verbis, tamquam quibusdam jaculis, sauciarit, transmisit ocius hunc ad debitum sibi ignominiæ locum, & throno Constantinopoleos proprium pontificem secundum synodicum judicium sanctissimæ Romanorum ecclesiæ restituit: ad manifestiorem autem veritatis satisfactionem, & certitudinem etiam, loci servatores ex omnibus patriarchicis sedibus convocavit, & omnem nihilo minus episcoporum catalogum, qui sub throno Constantinopoleos degit, adduxit, qui gratia & cooperatione domini Christi Dei nostri & sanctione ac solicitudine ejusdem Christi amatoris imperatoris, hanc magnam, & universalem celebrantes synodum, & cum multo scrotinio & probatione quæ acta sunt examinantes, reperimus & advertimus, quod injuste, & extra rationem, & præter divinas leges ac jura, sanctissimus patriarcha Ignatius a Constantinopolitano-

(a) Job. 28. 28. ex Græco, ex Græco.
(b) *Psal.* 110.
(c) *Luc.* 11.
(d) *Forte*, vicis
(e) Jerem. 32. 19.
(f) Reg. 16.

rum eccleſia ſit amotus, & injuſte, & extra rationem, & præter divinas leges ac jura, in eam pro ipſo introductus ſit Photius, & e contra rationabiliter, & juſte, ac diſcrete, ſeu canonice, atque ſynodice, receperit proprium thronum ſæpe memoratus ſanctiſſimus patriarcha Ignatius: & rationabiliter, & juſte, ac diſcrete, ſeu canonice projectus ſit Photius; ita ut opportune audire valeat a propheta voce dicente: (a) *Quemadmodum feciſti, ita erit retributio tua*: retribuetur tibi in caput tuum. Igitur ſancta hæc & univerſalis ſynodus, ſæpe adducens pervaſorem Photium, & per multas & diverſas interrogationes depoſcens, qua patenter confiteretur (b) ſuperationem ſuam, & humiliaretur in coſpectu gloriæ Dei, & magnitudinis patriarchalium ſedium, aut, ſi hoc nollet, loqueretur aliquid, & duceret excuſationis verba ad propriam ſtabilitatem & juſtificationem; deprehendit eum inexcuſabilem in modis omnibus, abſque voce, ac per opera ſua infirmantem ſibi proverbiale dictum, quod perhibet: (c) *Iniquitates ſua capiunt impium, vinculis autem peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur*, & adhuc: (d) *Viæ autem impiorum tenebroſæ: neſciunt quomodo offendunt*.

Propter hæc ergo cuncta nolentem intelligere, ut bene ageret, neque obedientiam præeligentem, neque confitentem peccatum ſuum, & iniquiſſimum præſulatum, ſed inobedientem & reſiſtentem ſanctæ huic & univerſali ſynodo, repulimus; & anathematizavimus, atque a tota catholica & apoſtolica eccleſia fecimus alienum, per datam nobis poteſtatem in Spiritu ſancto a primo & magno pontifice noſtro, & (e) deliberatore ac ſalvatore cunctorum; quemadmodum ſcriptum eſt apud deiloquum Moyſen: (f) *Et anima omnis quæ fecerit in manu ſuperbiæ, ab indigenis vel a proſelytis domini, iſte irritat: & exterminabitur anima illa de populo ſuo, quia verbum domini depravavit, & mandata ejus diſſipavit: contritione conteretur anima illa, peccatum ſuum in ea*: quemadmodum & dominicus innuit ſermo, qui peccatum in proximum, & nequaquam correctum, ſed & eccleſiæ Dei non obedientem, monet deputari ac opinari ſicut ethnicum & publicanum. Similiter quoque & eos qui ab ipſo manus impoſitionem acceperunt, & arbore putrida fructus putridiores apparuerunt, & neque poſt ſtercus meliorari voluerunt, concidimus gladio ſpiritus: (g) *Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, ſecundum ſermonem dominicum. Si enim radix ſancta, & rami; & ſi fermentum ſanctum, & maſſa; (quemadmodum Paulus magnus Apoſtolus (h) aperte clamat) manifeſtum eſt quod e diverſo, ſi radix polluta, & rami; ſi fermentum pollutum, & maſſa: modicum namque fermentum totam maſſam fermentat. Porro coabjectus eſt ab hac ſancta & univerſali ſynodo etiam Theodorus Iconomachicæ hæreſeos princeps qui nuncupatus eſt Crithinus, & quidam alii conſentaneorum illius; quoſdam vero qui ſuſceperunt verbum veritatis recepimus, & choro orthodoxorum connumeravimus; quoſdam autem qui in eadem permanſere mente, impios & pravos cum pheronymo Crithino, quemadmodum paleatos & ſtercorales ex mundiſſimo frumento eccleſiæ per amplius ſequeſtravimus, & vehementius anathematizavimus: exponentes & canones numero viginti ſeptem pro eccleſiæ commoditate, Chriſtianorumque munimine, ac ſalute, nec non & univerſali ordinatione. Hæc autem omnia cognoſcentes vos, fratres cariſſimi, & filii ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, cujuſcumque & qualiſcumque dignitatis vel moris eſtis, laudabiliter Deum laudate, protectorem videlicet timentium ſe, & liberatorem omnium qui ſperant in eum: & ſecundum decretum & judicium ſanctæ ac univerſalis ſynodi, malos avertite eos qui ſunt mali ſenſus, abominamini injuſtos, & iniquos odio habetote, libere ſinguli cum divino David pſallentes: (i) *Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi*: Scriptum eſt enim; quia: (k) *Qui dicit impium juſtum, eſt maledictus in populis, & odibilis inter gentes a domino*. Et iterum: (l) *Qui juſtum, immundus abominabilis a Deo*. Nullatenus ergo audeat quis eorum qui Chriſtiano vocabulo digni ſunt, quique regimen paſtorale ſortiti ſunt: aut ab alio regi videntur, contrarium quidquam gerere ſanctæ huic & univerſali ſynodo, ac per hoc inveniatur omnium Deo contradicens, & illius conſilium & judicium ſpernens. Dicit enim alicubi Paulus magnus apoſtolus: (m) *Igitur qui ſpernit nos, non hominem ſpernit, ſed Deum vivum, qui dedit Spiritum ſanctum ſuum in nos*: Dicit autem & quidam deiloquorum noſtrorum. Si quis ſciſſus a veritate fuerit, regnum Dei non poſſidebit, ſed in gehennam condemnabitur. Et rurſus: Si quis in aliena ſententia ambulat, hic non eſt Chriſti: cum hujuſmodi ne commiſceamini, ut non cum eo pereatis. Quis enim neſciat quod in medio ſanctæ hujus & univerſalis ſynodi fuerit incomprehenſibilis & incircumſcriptus Chriſtus ac dominus qui dixit: (n) *Ubi ſunt duo vel tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: & voluntate ipſius omnia a Deo mota ſancta hæc & univerſalis ſynodus & tractaverit & fecerit? Et quoniam dicit omnium Deus per Iſaiæ prophetæ vocem: (o) *Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & aperiet; & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat*. Et iterum ſcriptura Job dicit: (p) *Si deſtruxerit, quis ædificabit? ſi clauſerit contra hominem, quis aperiet?* Certum eſt, quod quiſquis voluerit aperire januam quam ſancta hæc & univerſalis ſynodus clauſit, vel claudere tentaverit quam aperuit, Dei hoſtis & impugnator invenietur & oſtendetur, & ſuper terram & in cælis. Sed fiat, ut omnes qui invocant nomen domini noſtri Jeſu Chriſti, caritateque illius freti timorem ejus præ oculis habeant in æquitate veritatis, & fructus juſtitiæ afferentes inveniantur; quatenus omnes cuſtodiantur, & efficiantur digni, & in præſenti ſæculo ſuperna providentia perfrui, & incorruptibilia bona, quæ nobis in promiſſionibus ſunt repoſita in eodem Chriſto Deo noſtro, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Domino ſanctiſſimo, & coangelico maximo, ſummo ſacerdoti, & univerſali Papæ Hadriano, ſancta, & univerſalis Synodus Conſtantinopoli congregata in domino ſalutem.

OPportunum eſt cum ſapientiſſimo Salomone nunc & nos clamare: (q) *Sapientia in exitibus*

(a) *Pſal.* 10. (b) *forte* ſupputationem. (c) *Prov.* 5. (d) *Prov.* 4. (e) *forte*, liberatore.
(f) *Num.* 15. (g) *Matth.* 3. (h) *Rom.* 11. (i) *Pſal.* 118. (k) *Prov.* 24. (l) *Prov.* 17.
(m) 1. *Theſſ.* 4. (n) *Matth.* 18. (o) *Eſa.* 22. (p) *Job* 12. (q) Prov. 1.

bus laudatur, in plateis autem fiduciam agit, in summis murorum prædicatur, in portis autem potentum assistit, in portis autem civitatis confidens dicit. Quanto tempore innocentes abundant justitia, non confundentur; insipientes autem, injuriæ existentes desideratores, impii facti scientiam oderunt: hic est proverbialis sermo. Donatus enim Deo amabilis episcopus Ostiæ, & Stephanus Deo amabilis episcopus Nepæ, & Marinus honorabilissimus diaconus sanctæ Romanorum ecclesiæ, sanctissimi vicarii sanctitatis vestræ, cum essent divina sapientia repleti, & sapientiæ columnis propriæ animæ domum fundantes & stabilientes, & Deum omnium, qui in sapientia terram fundavit, præ oculis habentes, fiducialiter egerunt: in plateis profecto divinarum scripturarum, & excelsis, & sublimibus, & fortissimis muris veritatis Dei concilium prædicaverunt, & portis non solum potentum, id est auditibus eorum qui sensus exercitatos ad discretionem melioris ac deterioris, nec non & interiorem hominem perfectum habent, sed & eorum qui imperfecti, & sensibus parvuli sunt in civitate viventis Dei luculenter æquitatem divinæ justitiæ annuntiaverunt; & superioribus quidem manifestati sunt, accusata divinis legibus & præceptis injustitia & malitia: eos vero quos proverbiale dictum innocentes nominavit, per privationem videlicet malitiæ, inconfusos Dei boni cooperatione & gratia conservaverunt. Insipientiæ autem operarios, & æmulatores nequitiæ tamquam conviciorum avidos existentes, & impios factos, argumentis veritatis obnoxios ostenderunt, quemadmodum alios iterum proverbiale fatetur eloquium: *Et examinatio perdit impios*: operibus enim suis præpedierunt eos Deo amabiles vicarii paternæ sanctitatis vestræ, quod hymnidicus David ait: (a) *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem dominum glorificat*. Nam & quid aliud hos apparuisse opinandum est, quam derivatas imagines? immo vero characteres indissimiles quarumdam bonarum & principalium tabularum Nicolai beatissimi papæ revera fortissimi pietatis certatoris simol & sanctitatis tuæ? Sicut enim ille beatissimus & veraciter homo Dei primitus definivit & promulgavit, nec non & summa paternitas tua firmavit, & synodice roboravit; ita & ipsi hæc annuntiaverunt, & egerunt amborum vestrum sanctissimorum, videlicet senioris Romæ pontificum, nomen & memoriale, instantibus temporibus & cunctis generationibus, quæ deinceps futuræ sunt, efficientes laudabile: ita (b) & unicuique ipsorum aptetur quod dicit in evangeliis Christus omnium nostrum salvator: (c) *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, & injustitia in illo non est*. Sed & benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus odientium nos, sed eripuit animam nostram sicut passerem de laqueo venantium eam, & orationes vestras & assiduas redargutiones & admonitiones, quas pheronymus ille & magnus Dei summusque pontifex beatissimus papa Nicolaus: Dilexi enim jugiter ferre labiis illius beati nomen introducens, videlicet, per hoc, & ipsius quoque memoriam, qui per Christum, & cum Christo mundum vicit: & ipse qui & gradus & dignitatis & moris ejus successor es, pro ecclesiastica pace alacriter exercuistis, ad expellendum lupum ab ovili Christi, tamquam veri pastores rationabilium ovium Christi, quinimmo summi pastores, & principes omnium ecclesiarum. Sed de misero quidem Photio, & iis qui seducti sunt ab eo, & concordaverunt ei, propheticum illud dicendum est: (d) *Qui recta via domini, & justi ambulabunt in eis; impii autem infirmabunt*, vel etiam offendent in illis; suis enim viis delectari utique pernecessarium erat eis, fructus & mala accidere justum erat eis secundum opera manuum suarum, ut quodam in loco dicit magnivocus Isaias. Quis autem amatoris Christi & tranquillissimi imperatoris nostri articularibus insinuare vocibus poterit, in omnibus quidem aliis, sed præcipue in ecclesiasticis rebus atque personis æquanimitatem & exercitium? qui pietatis definitionibus & virtutum proprietatibus omnes supergressus est qui ante se regnaverunt; ita ut magis directionem ejus moribus, quam nostris virtutibus fiduciam capiamus, quem omnipotens Deus & rex universorum, qui per solertiam vestram, interventionem, ac judicium, seu synodicam expositionem, tam magnam & universalem synodum congregare dignatus est, & tantum opus ad finem prosperum perducere maluit, custodiat incolumem utrumque per multos annorum circuitus, & det sanctitati quoque vestræ condignam laborum vicissitudinem, & cum Petro & Paulo principibus apostolorum judices vos demonstret, & jam in futuro sæculo multarum gentium & populorum propriis bonis operibus, impios & iniquos judicaturos, quemadmodum & nunc debite fecistis, a Christo gubernacula sumentes ecclesiasticæ navis.

Igitur libenter oppido & gratanter imitatrice Dei sanctitate vestra omnium nostrum conventuum & universalis hujus atque catholicæ synodi consensum & consonantiam recipiente, prædica eam magis, ac veluti propriam, & solicitius confirma coangelicis præceptionibus & admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis ecclesiis personet, & suscipiatur veritatis verbum, & justitiæ decretum.

Hæc epistola missa est ad omnes Patriarchales sedes.

Basilius, Constantinus, & Leo, in Christo Jesu imperatores Augusti principes Romanorum.

Diligentibus Deum cooperari omnia in bonum divinitus clamat patenter Apostolus; (e) quia & petentem accipere, & quærentem invenire, & pulsanti aperiri spei portas dominica vox admonuit; his ergo dictis & divinitus gubernatum imperium nostrum parens, ut possibile sibi fuit, coronæ datorem suum diligens, non destitit de inventione ecclesiasticæ ordinationis nostræ petendo, quærendo, & pulsando, quousque Deo acceptis orationibus vestris spei fructum adeptum est. Incorruptæ enim columnæ ecclesiarum, sanctissimi videlicet summi pontifices senioris Romæ, multum ante arripientes laborem pro ecclesiastica ordinatione, debitam facultatem nostris contulerunt negotiis, ita ut honoratissimi vicarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, cum reverendissimo loci servatore sanctitatis tuæ, & aliarum patriarchalium sedium Dei gratia & cooperatione facilius evellerent nequitiæ zizania, & rus exhiberent mundissimum. Nam condemnatione dignos, & turbationis auctores

(a) *Psal.* 14. (b) *Forte*, ut (c) *Joan.* 7. (d) *Osee* 14. (e) *Rom.* 8.

res cum horum acephalu capite, regulariter atque synodice irreprehensibili judicio condemnaverunt & reprobaverunt; ei autem qui patenter injustitiam passus est, legitimo scilicet summo sacerdoti, & iis qui circa ipsum sunt, decreverunt & contulerunt triumphum, subtilitatem præterea eorum quæ acta sunt in superius declarata sancta & universali synodo sanctitati tuæ expressius exhibebit gestorum ejusdem synodi series. Gratias ergo agentes omnipotenti Deo pro ecclesiastica constitutione, ac idonea synodi terminatione, beatificantesque & suscipientes sinceram nobis a Christo Deo collatam divinorum canonum custodiam, & conservationem sanctitatis vestræ; quia salvat operibus circa nos benignitatis affectum, manifestum ei præsentamus laude dignum sanctæ hujus & universalis synodi finem, quatenus & ipsa gratiarum Deo una nobiscum offerat actiones largitori, scilicet pacis & totius saluberrimæ ordinationis auctori; orans & pro divinitus muniendo imperio nostro, bene valere sanctissimam paternitatem tuam, tranquillissimum imperium nostrum exoptat, apud Christum mirabilissime. Data indictione tertia. (a)

Postea sequitur altera epistola, cujus initium est;

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, unius & solius veri Dei nostri, Basilius, Constantinus, & Leo, fideles in domino imperatores Romanorum, Hadriano sanctissimo Papæ Romano spirituali patri nostro,

INdeficientem habentes in mente nostra memoriam beatitudinis vestræ, divinamque legem, naturæ hominum conjunctam, honorantes pro viribus, quæ patribus spiritualibus (b) vicissitudine, juxta cultum venerationis, exolvere jubet filios, semper de incolumitate vestra cognoscere volumus, & divinum nobis ac sacrum caput, quoniam non possumus carnalibus, saltem spiritualibus labiis per affatum literarum amplecti; debemus autem hoc, & propter præpositas causas, & propter amorem ejus qui circa nos est; qui zelo veritatis conspersus ostendit quidem, quanta sit sua erga Deum pietas, quantaque circa justitiam diligentia, & quanta fraternam erga dilectionem flagantia. Quoniam vero & literarum gerulum expeditum ad peregrinam profectionem, & magnanimum ad maiorum tolerantiam consecuti sumus, id ipsum optabile habentem, principi apostolorum ante promissum causa reddendi votum, eumdemque vestræ paternæ sanctitati commendamus, super hoc quoque multum tranquillitatem vestram rogantem. Idem autem est hic Theognostus, quem & vos bene nostis, Deo amabilis hegumenus super laudabilis Dei matris [c] Peges, & vasorum custos magnæ ecclesiæ. Per ipsum ergo quæ nostri desiderii sunt opportune adimplere conspeximus; implorantes evangelicam sanctimoniam vestram, in primis quidem de habitu vestro, qui secundum Deum est, deinde etiam de Deo amabilium apocrasiariorum & vicariorum prospero itinere, literis per eum significari nobis celerius. Jam enim tempus habemus non modicum expectantes, & nescimus evidenter tarditatis causam. Sed & si hactenus deesse clamaverint, saltem sero hoc nobis agnitum fiat. Specialis autem pater noster & magnæ civitatis nostræ patriarcha postulavit a nobis scribere sanctitati tuæ de his lectoribus qui a Photio promoti sunt, multis & innumerabilibus existentibus eis in diversis provinciis: insuper autem & de Paulo reverendissimo bibliothecario verbo & vita præfulgido ac Theodoro metropolita, qui & ipse nimis ecclesiæ utilis est; quatenus dispensatio fiat a sanctitate vestra super ipsis, quibusdam quidem ad ascensus majores sacrorum graduum, quibusdam vero ad receptionem sedium suarum, ad hoc rogantibus Dei imitatricem virtutem (d) suam; horum quidem multitudinem, hujus vero labores, & pro veritate sudores, illius autem culpæ reprehensionem, & quod ex canonica sit manus impositione promotus considerantem: & pro his & imperium nostrum flagitat pietatem tuam dispensandum aliquid hinc humanius. Bene vale, memor imperii nostri in Deo acceptis precibus tuis quæ sunt ad dominum: legimus.

Transmisimus autem sanctitati vestræ gratia commemorationis imperii nostri, & dilectionis quam circa illam habemus, quæ per species de'feruntur, vestimenta diaspra tria, esophorum d citrinum cancellatum, id est, chasdium crodium, habens ornaturam auream & velius prasinum, id est vilarni pinninum pro casula facienda, id est usin rubeum ærem habentem, id est usinalium, id est mulchumat, est planetilin castança duo.

Sequitur altera Epistola, Hadriani Papæ ad Imperatores Basilium Constantinum, & Leonem.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei dilectissimis ac spiritualibus filiis Basilio, Constantino, & Leoni, piissimis & tranquillissimis Imperatoribus,

LEctis excellentis imperii vestri litteris, dilectionis vestræ (e) quæ erga nos flagrat indicia & pietatis solita studia non tam cognovimus, quam recognovimus; unde gratiarum multimodas actiones summæ divinitati referimus, & multiplices laudes ejus concinere non cessamus, ob id maxime, quia circa religionis cultum accensi, postpositis ceteris sæcularibus curis, ante omnia ecclesiasticæ paci consuluistis; & quia sedis apostolicæ decreta, sana, priscaque lege super exortis controversiis exquisistis; & in colligendo magno sanctoque collegio pium studium & desiderium ostendistis; in quo, abdicato pravitatis auctore, definitio rectæ fidei & catholicæ ac paternæ traditionis, atque jura ecclesiæ perpetuis sæculis profutura, & satis idonea, fixa sunt & firmata: in quo etiam illud mirabilius & laudabilius sublimitatis vestræ predicatur insigne, quod non judicum vel assertorum, sed consciorum tantum & obsecundatorum persona usi fuisse dignoscimini: ita ut per humilitatis arcem ad culmen virtutum pervenire dilexeritis potius, quam per imperialis altitudinis fastum ad inanis gloriæ ima delabi consenseritis. Preterea nostri habitus qualitas, quam scire se velle benignitas vestra pio designat affectu, ita se habet, ut superna providentia, quæ cuncta creavit, & continua provisione gubernat, expedire nobis perspicit, & quod expedierit consulte dispensat. Apocrisiarios quoque nostros, super quorum nihilo minus reversione scripsistis, licet sero,

(a) An. Ch. 870.

(b) *Forte*, vicissitudinem

(c) Peges, id est, Fontis: monasterium est apud Constantinopolim sic vocatum.

(d) *Forte* tuam

(e) *Forte* a sua.

fero, post multa tamen pericula, deprædationes, atque propriorum hominum trucidationem, nudos tandem recepimus non cujuslibet hominis fretos auxilio, sed Dei solius præditos adminiculo: unde audientes hæc universi gemunt; & quia isti pertulerunt quæ sub nullo piorum principum quemquam sedis apostolicæ missum pertulisse recolunt, omnes stupefacti mirantur, sitque continui clamoris ab ecclesia nostra murmur, quod ita dispositionis vestræ constitutio improvida prodire potuerit, ut in barbarorum gladios, nullo imperii vestri fulti præsidio, miseranter inciderint. Præsertim cum hos quos ab apostolica seda toto desiderio postulaveritis, & ab ipsis apostolorum principum tectis per legatos vestros salvos acceperitis, salvos rursus, dispositis rite propter quæ missi fuerant, ad propria remittere summa diligentia procurare debueritis, exemplo saltem provocati Michaelis decedentis imperatorit, qui quos ab apostolica sede suscipere meruit, idoneo sociatu prævio, ut nostræ illæsi presentarentur ecclesiæ solerti cura sategit. (a) Et præterea & illud quod prima pietatis vestræ opera, vel circa sedis apostolicæ prioris benignitatis indicia contra spem nostram decolorasse convincitur, immo funditus destruxisse probatur: videlicet quia favore vestro frater & coepiscopus noster Ignatius in Bulgarorum regione consecrare præsumpsit antistitem, unde mirati sumus, & quia a pia intentione vestra retro reversi sitis, admodum obstupuimus. Verumtamen saltem nunc jam dictum reverendissimum præsulem ab illius regionis dispositione salubribus monitis, quæsumus, coercete: alioquin nec ipse canonicam effugiet ultionem, nec ii qui præsulatus vel alterius officii sibi nomen illic usurpant, cum excommunicatione, qua jam tenentur astricti, etiam proprii gradus jactura carebunt.

Porro de tribus capitulis, super quibus, præfato postulante sanctissimo fratre & coepiscopo nostro Ignatio, divinitus protectum imperium vestrum nos deprecatum esse dignoscitur; nil possumus ab eo quod jam constitutum est, ordinare diversum vel disponere, maxima de Photii consecratione aliquantisper versum; nisi forte nos, quibusdam ex utraque parte in præsentia nostra repertis, contigerit scire, quæ usque huc nescimus; vel discere quæ nunc penitus ignoramus. Non enim est in nobis, est, & non est. Et si quæ destruximus, eadem reædificaverimus, prævaricatores nos legis esse constituemus. Satis enim nota sunt quæ cum suo auctore destruximus, & quæ construenda mandavimus. Ab illis quippe sacratissimis constitutis, quæ vel apostolicæ memoriæ prædecessor noster papa Nicolaus antea salubriter sanxit, vel nos postea dispensatorie protulimus, aut ad dextram vel sinistram quoquo modo declinabimus. Quæ videlicet jam dudum probavit ecclesia, & immutilata servanda nuper gestum universale concilium statuit. Neque enim nobis moris est, ut pro libitu proprio paternis sanctionibus abutamur; quemadmodum quibusdam, qui apud vos summa rerum ecclesiasticarum gubernacula moderantes, tunc synodorum statuta, vel etiam apostolicæ sedis decreta proferunt, cum vel alios lædere, vel se juvare cupiunt: & hæc tunc sub silentio tegunt, quando fortasse contra se, vel pro aliis proponerentur. Si nostra, more priorum, æquitas in vestræ urbis præsule, majorum regulis obviantes, commoveri severius voluisset, quamvis multa instantia, & certamen viri prudentissimi & religiosissimi hegumeni ac sacrorum vasorum custodis Theognosti, qui de pietatis vestræ virtutibus, & probabilium morum insignibus & trophæorum triumphis, atque de beneficiorum vestrorum pie sibi præstitorum multitudine, nos plurimum relatione sua lætificavit, & qualiter diebus vestris, superno brachio, atque studio, & solertia vestra Christianitas prosperetur, enarrans, ad multimodas laudes sanctæ Trinitati reddendas, & gratias, alacriores exhibuit, ad postulata divinitus muniendo imperio vestro concedenda, nos supra modum efflagitaverit, & ultra quam dici possit solito & prisco more, ac pro ecclesiasticis utilitatibus frequenter impenso, crebris suggestionibus (b) investigarit. Super quibus tamen propter jam designatam caussam, nec annuere possumus, nec quidquam præter id, quod jam evangelizatum est, ullo modo definire.

Deus autem omnipotens, per quem reges regnant, & in cujus manu omnia jura regnorum consistunt, imperium vestrum ad ecclesiæ suæ sanctæ pacificam constitutionem, & populi Christiani perpetuam libertatem magis ac magis corroboret, ejusque potentibus plantis cunctarum infidelium nationum cervices inflectat, dilectissimi & desiderabilissimi filii. Data IV. Idus Novembris, indictione V. (c)

NOTA EX EDITIONE ROMANA.

Quæritur, cur sedes apostolica eos qui a Photio damnato in diversis sunt ecclesiæ gradibus constituti, sine recuperatione deposuerit, cum ab Ebione damnato sacratos, & post astantibus episcopis depositos, instaurari decreverit. Sed sciendum est, quia Photius tamquam neophytus, & adulter, qui scilicet ecclesiam viventis invaserit, nunquam fuisse episcopus, dictus & promulgatus est, sed nec ii qui ab eo manus impositionem acceperunt, comparati videlicet Maximo Cynico, & ordinatis ab eo a secunda synodo cum ordinatore repulsis: Ebio autem, licet postea sit depositus, quandoque tamen episcopus fuit, quemadmodum & Acacius, de cujus ordinatione Papa statuit Anastasius, ut scilicet quos post damnationem ordinavit Acacius, nulla portio læsionis attingeret. Denique si pater meus adulter est, & ego ex adulterio nascor, profecto ut non legitimus ex hereditate repellor; quod tamen non paterer, etiam si pater meus probaretur veraciter homicida.

(a) *Fort.*, est, ut ait Harduinus.

(b) *Forte*, instigarit. Harduinus.

(c) An. Ch. 871.

IN-

INDEX RERUM

Et Canonum complurium Conciliorum Particularium antiquorum, qui in hoc Tomo II. citantur, & explicantur.

Prior Numerus Paginam, alter vero Columnam indicat.

A

S. Atha-

B

D

E

Eu-

F

G

Gyro-

H

I

K

Iag

L

M

Mar-

Mo-

N

O

Præ-

T

V

MONITUM AD LECTOREM.

Restat ut Lectorem admoneam, depravatam fuisse a Typographo inscriptionem Capitis V. quæ legitur post Historiam VIII. Concilii generalis ad Paginam 320. Sic enim est corrigenda: *De Pseudo-synodo Photii, quam post restitutionem suam adversus Oecumenicam octavam Synodum celebravit, quamque perperam octavam vocavit, & de ejus impudentia in adscribendo Sanctorum fastis primogenitum Constantini Imperatoris*. Essent & alii errores corrigendi, quos tamen benignitati Lectoris benevoli relinquo, vix enim vitari possunt, tametsi ab Auctoribus summa diligentia adhibeatur; nec enim mali homines desunt, qui eo vitio laborant, ut alienis operibus, dum eduntur in lucem, dolo malo, & iniquo artificio errores inspergant, ut deinde scilicet Auctores sugillent, & obtrectationibus malevolorum exponant. Utinam hujusmodi ingenii homines aliquando resipiscant, non enim talia agentes levis alicujus culpæ, sed magni profecto, ac læthalis criminis rei sunt. Quod iccirco dixi, quia Auctores nonnullos novi, qui de ea similium hominum improbitate, tum verbo, tum scripto conquesti fuerint, ut omittam quid ego aliquando in meis Operibus expertus sim.



